

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`


Digitized by Google

4° Hom. 1819

Digitized by Google

<36612284580017

<36612284580017

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4° Hom. 1819.

Digitized by Google

Collegij Societatis Iesu Monachij. 1612.



Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTIANVS ORATOR

In quo, Primum de Concionatore ipso agitur, Tum de Concione, ac demum de Concionantis Prudentia, & Industria,

E Sacrarum præsertim literarum doctrina, Sanctorumque Patrum authoritate Concinnatus,

Adiecto, Locorum communium Vsu, ac Praxi, accommodatisque ad Præceptiones Exemplis,

Accessit, Initio Index omnium Capitum, & ad calcem Synopsis omnium, quæ ad bene dicendum faciunt, ac Censura rerum, quæ, in Oratore, corrigendæ sunt,

Opus Beatissimo PAVLO omnium Oratorum maximo, ac Patrono SACRVM.



Digitized by Google

Claudius Aquauiua Societatis Jesu
Præpositus Generalis.

Cum opus hoc, quod inscribitur Christianus Orator, Patris Caroli Regij nostræ Societatis Theologi, quatuor eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, atque in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, si Reuerendissimo Domino Vicesgerenti, & Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscripsimus, & sigillo nostro munitas, dedimus Romæ vij. Decembris 1611.

Claudius Societatis Iesu Præpositus Generalis.

Imprimatur, si videbitur R. P. M. Sacri Palatij Apost.
Cæsar Fidelis Vicesg.

Ex commissione Reuerendiss. P. F. Ludouici Ystella Magistri Sac. Pal. Ap. accuratè perlegi librum, cui titulus Christianus Orator, ex diuinis præsertim literis, &c. à nobilem R. P. Carolo Regio Societatis Iesu conscriptum, ac in eo nihil reperi contrarium Catholicæ fidei, aut bonis moribus, imò opus esse impressione dignissimum iudico. In quorum fidem me subscripsi, die x. Ianuarij 1612.

Ego Don Raphael Rastellius Clericus Regularis.

Imprimatur,
F. Thomas Pallauicinus Bonon. Magister, & Reuerendiss. P.F. Ludouici Ystella S. Pal. Apost. Magistri Socius Ord. Præd.

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

DIVO PAVLO
OPTIMO MAGISTRO
atque omnium Concionatorum Protectori digniſsimo, & vnico exemplari.



RODITVRVS è domeſticis parietibus, in commune orbis theatrum noſter Chriſtianus orator, patronum aliquem, & tanquam pupillo tutorem, ſolenni quadam conſuetudine, ac lege, à me iure ſuo aſſignari ſibi depoſcit. Ego vero ad cælites Diuoſque magis quam ad terrigenas conuerſus, Non arbitror Beatiſſime Paule, has quaſcumque lucubratiuncu-las, in publicum poſſe prodire tutius, quam ſi tui ſanctiſſimi nominis characterem, & inſignia in ipſa ſtatim fronte præ-ferant, non quod eas vllo modo dignas exiſtimem, quæ tanti principis nomine, ac authoritate decorentur, & tam illuſtri patrocinio fulciantur, ſed vt omnes concionatariæ facultatis profeſſores planè intelligant, nullo eos melioris patroni muni-mento niti vnquàm poſſe, quam ſi tibi omnem induſtriam, laboreſque ſuos, & ſtudia, bona credant fide: quem à Deo vnicè ad Euangelium toto orbe diſſeminandum, ab ipſa æter-nitate deſtinatum, & ſegregatum ab vtero matris, Ieſus Chriſtus ipſemet egreſſus è cælo, ad portas Damaſci grandi miraculo vocauit, & ad hoc ipſum munus, vas electiſſimum reddidit. Quem nouimus tanquam auream tubam, cæleſti ſpiritus afflatu perſonantem, magnam totius orbis partem peragraſſe, & Chriſti glorioſum nomen circumtuliſſe, popu-

loſque

losque quam plurimos ad Syon montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, ac primitiuorum Ecclesiam congregasse. In quo denique nobis non solum, veri magniq; oratoris exemplar, & nobilem formam ad inspiciendum, & imitandum reliquit, sed etiam Epistolas omni eruditionis Christianæ genere ornatissimas dedit; quarum spiritu, & authoritate nostras conciones, & exornare, & confirmare, & copiosè admodum locupletare valeamus. Tibi ergo glorioſissimè Paule, quem ego inter choros Seraphim, Iesu Christi ardentissimo contemplor amore flagrantem, Tibi inquam, hos licet exiles labores, & me ipsum totũ, atque adeo, omnes qui ad Euangelizandi munus à Deo vocati sunt, dedo, dicoq; & precibus à te exposco, vt qua es in Christum Dominũ, & Ecclesiam charitate, omnes tuo fauore gaudeant, tuo patrocinio muniantur, tuo spiritu in concionibus armentur. protege singulos, qui ad te confugiunt, vt in hoc tam graui onere laborantes, huiusmodi sint, quales per tuas Epistolas, & prædicationem esse debere

2. Cor. 5. *Deus docuit, vt pro Christo legatione fungantur, tanquam Deo*
1. Cor. 4. *exhortante per eos; vt sint fideles Christi ministri, & dispensa-*
2. Cor. 4. *tores mysteriorum Dei; vt non seipsos prædicent, sed Dominũ*
1. Cor. 9. *nostrum Iesum Christum, & hunc crucifixum; vt redigant in seruitutem corpus suum, ne cum aliis prædicauerint ipsi repro-*
2. Tim. 2. *bi efficiantur; vt collaborent Euangelio Dei, secundum virtu-*
Rom. 1. *tem: vt sapientibus, & insipientibus se debitores esse cognoscant, & omnibus omnia fiant, vt omnes lucrifaciant: vt do-*
1. Cor. 9. *ctrinis variis, & pregrinis non abducantur, verum sequantur,*
Heb. 17. *quæ decent sanam doctrinam. Vt in Christo Iesu per Euange-*
1. Cor. 4. *lium gignant multos filios: Vt omnes laborent sicut boni mi-*
2. Tim. 2. *lites Christi Iesu; sibiq; & doctrinæ attendant, ac lectioni, &*
1. Tim. 1. *meditationi, & in his instent; atque ita seipsos saluos faciant, & eos qui audiunt. Deniq; illud te obnixe deprecor, studiosissime diuini verbi Præco, vt hos exiguos pro eiusdem diuini verbi prædicatione, postremis hisce temporibus, & excolenda, & amplificanda labores, ita tuearis, vt in Dei maiorem gloriam, & Christi nominis cultum, ac venerationem, & sanctæ Ecclesiæ, omniumq; concionatorum beneficium cedant.*

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM PRÆFATIO.

FACVLTATEM rectè, & ex diuinæ voluntatis sententia, atque cum animarum fructu concionandi non esse humanæ industriæ opus, nec ab artis cuiuspiam præceptionibus manare, sed Dei esse donum, ab eoque maximè pendere, nisi qui diuinam vim, & humanæ imbecillitatem naturæ ignorat, ignorare arbitror neminem. Quippe Deus ipse, qui sui verbi, quod prædicari oportet, author est, ac summus magister, sinè controuersia Christianum Oratorem tanquam instrumentum quoddam musicum tangere, ac mouere debet, vt eam reddat harmoniam, quæ non vt poetæ de Orpheo fabulati sunt, arbores, & saxa deliniat, ac post se trahat; sed cælesti quadam vi, ac dicendi efficacitate, durissima peccatorum corda perrumpat, atque è peccati cœno extractos, ac dæmonum erutos tyrannide, ad Deum perducat; deque perditis, & sceleſtis, pios, & sanctos, de leonibus, ac tygribus oues, & agnos reddat; Id adeo, si quis humanitus potius quam diuinitus fieri posse credat, næ ille totam ignorat euangelizandi viam. Vbi vero efficax Dei agentis præsentia, quæ suum afficiat instrumentum præsto erit concentum reddet apta suauitate potentem: & ipsum Dei verbum nequaquam suo fructu destituetur. Promittit hoc Isaiæ Deus cum ait: Verbum meum non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Sic informatos à Deo Optimo Maximo Prophetas omnes, certa fide tenemus. Idcirco enim dicitur, factum est verbum Domini ad Ezechielem. Et verbum Domini, quod factum est ad Osee: & factum est verbum Domini ad Ionam, & eodem modo cum cæteris Prophetis obseruatum esse satis vtique constat. Apostolis porro, quibus Euangelij lumen, per ignotas terras ignotiora maria ferendum tradebat Christus dixit, non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Cum vero præcipuus concionandi author Deus sit, vt dixi-

Facultas bene concionandi, Dei donum est.

Isa. 55.

Matth. 10

Digitized by Google

diximus, eum tamen non eodem semper modo, etiam cum ijs doctoribus, qui rectè muneris sui partes explent, se gerere, vel ipso experimento compertum est. Aliquando tanto dicentem pectus affectu replet, tantaque afficit spiritus facundia, vt sit verbum, quod de ore eius egreditur, tanquam ignis vehemens, & perinde, vt malleus conterens petras. Nonnunquam vero ita concionantem videtur deserere, siuè aliqua ipsius culpa, siuè occulto iudicio, vt omnino eius frigescat, & iaceat oratio, & videantur ex ore eius potius cadere verba, quam spiritus Dei impetu ferri. Hoc vero contingere credimus, aliquando diuina prouidentia, non sapienter magis quam amanter statuente, vt nimium ne nobis arrogemus, neuè humanæ gloriæ abrepti æstu, in nobis nostra ponamus omnia. Experiebantur has vices sæpè & Prophetæ. Neque enim vt rectè D. Thom. cum cæteris docet Theologis, prophetia dabatur ad modum habitus permanens, sed prout Deo placebat, aut aderat, aut aberat aliquando. Hæc autem cum ita sint, concionandique facultas, vt Dei donum, plus à Deo, quam à quacumque arte, vel humana Industria pendeat, & Prædicatori longè plus Deo, quam suo studio, ingenio, ac diligentiæ fidendum sit: illud tamen pariter verum est, Deum nostram à nobis etiam industriam postulare. Nam sine dubio non solum negligentiæ, sed temeritatis esset imparatum, de rebus grauissimis verba facturum, sacrum Oratorem ad dicendum accedere. Neque enim Christus cum ad suos Apostolos dixit, Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, vetuit præmeditari, quæ pro concione dicenda essent, vt alibi explicamus, sed plus æquo esse sollicitos; tanquam monens, ne nostra industria magis quam diuina ope niti videamur. Hoc igitur requirit à nobis Deus, vt nos ipsos aptum instrumentum sibi exhibeamus: quo ipse ad suam gloriam, & salutem vtatur animarum. Intellexit hoc egregius vates Elisæus, qui se aliquando prophetiæ spiritu destitutum sentiens, psaltem ad se vocari iussit, & ad psalterij eius sonum, animi vires cum collegisset ad Deum, sensit à Deo visitari sese, ac vaticinandi spiritu repleri. planè concionaturus, diuina aspirante gratia, quantum in ipso est, psalterium suum ita componere debet, paratumque offerre, vt si Deo placuerit, efficacem adeo harmoniam reddat, vt ad benè psallendum coram arca Dei omnium

Ad bene dicendum nostra etiam requiritur Industria.

Matth. 10.

animi animi excitentur. Quibus autem in rebus hæc industria collocanda sit, noster hic qualiscumque labor in hoc opere indicabit: conabitur certè Euangelij præconibus tanquam speculum quoddam proponere, vt in eo seipsos diligenter inspiciant, atque ad Dei nutum in opere tanti momenti, quanti est Dei legatum agere, singula quæquè accuratè conformant: ne illud Hieremiæ, vel inuiti audiant *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter, vel vt alia habet lectio fraudulenter.* Quippè fraudulentus est incuriosus Orator, qui suæ negligentiæ culpa Deum gloria, animas fructu, verbum Dei sua vi fraudat. Nec ego ignoro, quam difficili, & controuerso in argumento verser, præsertim post multas doctorum virorum, & graues hac de re tractationes. Equidem per annos quamplurimos, quibus concionando consenui, hanc prouinciam ritè in Ecclesia Dei administrare arbitratus sum semper, atque adeo expertus rem esse perdifficilem, magnique laboris opus, idquè fatebuntur, opinor, omnes, qui graui iudicio præditi huic diuinæ vocationi, ita insistunt, vt Dei sermone viuo, ac penetrabili ferirè corda, non mortuis, & affectatis vocibus aures delinire voluerint. Verum enimvero in præsentiarum, longè difficiliorem mihi prouinciam aggredi videor, ætate præsertim prouecta, atque effæta, qua nè corporis quidem vires supperunt oneri sustinendo pares. Nec sanè vllo modo huic ego humeros moli subijcerem, nisi Præpositi mei vrgerer imperio; Eoque minus, quod noster hic labor, non vulgaribus rudibusque ingenijs, sed ijs peculiariter inseruire debet, qui non prudentia modo, ac magno iudicio valeant, sed etiam variis disciplinis exculti sint: tales certè esse par est, qui ad verbum Dei disseminandum, & ad munus planè Apostolicum à superioribus deliguntur. Sed illud me hac in parte consolatur, quod eosdem, quibus hæc scribuntur, vt suo loco dicetur, moribus vitaque supra cæteros probatos esse oportet: alioqui essent planè, quam alij minus idonei; vt hinc possim rectè conijcere, ac sperare, eos in meliorem semper partem quæcumque dicuntur, accepturos. Illud quidem ab omnibus peto, quæsoque, vt singula prius æquo animo, & amicis auribus accipiant, inde attentè, ac prudenter iudicent; tandem etiam ad vsum, & praxim reuocent, præsertim quod sanctorum Patrum maximè authoritate, & illustrium virorum testimonio nitantur. Spero enim fore, vt ipso vsu,

Hier. 48.

Redditur alia qua ratio eorum quæ tractantur.

esse non inutilia deprehendant. Iam vero instituti nostri ratio hæc est. Principio ab Oratoris Christiani officio, initium sumendum esse duximus non solum, quia id doctrinæ huius ordo postulabat, quæ ab officio, & fine cognito cætera metiri debet: verumetiam, quia cum, Apostolo teste, vnusquisque in ea vocatione, qua vocatus est, ambulare debeat id voluimus, vt qui ex eorum numero se esse cognoscunt, qui ad hoc munus vocati non sunt, non se ingerant. Qui vero diuinæ vocationis signa conspiciunt non detrectent, sed id curent maximè, vt tanto alijs sanctitate præcellant, quanto locus, quem dicendo, in Ecclesia tenent, omnibus eminet. Quid autem ab ijs Dei vocatio, & munus requirant, hoc opere intelligent. Ob hanc ipsam causam secundo loco, de virtutibus, quæ Oratori nostro necessariæ sunt, & apud Deum hominesque magnam illi gratiam, magnum Ecclesiæ Dei Ornamentum, ac beneficium conciliant, ex sacrorum librorum testimonio, & patrum antiquorum maximè sententijs à nobis agitur: vt apud se quisque tanti negotij pondus expendat, in eoque ita desudet, industria, & virtutum solidarum acquisitione, vt tanto se munere minimè indignum ostendat. Et quoniam non priuatum virum instituimus, sed populorum Doctorem, ac Ducem, qui non exemplo solum, sed sermone, ac doctrina Christi fideles, ac si possit, mortales omnes instituat, multiplicium deinceps scientiarum apparatum illi proponimus, vt tanto operi commodè obeundo idoneum se comparet instrumentum. Cui præterea varia ad benedicendum quasi præexercitamenta, seu progymnasmata adiecimus, quibus priuatim antequam in publicam exeat palestram erudiatur, vt quanto paratior prodierit, tanto & Deo, & Ecclesiæ fructuosius seruiat. His de Oratoris persona tractatis ad ipsum opus, quod est concio accedimus. Hic autem primo loco de Euangelici doctoris eloquentia disserere placuit, vt veram statim à corrupta eloquentia distingueremus; & iudicium fieret inter eam facundiam, quam sancti Patres meritò insectantur, & locum in sacris concionibus habere nolunt, atque eam quam & ipsæ diuinæ literæ amplectuntur, & sacras conciones non ornet modo, sed efficaces, ac fructuosas reddit. Tum de Rhetoricæ diuinæ partibus agimus: quam quoniam à Politica Ethnicorum arte multum distare arbitramur, de ipsa eius materia, & causarum nostrarum generibus, vt nobis opportunissimum visum est philoso-

1. *Cor.* 7.

phati

phati ſumus. Multa vero quæ ex profanis ſcriptoribus, de Oratoria facultate ad noſtrum vſum facerent, non modo libenter admittimus, ſed vltro etiam noſtris Concionibus conati ſumus accommodare. De locorum Theologicorum Inuentione, aliquid copioſius tractamus præſertim de his, qui ad Chriſtum eiuſque myſteria, & Chriſtianam nobilitatem pertinent, quod hæc pars noſtrarum Concionum maximè ſit propria, & nobiliſſimum afferat ad omnem virtutem incitamentum, ac propterea ſit frequentius explicanda. In pleriſque etiam alijs argumentis communes propoſuimus locos, vt de peccato, de pœnitentia, de ſtatibus, de progreſſu virtutum, de Chriſtiana perfectione, de affectibus, exiſtimantes his locis longè plus Oratoris induſtriam iuuari poſſe, quam multarum copia præceptionum, ne quis fortè obijceret, Plus auxilio, quam conſilio indigebamus. Qua in re etiam antiquos Rhetores imitamur, qui in ſuarum cauſarum materijs copioſe locos aſſignarunt, vt apud Ariſtotelem videre eſt: cuius nos tractationem de affectibus in breuem ſummam, ideo collegimus, quod inter homines ſapientes conſtare video, hoc argumentum ab Ariſtotele ita eſſe plene accuratèque ſcriptum, vt nemo plus in eo vidiſſe, nemo ſubtilius exequutus putetur. Tertiam operis partem Concionatoris prudentiæ dedimus, quoniam multa ſunt, in quibus ſæpè à multis contra hanc virtutem, & contra loci maieſtatem, ac decorum peccatur. Et multa notauimus non tam ex libris, quam ex ipſo vſu prædicatorum, ea mente, vt aliquorum lapſus, & imprudentia, alijs cautio eſſet. Quoniam vero laudabilis Eleemoſynas in pauperum beneficium, colligendi conſuetudo, perpetua verbi Dei comes in Italia eſſe ſolet, non ſum arbitratus moleſtiam me lectori allaturum (qui ab hac moleſtia facilè ſi velit, liberari poteſt ad alia tranſiens) ſi multa ad manum collecta habeat, quibus ad hoc tam pium opus poſſit excitare auditores. Præterea multorum annorum experientia didici, ſicut & alij experti ſunt plurimum valere, ſi inter concionandum monita, quædam ad vitæ ſpiritualis inſtructionem, & praxim admiſceantur; ideo multa ad hunc quoque vſum collegimus, haud ſuperuacaneum rati laborem, quo poſſet Chriſtianus populus adiuuari, vt ipſa res eos, qui experiri voluerint, edocebit. De alijs rebus, quæ ad hanc noſtram inſtitutionem pertinent non eſt, quod dicam. Legat cui placuerit. Illud poſtremò le-

storem moneo, in instituendo Christiano Oratore, non tam fermonis elegantiam, & flores, quam styli familiaris diluciditatem, & operis, quod intendimus vtilitatem quarendam fuisse; ac summam in eo præcipuè sitam, vt Orator pius, ac sanctus efficiatur. Tum enim cætera vel non desiderabit, vel sponte sequentur. Adsit nobis Deus, & operi nostro faueat, vt fructuosa dicamus, & nihil omnino aliud in votis nobis sit, quam Dei gloriæ, Ecclesiæ beneficio, & communi omnium bono deseruire.

Quid autem totum hoc opus particulatim contineat, subiectus index statim aspectu indicabit.

INDEX
OMNIVM CAPITVM,
quæ in hoc opere tractantur.

PRIMA PARS
Concionator.

De officio Oratoris Christiani Liber Primus.

De origine, ac vitiis priscis sacrarũ concionũ, Cap. 1.
De ipso concionatore, Cap. 2.
De Auditoribus, Cap. 3.
De Tempore, Cap. 4.
De loco, Cap. 5.
Officium, ac finis Oratoris Christiani, Cap. 6.
Quænam oratori circa suum munus cõsiderãda sint. Cap. 7.
Quanti momenti sit hoc munus ex fine, & materia, Cap. 8.
Dignitas officij ex persona, & alijs donis. Cap. 9.
Quanta sit prædicationis necessitas. Cap. 10.
Qua vtilitas ex prædicatione. Cap. 11.
Difficultas officij. Cap. 12.
Periculum in Concionatoris officio. Cap. 13.
De vocatione legitima concionatori necessaria, & primo de Episcopis. Cap. 14.
Idem probatur ex patribus. Cap. 15.
Diluuntur quatuor obiectiones. Cap. 16.
De alijs legitimis verbi diuini prædicatoribus. Cap. 17.
In eos qui non vocati prædicatoris officiũ ambiunt. Cap. 18.
Signa vocationis quænam sint. Cap. 19.
Quænam sit ad concionandum matura ætas, & de timore vtile. Cap. 20.
Promptus animus ad conciones contra pusillanimes. Cap. 21.
Merces & Aureola boni concionatoris. Cap. 22.
Parati ad eis missiones. Cap. 23.

De virtutibus Oratoris Christiani. Liber Secundus.

Orator Christianus debet esse vir bonus. Cap. 1.
Probatur hæc veritas rationibus. Cap. 2.
Probatur idem ex titulis concionatori propriis. Cap. 3.
Recta intentio. Cap. 4.
Amor erga Deum, & Christum. Cap. 5.
Spiritus Orationis, & contemplationis. Cap. 6.
Quem modum tenere debeat vt orationi sit deditus. Cap. 7.
Fiducia in Deum. Cap. 8.
Cõstãtia, & perseuerãtia Cap. 9
Charitas erga proximos. Cap. 10

Digitized by Google

Zelus salutis animarũ. Cap. 11.
Spiritus humilitatis. Cap. 12.
Humilitatem assequendi modus Cap. 13.
Spiritus paupertatis. Cap. 14.
Conuersationis bonæ exemplũ, Cap. 15.
Nimiæ familiaritates, & visitationes vitandæ. Cap. 16.
A conuiuijs, spectaculis, & Negotijs secularibus abstinendum. Cap. 17.
Regulæ aliquot Christi Domini pro his quos ad prædicandum mittebat. Cap. 18.
Aliæ quatuor Christi regulæ. Cap. 19.

De scientia necessaria, & varijs exercitamentis.
Liber Tertius.

SCientia concionatori necessaria, ac primo sacrarum literarum. Cap. 1.
Qui modus tenendus in studio sacræ Scripturæ. cap. 2.
Meditatio sacrarum Scripturarum, & modus. cap. 3.
Sensus scripturæ duplex. cap. 4.
Regulæ ad sensum historicum inuestigandum. cap. 5.
Phrases & Idiotismi, cap. 6.
Symbola varia scripturæ propria, & Tropi. cap. 7.
Alia consuetudines scripturæ. cap. 8.
Adiumenta aliqua ad scripturæ intelligentiam. cap. 9.
Studium scholasticæ Theologiæ, cap. 10.
Lectio sanctorum patrũ. cap. 11
Notitia Cathechismi, Canonum, Linguarum, & Philosophiæ. cap. 12.
Historiarum, & rerum politicarum peritia. cap. 13.
De præexercitamentis, ac primo de Arte, Lectione, Auditione. cap. 14.
De Imitatione, ac modo imitandi. cap. 15.
De Cogitatione, ac scriptione. cap. 16.
An scribenda concio ad verbum cap. 17.
De vsu Declamationum. cap. 18.
De Admonitore vel Instructore. cap. 19.
Exemplar Concionatorum D. Paulus. cap. 20.

SECVNDA PARS
Concio.

De eloquentia, fine, officijs, & Materia Concionum.
Liber Quartus.

ESse aliquam eloquentiam bonam, pro sacris concionibus. Cap. 1.
De Eloquentia S. Pauli, & sacrarum literarum cap. 2.
Esse aliquam falsam Rhetoricã. cap. 3.
Quænam sit vera, & falsa Eloquentia. cap. 4.
Quæ maximè eloquentia sacro Oratori conueniat. cap. 5.
Sanctorum Patrum hac de re Iudicium. cap. 6.

Respon-

Digitized by Google

CAPITVM.

Respondetur his qui insignem ornatum in Christiano Oratore probant. cap. 7.
Qualis sit sanctorum Patrum eloquentia. cap. 8.
Qua concionatores Iuniores eloquentia deceat. cap. 9.
Veram falsamque eloquentiam ex fine fructuque spectandã. cap. 10.
Alia nota vera, seu corrupta eloquentiæ. cap. 11.
Adiumenta ad veram eloquentiam. cap. 12.
Finis concionatoris persuadere. cap. 13.
Quatuor errores contra hunc finem. cap. 14.
Tria cõcionatoris officia. cap. 15.
Delectatio qualis in concione esse debeat. cap. 16.
Genera causarum, & concionũ sacra Rhetorica. cap. 17.
Ex triplici genere vitæ omnia causarum genera sumuntur. cap. 18.
Magis distincta diuisio, & quomodo conueniant cum prophana Rhetorica. cap. 19.
Genera quæstionum, & res tractandæ circa fidem, & mores. cap. 20.
Qua ad viam Illuminatiuam, & vnitiuã pertinent. cap. 21.

De Inuentione Materiæ, & argumentorum ex locis. Liber Quintus.

Materia selectio. cap. 1.
Quales materia relinquenda potius sint. cap. 2.
Duplex modus tractandi res Morales. cap. 3.
Argumenta ex locis Topicis, & exempla sacra. cap. 4.
Sequuntur alij loci Topici. cap. 5
Argumenta ex locis Theologicis. cap. 6.
Alij loci eiusdem generis. cap. 7.
De alijs locis Theologicis. cap. 8.
Loci à comparatis, & alij. cap. 9.
In genere exornatiuo loci. cap. 10.
Genus suasorium, & Exhortatorium. cap. 11.
Genus Didascalicum. cap. 12.
Genus Reprehensorium. cap. 13.
Genus consolatorium. cap. 14.
Genus institutiuum. cap. 15.
De concione funebri. cap. 16.
Pro suffragijs mortuorũ. cap. 17
De Materijs in genere confutatiuo, & primo contra Gentiles. cap. 18.
Contra Iudæos. cap. 19.
Contra Hæreticos. cap. 20.
Modus agendi cum hæreticis ad fructum. cap. 21.

De locis ex Christo, & Christiana nobilitate desumptis. Liber Sextus.

Notitia Christi prædicanda. Cap. 1.
Christum esse caput omnium Christianorum. cap. 2.
Dignitas, & nobilitas Christi. cap. 3.
Adoptio filiorum, & communicatio bonorum. cap. 4.

Digitized by Google

INDEX

Christus Redemptor, & Dominus. cap. 5.
Christus Mediator, Rex, Pastor, & Aduocatus. cap. 6.
Alij Tituli Christi. cap. 7.
Quomodo amplificari possint argumenta ex titulis Christi petita. cap. 8.
Mysteria totius vitæ Christi. cap. 9.
Ingressus Christi in mundum. cap. 10.
Progressus Christi per mundum. cap. 11.
Virtutes, & exemplum Christi. cap. 12.
Mors Christi, & Resurrectio. cap. 13.
Gloria Christi Ascendentis, & Iudicantis. cap. 14.
Nomen Christi, & Iesu, & Christianorum. cap. 15.
Nobilitas Christiana. cap. 16.
Testamentum nouum, & Euangelium. cap. 17.
Ecclesia Christi. cap. 18.
Sacramenta Christi genericè, & Baptismus. cap. 19.
Confirmatio, pœnitentia, ordo sacer matrimonium. cap. 20.
Eucharistiæ sacramentum, & Extremæ vnctionis. cap. 21.
Merita Christi Apostoli, Prophetæ, Martyres, & Mater Christi. cap. 22.
Scripturæ sacræ authoritas. cap. 23.
Sensus scripturæ literalis, & quis modus in eius vsu. cap. 24.
Sensus mistici vsus, ac modus. cap. 25.

Loci ad argumenta ex scripturis eruenda, & primo.

Ex vocum ac linguarum proprietate. cap. 26.
Ex versionibus, expositionibus, sensibus, ac praxi. cap. 24.
Ex varietate verborum, & concordia scripturarum. cap. 28.
Ex Annexis, scopo, causis, similibus, & doctrinarum varietate. cap. 29.
De argumentatione. cap. 30.
Similitudines, Exempla, Sententia. cap. 31.
Amplificatio ex locis Topicis. cap. 32.
Quatuor amplificationis modi ex Fabio, & alij. cap. 33.

De affectibus Mouendis. Liber Septimus.

Affectus mouendi quinam, & vbi. Cap. 1.
Diuisio affectuum in lenes, ac vehementes. cap. 2.
Adiumenta ad commouendos affectus vniuersè. cap. 3.
Loci vnde ad commouendos affectus argumenta ducuntur. cap. 4.
Iræ affectus quomodo ex Aristotele excitetur. cap. 5.
Lenitas vel mansuetudo quibus locis fiat. cap. 6.
Amor, & odium. cap. 7.
Timor, & confidentia ex eodem Arist. cap. 8.
Verecundiæ affectus. cap. 9.

Gra-

Digitized by Google

CAPITVM.

Gratia, Misericordia, Nemesis. cap. 10.
Inuidia, Aemulatio, Cõtemptus. cap. 11.
De Amore ex locis Theologicis. cap. 12.
Amor proximorum excitandus. cap. 13.
Amor sui, & lasciuius reprimendus. cap. 14.
Concupiscentia, & Auaritia frenanda. cap. 15.
Ambitio bonorum, ac dignitatum. cap. 16.
Delectatio corporis. cap. 17.
Gula, ac luxuria concupiscentia. cap. 18.
De gaudio, & tristitia. cap. 19.
De tristitia Inuidia, & Acedia. cap. 20.
Spes & Desperatio. cap. 21.
Spes veniæ peccatorum quomodo excitanda. cap. 22.
De Timore Dei sancto, & mundano peruerso. cap. 23.
Contra Iram, & remedia. cap. 24.
Contra vindictam, & odium inimicorum. cap. 25.
Oratio Morata indicans bonos oratoris mores. cap. 26.
Oratio morata secundum auditorum mores. cap. 27.

De dispositione, Elocutione, Memoria, & Pronunciatione.

Liber Octauus.

Dispositio in varijs generibus concionum. Cap. 1.
In genere didascalico, & exornatiuo. cap. 2.
In genere suasorio, & confutatiuo. cap. 3.
Methodus in tractando Euangelio. cap. 4.
Dispositiones variæ concionum vniuersè loquendo. cap. 5.
Partes concionum, & Exordiorum ratio. cap. 6.
Propositio, Diuisio, Introductio. cap. 7.
Narratio, Confirmatio, Confutatio. cap. 8.
Peroratiouis modus. cap. 9.
Tria dicendi genera. cap. 10.
Eloquutio emendata, & dilucida. cap. 11.
Eloquutio ornata, & apta. cap. 12.
Figurarum vsus, & exempla Troporum sacra. cap. 13.
Figuræ verborum, & exempla sacra. cap. 14.
Figuræ sententiarum cum exemplis sacris. cap. 15.
Aliæ figuræ sententiarum. cap. 16.
Descriptionum species. cap. 17.
Descriptiones locorum, actionum, personarum, & morum. cap. 18.
Descriptiones per imaginem, & sermocinationem. cap. 19.
Memoriæ necessitas, & quomodo excolenda. cap. 20.
Pronunciatio emendata, & dilucida. cap. 21.
Pronunciatio ornata, & apta. cap. 22.
Pronunciatio familiaris, & sine

Digitized by Google

sine cantu. cap. 23.
Celeritas, & tarditas in dicendo fugienda. cap. 24.
Eleuatio, ac depressio vocis vitanda. cap. 25.
De gestibus moderandis. cap. 26.

TERTIA PARS Concionatoris prudentia, & industria.

De prudentia. Liber Nonus.

Prudentia circa suam personam.

Quam necessaria prudentia Oratori. Cap. 1.
Ecclesia canones ad concionandi officium pertinentes. cap. 2.
Peccata, quæ committi possunt in concionibus. cap. 3.
Quam in rebus, & verbis debeat esse consideratus. cap. 4.
Sententiæ, quæ à Concionatore non videntur tractandæ. cap. 5.
Omnis vana ostentatio fugienda. cap. 6.
Patientia, & mansuetudo. cap. 7
Feruor, spiritus in dicendo. cap. 8.

Prudentia circa Auditores.

Curet vt attentum habeat auditorem. cap. 9.
Libere, ac serio dicat Ecclesiastes. cap. 10.
Ad res singillatim descendat. cap. 11.
Ad captum auditorem se accommodet. cap. 12.
Pro his qui in pagis concionem habent. cap. 13.
Pro his qui in principum aulis concionantur. cap. 14.
Diuersorum hominum status quomodo instituendi. cap. 15.
De Prælatis, & personis Ecclesiasticis. cap. 16.
De Principibus, & Magistratu seculari. cap. 17.
De nobilibus, ac diuitibus. cap. 18.
De parentibus, ac filijs, dominis, ac famulis. cap. 19.
De coniugibus viduis, ac virginibus. cap. 20.
De pueris, iuuenibus, viris, ac mulieribus. cap. 21.
De alijs statibus. cap. 22.

Prudentia circa materias in Triplici genere, & primo in purgatiuo.

Inuehatur in omnia peccatorũ genera, & abusus. cap. 23.
Occasiones peccatorum doceat fugiendas. cap. 24.
Contra eos qui in peccati consuetudine viuunt. cap. 25.
In eos qui pœnitentiam procrastinant. cap. 26.
In eos qui obdurato corde in peccato persistunt. cap. 27.
In eos qui de misericordia Dei, vel desperant, vel præsumũt. cap. 28.
De malitia peccati in se. cap. 29.
De iurijs quibus peccator Deum

Digitized by Google

CAPITVM.

Deum offendit. cap. 30.
Odium Dei contra peccatum. cap. 31.
Damna quibus authorem suum, peccatum afficit. cap. 32.
Peccator multis Dei donis priuatur. cap. 33.
Detrimenta quibus peccatum afficit totum mundum. cap. 34.
Pœnitentiam prædicator inculcet eiusq; partes. cap. 35.
Pœnitentiæ actus proponat. cap. 36.
Prudentia, & modus in arguendis peccatis. cap. 37.
Non prædicet viam laxiorem, potius terreat, quam blandiatur. cap. 38.

In genere Illuminatiuo, & Vnitiuo.

In via Illuminatiua progressus, & virtutes. cap. 39.
Sæpius eadem de re loquendum. cap. 40.
In via vnitiua, Opera perfectionis docenda. cap. 41.
Loci ad vitanda peccata Venialia, & contra Tepiditatem. cap. 42.
Affectus diuini amoris. cap. 43.
Vnionem curet, ac pacẽ. cap. 44.

De Industrijs Oratori Christiano seruandis.
Liber Decimus, & Primo.

De Industrijs pro his qui saluti proximorum operam dant.

Quales industriæ circa se ipsum seruandæ. Cap. 1.
De his quæ erga proximum agenda. cap. 2.
De personis cum quibus agendum est magis. cap. 3.
Adiumenta tenenda ad proximi salutem. cap. 4.
Alia media vniuersè loquendo ad idem. cap. 5.

Ad colligendas eleemosynas Industrię.

Cura pauperum, & modus colligendi eleemosynas. cap. 6.
Pro commendandis eleemosynis varia dicta. cap. 7.
Ad idem alia dicta. cap. 8.

Variæ admonitiones circa praxim vitæ spiritualis.

Monita ad praxim vitæ spiritualis communia. cap. 9.
Erga Deum aliqua monenda. cap. 10.
Erga proximos. cap. 11.
Erga se ipsum. cap. 12.

Praxis parandæ, & habendæ concionis.

Praxis parandæ concionis. cap. 13.
Rerum tractandarum meditatio. cap. 14.
Compositio concionis. cap. 15.
Antequam habeatur concio quid agendum. cap. 16.

In

Digitized by Google

INDEX

In habenda concione, & post habitam. cap. 17.

Tempore Quadrageſimæ.

In Quadrageſima concionibus quomodo ſe gerat. cap. 18.

Ante Quadrageſimam paret ſe per aliqua exercitia ſpiritualia, & paratas habeat conciones. cap. 19.

Curet Epiſcopi benevolentiam, & bonum nomen. cap. 20.

Admonenda, & inculcanda tempore Quadrageſimæ. cap. 21.

Præter conciones alia opera pia. cap. 22.

Obſeruanda, circa aliquas conciones Quadrageſimæ. cap. 23.

FINIS.



Par-

Digitized by Google

Partitio rerum tractandarum toto hoc opere.

QVICQVID ad Euangelicum Oratorem perficiendum spectat, rectè videtur Arnulphus Lexouiensis Episcopus, in procemio Orationis, quam ad Synodum Turonensem Alexandri Tertij summi Pontificis iussu habuit, tres in partes distribuisse, in Sanctitatem conuersationis, Plenitudinem scientiæ, & Foecundiorem Eloquentiæ venam, nam sanctitas conuersationis (ait) requiritur, quia nisi fuerit concionatoris vita commendabilis, non erit eius prædicatio gratiosa: cuius enim vita despicitur, de stat, vt eius prædicatio contemnatur. Timere habet ne forte dicere incipientem, diuina vox reprimat, & condemnet, illud obijciens, quare tu enarras iustitias meas, qui proiecisti sermones meos retrorsum? Perfectio scientiæ quæritur, vt habeat prædicator vnde possit de thesauro suo noua, & vetera proferre, & eruditum noverit expectantibus explicare sermonem; ac secundum personarum qualitates temperare, quod dixerit, vt sciat quibus debeat lac potum dare, non escam; quibus solidiorem cibum ministrare. Eloquentia vero desideratur ad quid? quoniam, sicut si non habuerit scientiam non habebit, quod dicat, Ita nisi eloquentiam habuerit, non habebit, quomodo dicat.

Vtrun-

Vtrumque autem neceſſarium eſt, & habere quid dicas, & ſcire quomodo dicas. Sententiarum ſiquidem excellentia, ſermonis poſtulat elegantiam, vt rerum maieſtati, ſermonis dignitas reſpondeat; & ſibi inuicem quaſi concentu quodam res, & verba concurrant. Ita eſt, vt concionatoris ſermo omni acceptione dignus ſit, requiritur in prædicatore, Religio ad ſermonis reuerentiam, Scientia ad doctrinam, Eloquentia, vt commendet ad gratiam, vt ſcilicet ſermo ſanctus ſit, prudens, ſit, illuſtris ſit, Prudens hoc Arnulphi iudicium eiuſdem verbis relatum, Ego in hac tractatione ita ſequor, vt duas res, quæ perſonam ipſam prædicatoris informant ſanctitatem, atque ſcientiam, prima operis parte complectar, In ſecunda quæ ad eloquentiam, & ad ipſum prædicatoris opus ſpectant exponam. Tertiam vero partem appendici cuidam, maximèque prudentiæ aſſignauimus, quam, quod multa requirat monita ſummique momenti ſit, ab alijs Oratoris noſtri viribus ſeparandam putauimus. Itaque primum locum in his obſeruationibus, habebit Concionator, ſecundum vero ipſum eius opus quod eſt concio, Tertium denique concionantis ſolers quædam prudentia, ſeu prudens ſolertia, & induſtria. Ita fiet vt nihil omittatur eorum, quæ ad rectam Chriſtiani Oratoris inſtitutionem, deſiderari poſſunt, vt hi qui ad tam illuſtre munus à Deo vocati ſunt illud recte ad Dei Optimi Maximi gloriam, & multarum animarum ſalutem obeant, & quemadmodum Arnulphus modo laudatus aiebat, concionatoris ſermo ſit ſanctus, ſit prudens, ſit illuſtris. Quam partitionem etiam grauiſſimi patres confirmant, In eamque ſententiam D. Chryſoſt. & venerabilis Beda per maxillam, pectuſculum, & humerum explicant, quæ ſacerdoti: in veteri teſtamento de hoſtia immolata dabantur. Videte (inquit Chryſoſtomus) quid accipiant ſacerdotes, maxillam, pectuſculum, & humerum. Sacerdotalis enim officij eſt poſſe docere populos. vnde dicitur, & in Propheta, Interroga ſacerdotes legem Dei.

Hom. 11. in Mar. In Leu. c. 12.

Digitized by Google

Dei. Sacerdotum enim eſt interrogatos de lege reſpondere. Accipiunt ergo ſermonem, qui in maxilla eſt; Accipiunt pectuſculum, hoc eſt ſcientiam ſcripturarum. Nihil enim prodeſt habere verba, ſi ſcientiam non habueris. Cum acceperis σιαγόνα (ideſt maxillam) cum acceperis pectuſculum, tunc accipis, & bracchiola. Nihil prodeſt te habere verba, te habere ſcientiam, ſi non habueris opera. Innocentius Tertius in operum ſuorum procœmio Prædicator (ait) debet habere aurum, argentum, & balſamum, videlicet ſapientiam, & eloquentiam, & honeſtatem, vt quod dicat intelligat, & quod dixerit, & intellexerit agat. Et ſubdit, nam qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum, alioquin dicetur illi, Medice cura te ipſum, ſimilis ficulneæ, quæ folia ſine fructu producit, & paulo poſt afferens illud Cantic. primo, Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Per aurum (inquit) Sapientia deſignatur Salomone etiam teſtante, qui ait Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis, per argentum autem, eloquentia, dicente Pſalmiſta. Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum: decenter ergo, per murenulas aureas flores ſapientiæ deſignantur quibus collum, & pectus Eccleſiæ, hoc eſt prædicatores, & doctores ornantur. Vermiculatas etiam, ideſt diſtinctas, & variatas argento (ſcilicet eloquentiæ, vt iuxta varietatem materiæ vel perſonæ ſtylus ſermonis etiam varietur) S. Iſi. l. de ſummo bono: docet vnumquemque prædicatorem, & bonæ actionis, & bonæ prædicationis, habere ſtudium, quod alterum ſine altero non faciat perfectum. Proindè ſicut in numiſmate, metallum, figura, & pondus inquiritur, ita (inquit) in omni doctore Eccleſiaſtico, quid ſequatur, quid doceat, quomodo viuat. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram ſimilitudo patrum (intelligo vt non prophanam, ſed ſacram, & grauem eloquentiam profiteatur ad Patrum ſanctorum ſimilitudinem)

Innoc. in proœ. oper.

Prou. 21.

Pſal. 118.

Lib. 3. *c.* 36

nem.) per pondus humilitas designatur (quam virtutem scimus totius esse sanctitatis fundamentum) qui vero (subijcit) ab his tribus discrepauerit non metallum, sed terra erit. Quæ omnia vt proposito à nobis ordine tractentur ab ipso Euangelici Oratoris officio exordiemur; si pauca prius de Origine, ac ritibus priscis sacrarum concionum, quæ item ad huius officij rationem pertinent proluserimus.



Digitized by Google

ORATOR CHRISTIANVS

Prima pars

CONCIONATOR.

De officio Oratoris Christiani

Liber primus

De Origine, ac Ritibus priscis sacrarum Concionum. Caput Primum.

ANTEQVAM Christiani oratoris institutionem aggrediar, videor mihi facturus rem, cum suscepto oneri conuenientem, tum commodam, iucundamque lectoribus, si pauca de sacrarum Concionum origine, earumque priscis ritibus, de Concionatore, de Auditoribus, de tempore, ac loco, perscribam. Subijcientur enim haud pauca sub vnum conspectum, quæ sparsim in opere attinguntur: & ex moribus vetustis multa vtiliter referre licebit ad nostros. Origo sanctissimæ huius consuetudinis in Christiana Ecclesia ab ipsa vetere Hebræorum Ecclesia permanauit; apud quam, & stati conuentus erant, & recitatio, & sermo. Conueniebant enim in Synagogas, vnoquoque Sabbato; tum legebatur pars aliqua sanctorum voluminum; postea sermo modò paræneticus, modò didascalicus, vel ex vtroque mixtus adhibebatur, siue ad obscuriora è diuinis literis, explicanda, siue ad formandos, corrigendosque mores. Hæc omnia facilè colliguntur ex Lucæ 4. cap. Intrauit (inquit) Iesus secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi Liber Isaiæ Prophetæ; & vt reuoluit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me: postque recitatum locum, subditur: & cum plicuisset librum, reddidit ministro, & omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum, cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est hæc scriptura in

Origo Concionũ ab Hebræis descendit.

Luc. 4.

ra in quibus voluerit. Similia dicuntur Actor. 13. Venerunt Antiochiam (nempe Paulus, & Barnabas) & ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt: post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserunt Principes Synagogæ ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis, ad populum dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens ait: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum audite: & post absolutum sermonem subiungitur. Exeuntibus autem illis, rogabant, vt sequenti Sabbato loquerentur sibi verba hæc. & mox: Sequenti verò Sabbato, penè vniuersa Ciuitas conuenit audire verbum Dei. Vbi, & conuentus Ciuitatis, & lectio, siue recitatio Legis, ac Prophetarum habetur, tum exhortatorius, ac parænecticus sermo. Sed hæc proximis Christo Domino temporibus, cum certum sit hoc ritu gesta, quantò ante cæpta sint, non ostendunt. Et sacrarum quidem tractationũ origo aliqua, mihi dubium non est, quin ab ipsa prope mundi origine, repeti debeat. Nam etsi Philo Iudæus in libro de Abrahamo initio, de antiquis Patribus loquens: Scholas nullas frequentauerant (inquit) nullis præceptoribus vsi fuerant, sed à seipsis instituti doctique, ordinem naturæ sequuti sunt. Tamen cum cæteras disciplinas ab Adamo propagatas apud Christianos Doctores, communis sententia sit, veræ pietatis, ac morum disciplinam, vti maioris momenti est, ita accuratius ab eo traditam; & aliquod iam tum exercitum fuisse religionis magisterium, dubitandum nequaquam videtur. Nec verò Enos, Gen. 4. cœpisse dicitur inuocare nomen Domini, propterea quod nullus antea Religionis cultus esset, sed vt eo loco noster Pererius putat, quod eum ipse cura, & prædicatione excoluit. Iam Noe inter Prædicatores merito numeratur, qui à S. Petro, Iustitiæ præco nominatur, & iterum prædicasse significatur ijs, qui increduli fuerunt, cum fabricaretur arca; quem denique Ioseph Hebræus refert corrupta hominum facta molestè, & indignè ferentem, adeo suasisse, vt in melius voluntates, ac opera transmutarent, vt cum videret illos sibi, non parere, veritus ne se, & suam familiam interimerent, in aliam regionem migrarit. Verum qui, quoque modo sacri Conuentus, sermonesque vsque ad id tempus; atque etiam ex hoc tempore vsque ad Moysem fuerint, proditum non est, potuit tamen intelligi vis eloquentiæ ex eo, quod audax ædificandæ turris Babilonicę consilium ingressos homines, sacra narrat historia, quia erat terra labij vnius, & sermo-

Conuentus, Lectio & Sermo.

Origocõcionum ab ipso mundi principio.

Philo l. de Abr.

Adam primus prædicator.

Et Enos.

Et Noe.
2. Pet. 2.
2. Pet. 3.
Anti. c. 3.

num

num eorundem; nempe vt facile incitari, & inflammari, quæ ad id opus necessaria erat, multitudo posset, quare & totum opus ea communione sublata disturbatum est. Videtur deinde aliquod doctrinæ magisterium in Aegypto Ioseph exercuisse, quippe dicitur constitutus à Pharaone vt erudiret Principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret, quo loco S. Aug. optime conueniisse dicit tanti patriarchæ zelo, vt non tantum alendis corporibus, sed & ipsis hominibus melioribus efficiendis occuparetur. Nec verisimile est tanto tempore, quo Hebræi in Aegypto vixerunt, omni pietatis doctrina caruisse. Sed illud obseruandum est, cum statuisset eum populum Dominus liberare, & ad certam vitæ pietatisq. rationẽ formare, Moysi, quem principem legebat, Aaronem eloquentem addidisse, quia (vt infra proprio loco dicetur) præcipuum regendarum communitatum est instrumentum oratio. Prima deinde concio tempore Moysis indicatur in Exodo. vbi ex præcepto Domini, Moyses & Aaron congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel, loquutusque est Aaron omnia verba, quæ loquutus est Dominus ad Moysem: ac multi deinceps cœtus sermones q. publici memorantur, præsertim, quibus accepta à Deo Moyses populo exponebat. Atque hæc de vetustissimo sacrarum conciorum vsu. Sed vt ad originem lectionum legis, quæ Christi fiebat tempore redeamus, sane antiquam fuisse S. Iacobus in Actis Apostolicis docet, cum ait, Moyses enim à temporibus antiquis, habet in singulis Ciuitatibus, qui eum prædicent. Iosephus autẽm id à Moyse institutum refert, & ob eam quoque curam cæteris eum legislatoribus præfert. Non semel (inquit) audire, nec secundo, nec sæpius, sed in vna quaque septimana, alias opera relinquentes, ad legis auditionem congregari præcipit vniuersos, eamque perfectè condiscere: quod scilicet omnes legislatores reliquisse noscuntur. Hoc Moysis præceptum de cuiusque hebdomadæ ad legem audiendam Conuentu, in sacris litteris disertè (quod ego animaduerterim) non extat. Sed Deut. c. 3. septimo quoque anno legendæ præcipitur, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum: significat tamen crebram tractationem Leuit. 10. Deus, dum prohibens Sacerdotes tabernaculum intraturos quicquam quod inebriare posset bibere, causam addit, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum, & mundum, docearisque filios Israel omnia legitima mea. Verisimile tamen est etiam tum sabbatis singulis

Ioseph prædicator.

Psal. 104.

Moyses, & Aaron.

Exod. 4.

Act. c. 15.

l. 2. *contra App.*

Qualibet septimana Conuẽtus fiebat.

Leuit. 10.

fuisse morem docendi, quos dies Philo, vbique tradit præcipuè fuisse, studio sapientiæ dedicatos, & ob eam rem proseuchas seu Synagogas fuisse quasdam, iustitiæ cæterarumq. virtutum scholas, & in lib. de vita Moysis, eum morem, & ipse ab eo repetens describit his verbis. Mos (inquit) erat certis temporibus præcipuè sabbatis, operam dare studio sapientiæ, principe (idest Moyse) Doctoris vice fungente, præmonstranteque officia, subditis autem honestè proficientibus, & mores, vitamque corrigentibus. Quæ consuetudo à maioribus per manus accepta, hodieque durat apud Iudæos. Cæterum eum initio Moyses fungeretur hoc munere partitum videtur in plures tum, cum septuaginta viros, iussu Dei elegit, qui diuino repleti spiritu, prophetare cœperunt. Nam cum ante ex soceri Ietri consilio legisset qui ad ciuilem sibi administrationem adiumento forent; hos, vt maximè in rebus diuinis auxilio essent adlectos docent sacri interpretes. Deut. 29. & 31. Doctorum mentio est, qui ab septuaginta γραμματεισαγωγεῖς vocantur, & Num. 11. mentio est Magistrorũ, quos ijdem γραμματεῖς vocant: atque ijdem omnino significari omnibus his locis videntur, qui scribæ alibi nuncupantur. Itaque cum (vt recte inter cæteros Tolet. in c. 18. Ioann. docet) Scribæ cœperint vna cum lege Grammatoisagogæ illi ac Doctores, & Magistri scribarum parentes, atque omnino scribæ, statuendi videntur. Nam quod S. Hieron. non multo ante Christi tempora extitisse Scribas, & Pharisæos ait, vel de solis intelligendum est pharisæis, quos dumtaxat vbique Iosephus inter Iudaicas sectas enumerat, nunquam autem Scribas; vel quod ritus aliquos de nouo, quo tempore Pharisæi orti sunt, ipsi quoque assumpserint. Ex hactenus dictis, colligitur initium sacrarum concionum repetendum à prima diuini cultus origine. Vbi autem scripta lex accessit, etiam accessisse lectionem eius, & explicationem constat, quæ propriè ad Sacerdotes, & Scribas pertinebat; quibus deinde non multis ante Christi aduentum temporibus, accessere Pharisæi: propterea que dictum est, super cathedram Moysi, sederunt Scribæ, & Pharisæi. Illud tamen negari non potest siue præceptum fuerit Moysis, vt scribit Iosephus, siue mos ab illo introductus qui præcepti vim habuerit, vt sabbatis ad audiendam legem, & explicationem eius, morumque disciplinam conueniretur, fuisse morem hunc non semel interruptum, vel in captiuitatibus, vel in ipsorum Regum & populi Idololatrijs. Nam certè dum ipsi sacri libri penitus amissi

l. de legat. ad Caium.

l. de vita Moys. c. 3.

Scribæ qui essent.

In c. 8. Isa.

erant,

erant, vt colligitur 4.Reg.22. & 2. Par. 34. vbi vnus narratur inuentus, cumque traduntur combusti, antequam restituerentur ab Esdra (vt aiunt plerique) legi non potuere. Sed merito quærat aliquis. Num idem esset Lector, & Explicator, quia Christus Dominus prius legit ipse, deinde explicauit Isaiæ locum. Et Esdræ 2.cap.8. Esdras idem loquitur, & legit. At Philo, loquens de Essæis, aliter eos fecisse ait. Has (inquit) hoc est patrias leges ediscunt, & alio tempore, sed præcipue recurrente die septimo, quem sacratum existimant, feriatumque ab omnibus alijs negotijs, Quoties sacras ædes, quas Synagogas vocant, adeunt pro ætatis ordine, Iuniores ad seniorum pedes considunt, & ad audiendum se componunt. Ibi alius ex libro legit, alius quispiam vnus è peritioribus accedens, quæ obscura sunt explicat. In Act. Paulus, & Barnabas post lectionem inuitantur à principibus Synagogæ, vt loquantur, si quem haberent sermonem exhortationis ad populum: & alibi docuisse in Synagoga dicuntur, nec vnquam legisse. Itaque videtur hic mos fuisse, vt certus esset Lector, sermo ab alijs haberetur, qui si vellent alium scripturæ locum explicare etiam eum legeret, quod fecit Christus Dominus, nec tamen vetitum fuisse, quin legeret idem & explicaret. Quo loco admirari licet singulare Isaiæ priuilegium, vt eius prophetiam Dominus ipse, & legere stans voluerit, nec solum explicare, sed & demõstrare completam. Rursum dubitari potest, num omnibus liceret in Synagoga docere. Ita affirmant aliqui, & videtur ex eo confirmari, quod Christus Dominus à nullo inuitatus sæpe docuerit: Sed mihi verisimile nõ est fuisse promiscuum & confusum morem, sed solum Scribis, & Pharisæis licuisse disserere etiam non inuitatis pro suo munere: Christum autem Dominum, extra omne exemplum esse: Paulum sua vsum potestate, quod esset Pharisæus, eruditus ad pedes Gamalielis; & cæteros Apostolos, vel inuitatos, vt Paulum, & Barnabam, vel sese obtulisse ac veniam impetrasse dicendi: Neque obstat locus Ambrosij, qui in illa Pauli verba: Potestis enim per singulos prophetare, vt omnes discant, & omnes exhortentur. Hæc (ait) traditio Synagogæ est, quam nos vult sectari, quia Christianis quidem scribit, sed ex gentibus factis, non ex Iudæis, vt sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subsellijs, nouissimi in pauimento super mattas, quibus si reuelatum fuerit, dãdum locum præcipit, nec despiciendos, quia membra corporis sunt: Non (inquam) obstat hic locus, quia solum dicit si cui

An idem esset Lector, & explicator.

lib. quod omnis probus liber.

Act. c. 13.

An omnibus liceret in Synagoga loqui.

Amb. in 1. Cor. c. 14.

Digitized by Google

nouiſſimorum, quid fuerit reuelatum, (vt erat tum extraordinaria illa diuinorum charismatum copia) dandum ei locum eſſe, non quod ille ſe nulla poteſtate dicendi impetrata poſſet intrudere, ſed quod offerenti ſeſe, dicendi locus negari non deberet. Nam profectò niſi aliquo appareret manifeſto miraculo, fuiſſet ne ei vere diuinitus reuelatum, an fallaciter à Dæmone illuſum; erat id iudicãdum antequam quiuis e turba dicere inciperetur. Omnia autem iuſſit Paulus honeſtè, & ſecundum ordinem fieri: & ne quid diceretur abſurdi, cæteros dijudicare, nimirum cæteros è prophetis. Non enim (vt Hæretici perperam interpretantur) iudicium rerum diuinarum imperitæ multitudini permittebatur. Probabile igitur omnino videtur, etiam in Synagoga non licuiſſe cuiuis, niſi poteſtas fieret, diſputare. Quæritur adhuc Tertio, ſederent ne inter dicendum eo tempore, an ſtarent: legentes quidem ſtetiſſe, & ex c. 8. l. 2. Eſdræ colligitur, & ſatis aperte ipſum Chriſti Domini, dum Iſaiam legit, exemplum docet. Communior autem mos fuiſſe videtur, vt docentes ſederent: vnde & cathedra Moyſi nominatur, & ſedere ſuper eam Scribæ, & Phariſæi dicuntur. Et Chriſtus Dominus Luc. 2. inuentus eſt duodennis in medio doctorum, vtique ſedentium, ſedens. Cum legiſſet Iſaiam ſtans, docturus ſedet. Matt. 5. Docturus in monte ſedet Lucæ 5. Sedens docebat de nauicula turbas. Ioann. 8. Sedens docet in templo populum Matt. 26. quotidie apud vos ſedebam docens in templo. Quod autem dicitur Ioan. 7. In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus & clamabat, videtur feciſſe propter multitudinem, quæ aderat, cum eſſet opus conatu maiore, vel vt arbitror, quia non conſueto habendis concionibus loco hæc clamauit, ſed ex media turba. Illud autem Luc. 6. ſteterit in loco campeſtri, potius videtur ſignificare, quod conſiteretur & quieuerit, quam ſitum aut ſtatum corporis Act. 13. dicitur ſurrexiſſe Paulus vel quod ad dicendum prodierit, conſuetumque locum conſcenderit, vbi dein ſederit, vel quod Archiſynagogum ſalutarit, ſed plane mihi videtur eo loco ſtetiſſe: nam etſi moris eſſet ſedere, non tamen vetitum, quin ſi cui placeret, commodumque eſſet, ſtans diceret, qui oratorum Ethnicorum mos erat: & Actor. 5. locuturus in Concilio Gamaliel ſurrexit. Quod autem Petrus in prima ſua concione Act. 2. & Paulus in medio Areopagi ſteterint; non ſignificat morem temporis, ſed opportunitatem, ac neceſſitatem loci. locus nuper citatus e S. Ambroſio, ſodiſſe omnes ſignificat, & tamen

Sederent ne an ſtarent qui Sermones habebant.

men eodem loco, D. Paulus cum ait: Quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat; videtur significare, dicentem stetisse, eique sedentem opponere. Quare, vt dixi, communi vsu sediſſe, aliquando etiam ſteteiſſe videntur. Hæc autem, quæ in Synagoga olim ſeruabantur, non multum immutata in Chriſti Eccleſia recepta ſunt, ita vt cum ipſa naſcente, & creſcente, pariter hic ritus & natus, & adultus ſit. De poſteriore verò tempore, quia res ante oculos eſt, non eſt quod dicam. De primo illo docet nos Tertullianus, qui recens ab ætate Apoſtolorum, de ritu, qui tunc maximè in Eccleſia viguerit, nos ignorare non patitur. Cogimur (inquit) ad litterarum diuinarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas, aut præmonere cogit, aut recognoſcere, certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina. In quibus verbis apertè meminit conuentus, cùm ait cogimur, & ſacræ lectionis, ſeu recitationis, quæ erat commemoratio diuinarum litterarum; denique ſermonis ſeu concionis, cuius ille erat ſcopus commonere, exhortari, mores formare bonos, depravatos corrigere, & caſtigare. Idem oſtendit locus ex Sancto Ambroſio, in 1. ad Cor. paulo ante citatus. Sed iam vt diſtinctius proprios Chriſtiani populi ritus tractemus, ab ipſo concionatore, quaſi nouum principium deſumamus.

In Apol. c. 39.

De ipſo Concionatore. Cap. II.

CErtum eſt, prædicandi Euangelij munus inde vſque ab origine Eccleſiæ, proprium Epiſcoporum fuiſſe, quod ex Actis Apoſtolicis apparet. vbi propterea Diaconi inſtituuntur, vt Apoſtoli orationi, & prædicationi inſtantes ſint, & ex Diuo Paulo, vbi ſe miſſum dicit ad prædicandum, non ad baptizandum. Ex Dion. quoque Areop. & Apoſtolicis Conſtitutionibus perſpicuè patet, & à nobis infra fuſius diſſereturr. Et quãuis nonniſi in ſua, cuique Epiſcopo, diœceſi prædicare liceret, tamen illa priſcis tẽporibus viguit conſuetudo laudabilis, vt Epiſcopi peregrini, ad verba faciẽda, ab eius Ciuitatis Epiſcopo ad quem diuertiſſent, inuitarẽtur. De qua re in Apoſtolicis Conſtitutionibus ſic habetur. Rogabis Epiſcope eum (ideſt peregrinum Epiſcopum) vt ſermonem habeat apud populum docendi cauſa. Eſt enim hortatio & monitio hoſpitum

Epiſcopi eſſe Concionatores. *Act. 6.* 1. *Cor.* 1.

Conſt. Ap. l. 2. c. 58.

grata, & mirum in modum vtiliſſima: qui mos videtur acceptus ex eo, quod dicitur Act. 13. miſſos à Principibus Synagogæ, qui inuitarent Paulum ac Barnabam, vt ſi quis eſſet in eis ſermo exhortationis ad plebem, dicerent. Idem ſæpe legimus obſeruatum ab antiquis Monachis, qui hoſpites ad pios ſermones inuitabant. eumque morem, vt multa alia, Sanctus Cardinalis Borromeus in Mediolanenſi Eccleſia, & decretis & vſu, noſtra memoria reuocauit. Addi illud poteſt, veterem fuiſſe ritum, vt Epiſcopum prædicantem, Diaconi cuſtodirent, quos Euariſtus ſeptem eſſe voluit: Aſſiſtebant autem Epiſcopo, eumque cuſtodiebant, non quod aliquod periculum ineſſet, illique inſtar Prætorianæ cohortis adeſſent, ſed ad maieſtatem diuinorum eloquiorum indicandam; interimque vt cauerent, ne quid in populo ſtrepitus, aut turbæ cooriretur. Præter Epiſcopum, licebat etiam Præsbyteris conciones habere, Quod quidem in ijs Eccleſijs, quæ Epiſcopo carebant, nullam habet difficultatem. In Africa tamen, coram Epiſcopo ne eius quidem iuſſu mos erat Præsbyterum loqui: propterea Poſſidius in S. Auguſtini vita narrat, perinique tuliſſe alios Africæ Epiſcopos, quòd Valerius Antiſtes Hipponenſis, Auguſtino etiam non Præsbytero docendi munus dediſſet. Quam conſuetudinem perſtringit Sanctus Hieronymus his verbis: Peſſimæ conſuetudinis eſt in quibuſdam Eccleſijs tacere præsbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui, quaſi aut inuideant, aut non dignentur audire. Socrates refert, miniſterium verbi Dei interdictum Alexandriæ præsbyteris, ex quo tempore impius Arrius præsbyter ſermonibus ſuis Eccleſiam Dei dilacerauit. Auxentius vir ſanctiſſimus, vt eſt in hiſtoria Concilij Conſtantinopolitani ſub Leone ad Synodum inuitatus, excuſabat ſe dicens non eſſe Monachorum docere, ſed doceri, & illud munus ijs conuenire, qui honorati Pontificatu eſſent. Paulatim tamen vt videmus, ab Epiſcopis munus hoc Apoſtolicum ad præsbyteros defluxit, vt iam penè non niſi horum voces è ſuggeſtis audiantur. Hiſtoria Tripartita, & Nicephorus narrant, Romæ nec Epiſcopum, neque alium quemquam in Eccleſia ad populum verba feciſſe; quod & per ſe incredibile eſt, & falſum eſſe non ſolùm ex Gregorij Magni, & ante eum Magni Leonis homilijs apparet; ſed etiam è ſerm. 2. de Reſurr. S. Leonis, vbi adijciendum Euangelicæ narrationi ſui ſermonis officium dicit, quod populus piæ conſuetudinis debitum depoſceret. & ex Prudentio, qui

Diaconi Epiſcopum cuſtodiebant. *Euar. ep. 1.*

Præsbyteri an docerent.

Hier. epiſt. ad Nepot.

l. 4. c. 39. *l. 12. c. 34.*

Tri-

Tribunal describit, vnde Deum prædicabat Antistes. Haud vero dubium est Diaconis quoque verbum Dei tractare aliquando fuisse concessum. Notum est ex Apostolorum actis, quanto spiritu & fructu Diaconorum Princeps Stephanus, de Christo Domino disputaret, & plenus gratia, & fortitudine multa signa faceret. Philippus vnus e septem Diaconis propterea in Act. Euangelista nominatur, non quod scripsisset, sed quod prædicaret Euangelium. S. Ignatius ad Philadelphenos scribens Philonem Diaconum laudat, qui sibi in sermone ministrabat; eosdemque monet, vt Episcopo & presbyteris, & diaconis attendant In Epist. verò ad Eronem Antiochiæ diaconum, lectioni (inquit) attende, vt non modo ipse leges noueris; sed etiam alijs easdem interpreteris vt Dei athleta. Præcipue verò hoc munus Diaconi obibant persequutionis tempore in adhortandis, qui propter fidem habebantur in vinculis. Hinc Cypr. in præteritum (inquit) semper sub antecessoribus nostris factum est, vt Diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria, consilijs suis, & scripturarum præceptis gubernarent. Et hæc fortasse est causa, præter auiditatem auferendi thesauros, quos Diaconi custodiebant, cur persequutio acerrime eos insectaretur; quod nimirum cæteros ipsi Christianos sua industria confirmarent. Origeni quoque ante sacerdotium fuisse docendi publice munus permissum Nicephorus narrat, & cum id tamquam numquam ante factum Demetrius Alexandrinus Episcopus reprehenderet, contra esse allatis exemplis, Episcopi responderunt, postea vero res Pontificum, & Conciliorum decretis constitutæ, quæ in præsentia persequi necesse non est. Dubitari hic potest constituta iam Ecclesia Christiana, sicut supra de vetere quæsiuimus, stantes ne, an sedentes suas conciones antiqui nostri patres haberent. S. Thomas sic ait. Christus docuit sedens, & stans, sedens quidem discipulos Matth. 5. stans autem turbas vt hoc loco, & ideo inoleuit consuetudo in Ecclesia, vt turbis prædicetur stando, Religiosis verò, & Clericis sedendo: cuius ratio est, quia cum prædicatio ad turbas sit quasi ad eas conuertendas, fit per modum exhortationis, sed cum prædicatio ad Clerum sit quasi iam ad existentem in domo Dei, est vt quædam commemoratio. Eadem tradit in c. 5. Matth. quæ tamen, rationem facti magis conuenientem quam probabilem originem habent. Nam sui moris fuisse Christus dixit, sedendo quotidie in templo docere, vbi non solum discipulos, sed etiam turbas docebat. Et sedens docebat de nauicula

Diaconi etiã prædicabant.

Cap. 21.

Cyp. ep. 11.

Diaconi futuris martyrib⁹ prædicabant.

l. 5. *c.* 14.

An Concionator sederet, vel staret.

S. Thom. in Ioan. c. 7.

Digitized by Google

cula turbas, vti supra diximus, & raro & solum in extraordinarijs quibusdam sermonibus stans aliquando docuit. Cæterũ ad populum verba facientes stetisse antiquos concionatores, multa sunt testimonia. Chrys. causa tui præsbyter sedet, causa tui rectus stat doctor, laboribus, & afflictione affectus. & Hom. 16. ad pop. Ant. Nisi multam à patribus necessitatem sustinuissem, neque surrexissem, neque locutus fuissem. S. Aug. Nostis fratres quia ad panem ventris, cum labore peruenitur, quanto magis ad panem mentis cum labore statis, & auditis, sed nos cum maiore stamus, & loquimur In Psal. 32. Adhuc quidem spectatores in theatro forte insaniunt, & in sole sedent, & nos si stamus, in vmbraculo stamus. In Psal. 147. Gaudeo tantam esse voluntatem, & voluptatem in veritate verbi Dei, vt studium nostrum bonum, in bono, & de bono vincat studium insanorum currentium in amphitheatrum. Num quid illi, si tamdiu starent adhuc spectarent? Hæc quidem significant morem standi fuisse. Adde quod magnus ipse Constantinus, vt in eius vita refert Euseb. cum plurimum deditus esset habendis concionibus, quod suarum esse partium existimaret, imperio suo parentes ratione regere, si quando dicente incidisset occasio de Theologia loquendi, in rebus diuinis erecto corpore consistebat, contractoque vultu, & depressa voce, adhibita summa prudentia, & moderatione, præsentium animos cælesti disciplina, initiare, ac deuouere videbatur. Cæterum ex altera parte idem S. Aug. se aliquando sedisse docet Hom. 20. lib. 50. Hom. Quare loquor? quare hic sedeo? quare viuo? nisi hac intentione, vt cum Christo simul viuamus? Ser. 49. de diuersis. Vt ergo vos non diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis. Cassio. in Trip. & Niceph. l. 13. cap. 4. verba fecisse dicit D. Chrysostomum in ambone residentem. Existimo tamen vtroque modo factum, sed communiorem fuisse morem, vt stantes loquerentur nisi aut senectute, seu infirmitate id nõ permittente, nam & illud ex Aug. postremo loco allatum, videtur excusatio quod sederet, tamquam præter morẽ. Quamquam diuersis in Ecclesijs diuersi erant mores, vt Aug. aperte significat de Cath. rud. cap. 13. quem infra locum apponam. Illud præterea hic prætermitti non debet, aliquando non habitos viua voce sermones, sed per Notarium recitatos. Hoc se feciſſe D. Greg. his verbis profitetur: Multis vobis lectionibus fratres charissimi, per dictatum loqui consueui; sed quia lassescente stomacho ea, quæ dictaueram, legere ipse non possum, & quos-

In Matth. hom. 32.

Aug. tract. 19. in Ioa.

Exemplum Constantini Magni. *Euseb. l. 4. c. 29.*

Cass. in Trip. l. 10. c. 4.

Sermones per Notarium recitari solebant aliquando. *l. 40. hom. 21. initio.*

Digitized by Google

& quoſdam veſtrum minus libenter audientes intueor, vnde nunc à memetipſo exigere volo contra meum morem, vt inter ſacra miſſarum ſolemnia, lectionem ſancti Euangelij non dictando, ſed colloquendo edifferam; ſicque excipiatur, vt loquimur, quia colloquutionis vox corda torpentia pluſquam ſermo lectionis excitat; & quaſi quadam manu ſollicitudinis, vt euigilent pulſat. Et in prologo earumdem homiliarum ſic ait: inter ſacra miſſarum ſolemnia ex his, quæ diebus certis in hac Eccleſia legi ex more ſolent, ſancti Euangelij 40. lectiones expoſui, & quarumdam quidem expoſitio, aſſiſtenti plebi eſt per notarium recitata, quarumdam verò explanationem coram populo ipſe loquutus ſum; atque ita vt loquebar excepta eſt. Hic mos non ſolum habendi, ſed & recitandi conciones videtur fuiſſe cauſa, cur S. Auguſtinus Pſalmum 118. per Sermones explicauerit. Nam ſtatui (inquit) per ſermones id facere, qui proferuntur in populis, quas Græci homilias vocant. hoc enim iuſtius eſſe arbitror, vt Conuentus Eccleſiaſtici non fraudentur Pſalmi huius intelligentia, cuius vt aliorum, delectari aſſolent cantilena. In Synodo Vaſenſi ita decernitur ſi præsbyter aliqua infirmitate prohibente, per ſeipſum non potuerit prædicare, ſanctorum Patrum Homiliæ à Diaconis recitentur. Videndum autem eſt nũ ſignificet ſe ſcripto dixiſſe S. Aug. ſeu Fulgentius Serm. 6. de ſanctis, dum ita orditur, quoniam video noſtras diſputationes, graphio ceraque ligari, & nequaquam ſumus idonei lectitare, adiuuate me ipſum quæſo interceſſu veſtro, fortaſſe non lectitare ſed dictare legendum ſit, quod dixerit quia videbat excipi ſcripto ſuas diſputationes. Nam fuiſſe morem excipiendi præter locum ex S. Greg. paulo ante citatum, non raro oſtendit S. Auguſt. præſertim dum Pſalmos enarrat, & teſtatur in eius vita Poſſidius, & Metaphraſtes in vita Chryſ. & colligitur ex Socrate vbi vt oſtendat Attici Patriarchæ Conſtantinopolitani conciones, nullo in pretio habitas, neminem fuiſſe ait, qui eas ſcriberet. Ex dictis apparet priſcos concionatores ſæpiſſime colloquutione vſos nõ de ſcripto legiſſe, non raro tamen eorum Sermones lectos fuiſſe. Poſſunt his addi duo alia primum de modo indicendi ſilentium, Act. 13. dicitur ſurgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens vbi Chryſ. ait fuiſſe eum morem Indæis quod ex cap. etiã 19. Actorum poteſt intelligi vbi dicitur. Alexander autem manu ſilentio poſtulato volebat reddere rationem populo & cap. 21. Paulus ſtans in gradibus annuit manu ad plebem, & magno

Syno. Vaſ. can. 4.

Scripto ſolebant excipi cóciones nõ numquam. *Ex Tripa. hiſt. lib. 11. c. 2.*

Modus indicendi ſilentium.

ſilentio

silentio facto allocutus est lingua Hebræa, & cap. 12. de Petro, annuens ait eis manu, vt tacerent, narrauit, quomodo Dominus eduxisset eum de carcere. Non tamen S. Chrys. solis tantum Iudæis affirmat hunc morem fuisse, quare non mirum si apud alias gentes inueniatur. Porro inter primos Christianos Diaconus voce clara ante sacram lectionem solebat silentium imperare, vt constat ex Clem. & alibi, ita præcipit: Diaconus populum speculetur, ne quis murmure obstrepat, dormitet, aut nutus faciat, oportet enim stare in Ecclesia sapiēter, sobrie, & vigilanter auribus ad verbū Domini intentis. S. Chrys. Hom. 19. in Acta. Stat minister, communis minister alta voce clamat, ac dicit attendamus, & sæpius illam vocem clamat. Hæc communis Ecclesiæ est, quam ille emittit, & nullus attendit. Post illam incipit Lector. Secundum est de salutatione Angelica, quam nunc ante concionem pronunciamus. Cuius instituti ante B. Vincentium Ferretium, qui solet præmittere suis Sermonibus, salutetur B. Virgo, Auctorem nullum inueni. Arbitror, esse recens institutum, & inductum forte propter Hæreses in B. Virginem exortas, cum ipsa sit, quæ omnes Hæreses interimere queat. Adde quod in hac oratione mentio fit Incarnati Verbi, cuius mysteria maxime prædicanda sunt, vt Paulus Titum monet Hæc loquere, & exhortare. Oratio certe ante concionem semper vsurpata fuit, & passim in suorum Sermonum initio S. Patres legimus orationes populi postulare, Nec vero dubitari debet morem inchoandi à signo Crucis esse perantiquum. Cum enim dicat Tertull. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum ad calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus, quis ambigat, & concionem auspicaturos idem feciſſe? Corippus quidem Grammaticus Africanus dum versu orationem exequitur, quam Iustinus Imperator ad populum habuit statim vt accepit insignia Imperij anno, vt Baronio placet quingentesimo sexagesimo quinto, hæc canit.

Ipse coronatus solium conscendit auitum,
Atque Crucis faciens signum venerabile, sedit.
Erectaque manu cuncto præsente Senatu.
Ore pio hac ait.

t. 2. c. 57. et l. 8. cap. 11.

Salutatio Angelica ante concionem.

Aug. 4. de doc. c. 15. Chrys. bo. 3 de incomp. Dei nat.

De Signo Crucis ante omnia.

Lib. 6. de cor. mil.

Digitized by Google

De Auditoribus. Cap. III.

COnsueuerant intereſſe concionibus, non Chriſtiani ſolum ſed etiam cathecumeni, quod vulgatum eſt: ſed conſiderandum quid ſibi velit Ambroſius dum ait poſt lectiones atque tractatum dimiſſis cathecumenis ſymbolū aliquibus competentibus, in baptiſterijs tradebam baſilicæ, ijdem enim videntur eſſe competentes, & cathecumeni. Extat ſermo S. Aug. ad competentes, vbi & ipſum vocabulum non aliunde, quam de ſimul petendo, atque vnum aliquid appetendo compoſitum dicit. Quod ſi qua diſtinctio eſt, ea videtur poſſe tradi, vt cathecumeni omnes dicerentur, quamquam Baptiſmum in præſens differrent: Competentes autem ij præcipue, qui peterent moxque eſſent ſuſcepturi: quæ diſtinctio videtur confirmari ex verbis S. Auguſtini de Victorino loquentis. Vbi autem imbutus eſt primis inſtructionum ſacramentis (nempe inter cathecumenos) non multo poſt etiam nomen dedit, vt per baptiſmum regeneraretur (ſcilicet inter competētes adſcriptus) Dimittebantur autem poſt ſermonem cathecumeni; vnde Auguſtinus Ecce (inquit) poſt ſermonem fit miſſa cathecumenis, manebūt fideles, ideſt miſſio fit cathecumenorum, vnde & miſſa cathecumenorum, pro ea parte, quæ vſque ad oblationem continetur, nomen accepit. Nec hi ſolum ad ſermonem conuenire poterant, ſed etiam Hæretici, Pagani, Iudæi. Ita habetur de conſ. & in Carthag. 4. cap. 84. Seuere etiam obſeruatum eſt, vt ante benedictionem fidelium nemo diſcederet: quin & Canon extat Conc. Carth. in hæc verba. Sacerdote in Eccleſia Dei verba faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit excommunicetur, & in Conc. Agathenſi ſtatutum eſt, ne ante Sacerdotis benedictionem populus egredi præſumat: quod ſi qui fecerint ab Epiſcopo publice confundantur. Cui decreto occaſionem dedit Cæſarius, qui concilio præerat, cuius hiſtoriam ſi lubet, vide apud Surium die 27. Auguſti. Intererat autem populus, ſeparatim viris, faminisq. diſcretis, quem morem egregiè deſcribit Philo Iudæus dum de Eſſæis agit, per ſex dies (inquit) ſeorſum quiſque in ſuis illis modo dictis Monaſterijs philoſophantur, non progredientes foràs, imo ne proſpicientes quidem: ſeptima verò conueniunt in cœtum communem, & iuxta ætatis ordinem conſidunt, decenti habitu, manus continentes ſub pallio, dextram inter pectus barbamque ſiniſtram appli-

Omnes intereſſe poterant concioni. *Epiſt. 33.*

Ser. 8. de diuerſis.

Competētes qui ſint.

Lib. confeſ. 8. c. 2.

Ser. 237.

Miſſio Cathecumenorum.

diſt. 1. c. 66.

Carth. c. 24

Separati viri à mulieribus. *Philo de vit. cont.*

applicatam lateri Tum progressus in medium natu maximus disserit; & post pauca reliqui omnes auscultant per summum silentium, annutantes oculis tantum, aut capite. Id commune semneum, in quod septimo quoque die conueniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum & mulierum cætibus. Nam mulieres quoque simul auscultant ex more, dumtaxat quæ institutum idem sectantur: medius autem paries à solo surgit, tribus quatuorue cubitis, in modum loriculæ: superiora vsque ad tectum patent, vnde gemina prouenit commoditas, & quod pudori fæminei sexus consulitur, & quod verba doctoris exaudiuntur facile, absque vllis obstaculis, quæ vocem eius intercipiant. Hæc Philo de Essæis refert, quos fuisse primos Christianos sub Sancto Marco in Ecclesia Alexandrina docet Hieron. sequutus Euseb. l. 2. hist. c. 15. Idem asserit Epiph. qui etiam Essæos ait esse dictos quasi Iessæos à Iesu; Idemque significat Cass. de Inst. cæn. sed nobis non est hic immorandum quia esset digredi extra institutũ, legat qui velit Baron. anno Christi 64. qui horum patrum testimonia allatis etiam rationibus confirmat. Sed redeuntes ad id quod dicebamus Clemens ita inquit. Sit autem horum cura (idest diaconorum) vt laici, in altera parte, ordine, decore, & quiete sedeant. Item vt sedeant mulieres separatim, & cum silentio, ne, vt ait Cyr. Hieros. in præfatione ad cathecheses, studium salutis sit perditionis occasio. Sanctus Augustinus. Populi (ait) confluunt ad Ecclesias casta celebritate, honesta vtriusque sexus discretione, vbi audiant quam bene hic ad tempus viuere debeant, vt post hanc vitam beate, semperque viuere mereantur. Vbi sancta scriptura iustitiæque doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante, & qui faciunt, audiant ad præmium, & qui non faciunt, audiant ad iudicium. Sanctus Chr. Oportet quidem interiore pariete à mulieribus disseparari (idest viros) Verum quoniam non vultis, ideo necessarium esse patres nostri putauerunt, saltem his ligneis parietibus vos disseparari. audiui autem ego à senioribus non fuisse hos parietes ab initio (intellige primis statim annis nascentis Ecclesię) Cæterum ab initio ex ipsis Apostolorum temporibus cœpisse hanc separationẽ inter viros ac mulieres, ex citato Clementis loco potest intelligi. Cum autem improbitas paulatim cresceret, etiam septa plerisque locis adiecta conijci potest. Apud Græcos, vel certe Constantinopoli in sublimi tabulato fœminæ consistebant, cui etiam velum S. Chrys. vt in eius vita

Meta-

Essęi an essẽt Christiani.

In l. de scr. Eccl. in Marco, & in Philone.

Epiph. her. 29.

l. 2. c. 5.

l. 2. c. 5. et 7

August. de ciu. Dei l. 2 c. 27.

Chr. ho. 74. in Matth.

Metaphrastes narrat, obtendi iussit, cum vnus ministrorum sacrorum, aliquando oculum in despectantem fœminam coniecisset. Huius tabulati & Naz. in somnio meminit, quod infra ponetur. Ostendit, præter hæc, idoneis testimonijs Io. Steph. Durantius Mares in australi parte, Fœminas in boreali constitisse. Item virgines à cæteris mulieribus in Ecclesia fuisse discretas, ostendit etiam S. Ambr. Nonne (inquit) vel illum locũ tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti? Totus vero populus separatus erat à clero, nam templa olim, duas præcipuas habebant partes, quarum altera gradibus sublimior, Clero, Altera humilior, Populo erat destinata, & quidem eæ partes apud Græcos, etiam cancellis dirimebantur, quos præclare Naz. in carmine ad Episcopos, significare, ait duos mundos, alterum stabilem, alterum fluentem, homines, ac diuos.

Durant. de Rit. Eccl. l. 1. c. 18.

l. ad Virg. lap. c. 6.

Populus à clero separatus.

Hos quoque (inquit) *qui mundos dirimunt, quorum effluit alter*

Alter at vsque viget, stabilisq. in secula durat
Diuosq. atque homines discludunt limite certo
Cancellos, &c.

Iam vero an auditores stantes concioni adessent an sedentes colligi ex dictis potest: sed est distinctius explicandum: Populum in Africa stantem audiuisse, sæpe Aug. ostendit cum ait: Non in his sermonibus, sed in alijs laboriosis literis quærat, nec stando & audiendo, sed potius sedendo & legendo condiscat.] Hom. 26. ex l. 50. Hom. vbi fecisset potestatem sedendi quibusdam infirmioribus, & fœminæ aliæ non infirmæ eam sibi licentiam sumerent, & prosternerent se se, & garrirent, rogat vt saltem sedeant & taceant. Verum alius in alijs Ecclesijs mos erat. Idem Aug. cum dixisset occurrendum tædio catechumeni, oblata ei sessione, subdit. Quamquam sine dubitatione melius fiat, vbi decenter fieri potest, vt à principio sedens audiat longeque consultius in quibusdam Ecclesijs transmarinis, non solum Antistites sedentes loquuntur, sed ipsi etiam populo sedilia subiacent, ne quisquam infirmior stando lassatus, à saluberrima attentione auertatur, aut etiam cogatur abscedere. Addamus hic laude ac imitatione dignum Magni Constantini exemplum, qui ipsummet Eusebium, qui hæc scripsit auditurus in Basilica, rogatus vt in præparato consederet solio, recusauit; cumque iam multum temporis fluxisset, & finem facere Eusebius vellet, ne nimium Imperator defatigaretur, ille restitit, & ad sermonem absoluendum hortatus

An populus stãs audiuerit. *Aug. tract. 112. in Io. initio.*

De cathec. rud. c. 13.

Constantini Magni exemplum. *Euseb. l. 4. de vi. Cõst. c. 33.*

Digitized by Google

catus est. Cum vero Eusebius rursus flagitaret, vt sederet, subtristi, & austero vultu respondit, nefas esse institutis de Deo disputationibus, negligentes aures præbere. sibi verò esse hoc imprimis vtile, cùm pium sit de diuinis rebus differentes, erectos audire.] Præterea illud etiam hic adijciamus. Valde olim viguisse in populo plaudendi morem magna ex parte reprehendendum. De quo fusè, & optimè Chrisost. ad popul. Antiochen. & alibi vehementer instat, vt praua illa consuetudo tollatur, hom. 28. Laudastis (inquit) dicta: sed plausibus mihi non est opus, neque laudantium vocibus & tumultu; vnum dumtaxat volo, vt cum quiete, & intelligentia audientes, quæ dicuntur, faciatis. Hoc mihi pro plausu, hoc pro laudationibus. Eamdem significauit immodicam plaudendi consuetudinem Nazianzenus, cùm interrogante S. Hieronymo, vt ipse idem refert Hieronymus, quid sibi vellet in Luca sabbatum δὶς πρῶτον σάββατον, eleganter lusit; Docebo te (inquit) super hac re in Ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris inuitus scire, quod nescis, aut certè si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. Quibus verbis magnus ille Theologus significauit, plausus fieri solitos à populo etiam ad ea, quæ non intelligeret. Quod euenit S. Augustino, cùm, vt legitur serm. 47. de diuersis, ante solutam quæstionem, populus acclamauit. Quare ipse subiecit: quid enim dixi? quid laudastis? Ecce quæstio est, & tamen iam laudastis.] & serm. 8. de malis Christianis: Neque miremini (inquit) multitudinem malorum Christianorum, qui Ecclesiam implent, qui ad altare communicant, qui Episcopum, vel Præsbyterum de bonis moribus disputantem, magnis vocibus laudant.] In verba tamen Psalmi 147. qui posuit fines suos pacem: cùm populus acclamasset, subijcit potius laudans, quomodo exultatis omnes, nihil dixeram, nihil exposueram, versum pronunciaui, & exclamastis?]

Acclamationes, & plausus.

Chr. ho. 38. ad pop. An.

Hieron. ad Nep. de vi. elc.

Serm. 44.

De Tempore. Cap. IV.

Tempus, quo sermones habebantur ad populum, inde vsque à temporibus apostolicis, cœpit esse dominicus dies, qui successit Christianis, loco Sabbati Iudæorum; & colligitur ex Act. vbi dicitur: Vna autem Sabbati cùm conueniissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat profecturus in crastinum, quo loco vna Sabbati, vt apud Matth.

Die dominica habebatur conciones.

Act. 20.

Prima

Prima ſabbati eſt dies prima poſt ſabbatum, ideſt dominica. Clemens: Die dominico, qui eſt dies Reſurrectionis, ſtudioſius templum domini adite, vt Deum laudibus celebretis, qui fecit omnia per Chriſtum, quem ad nos miſit, & pro nobis mori permiſit, & à mortuis excitauit: quid enim apud dominum excuſare poterit, qui eo die ad audiendum verbum Dei ſalutare non conuenit?] Iuſtin. Die, qui Solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, vnum in locum conueniunt, commentariaq; Apoſtolorum, vel Prophetarum ſcripta leguntur, quãdiu hora patitur; deinde vbi is, qui legit deſtitit, is qui præeſt admonet & hortatur, vt ea quæ lecta ſunt bona imitemur. Tum ſurgimus omnes & comprecamur.] S. Aug. ſe ipſum narrat ſolitum Mediolani omni die dominico audire S. Ambroſium verbum veritatis recte tractantem. Hinc præclara illa Chryſoſtomi admonitio, vt totus dies ponatur in recolendis auditis: cum enim reprehendiſſet auditores, quod conceptam in ſermone audiendo deuotionem, ſtatim digreſſi perderent, & ſaltem imitandam dixiſſet curam hominum in cuſtodienda pecunia, ſubdit: Paucos enim plerumque nummos cum aliquis accipit, & ſollicite reponit in ſacculo, & diligenter obſignat ſigillo, Nos verò poſtquam longe auro, gemmiſq; pretioſiora ſuſcepimus eloquia, & inæſtimabiles ſpiritualium opes bonorum, neque ea in theſauro animorum recondimus continenda, ſed paſſim atque negligenter mentes noſtras effluere permittimus. & poſt pauca. Ne igitur iſta contingant, legem hanc nobis ſtatuamus immobilem, nec nobis tantum, ſed coniugibus etiam liberiſq; noſtris, vt vnum hunc totius hebdomadis diem, quo ad audiendum concurritur, totum in eorum quæ dicantur meditatione ponamus.] habebantur autem fere ſermones dum fiebat ſacrificium intra miſſarũ ſolennia poſt Euangelium ſolenni ritu à Diacono recitatum. Vide apud Clem. D. Auguſt. ex lecto Euangelio, & alijs lectionibus recitatis ſæpe exorditur. Ita facit præcipue ſer. 7. de ver. apoſtol. & ſer. 237. de tempore. Aliquando & ante Euangelium tractatus fiebat. nam ſer. 90. de tempore ait: In lectione quæ nobis ad miſſas legenda eſt. Et ſine dubio habebatur interdum exhortatio extra Miſſæ tempus. Non ſolum autem dominicis, ſed etiam diebus feſtis Sanctorum, præcipue martyrum, fuiſſe morem concionandi ſatis declarant ipſi, qui extant Sanctorum Patrum ſermones. Quibus diebus etiam ſolebat ipſorum martyrum hiſtoria recitari, vt paſſim videre eſt in ſermonibus S. Aug. de ſanctis. Immo

Conſt. ap. c. 59.

Iuſt. 2. ad Ant. apolog. ad finem.

Poſt concionẽ ſimul precabantur.

Lib. confeſſ. 6. c. 3.

Chri. ho. 5. in Matth.

Dies feſtus inmeditatione expendendus.

Clem. l. 2. c. 57.

In feſtis Sanctorũ concionꝫ fiebant.

Digitized by Google

hic accuratissimus Pastor etiam, quæ recens accidissent miracula digna cognitu, recitari iubebat. Vide ser. 31. de diuersis, & 39. vbi sunt hæc verba, Ego quia mando memoriæ de libellis miraculorum martyris, quæ in conspectu vestro legũtur.] Alo-
l. 12. c. 34. xandrinis fuisse morem proprium narrat Niceph. vt quarta, hebdomadis die, & ea quæ Parasceue dicitur (id est feria sexta) scripturas legerent, & Doctores eas exponerent. In Cypro autem, & Cæsareæ Cappadocum eas in sabbato, & Dominico die, vesperi post lucernarum accensionem Episcopi, &
Aliquando quotidie. Presbyteri interpretarentur. Nec Dominicis solum festisque diebus, sed sæpe quotidie sermones habebantur à diligentibus ac doctis pastoribus: multæ in S. Chrys. habitæ leguntur homiliæ continuis deinceps diebus: multæ in S. Aug. vt apparet ex ipsa mentione hesterni sermonis, vel crastini. Tract. 8. in Io. in fine: Sunt forte hodie multi, qui propter solennitatem diei, non propter audiendum sermonem venerunt, crastino qui venerint, venient audituri, vt nec fraudemus studiosos, nec grauemus studiosos.] In prohemio tractatuum in Epistolam B. Ioannis. Meminit sanctitas vestra Euangelium sancti Ioannis, ex ordine lectionum, nos tractare solere, sed quia nunc interposita est solennitas sanctorum dierum, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, vt aliæ esse non possint; ordo ille quem susceperamus necessitate paululum intermissus est, non omnissus. Cum autem cogitarem quid secundum hilaritatem præsentium dierum, per hanc hebdomadam vobiscum de scripturis agerem, quantum Dominus donare dignatur, quod posset in his septem, vel octo diebus finiri, occurrit mihi Epistola B. Ioannis.] & tract. 9. in eam Epistolam initio: Interceserunt autem, vt intermitteremus textum huius epistolæ, quædam pro diebus festis solennia lectionum, quæ non potuerunt nisi legi & ipsa tractari, nunc ergo ad prætermissum ordinem redeamus.] Hinc intelligimus tractatus in Euangelium, & in Epistol. S. Ioannis habitos perpetuis fere diebus. Vide à tractatu 15. ad 33. Idemq; in multis psalmorum enarrationibus animaduertere licet. Verum maximus
Aliquando bis in die habebantur cõciones. hic doctor, velut perennis diuinæ sapientiæ fluuius bis eodem die aliquando populum alloquebatur. Secundam concionem in psal. 88. ita exorditur. Ad reliqua psalmi de quo in matutino loquuti sumus, animum intendite,] & priorem sic terminarat. Quod restat si placet seruemus, quia longus est psalmus, & adhuc vobiscum aliquid in nomine Christi sumus acturi. Reficite

vires

vires non dico animi vestri, nam video quod animo infatigabiles estis, reficimini, & refecti ad cibos redite.] Hanc sermonum frequentiam habebant, præcipuè in tractatibus, cùm librum aliquem è sacra scriptura interpretandum ordine ad populum suscipiebant, idque hoc ordine fiebat. Prius recitabat lector eam partem sacræ scripturæ, quam tractator erat expositurus, S. Aug. Hucusque (inquit) Psalmus lectus est hodie, hucusque tractandus est.] Itaque vt commodum erat ad vnius sermonis explicationem, ita diuidebant lectiones, quæ scilicet voluntariæ erant; nam quæ iam certis temporibus fixæ ac statæ legebantur, de ijs nihil immutabant. Ferebat autem vel ipsemet suum codicem tractator, vel accipiebat à lectore. Augustinus pauca præfatus. Ipsa (inquit) de libro Act. Apostol. vobis lectio recitabitur, vt videatis vbi descripta sit forma, quam desideramus implere. Dum ergo recitatur, vos intentissimos esse volo, vt post eius recitationem, quod instituì, loquar. & subditur: Lazarus Diaconus legit. & mox: Cumque Lazarus Diaconus recitasset, & Episcopo Codicem tradidisset, Augustinus Episcopus dixit. Ego etiam legere volo, plus enim me delectat huius verbi esse lectorem, quam verbi mei disputatorem.] Fuisse autem ordinarium morem, vt codicem tractator in manibus haberet, apparet tract. 15. in Ioan. Hoc lectum est, & hanc lectionem tractandam in manibus gestamus, tract. 35. in fine: Depositurus sum & ego codicem istum, tract. sequenti: & tamen etiã nos humi repetes, audemus tractare ista &c. quare ista dixi? forte enim post hæc verba, quisquam mihi iuste dicat: pone ergo codicem, quod excidit mensuram tuam, quid sumis in manum tuam?] tract. 40. De Euangelio S. Ioannis, quod gestare nos videtis in manibus, iam multa audiuit charitas vestra. Apparet autem ipsummet, prout explicabat, solitum particulatim legere ex multis locis. tract. 45. in Ioã. Legamus ergo. Quia venturus est &c. ser. 45. de diuersis: Hoc quod gestamus in manibus, scriptura, scilicet, quam videtis, commendat nobis inquirendam, & laudandam mulierem quamdam, de qua paulo ante cùm legeretur audistis, de hac, secundum lectionis tenorem, quam meminisse conspicitis, pauca pro tempore, quæ Dominus suggesserit dicam.] In Psal. 127. Quamquam eum cùm cantaretur audiuimus, quia breuis est curro eum, non tractans, sed legens. In Psal. 21. Quid si mihi aliquis dicat: O stulte quid interrogas? Codicem portas, legamus igitur quod modò dictum

In 1. parte ps. 39.

ser. 50. de diuersis. Gestabant in manu Codicem.

est. In Psal. 79. Tamquam eruditi in schola Christi currere debemus quæ plana sunt; vt si forte obscura exigunt officium interpretandi, ea quæ plana sunt, legendi officium à me debeant efflagitare.] S. Chrysostomus, in prima quam habuit homilia, aliquot etiam versus è Psalmo 148. legisse videtur, cùm aliud tamen tractaret. ait enim. Cæterùm, vt vobis quod dico, fiat euidentius, ipsum Psalmum ab initio vobis prælegemus. & S. Augustinus ipsum S. Cypriani volumen pro concione legit, ser. 14. de verbis Apostoli. Rogo (inquit) vos, vt paululum acquiescatis: lego tantùm. S. Cyprianus est, quem in manibus sumpsi, antiquus Episcopus sedis huius. Quæ authorum ipsorum prolatio, nescio quod maius & fidei, & authoritatis pondus suo loco habet: & posset aliquando à nostris fieri, quamuis non sit vsus.

De loco. Cap. V.

Vbique prædicatio haberi potest.

LOcus sacrarum Concionum semper fuit is, qui iudicaretur ad frequentiam aptus, & hoc significat, vt sæpe est in Prophetis & Psalmis, Dei nomen laudandum in portis. S. Ioan. Baptista erat prædicans in deserto, cum multitudo ad eum conflueret. Christus Dominus in monte, in littore, etiam in domibus priuatis docuit: idque magna cura faciendũ, & conquirendos etiam auditores, ostendit parabola illa Matth. 22. cum Dominus nuptiarum misit seruos in exitus viarum, & vt addit Lucas, in vicos & plateas Ciuitatis, in vias & sepes iubens etiam compellere intrare, vt impleretur domus. Et huc videtur spectare quod dicitur in Prou. Sapiẽtia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum Vrbis profert verba sua. Eam sedulitatem secuti Apostoli vbicunque se ferebat occasio, diuina spargebant semina, eumque imitati morem apostolici viri, S. Vincentius Ferrerius, Petrus Martyr, Antonius de Padua, Bernardinus Senensis, & alij magnas attulere promiscuæ multitudini vtilitates. Et sanè egregium est opus charitatis hominibus in foro desidentibus, nec alioqui Ecclesiam aditurus, diuina monita intonare. Sanctus Nicolaus Tolentinas cum audiret in platea Concionantem, ita commotus est, vt ex accepta ibi semente, tam vberes deinde fruges sanctitatis ediderit. Propterea etiã Summi Pontifices eam in publicis foris concionandi consuetudinem comprobantes, multis religiosorum familijs priuilegia

Matt. 1.

Prou. 1.

Prædicatio in plateis.

proprijs

proprijs decretis concessere, vt apparet Clementina Dudum, de sepult. & extrau. Inter cunctos de priuil: & alibi. Hæc omnia, quamquam vera sunt, tamen proprius locus semper fuit vel Templum, ac Synagoga apud Hebræos, vel Oratoria, & Ecclesiæ apud Christianos. Ideo Dominus: Ego semper docui (inquit) in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & de Paulo & de Barnaba dicitur: Prædicabant verbum Dei in Synagogis Iudæorum. Vbi vero Christiani suas habere cæperunt Ecclesias, apertius est, quam vt debeat testimonijs comprobari, in ijs solitos legere sacros libros, interpretari, & alios ad rectè mores instituendos habere sermones. Euseb. ex Philone l. de vita supplicum refert, Christianos in omnibus locis constituisse sacras ædes ad celebranda misteria, & sacros libros legendos. Iustinus docet Christianos conuenire solitos ad certum locum, ad verbum Dei audiendum, & Eucharistiæ administrationem. Clem. ait Petrum conuertisse domum Theophili Antiochiæ in Ecclesiam, & ibi cathedram constituisse ad docendum. Quin & ipsa Ecclesiæ vox primo significat ipsum conuentum & congregationem, sicut latinè concio ipsum cætum auditorum, deinde etiam locum ipsum, quo conueniunt, quod in hunc finem institutus sit locus, vt eo se congreget populus ad diuinum cultum, non, vt Caluinistæ mentiuntur, ad solum Dei verbum audiendum. Illud difficilius est, ex quo Ecclesiæ loco sermo haberetur. Certum est fuisse locum aliquē editiorem, vnde conspici prædicator, & audiri commodius posset. Hinc S. Augustinus: Quamuis (ait) propter commoditatem depromendæ vocis altiore loco stare videamur, tamen in ipso altiore loco vos iudicatis, & nos iudicamur: doctores dicimur, sed in multis doctorem quærimus.] Dubitari autem potest, idem nè locus Episcopo, & sedendi in Templo, & concionandi esset: Videtur significare diuersum S. Ambrosius epist. 33. in qua referens habitum à se sermonem de lectione Iob, Vnum Iob (inquit) miraturus ascenderam: Omnes, Iob (id est multos Iob similes) quos mirarer inueni.] Dum enim miraturus Iob ascendit, proculdubio locum petit, vnde de Iob loquatur. At mihi quidem nequaquam est simile vero, si loquamur de ordinario more, vt ex sua sella digressus locum alium dicturus conscenderet. & S. August. significat eumdem fuisse locum dum hæc scribit: Et Episcopi hæc faciunt (id est custodiunt) nam ideo altior locus positus est Episcopis, vt ipsi superintendant, & tamquam custodiant populum. Nam & grecè,

Templū est proprius concionū locus. *Ioan.* 18. *Act.* 13. *lib.* 2. *hist. c.* 14. *Iustin.* 2. *Apo.* *Clem. l.* 10. *Recc.* Ex quo loco Ecclesiæ concio haberet. *Aug. serm.* 122. *de diuer.* *In ps.* 126.

quod dicitur Episcopus, hoc latinè superintentor interpretatur, quia superintendit, quia desuper videt. Quomodo enim vinitori altior sit locus ad custodiendam vineã, sic Episcopis altior locus factus est: & de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, vt humilitate sub pedibus vestris simus. & mox, Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo vno magistro in hac schola discipuli sumus.] En ex eodem loquitur loco qui paratus erat in Ecclesia Episcopo, vbi etiam ad diuina consisteret. S. Greg. Naz. Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus intra cancellos concionabatur, vt ex ipsomet liquet, vbi de multitudine auditorum ad cancellos se protundente, vt orationem audiret, meminit, præsertim in oratione ad centum quinquaginta Episcopos, & alios idem fecisse credendum est. Sed D. Chryst. ob auditorum frequentiam suggestum in medio Ecclesiæ collocauit. D. August. Exedram vocat locum illum celsiorem, vbi, & Episcopo erat sedes constituta, & sedilia Presbyteris locata, quibus solis coram Episcopo sedere licebat. De fratre ac sorore, miraculo sancti Stephani sanatis loquens, In gradibus, inquit, Exedræ, in qua de superiore loco loquebar, feci stare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus. & alibi disputans de anima, quæ casto Dei timore prædita sit. Putas est (inquit) in hoc populo? putas est in ista exedra? putas est in hac terra? Vbi populus & exedra opponuntur, & idem est ac si diceretur, num in Laicis, num in Ecclesiasticis hominibus reperitur? Hic locus hodie vulgo chorus vocatur, & eumdem per Absidam idem Aug. significat, vbi puellam curatam dicit reductam ad Absidam, vbi prius steterat: stetisse autem prius in Exedræ gradibus, citato de Ciu. Dei loco dixerat. & ad Maximinum Episcopum Donatistam. In futuro Christi Iudicio nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem vbi cæperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter iudicare.] Quo loco cum honores, qui Episcopis habebantur, enumeret, intelligimus etiam velari, ideſt honorifico tegi stragulo solitas eorũ cathedras, quæ in Exedra, & Apside erant hic enim apsis significat vltimam illam templi partem, in quam templi aula desinebat gradibus sublatam, & in conchæ modum sinuatam. vnde & conchàm S. Paulinus appellat, quam & describens ait. Apsidem solo, & parietibus marmoratam camera musiuo illusa clarificat.] Hanc hodie vulgo Itali Tribunam vocamus ex eo, nisi

Vide Baronii, anno Chr. 407.

Exedra, & Absida.

Aug. l. 22. *de ci. c.* 8.

Tract. 9. *in Ioan. epist.*

Aug. serm. 32. *de diu.*

Ep. 203.

Absida.

Epist. ad Sev. 12.

Digitized by Google

eo, nisi fallor, quod in medio illo sinu iunctum parieti tribunal erat, ideſt Episcopi Cathedra, vt etiam num in vetustis Basilicis cernitur, ex qua tamquam pro tribunali Euangelium prædicans iura diuina promebat. Et hoc est quod Prud. in fine carminis de S. Hippolyto, dum eius Basilicam describit, canit:

Fronte sub aduersa gradibus sublime Tribunal
Tollitur, Antistes prædicat vnde Deum.

Idem opinor, Ep. ad Alexium, per apostolicum solium S. Paulinus intelligit, dum loquens de S. Petri Basilica. Vel quà sub alto sui culminis (inquit) medijs ampla laquearibus longum patet, & apostolico eminus solio coruscans ingredientium lumina stringit, & corda lætificat.] Nec vero absida seu absis vel apsis, vt S. quoque Paulinus dubitat, idem est quod Exedra omnino, sed pro eodem interdum accipitur, quòd Exedra fere ad apsidem erat. His de sella Episcopi allatis, haud obscura minus est quæstio, vnde presbyterorum conciones haberentur. Pulpitum Cypr. (ex editione Pammelij) atque per honorificã interpretationem Eccleſiæ tribunal, appellat suggestum in quo per Diaconum elata voce Euangelium in Missæ sacrificio recitabatur, quem locum ordo Romanus, & passim alij rituales authores Ambonem appellant, ab ambiendo, quod intrantem ambiat, vel quod ipse vtrinque gradibus ambiatur, deducẽtes, cum verius sit nomen græcum, & quemlibet editum locum significet. quare & suggestum cantorum in Laodiceno Conc. can. 15. Ambo vocatur, & eodẽ nomine suggestum, vnde S. Chryſ. Constantinopoli sermones habere solebat, appellatur à Socrate. Cæterum an ex eodem loco, vnde à Diacono recitabatur Euangelium, à Presbyteris sermones haberentur, non valde constat. nam Chryſ. videtur significare Presbyteros tantum consurgere solitos. Nam cum ipse tum solum Presbyter esset, Nisi multam (inquit) à Patribus necessitatem sustinuissem, neque surrexissem, neque locutus fuissem. Et S. Aug. coniungens lectorem & tractatorem. Lector ascendit (inquit) sed & ipse (ideſt Christus) non silet. Tractator loquitur: si vera loquitur, Christus loquitur.] Quæ diuersa loquendi forma videtur significare non item vt lector legendi causa ascendebat, ascendendum fuisse Episcopo, aut Presbytero dicturis, sed è suis locis consuetos assurgere, & inde loqui. Certe ex eodem loco, vnde legebatur Euangelium, item explicatum fuisse, nihil adhuc vidi vnde vel affirmare, vel conijcere possim. Reliquum est vt totam hanc prolusionem, carmen, S. Greg. Naz. concludat, quo

Ep. 12. ad Seuerum.

Ep. 33. & 34.

Ambo quid sit.

lib. 6. c. 5.

Ho. 16. ad pop. Ant.

Homil. 28. ex 50.

Insomnio S. Greg. Naz.

somnium describens suum, pleraque à nobis dictorum complectitur. Suauiter (inquit) dormiebam, cùm repente Anastasia se se mihi in somnis obtulit, subijcit in somnium his verbis: sublimi quidem throno, sed non elato, aut supercilioso animo (neque enim, ne per somnum quidem, superbiam vnquam, vel arrogantiam colui) insidere mihi videbar, vtrinque porrò, inferioribus tamen subsellijs presbyteri, hoc est, gregis Christiani duces considebant. At verò Diaconi candidis vestibus ornati stabant, angelici splendoris speciem præseferentes, plebs autem partim circum cancellos, apum more fusa erat, (Certatim enim omnes incumbebant, vt proximum quemque suggesto nostro locum obtinerent) partim ad me audiendum confluens, vestibuli angustia premebatur, auribus nimirum, ac pedibus æque festinans, partim ex foro vicisque Vrbis ad sermones meos accurrebat. at vero sanctæ Virgines vna cum grauibus matronis, è sublimi tecto, castissimas sermonibus meis aures inclinabant, nam hunc quoque mihi ludum nox fingebat. Distinctim autem plebs stabat, sermonis nostri audiendi cupiditate flagrans; Alij humilem, facilemque exposcebant, ij nempè, qui sursum tendere vel nolebant, vel certè nesciebãt. Alij contra volubile ac excelsum dicendi genus flagitabant, hi nimirum, quibus altissima quæque tàm sacræ quàm prophanæ sapientiæ dogmata inuestigare ac perscrutari curæ erat. Mihi verò sola adoranda Trinitas triplici pulchritudine splendens ex ore fluebat, idque & robustà voce, firmisque lateribus, & vehementi aduersariorum dogmatum infectatione faciebam. Atque alij quidem sermonem nostrum miris laudibus efferebant, alij silentio atque admiratione defixi tenebantur, alij partim verbis, partim animo solo stridebant, alij denique velut fluctus quidam vento excitati pugnabant. Et addit: Omnes ego orationis suauitate demulcebam; hac ego voluptate perfruebar, cum subito mihi gallorum cantus somnum, simulque cum somno Anastasiam ex oculis exeussit. Sed nos ad officium oratoris descendamus.

Officium ac finis Christiani Oratoris. Cap. VI.

STatuendum principio est, quodnam sit nostri concionatoris munus, & in quem finem omnis eius oratio, ac diligentia dirigatur. Hoc enim bene perspecto, facile apparebit, & qualem ipsum oporteat esse moribus, ac scientia, & quo dicendi ge-

di genere, & qua prudentia, & industria vti debeat, quæ sunt tres operis huius partes: cum ex officio, & fine proposito, eorum, quæ ad finem consequendum adhibentur, cognitio & modus pendeat. Neque verò in facultatis cuiusquam professore, quæcunque tandem ea sit, aliud desiderari iure potest, nisi vt illa præstet, quæ muneris sui ratio postulat; quemadmodum è contrario meritò argui solet is, qui artem quampiam sibi arrogans, non ea teneat, quæ ad eius functiones ritè obeundas requiruntur. Porrò Christianus orator (vt paucis ac simpliciter describatur) est instrumentum Dei, per verbi diuini apposite ad persuasionem tractati, ministerio gloriæ eiusdem Dei & saluti animarum inseruiens. Concionatorem esse instrumentū definit S. Greg. Naz. Concionator (ait) multifidi instrumenti cuiusquam musici in modum, varijs pulsibus opus habet. Quod sanè mihi Deus ipse in D. Paulo (quem hierarchicæ eloquentiæ exemplar, & omnium Euangelicorum concionatorum principem, & magistrum facimus) apposite videtur describere, cum de eo ad Ananiam: Vade, inquit, quia vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus. Vasis quidem nomine constat apud Hebræos significari quod nos vulgo instrumentum appellamus, id est, quod operi alicui efficiendo comparatum est. Est autem instrumentorum maximè proprium, vt ea non sua sponte moueantur, nec suopte motu; sed vt aliena vi, & impulsu agitentur externo. Vndè intelligi potest, diuini verbi præcones, quoniam vasa & instrumenta sunt, nihilò magis agere posse sine Deo, quàm aut sine tibicine tibiæ modulatè canere, aut securis & serrula, (vt scriptum est apud Isaiam) per se opus aliquod possint efficere. Tale se instrumentum esse Dei agnoscit Paulus, cum illa scribit ad Colos. Christum annuntiamus corripientes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo & laboro, certando secundum operationem eius, quam operatur in me in virtute.] Christum Seruatorem mundi prædicare, hominum animos à peccatis deterrere, mores eorum ad Euangelij normam dirigere, Christiani concionatoris præcipua munera sunt. In ijs muneribus officijsque exequendis quantum potuerit ex se præstare Apostolus, nonne apertè indicat, cum dicit, profeciſse se & elaborasse secundum operationem virtutis eius, quam in se operatus sit Deus? scilicet quantum hic operis, operæque perfectum est; diuinæ opis est: Deo quippè vires suggerente, præclara illa opera.

Descriptio Christiani oratoris.

1. *Apolog.*

Act. 9.

Orator est instrumentū Dei.

Cap. 10.

Cap. 1.

ra omnia perfici certum est: homo instrumenti instar, Deo agente atque impellente, mouetur. Id ipsum verò nobis idem Apo-
2. Cor. 5. stolus planiùs explanat. Pro Christo, (inquit) legatione fungimur, tamquam, Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.] Ecquis enim non hinc intelligat, concionatorem sic administrum, & adiutorem esse Dei, planè vt ex ore hominis loquatur Deus, vt ipsa concionatoris oratio, hortatio quædam sit & admonitio Dei? Quid enim aliud illa sibi verba volunt, (Tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo) nisi concionatorem sic à Deo legari ad homines, vt non tam concio-
Deus per cõcionatorem agit. nator, quàm Deus ipse reconciliandæ pacis auctor atque hortator esse censeatur? Primo quidem Deus Christum Vnigenitum filium suum misit in terras, vt pacis fœdus cum hominibus feriret: deinde Apostolos, cæterosque concionatores legatos misit, vt pacem confirmarent, diremptam redintegrarent. Igitur auctor princeps, & Dux pacis Deus est; Concionator Dei legatus est, interpres, internuncius, pacis sequester, adiutor & administer. Breuiter dicam, concionator vocale instrumentum est Dei, & organum cæleste, in quo diuini modu-
Is. 40. lamen resultat oraculi, & Dei Spiritus intus operatur. Isaias Ioannem antecursorem Domini, veterum Prophetarum cõcionatorem maximum, non dubitauit vocem appellare vociferantis in solitudine, & vias Domini præparantem, hoc est, hominum animos à vitijs ad Deum reuocantem, tumentia & elata Pharisæorum corda, veluti montes, deprimentem, contempta & abiecta, quasi valles, extollentem & ad sublimiorem statum euehentem. Talis vox est concionator, cuius vocis mu-
Bonau. l. 4. phar. c. 34. nia quæ sint, nosse si cupias, Audi Bonauenturam ex Gregorio & eadem verba habet Dionysius Papa. Sit (inquit) lin-
Dion. epist. ad Seuerũ. gua nostra bonis fomentum, malis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortatu succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos cõsoletur, vt qui Doctores dicimur, viam salutis gradientibus
De doctr. Christiana lib. 4. initio. ostendamus. Similia his Aug. qui benè, personam, officium, ac finem concionatoris ita describit. Debet (inquit) diuinarum rerum tractator, & doctor, ac debellator erroris, bona docere, mala dedocere, atque in hoc opere sermonis conciliare auersos, remissos erigere.]

Exempla oratorum. Tale munus in veteri testamento omnes Prophetæ exercuerunt, inter quos eximij Isaias & Hieremias, quorum alter, post pur-

purgata labia ignito zeli diuini carbone, à Deo ad prædicandum missus, ait. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo.] Alter ab vtero matris necdum natus, ad hoc tamẽ destinatus, audiuit à Deo quid sibi oneris imponeretur: Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & dissipes, & disperdas, & ædifices & plantes. In nouo autem testamento, præter Apostolos, aliosque Apostolicos viros, optimum concionatorem referunt Timotheus & Titus, quos ad Dei verbum disseminandum Paulus elegit. Hos autem idem Apostolus sui muneris sæpè ac multipliciter commonet. Ad Titum: Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam. & postquam Christi gratiam Saluatoris nos erudientis proposuisset, & charitatem eius erga nos commemorasset, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum; concludit: Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio; nemo te contẽnat. Ad Timotheum verò: Hoc præceptum (inquit) commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedẽtes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam cõscientiam. Et iterum. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ; hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Rursus. Noli erubescere testimonium Domini nostri, sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione sua sancta. Addit. Tu verò permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi, quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Denique. Testificor coram Deo, & Iesu Christo &c. prædica verbum, insta &c. Et infert: Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto.

Isa. 50.

Timotheus & Titus.

Cap. 2.

Ep. 1. c. 1.

Ep. 1. c. 4.

Ep. 2. c. 1.

Ep. 2. c. 3.

Cap. 4.

Quænam Oratori circa munus suum consideranda sint. Cap. VII.

EX his quæ diximus, quem optimè institui cupimus concionatorem diligenter monitum velim, vt ad sui officij partes sæpè animum aduertat, atque attenta meditatione crebrò in memoriam reuocet, quid sibi muneris à Deo sit iniunctum. qua in re, quatuor hæc capita sibi proponat: Primum, se ad illud officium à Deo esse destinatum, in quo de ipsius Dei Gloria,

Gloria Dei.

gloria, & honoris existimatione maximè agitur, ità vt per ipsum concionatorem fiat, vt Dei gloria magis, aut minus augeatur & illustretur. Neque enim obscurum cuiquam esse potest, tanti ferè æstimari Deum, eundemque tantoperè coli; quantoperè per bonorũ prædicatorũ studiũ; zelũ, industriã, ad verã pietatem, religionemq; publicis concionibus populus incitatur & impellitur. quod non ideo dicimus, vt aliorum Dei ministrorũ vel excludamus, vel deprimamus operam; sed quia reuera, vt ex capitibus etiam consequentibus apparebit, pietas publica valde ex idoneo Prædicatore pendet, cum nemini dubium sit, illud Pauli esse verissimum. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? quomodo autem credent sine prædicante? Itaque ex Prædicatore hoc valde pendet, tanquam Dei primi agentis administro. Secundò: se ei muneri dicatum intelligat, per quod gratia Saluatoris, ac Redemptoris nostri, humano generi communicata intelligitur, atq; vnigenitus ille, & singulariter à Patre dilectus ametur, in quo omnes suos thesauros reposuit, in quo sibi placuit omnia reconciliare, siuè quæ in cælis, siuè quæ in terris. Tertiò: sæpe mente reuoluat, in hoc vnum se intentum esse oportere, vt multos per suam prædicationem à peccatis liberatos, Deo restituat, seque ex eorũ esse numero recordetur, quibus dicitur: Faciam vos fieri piscatores hominum: vt se ipsum saluum faciat, vnaque secum quamplurimos. simul perpendat, quantum sit malum sempiterna illa gehennæ pœna, quantum bonum sempiterna cæli gloria, & hinc ponderet sui muneris grauitatem, cum sua opera, ne in eam pœnam multi deijciantur, & vt ad illam gloriã perducantur, possit tamquam minister efficere. Quarto: vt perspiciat, & seriò animaduertat, suum hoc ministerium versari in verbo Dei promulgando, quod tamquam gladium sibi à Deo datum accepit, vt in eo militet bonam militiam, sibique dictũ putet, quod olim fortissimo Machabæo: Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei.

Ad Rom. c. 10.

Gratia Saluatoris.

Salus animarum.

Verbum Dei.

2. Mach. c. 15.

Tria rursum Oratori attendenda.

Posset præterea ex allata descriptione, hæc tria etiam capita considerare. Primum, quanta res sit, quantaque dignitas, cooperari Deo, ad eius & Christi Iesu gloriam, in salutem animarum, per ministerium verbi Domini, singulas particulas singillatim expendendo. Secundum, quis ardor animi, quæ contentio ad hanc cooperationem adhibenda sit, cum Deus tantũ operetur, creans mundum, & conseruans, mittens Angelos, mittens & vnicum filium, qui in hoc opere tam multa & fecit,

& per-

& pertulit, sacramenta instituit, gradus Ecclesiæ disposuit, inter quos Doctores, ac Prædicatores grauissimum habent munus, & maximè vtile. Tertium, concipiendus est timor, ne fortè tales effectus vitio nostro impediantur, neuè tantus Dei apparatus, tantaque opera, quantum in nobis est, irrita reddantur. Sedulo etiam quæ cap. seq. & quæ cap. de charitate erga Deum, & de charitate erga proximos differuntur, animo reuoluat, nec vnquam à cogitatione excidere patiatur: immo cõmentatione quotidiana perficiat, vt ea sua sponte, etiam aliud agenti, animo obuersentur. Hæc si seriò cogitet Euangelicus Concionator, omnem adhibebit industriam, ne Deo & sibi, & Ecclesiæ sanctæ desit.

Quanti momenti sit Concionatoris munus ex materia & fine. Cap. VIII.

QVamquam ex his quæ dicta sunt, facilè apparet, quanta sit ministerij huius Euangelici dignitas, quanta in Ecclesiam vtilitas, ac necessitas; tamen, quia maximi interest, diuinum præconem intelligere personam suam: res est planiùs proprièque tractanda. Primum, dignitas æstimari potest ex materia, quam Christianus orator tractat: tum ex fine quem propositum habet; ad hæc ex personis, quarum est proprium id munus: Deinde ex habitu & facultate ipsa, vnde oriri prædicatio debet: denique ex ipsa necessitate, ac fructu. Materia Oratori nostro subiecta est Verbum Diuinum, illo enim ad omnia sua opera vtitur, vt præclarè Chrys. docet dum ait: Medicis corpora curantibus diuersa suppetunt medicamenta, & varij apparatus instrumentorum, & cibi congrui, & aëris mutatio, & somnus: Hic autem tenenda & sequenda est per Euangelicum sermonem doctrina: siquidem hoc demum instrumentum est, hic cibus, hoc aëris temperamentum: hoc medicamenti instar; hoc ignis loco, hoc ferri vice. hoc & iacentem animã suscitamus, & tumescentem compescimus: hoc & superuacua amputamus, & quæ desunt supplemus, cæteraque omnia conficimus, quæ ad animi conferunt incolumitatem.

Materia Concionum Verbum Dei. *De Sacerd. lib. 4.*

Laudes verò admirabiles Verbi Diuini, præter hos effectus, quos Chrysost. enumerat, considerari possunt ex diuinarum scripturarum excellentia, ab auctore, à rebus, quæ tractantur, à veritate certissima, & ceteris huiusmodi. Id ego solum figni ficabo, Eloquij Diuini eam esse dignitatem, seu potius, diuinitatem,

Verbi Diuini excellentia.

Digitized by Google

nitatum, vt Christo ipso interprete, illi, ad quos olim verbum veteris testamenti factum est, Dij sint ab ipso Deo nuncupati, *Ioan.* 10. Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi Dij estis? si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura &c.

Quantum verò prædicatio Euangelica Mosaicæ dignitate præstet, etiamsi in vtroque testamento Verbum Diuinum exstet, docet nos Paulus Apost. in quo multa diligenter perpendi debent. Inter cætera, ex insolita luce, qua Moysis facies refulgebat, cum in tabulis lapideis legem scriptam afferebat ad populum, ministrorum Euangelij interiorem præstantiam colligens, subdit. Quod si ministratio mortis literis deformata, *2.Cor. c.3.* in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quantò magis ministratio spiritus erit in gloria? Lege *Eph. 1.* cap. 1. ad Ephes. & intuere magnificentiam verborum, qua Spiritus sanctus per organum electum, ac familiare sibi, maiestatem incomprehensam mysteriorum nouæ legis exponit: ac dein ceps animaduerte, quæ gentium Doctor subiungit: Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc (quænam gratia, tanta?) gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti abscõditi à sæculis &c. Totum locum verbatim pondera, intelliges profectò quàm præstans, quamque diuina res sit Euangelicus Prædicator, cui tam admiranda & excelsa Dei Sacramenta, tractare, ac promulgare concessum est. Quòd si nihil aliud, certè ipsa Pauli admiratio, qui vt in Cælo doctus, tam intelligens ac peritus erat æstimator, facilè cuiuis persuadere debet, Prædicatoris dignitatem esse omni cogitatione nostra maiorem. Idem ex aliis Apostoli locis luculenter accuratus officij sui admirator intelliget. Res igitur, quæ pro concione tractantur, præstantissimæ sunt, mysteria veteris nouæque legis; thesauri sapientiæ æternæ. Ea quoque, quæ ad informandos fidelium mores pertinent, sunt nobilissima; cũ virtus & perfectio Christiana non solum Philosophicas virtutes, sed etiam legis antiquæ dogmata, tanto transcendat interuallo, quanto terra superatur à Cælo; vt meritò Christi Ecclesia Cœli regnum dicatur, quod Cœlum iam regnet in terra: cœlestesque mores, & cœlestes per Christum inductæ virtutes inter homines dominentur.

Prædicatio Euangelica supra Mosaicam.

Talis igitur cum sit Christiani materia Oratoris consentaneum

neum est etiam finem, quem spectat, vt re vera sit summum esse: qui duplicem amplectitur partem, vtramque summam, & omnium rerum creatarum finem, gloriam scilicet Dei, & animarum salutem. Opus maximè proprium Dei est, suam notam facere gloriam, & cunctis in rebus illam præcipuè sibi habere propositam. Ad hanc non modò Cœli & Firmamentum, de quibus legimus: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Sed planè omnia referuntur, quæcumque molitur ac facit. Ac proinde nulla re ita gratificantur homines Deo, & ad eius imitationem ita propè accedunt, vt eius gloriæ seruiendo. Inter omnia autem, quæ ad laudem & celebritatem Dei nos conari possumus, nihil adeo latè patet, adeoque accomodatum est, vt Euangelica prædicatio. quod cùm multis euidens est argumentis, tùm inter cætera illo, quod genus gloriæ Dei præstantissimum, ipsiq; acceptissimum Deo est, ipsum cognosci: manifestasque fieri immensas eius virtutes ac perfectiones. Explicat hoc eleganter Lactant. his verbis: Quæ vtilitas Deo in homine (inquit Epicurus) vt eum propter se faceret? scilicet vt esset qui opera eius intelligeret: qui prouidentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consumandi, & secum admirari, & voce proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est, vt Deum colat. Is enim colit, qui hæc intelligit: is artificem omnium rerum, is verum patrem suum debita veneratione prosequitur, qui virtutem maiestatis eius de suorum operum inuentione, inceptione, perfectione metitur. Hinc per Oseam. Misericordiam inquit, volui & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta.] Et apud Ioannem Christus Dominus. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.] Ideo tantum celebratur Hostia & sacrificii laudis, quia ex cognitione & admiratione maiestatis, bonitatisque Diuinæ proficiscitur. Sanctus Petrus epistolam secundam exorditur ex cognitione Dei & Christi Iesu: & in eadem ad extremum concludit: Nam principio: Gratia, inquit, vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri, quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem, donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute, &c. In extrema autem clausula, addit: Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi. Sanctus Paulus: Non cesso, inquit, gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens,

Dignitas ex fine duplici.

Psal. 18.

Notitia Dei quam magna res.

Lact. l. 7. Inst. c. 7.

Cap. 6.

Cap. 17.

Ad Ephes. cap. 1.

Digitized by Google

ciens in orationibus meis; vt Deus Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius illuminatos oculos cordis vestri; vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis
Cap. 3. eius in Sanctis. Et testatur se flectere genua apud Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det illis secundum diuitias gloriæ suæ corroborari, & cætera, vt possint comprehendere cum
Coloss. c. 1. omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, &c. Ideo ad Coloss. ait: Et nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali. Hæc cùm ita sint, apparet, quanta sit Euangelici Doctoris præstantia, qui totus in eo versatur, vt cognoscantur Dei magnalia, & debitis laudibus, ac honoribus celebrentur.

Procurare salutē animarū quam magnū bonum.

Altera pars finis Oratori Christiano propositi salus est animarum: hæc æstimetur ex ipsa re. Quid enim est gratia Dei, in qua salus animæ in hac vita consistit? quid est summa illa in cœlo, ac sempiterna fœlicitas, in qua salus consummata post hanc vitam sita est? Quid ex altera parte offensa Dei, & scelera & supplicia æterna? Tantum igitur malum prohibere, tantum curare bonum quid est? Anterus Papa ad Episcopos Bæ-
Epistola 1. post princ. ticæ: Quæ precor (inquit) maior charitas, aut quod efficacius pietatis patrocinium potest à quopiam alicui impendi, quàm si ignorantiæ tenebras, & imperitiæ caliginem ab eo repellat: & veræ fidei pabulo non ad quęstum, non ad ambitionem; sed ad eruditionem, & ædificationem reficiat?] Adijce huc, quæ huius rei causa Deus, Christusque Dominus fecit; tum planè apparebit verum esse, quod ex S. Dionysio circumfertur vulgo axioma: Omnium diuinorum diuinissimum esse cooperari Deo in salutem animarum. Quantum enim esset, posse cooperari Deo in molitione cœli ac terræ? Atqui apud
Ho. 15. in 1. ad Cor. & ho. 55, ad pop. Antioc. Chrysostomum Deus ipse sic loquitur: Feci ego cœlum & terram: eadem conditionis facultate te dono, vt terram facias cœlum: Accendi ego luminaria: accende & tu clariora illis, namque potes his, qui in errore sunt, lumen veritatis accendere. Maius istud beneficium est, quam Solem intueri. hominem facere non vales: at iustum gratumque Deo potes efficere. ego substantiam feci, tu exorna propositum. Vide quàm te diligam, qui maiora tibi faciendi potestatem tribuo.]
Hom. 3. in Gen. Et alibi: Hoc nostræ salutis argumentum erit, & occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti erimus; sed proximo vtiles fue-

fecerimus, ipsum ad viam veritatis ducentes. & vt scias quantum bonum sit, cum salute nostra & alios lucrari, audi prophetam ex persona Dei dicentem: Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris: quid hoc est? qui ab errore ad veritatem (ait) manuduxerit, vel à peccato ad virtutem, proximũ induxerit; me imitatur. Etenim ipse cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, & alia humana omnia sustinuit, & crucem quoque susceptit; nisi vt nos peccato obnoxios liberaret. Prædicatio verò quam sit ad hoc efficiendum proprium & efficax instrumentum, infra significabo. *Hier. 15.*

Dignitas Officij ex persona & varijs donis. Cap. IX.

TErtio loco sacri Oratoris excellentia ex ipsa persona & authore, cui proprium hoc munus est, intelligitur. Is autem primum est Deus ipse. multifariam, inquit S. Paulus, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis, loquutus est nobis in filio. Itaque Deus Pater, qui misit Prophetas, & nouissimè filium, præcipuus auctor est prædicationis, & Deus Spiritus sanctus, qui afflauit Prophetas, & postea repleuit Apostolos, & qui assiduè loquitur in suis ministris: ac Deus Filius, qui coram apparens docuit, de quo Psaltes ait. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Qui de se ipso interpretatus vaticinium Isaiæ, euangelizare, ait, pauperibus misit me. In suprema cœna Patrem alloquens, ego te (inquit) clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam, & manifestaui nomen tuum hominibus: tamquam totum quodammodo opus eius fuisset sacræ prædicationis negotium. Est igitur tamquam auctoris Dei proprium munus prædicandi: ex hominibus autem administros, quamquam possit quos sibi placet assumere, tamen Sacerdotũ vult esse præcipuum, ac Prophetarum, Apostolorum, atque eorum, qui Apostolis succedere; maximè enim in sua Ecclesia vult ad Episcopos pertinere. Consideretur igitur, quid sit, munus obire Prophetarum & Apostolorum, interpretem ac legatum esse Altissimi, tubam Spiritus sancti, linguam & os Dei.

Deus primus author prædicationis. *Hebr. 1.* *Psal. 2.* *Luc. 4.* *Io. cap. 17.*

Præterea dignitas huius muneris potest intelligi ex multis donis Sancti spiritus, quæ vt rectè exerceatur requirit. Nam præter excellentes morum virtutes, eò pertinent dona sapientiæ, scientiæ, sermonis, & Prophetiæ, eius, de qua Paulus loquitur,

Quæ dona ad hoc munus concurrunt.

eur, cum ait: Aemulamini ſpiritualia, magis autem vt Prophetetis. Nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem). Præterea quamuis ad vitam, quæ vocatur Actiua, prædicatio referatur; tamen ex contemplatiua debet oriri tamquam ex fonte; ex quo fit, vt ſummas vtriuſque vtilitates ac laudes amplectatur, & in ſe contineat. Nec ſanè eſt dubium, quin, qui non ad quaſlibet ſolum, ſed ad perfectas etiam debet populum erudire, & incitare virtutes, in eo debeat genus perfectionis valde excellens ineſſe. Ipſa verò prædicationis exercitatio ad perfectionis pertinet ſummam, nempè ad Dei & proximi charitatē. Eius enim eſt (vt loquitur Iuſtinus martyr.) qui homines, aut eius potius, qui Deum charum habet, eos, qui ea reliquerunt & prætermiſerunt quæ ſcire debuerant, admonere: docere ignaros viam ſalutis; ſalutaria præbere conſilia, peccantes corripere, conſolari afflictos, quæ ad opera miſericordiæ quæ ſpiritualia vocantur, ſpectant.] hæc autem ex ſuo munere tractat opera Concionator, ac proinde hæc opera eius ad hanc nobiliſſimam virtutem ex ſua natura pertinēt. Rectè autem Chryſ. Vt anima corpore melior eſt, ita his, qui indigētibus pecunias, & facultates ſuppeditant, maioribus præmijs digni ſunt ij, qui admonendo, & continuè docendo in viam rectam ſupinos & deſides inducunt, monſtrando eis diuinarum virtutum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam.] Beatos pacificos Chriſtus Dominus declarat, quoniam illo donabuntur ſingulari honore, vt præ cæteris filij Dei nominentur: at concionatorum eſt odia extinguere, lites cohibere, & nequam homines non modò inter ſe, verum etiam cum Deo reconciliare. quod cum ſuerit adeo proprium filij Dei munus, haud mirum eſt, ſi, qui illius præcipuè imitantur opus, dignantur & nomine. Clemens Alexan. loquens de ſpirituali agricultura, cum duplicem eſſe dixiſſet, & ſcripto, & pronunciatione, Vtrouis (inquit) modo Domini operarius, præclarum frumentum ſeminauerit, & ſpicas auxerit, & meſſuerit; iure diuinus apparebit agricola. Operamini (ait Dominus) non cibum qui perit, ſed qui manet in vitam æternam: ſumitur autem nutrimentum & per cibos & per verba.] Denique, quot ſunt virtutes, ad quas Concionator populum adhortatur, (quæ plane ſunt omnes) ad totidem eius prædicatio ſpectat: vt non poſſit non eſſe præſtantiſſimus labor, qui ex adeo præclaris fontibus manat.

l. de Monarcha initio.

Opus prædicandi præcellit operibus miſericordiæ corporalis.

Hom. 3. in Gen. Et Hō. 25. in act. Ap.

In 1. lib. Strom.

Quan-

Quanta sit prædicationis necessitas in Christiana Republica. Cap. X.

POstremò quanta se explicabit ministerij huius amplitudo, si necessitatem eius & efficaciam, & quam affert vtilitatem consideremus! Necessitatem quidem D. Paulus ex illo Isaiæ dicto colligens, Domine quis credidit auditui nostro? *Is. 53.* Quomodo, inquit, inuocabunt eum, in quem non crediderunt? *Ro. 10.* aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Quare merito exclamat; Quam *Is. 40.* speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Magnum est hoc Pauli argumentum ad summam nobilissimi huius officij necessitatem demonstrandam; quàm enim est fides necessaria ad salutem, cum ea sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei; tantam significat verbi & prædicationis esse necessitatem: sed hæc est instrumentum ad fidem, fides autem totius iustificationis basis ac fundamentum. Quæ, quãquam in eos populos propriè conueniunt, qui nondum Euangelium audierunt; tamen ad omnes homines aptè, vereque transferri possunt: nam fides vndè seritur, indè conseruatur & crescit. Procul dubio fidelibus præerant ij Presbyteri, ex quibus Paulus docet, maximè honorandos, qui laborant in verbo & doctrina. Quo loco Chrys. Vbi modò sunt qui dicunt, sermone ac doctrina opus non esse? quandoquidem tanto studio Timotheum Paulus admonet; Hæc meditare, in his esto?] Et infra; Sed fortè dices, vt philosophiam vitæ doceat exemplo: Friuola hæc sunt, est enim necessarium verborum quoque magisterium &c.

Necessitas prædicãdi ex necessitate fidei.

1. ad Tim. c. 5. *Hõ. 5. in c. 5. 1. ad Tim.*

Sed vt necessitas simul & vtilitas planius intelligatur, animaduertendum est; sicut facultas Oratoria sæcularis, administra politicæ, ponitur à doctis, per quam Respublica suam adipiscatur felicitatem, ac seruet; ita prædicationem Euangelicam Christianæ Reipub. atque totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, ad sunm altissimum ac supernaturalem finem consequendum generale quoddam instrumentum esse, ita, vt quod S. Iacobus de lingua pronunciat, huc possit transferri, ac dici: Lingua oratorum frenum est & gubernaculum totius Reipublicæ. Ad suauem enim imperij rationem Deus cum voluisset alios homines ab alijs edoceri, ac regi, indidit omnibus mentem, mirificè appetentem, ac sequacem veri bonique, præsertim vbi

Iac. 3.

Prouidentia Dei instituẽtis prædicationem.

Digitized by Google

illa accommodata oratione proponuntur. & quoſdam præcipuè cùm intelligendi luce, tùm eloquendi facultate ornauit,
Exo. 4. per quos edocerentur cęteri, ac regerentur. Moyſes ne populi hebraici adminiſtrationem ſuſciperet, nihil apud Deum magis excuſabat, quam linguæ impedimentum, tamquam non eſſet aptus ad gubernandum, cui gubernaculum promptum nõ eſſet: at Deus, qui innumerabilibus modis poterat impedimento illi occurrere, vt ordinem quàm congruentiſſimum humanæ naturæ ſeruaret; iuſſit ſecum hominem eloquentem aſſumere:
Exo. 4. Aaron, inquit, frater tuus Leuites, ſcio quod eloquens ſit, ecce ipſe egredietur in occurſum tuum, vidensque te lætabitur corde &c. Et ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuũ. In Euangelica lege cum eſſet tota cœleſtis, ita linguis etiam cœleſtibus opus fuit. Itaque cum illam ipſum Verbum Patris ore ſuo benedicto promulgaſſet, & reuertens in cœlum rudia Apoſtolorum pectora, quos prædicare Euangelium omni creaturæ iuſſerat, imperitasque linguas reliquiſſet; miſit in eos Spiritum ſanctum in quadam quaſi pluuia ignearum linguarum,
Spiritus ſanctus in linguis. & donorum flumine plurimorum, vnde myſterij abſconditi à ſæculo, quod tum reuelabatur in mundo, prædicatio expedita & efficax redderetur. Indè enim in Eccleſiæ exorientis primordijs tam cõmunia fuere chariſmata illa linguarum, ſermonis, ſcientiæ, ſapientiæ, prophetiæ, quia maiori indigebat cura Eccleſiæ adhuc naſcentis infantia; lectioreque cibo, & quaſi demiſſo cælitus lacte nutriri debebat. Cæterum vbi paulatim corroborata eſt, & myſteria Euangelij ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Theologis, ſatis explicata ſunt, eodem nutrita eſt diuini ſermonis pabulo: Sed ſingularia illa Sancti ſpiritus Dona, & quaſi blandimenta ſenſim ſubducta ſunt, vt quod antè gratis concedebatur, iam etiam donaretur induſtriæ. Ex quibus conſtat; Deum, quod in humana Repub. vult eſſe rectæ adminiſtrationis adminiculum, orationem ac linguam; idem eſſe in hac ſua diuina velle. Quod ſi tantum in prophanis rebus vis dicendi poteſt, quantum valebit in ſacris, vbi verbum diuinum tractatur, penetrabilius omni gladio ancipiti; & is, qui præci-
Eccleſ. 6. 12. puè id tractat, ac verſat, ipſe eſt Deus? Verè Eccleſiaſtes pronunciat, Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore vno.
Cap. 12. In Prouer. lingua ſapientũ ſanitas dicitur; & Vena (id eſt fons)
2. Mach. 15. vitæ os iuſti. Iudas Machabæus, vt ſacra refert hiſtoria, cum Hebræi ab hoſtibus premerentur, ſingulos illorum armauit,

non

non clypei, & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis, & exhortationibus: vndè factum ſubiungit, vt ſtatuerent dimicare, & confligere fortiter. Nec ſanè poteſt dubitari, quin multis locis Prædicatorum ſeu vitio, ſeu inopia, paulatim ſancta religio, vel deprauata ſit, vel extincta.

Hinc eſt quod pro grauiſſimo ſupplicio Deus comminatur cœleſtis doctrinæ penuriam. Amos, ecce dies veniunt dicit Dominus, & emittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi Verbum Domini, & commouebuntur à mari, vſque ad mare; ab aquilone vſque ad orientem, & circuibunt quærentes nomen Domini, & non inuenient. Et grauiſſimè Iſaias; Obſtupeſcite, & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino, mouemini & non ab ebrietate. Quorſum tantus ſtupor, & exanimatio tanta? quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritũ ſoporis: claudet oculos veſtros, prophetas, & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet. Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati: quẽ cum dederint ſcienti literas, dicent, lege iſtum; & reſpondebit, non poſſum, ſignatus eſt enim: & dabitur liber neſcienti literas, dicetur que ei lege, & reſpondebit, neſcio literas. & dixit Dominus, eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me, cor autem eius longe eſt a me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: Ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo, miraculo grandi & ſtupendo: Peribit enim ſapientia a ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur.

Inopia prædicationis magnum flagellum. *Cap. 8.* *Cap. 19.*

Quanta vtilitas ex prædicatione. *Cap. XI.*

AT ex altera parte bonorum copia Euangelizantium, eſt populorum ſumma fœlicitas. Nam ſicut omnia virent, florent, ac matureſcunt in terra cum tempeſtiuis è cœlo imbribus irrigatur: ita vniuerſa Sancta floret Eccleſia, ac ſingulæ eius partes aluntur, eduntque fructus, cum opportuna præſto eſt irrigatio rectè docentium. Nam Prædicatorum opera omne tempus, omne hominum genus, omnem omnium vitam, & facta complectitur. Itaque iure optimo, S. Paulus ſe non baptizare, ſed euangelizare miſſum dicebat: & Apoſtoli negabãt bonum eſſe miniſtrare ipſos menſis, & relinquere verbum Dei; & adoleſcenti volenti patrem ſepelire, dicitur, dimitte mortuos, ſepelire mortuos ſuos: tu verò vade & annuncia regnũ Dei;

1. Cor. 1. *Cap. 6.*

Digitized by Google

Dei; nimirum quia hæc opera non ſolum genere ſuo inferiora ſunt, quam prædicatio, ſed etiam quia peculiaria ſunt, & certos intra fines incluſa prædicatio autem latiſſimè ſeſe fundens ad omnia pertinet; Tum, quæ ſpiritualia, tum quæ corporalia vocãtur miſericordiæ opera efflorescunt cum bonos habet Ecclesia hortatores. Tum virginum integritas, caſtimonia coniugum, patientia pauperum, diuitum miſericordia, ſacerdotum religio, inferiorum obſequium, Præſidum iuſtitia, tum denique omnes virtutes lętiſſimè proueniunt. Apparet Ecclesiæ adhuc In mundo poſitæ forma ac ſpecies beatę patriæ ſimil lima, cum verbum Dei, cum diuinus ille ros ac ſuccus, per ido nea concionatorum organa, in ſingula membra apte, copioſeque diuiditur. Hinc propria laus Euangelij eſt abundantia doctrinæ cœleſtis allata, per Spiritum ſanctum per Ioelem deſcripta: & apud Iſaiã pollicetur Eccleſiæ Deus daturum ſe ei vniuerſos filios doctos a Domino. Has omnes ob cauſas tam multi ſunt in Prædicatoris munere commendando ſancti Patres, quorum ſuperſedeo proferre ſententias. Illud modo lectorem precor, vt inter alia, magni Gregorij (nec longus erit labor) expoſitionem ſuper Cantica perlegat, & animaduertat, quam multa ex ſacris illis Symbolis ſanctiſſimus & grauiſsimus Doctor de Prædicatoribus appoſite, ſcienterque interpretetur. Eos ferculum Salomonis, columnas argenteas, ſponſæ collum, & monilia, & oculos, & genas, & labia, & dentes, & vittam coccineam, & vbera dicit eſſe. Eoſdem Turrim Dauid, cuſtodes murorum, columbas iuxta riuulos aquarum, pigmentarios conferentes areolas, labia ſponſi, ac lilia ſtillantia myrrham primam, & alia: in quibus præter ea quæ Sanctus Doctor exequitur, potes animaduertere hæc. Quemadmodum columnæ totam ædificij molem impoſitam ſuſtinent, ac dentes toti cõpori cibos mandunt, & oculi omnibus membris lucem præferunt: ita Doctoris Euangelici opera (quod paulò ante dicebam) ad omnes Eccleſiæ ordines, ad omne tempus, & omnia perſonarum genera permanant: adeo vt non ſicut in pleriſque alijs ſacris miniſterijs enenit, aliqua ſolum pars, aut huius myſtici corporis membrum aliquo certo tempore, ſed omnia omnino, ac ſemper illo debeant ſacrorum concionatorum præſidio ſuſtineri, ali, ac perfici.

Prædicatio Eccleſiam fœcundat.

Cap. 54.

Symbola Prędicatorum.

Diſſi-

Difficultas officij. Cap. XII.

SEd quàm est præstans, ac diuinum concionandi munus, tã est difficile ac periculosum, nisi rectè administretur. Difficultas ex triplici capite oritur, ex Oratore, Concione, Auditoribus. In Oratore multa sunt & magna, quæ requiruntur vt saltem mediocriter huius loci authoritatem retineat. Quod ad naturæ dona & ornamenta pertinet, ingenium requiritur perspicax, acre iudicium, memoria ad retinendum tenax, naturalis quædam facultas ad dicendum, quam experimur quibusdam à natura inditam, per quam non solùm libenter audiantur, propter eum quo pollent in dicendo leporem; sed etiam efficaciter ita loquantur, vt & perspicuè doceant, & moueant vehementer, & animos eò quo tendit oratio inflectant. Desideratur lingua si non planè volubilis, certè soluta, vox virilis, & clara, non effœminata, non obtusa, quæ possit in plena concione exaudiri. Fauces quoque ac firma latera ad vocis contentionem, vbi vsus requiret. Præterea integra corporis habitudo, & oris dignitas, ideſt, species ad aspectum, decora & grauis. Præterea spirituale quoddam, vt vocant, talentum ad dicendum, quod D. Thomas inter gratias gratis datas numerat, & gratiam sermonis appellat. De qua in Ecclesiastico dicitur: Lingua Eucharis (id est gratiosa) in bono homine abundabit, secundum quam Spiritus sanctus mouet linguam Concionatoris excellentiori modo ad eadem illa tria. scilicet, docendum, delectandum, & flectendum animos, quam vel natura, vel ars Rhetorica valeat.

Quàm multa in Oratore requirantur naturæ dona.

Talentũ concionandi.

Eccl. c. 6.

Præterea postulat hoc officium, quod ad morum disciplinã spectat, hominem non solùm eximia prudentia ornatum, sine qua multa dicet, quæ à viris cordatis censoria virgula notabuntur; sed præterea sinceris & incorruptis moribus præditum, omni virtutum splendore insignem, quippe qui in loco superiore positus, in omnium oculis sit; hominem, inquam, qui expurgatum animum habeat ab omni cupiditate, ira, odio, ambitione, auaritia; eum denique qui in peruersas cupiditates ita dominatum teneat, vt cum magna mentis tranquillitate ac libertate, alios ad virtutes instruere, & vitia reprehendere possit. Quæ autem, & quantæ sint præcipuæ virtutes, quibus, qui suggestum ascendit, præditus esse debeat, scire si cupis, audi Bernardum. Quanta, inquit, infundenda sunt, vt effundere audeamus, de plenitudine, non de penuria largientes?

Morum integritas necessaria.

Virtutes in Concionatore ex Bernar. serm. 18. in Cant.

tes? Respondet: Primum quidem compunctio; secundo deuotio: tertio pœnitentiæ labor; quarto pietatis opus; quinto orationis studium; sexto contemplationis otium; septimo plenitudo dilectionis.] Magna hæc sunt, & quis audeat hæc alios docere, quæ in se ipse non didicit? & magistrum ac ducem se præbere alijs earum rerum, quarum ipse sit imperitus?

Hom. 10. in 1. ad Tim.

Nam idcirco nos (inquit Chrysost.) ille elegit vt simus, quasi luminaria, vt veluti fermentum euadamus, vt magistri cæterorum efficiamur, vt veluti Angeli cum hominibus versemur, vt tamquam viri cum pueris, quasi spirituales cum animalibus.] Quanta verò esse debet eruditio, ac sapientia eius, qui Doctoris Euangelici munus sibi assumit, ac tacentibus omnibus, deque eius ore pendentibus solus loquitur è loco superiore? qui scripturas sacras, tam graues, tam multiplices, tam difficiles tractat, quæ nec sine Spiritu sancto, nec sine magno studio intelligi & explicari possunt?

Scientia.

Difficultas ex parte orationis.

Ipsa verò concio & oratio, quantas secum affert difficultates? vt solerter inueniat orator quæ dicat; vt seligat prudenter; vt inuenta suo quæque loco aptè, quasi milites in acie, peritus collocet Imperator; vt decore & composite quæ disposuit eloquatur? Stylus est omnium difficillimus. Vt enim ait Cicero, opus est magni laboris, quem plerique fugimus: actio ipsa non est sine sudore: sæpe qui dicturus est, non est bene affectus ad dicendum ex aliqua animi, vel corporis ægritudine. Adde ipsos Auditores; quibus posse persuadere quod volumus, qui est finis concionis, quàm ardua res est, quàmq; difficilis, cùm sæpe praua ingenia suopte naturæ vitio repugnent? Adde tam multa, & grauia scelera, atque hominum peccata, quibus infelix hic mundus redundat, & diuinæ gratiæ aditum obstruit, etiam ipsiusmet testimonio Veritatis: Spiritus, inquit, veritatis, quem mundus non potest accipere: Et tamen laborandum est omnino concionatori ad hunc finem, vt velint homines, quæ prius nolebant, atque detestentur quæ prius amabant. Non deerunt etiam ex ipsis auditoribus, qui concionatori obtrectent, eundem insectentur, criminentur, maledico dente carpant, de quo Christus suos monuit Apostolos: Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Chrysostomus explicans Euangelici Doctoris labores, ait: Est enim plurimorum sermonibus obnoxius, alius culpat, alius laudat, alius vellicat, alius memoriam, alius compositionem vitilitigat, magnaque illi constantia ad hæc toleranda opus est.

1. de Oratore.

Ex parte auditorum.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

l. 3. de Sac.

Proinde

Proinde oportet eum vsquequaque virtutibus instructum esse & zelo Dei munitum, vt possit omnia æquo & forti animo superare.

Periculum in concionatoris officio. Cap. XIII.

ACcedit ad operis difficultatem etiam periculum, quod duobus generibus concionatorum imminet. Primum ijs, quorum mores, & vita, verbis & officio non respondent, quos grauissimæ pœnæ manent: Primo propter excellentiam personæ, quam sustinent: Deinde propter damnum, quod Ecclesiæ afferunt. Postremò, quia inexcusabiles sunt: nam quo grauior est concionatoris persona, eo maior innocentia requiritur. Legatus Dei est, quid pœnæ meretur si fidem fallit? si ladit eum a quo sic honoratur, & de prædicatore fit proditor? est in Ecclesia oculi loco ne dentium, non potest sine iactura totius corporis lucem vltro abijcere, ac fieri tenebrosus, vel in cibis parum salubribus occupari. Est instrumentum ad conuertendos populos, si cursum influentis gratiæ diuinæ impediat, si sanguinem Christi inutilem reddat, si æterna salute priuet, quos potuisset saluare, quantum denique crimen est? Summa populorum pœna est cum Prædicatoribus carent, vti supra dicebamus; Quid si per ipsosmet concionatores hæc populis damna afferantur? & paruulis petentibus panem, non sit qui frangat, sed potius qui lapidem porrigat?

Triplex periculum.

In Prædicatores malos.

Quam verò possunt excusationem suarum culparum afferre? Seruus qui scit voluntatem Domini & non facit, vapulabit multis: quid? qui non solum scit, sed etiam prædicat? Sanctus Paulus eos arguens, qui, cum per ea quæ facta sunt, Deum cognouissent, non tamen tanquam Deum glorificauerunt, ac pœnam eius culpæ horrendam exponens, subdit, propter quod tradidit eos Deus in reprobum sensum &c. Quid igitur fiet his, quibus & lux Euangelica ita affulsit, vt possent dici lux mundi? Væ Sali, quia si infatuatum fuerit ad nihilum valet vltra, nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Væ Scribarum & Phariſæorum imitatoribus, qui alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere: qui dicunt & non faciunt, imò contra, quam dicunt, faciunt. Pondus & pondus, mensura & mensura, si vsquam, hic certè maximè abominanda sunt apud Deum, cum iniqui diuini verbi præcones, aliter dicta, aliter facta sua dispen-

Luc. 12.

Rom. 1.

Prou. 20.

diſpenſant; qui certè ex ore ſuo condemnabuntur. Nam verè
Rom. 1. Diuus Paulus, propter quod (inquit) inexcuſabilis es, ò homo,
omnis qui iudicas (& in pari cauſa eſt concionator) in quo
enim Iudicas alterum, te ipſum condemnas. Certum apud om-
nes illud ſit. Cum prædicatores ea proferunt quæ ſeruare cõ-
temnunt, veritas, ſic linguam mouet, vt feriat vitam, quatenus
31. Mor. c. 11. ſibi ipſis & verbis fiant iudices, & factis acouſatores. Greg.
quid inquit prodeſt bene loquendo alios accendere ſi ſemetip-
ſum indicat malè viuendo corpuiſſe.] Hi certè Architopheli
& Vriæ fratres ſunt; ille diſpoſita domo ſua laqueo ſe ſuſpen-
dit, aliis conſulens, ſe ipſum negligens; tales qui conſilio ac do
ctrina alios iuuant, ſe ipſos perdunt: alter, epiſtolam deferebat
Hom. 43. in Matth. ſuam mortem & exitium continentem. Chriſoſt. item, ſi be-
ne vixeris (ait) & bene docueris omnium iudex es, ſi autem
bene docueris & male vixeris, tui ſolius condemnator es:]
Pſal. 49. Aduerſus huiuſmodi concionatores quam acriter Spiritus ſan
ctus inuehitur? Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis te-
ſtamentum meum per os tuum, tu verò odiſti diſciplinam, &
proiecisti ſermones meos retrorſum? exiſtimaſti inique quod
ero tui ſimilis? arguam te & ſtatuam contra, faciem tuam.
Scilicet te cõtra temetipſum, vt accuſet prædicatio tua vitam
tuam, atque condemnet. Neque mirandum, quod tantum Dei
Spiritus in huiuſmodi Doctores excandeſcat: Nam præter-
quam quod ſuæ vitæ peſſimo exemplo populos à Deo auocant,
etiam magnum detrimentum inferunt diuinæ legi, quam præ-
dicant, omni virtuti, ac veritati auctoritatem detrahentes. Eſt
l. 10. Mo- ral. c. 1. enim certiſſima Ariſtotelis ſententia, quæ docet, ab his qui nõ
perinde viuunt, vti loquuntur, tolli, & vt eſt Græce, interimi
veritatem. Hæc cogitans momentisque ſuis accuratè ponde-
rans Paulus, qui vir & quantus? caſus extimeſcebat humanos,
1. Cor. 9. & illa dicebat; Propter quod caſtigo corpus meum & in ſerui-
tutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim ipſe reprobus
efficiar. Atque vtinam nullos vnquam vidiſſemus, vel audiſſe-
mus egregios alioquin, & celeberrimos dicẽdi magiſtros, dum
negligunt vitam rectè inſtituere, etiam ſanam abieciſſe doctri-
nam, & miſerabili naufragio religionem ſimul ac fidem perdi-
diſſe. De prauis concionatoribus nihil verius dici poteſt, quã
Epiſt. 108. quod de malis Philoſophis affirmat Seneca: Nullos peius me-
reri de omnibus mortalibus iudico, quam qui Philoſophiam
velut aliquod venale artificium didicerunt: qui aliter viuunt,
quam viuendum eſſe præcipiunt. Exempla enim inutilis diſci-

plinæ

plinæ ſe ipſos circumferunt.] Et ſtatim comparat eos Gubernatori nauis inter fluctus maris nauſeabundo. Tenendum eſt (inquit) rapiente fluctu gubernaculum; luctandum cum ipſo mari, eripienda ſunt vento vela; quid me poteſt adiuuare rector nauigij attonitus, & vomitans? quanto maiore putas vitam tempeſtate iactari, quam vllam ratem? Non eſt loquendū, ſed gubernandum:] & addit optimè, omnia quæ dicunt aliena ſunt. dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chryſippus, & Poſſidonius, & ingens agmen tot ac talium. Quomodo probare poſſunt ſua eſſe: monſtrabo: faciant quæ dixerint.] Sic egregie Seneca. Poſtremò quæ in falſos Prophetas diuinæ literæ comminantur, eadem in hoc genus concionatorum ferè cōueniunt. propter hæc quæ dicta ſunt rectum eſt magni Gregorij iudicium, Quia (inquit) difficile valde eſt, purgatum ſe quemlibet poſſe cognoſcere, prædicationis officiū totius declinatur. Addit autem, Nec tamen declinari pertinaciter debet cum ad ſuſcipiendum hoc ſuperna voluntas cognoſcitur.] *1. par. c. 7.*

Secundo, idem periculum eamdemque pœnam timere poſſunt, qui ita ſuas conciones inſtituunt, vt non ad ſalutem animarum eas dirigere videantur: ſed vel ad laudem ſibi comparandam, vt non tam Chriſtum, quam ſe ipſos magnificari velint, vel ad lucrum captandum: vt non tam numerent animas quas Chriſto aggregauerunt, quam eleemoſynas & ſtipendia quæ ex concionibus corraſerunt. Eiuſmodi ſunt, qui conciones varijs doctrinis inferciunt, vt vix locus detur ad mores inſtituēdos ad vitia expurganda niſi valde leuiter, & ſine effectu; & hi qui nomen eloquentis affectantes orationem totam tot floſculis ornant, vt vix vllus fructus appareat: & hi qui vt Greg. ait tantum afferre ſoliti ſunt, quæ auditorum corda ad rependendas laudes excitent, non autem ad lachrymas accendant. Huc pertinent ij, qui maximè probari volunt his qui dicunt, loquimini nobis placentia & audiemus vos; aures titillant, ſolam ſibi dēlectationē proponunt, vt poetæ aliqui atque hiſtriones. Quos omnes adulterare Dei Verbum docet S. Paulus & Greg. Adulter (ait) non prolem, ſed voluptatem quærit, ita vanæ gloriæ ſeruiens prædicator, rectè adulterare Verbum Dei dicitur, quia per Sacrum eloquium non Deo filios gignere, ſed ſuam ſcientiam deſiderat oſtentare.] Ego de vtriſque ſimul ſententiam ſi proferre velim, dixerim id quod Aug. ait. Nihil eſſe in hac vita & maximè in hoc tempore lętius, facilius, & acceptabilius hominibus, Epiſcopi, presbyteri, & diaconi officio ſi perfun-

In eos Prædicatores, qui non ad fructum prædicant. *S. Mor. 26* *8. Mor. c. 25.* *Ep. 148. ad Vul.*

perfunctorie atque adulatorie res agatur; Sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Contra verò inquit, nihil in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, ac periculosius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; Sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet. Subscribit Augustino Beda, Sicut (inquit) pastores, qui bene administrant, bonum gradum sibi acquirunt; & presbyteri, qui bene præsunt, duplici honore digni habētur; ita qui officium docendi sibi indoctus, & ineptus vsurpare tentauerit, vel Christi doctrinam non sincere annunciauerit, maius iudicium damnationis meretur, quam si solus in suo scelere periret. Hæc verò quæ a me dicta sunt de difficultate, ac periculo, non debent eos deterrere, qui ex obedientia Superiorum hoc munus exercent. Nam si opus difficile, certè difficilia quæ pulchra; atque vt periculi sint immunes, vera cordis humilitas faciet, sincera gloriæ Dei, ac animarum salutis intentio, oratio ad Deum cum magna mentis fiducia, adhibita diligentia in studio præsertim sacrarum scripturarum, ac meditatio diuinæ legis, cum magna spe mercedis, quæ bonos Prædicatores manet amplissima.

Epist. 1. ad Timoth. c. 3. & 5.

His positis de natura muneris huius, personam informare, aggrediamur, quæ vt idonea sit, quatuor præcipuè postulat: Primum, Vocationem Diuinam, quia non est Legatus Dei, nisi qui à Deo mittitur. Secundo, vitæ bonitatem, tum scientiam, postremò eloquentiam: quia aptus legationi non est, quem vita deturpat; vel cui mandatorum cognitio, & exponendi facultas deest. De his igitur singillatim agendū nobis est, initio ducto à Vocatione Diuina, quæ totius ædificij, quod molimur, est fundamentum.

Quatuor Cōcionatori necessaria.

De vocatione legitima Prædicatori necessaria, ac primum de Episcopis & cæteris Pastoribus animarum. Cap. XIV.

EST sanè magnum quiddam & egregium, Dei internuntium & legatum agere in Ecclesia sancta, & varios populos diuinorum mysteriorum sacramentis imbuere; veruntamen illud tamquam ratum ac certum statuendum est, neminem nisi vocatum à Deo, ad tantum munus accedere aut aspirare debere. Qui autem vocantur duorum sunt generum; aut enim ad pastoralem simul curam vocantur, aut solum ad verbi Dei prædicationem, nulla præterea animarum procuratione, aut Ecclesiasti-

Duplex genus Prædicatorum.

Digitized by Google

clesiastica dignitate impliciti. Atque vt prius de priore genere loquamur; Qui ad Episcopalem sedem à Deo vocantur, eos certum est legitimos esse Doctores: vnde admonendi sunt qui Episcopatum desiderant, vt meminerint diligenter, oportere Episcopum inter cętera esse Doctorem, ac proinde se ipsi diligenter interrogent & explorent, num ad hoc munus satis habeant animi ac facultatis. Qui verò iam pastorali sarcinæ humeros suppossuere, cohortandi sunt, vt sui pascendi gregis, ecclestis doctrinæ pabulo, curam toto animo complectantur, Et quoniam occasio hic tam grauis tamque seria pro Ecclesiæ totius vtilitate sese offert, puto me rem vtilem facturum, & gratam sanctissimis Ecclesiarum Præsulibus, si non mea authoritate nixus, sed quid hac de re Sacrosancta Cõcilia, quid Canonicę & Apostolicæ scripturæ, quid Sanctorum Patrum, & antiquissimorum Præsulum sententiæ indicent, sincere hic exposuero.

Dico igitur ad tam Illustrem ac diuinam prædicandi prouinciam, sicut in veteri testamento Prophetas, ita in nouo vocatos & electos esse Sanctissimos Christi Apostolos; totius Christiani populi capita, & principes, vt euntes in mundum vniuersum prædicarent Euangeliũ omni Creaturæ, quorum partes agunt (certè agere debent) qui eorum vices in Ecclesia gerunt Episcopi, cæterique Sacerdotes, qui post ipsos, tanquam adiutores ad partem muneris aduocati, & minoribus Ecclesijs præpositi, per diuersa ciuitatum aut dieceseon loca distributi sunt.

De horum omnium vocatione nihil admodum præterea est, quod dicatur; sed solum admonendi rogandique sunt, vt velint rectè intelligere, seduloque considerare, cum animarum curã susceperunt, se humeros huic simul oneri subiecisse: ac proinde pertinere ad se, quos suæ curæ commissos habent, non solum sanctitatis exemplo, sed etiam verbo; atque exhortationibus pascere, atque arctissimam Christo Iudici rationem suo tempore reddituros, si munus id neglexerint: Si vero rectè exequuti fuerint, præmia amplissima relaturos. Cõcilium Trident. sess. 5. cap. 4. & sess. 24. cap. 4. decreuit præcipuum munus Episcoporum hoc ipsum esse, & per se ipsos, nisi graue aliquod subsit impedimentum, teneri gregem suum diuini verbi pabulo sustentare. Concil. Toletanum secundum. c. 2. & habetur dist. 88. cap. Episcopus. Concil. Carthag. 4. c. 2. Remense c. 14. Arelat. sess. 4. cap. 10. Lateran. sub Innoc. 3. c. 10. & sub Leone X. sess. 1. Moguntinum primum. cap. 25.

Episcoporũ propriũ esse munus prædicare probatur ex Concilijs.

Hoc

Hoc autem dogma non humana authoritate nititur, ſed diuinis ſcripturis, & ratione ipſa ita firmatur, vt dubitare nemo poſſit, quin Prælatos ad id, diuinum ius atque adeo naturale obſtringat. Diuus Paulus virtutes multas in Epiſcopo requirit, cum ait, debere eum eſſe hoſpitalem, ſobrium, pudicũ, prudentem, nõ vinolentum, non litigioſum, modeſtum, non percuſſorẽ. Inter has admiſcet, oportere eum eſſe Doctorem; quaſi dicat, vitam omni virtutum ſplendore ornatam Epiſcopo non eſſe ſatis, nam hoc priuatis quoque neceſſariũ eſt: ſed ex officio quod ad alios tendit, etiam ad docendum obligari, vt non ſibi tãtum viuat, ſed aliorum doctorem agat. Itaque Hier. hæc Pauli verba conſiderans, Nihil, inquit, prodeſt Epiſcopum conſcientia virtutum frui, niſi & creditum ſibi populum poſſit inſtruere.

Probatur ex ſcripturis Sacris.

Cap. 10. Similia propè ad Titum ſcribit Apoſtolus, vbi inter vitæ ſanctæ eximios mores, oportere eum eſſe amplectentem, qui ſecũdum doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Et idem præceptum repetens ad Tim. tamquam rem ad ſalutem neceſſariã, Attende (inquit) tibi & doctrinæ, hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. Et rurſum eumdem graniſſimè adiurat, Teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, per aduentum ipſius & regnum eius, prædica verbum, inſta opportune, importune, & quæ ſequuntur, quæ cuiuis timorem poſſent incutere: & ſubdit, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, aperte ſignificans hoc eſſe miniſterium eius, ſcilicet, Euangeliſtæ opus agere, cui ſi deſit, ſui non impleat miniſterij partes; ſicut etiam has duas voces ſimul connectit: Paſtores, & Doctores, vt idem prope ſit, eſſe paſtorem, quod eſſe doctorem. Quam autem ſint grauia verba apud Ezechielem & formidanda Dei ſententia querelis plena, obſecro Epiſcopos, & eos qui ad curam animarum vocati ſunt vt attentè ac maturè contemplentur, ne doleant aliquando ea non opportuno tempore a ſe conſiderata. Nam ſub nomine ſpeculatorum ad Præſules verba faciens, ait, Cum tulerit populus terræ virum vnum, & conſtituerit ſuper ſe ſpeculatorem, & ille viderit gladium venientem ſuper terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: Tunc ſi populus non ſe cuſtodierit, culpa erit populi ex domini ſententia, non ſpeculatoris; at ſi ſpeculator non inſonuerit, populus quidem in ſua iniquitate morietur, at ſanguinem eius de manu ſpeculatoris dicit requirendum. Quid ſit autem buccina perſonare, Deus ipſe explicat.

Cap. 4. 1. Timoth.

2. Timoth. 4.

Ezech. 33.

Audiens,

Digitized by Google

Audiens, (inquit) ex ore meo sermonem annuntiabis eis ex me, & si me dicente ad impium, Impie morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. En quæ sit tuba, quæ buccina speculatoris. Ac Episcopis quidem, apud Isaiã dictum est clarius: Exalta quasi tuba vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum: Quis non timeat, quis non exhorrescat iam, ac imperatus in tot animarum ratione reddenda, quando ante conspectum summi Iudicis sistendus erit & interrogatus obmutescat? Rursum apud eundem Ezechielem cap. sequente adhibet Deus grauissimas minas contra pastores, qui se ipsos pascunt, non gregem: Væ, inquit, pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Et acerbissimas subijcit querelas contra huiusmodi pastores, ex quorum incuria, dolet dispersas esse oues suas summus Pastor Deus, & datas esse in deuorationem bestiarum agri, & dispersas errasse in cunctis montibus, nec esse qui eas requirat; Propterea, inquit, pastores audite Verbum Domini, hæc dicit Dominus Deus, (verba sunt plane timenda pastoribus, cum sint verba Domini Dei omnipotentis, ac iustissimi Iudicis) Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos. Per Hierem. hoc dolet Deus, quod paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis: crudelis omnino spiritualis pater, qui filijs suis esurientibus & famescentibus panem non frangit verbi Diuini, quo animæ sustententur & crescant. Apud Ioelem describitur magna sterilitas agrorum, vineas in desertum positas asserit Deus, decorticatas ficus, & foliis nudatas, deuastatum triticum, confusum vinum, & omnia ligna arida, disperijsse pecora, ingemuisse omne animal, quia non essent pascua eis, & exsiccatos fontes aquarum. Quibus verbis videtur mihi voluisse significare defectum verbi Dei, quo fœcundante & irrigante omnia virescunt, omnia pinguescunt, quo deficiente omnes campos inuadit intoleranda sterilitas.

Cap. 58.

Tren. 4.

Ioel. 1.

Idem probatur ex Patribus. Cap. XV.

COnsentanea his, quæ à sacris Concilijs de officio concionandi proprio Episcoporum dicta sunt, secundum doctrinam Dei, & Scripturarum etiam locuti sunt Patres grauissimi;

nissimi; & hoc negotium meo iudicio acrius vrgent, quàm videantur aduertere aliqui Ecclesiarum Præsules. Meum non est, neque verbo, neque scripto Ecclesiæ sanctæ Antistites docere. Absit vt id mihi arrogem, cùm omni Potius submissione rogem, vt non meis, sed Patrum maximorum verbis animum adijciant, & perpendant, quale sit onus, quod vel ipsi expetierunt, vel ab alijs impositum sustinent: Ego paucorum verbis contentus ero, legant quæso ad quos id ex officio pertinet, quæ Gregorius Magnus proponit. Quid, inquit, nos pastores agimus, qui & mercedem consequimur, & tamen operarij nequaquam sumus? fructus quippe Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, & tamen pro Ecclesia minimè laboramus, pensemus cuius damnationis sit sine labore hic mercedem laboris percipere. Ecce ex oblationibus fidelium viuimus, illa in stipendium animarum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis, fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis ministerio, vt dignum est insudamus: & addit, Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus, locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur, Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus.] vbi multis ac firmissimis rationibus, & scripturæ locis hanc obligationem explicat, quæ videre poterunt qui velint facillimo negotio, & legentem poterit monere Diui Gregorij zelus. Legatur eiusdem Epist. ad Anast. vbi illi Episcopo & Ecclesiæ illius Antiochenæ congratulatur in eius reuersione amantissimus totius Ecclesiæ Pastor idem Greg. Incipit Epistola: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia magnus ille fluuius, qui quondam arentis Antiochiæ saxa reliquerat, tandem ad proprium aluenm reuersus, & subiectas & iuxta positas valles rigat, Iam nunc (inquit) dubium non est multos in eius vallibus flores excrescere, eosq; ad maturos vsque fructus per linguæ vestræ fluenta peruenire; vnde omnipotenti Deo debitam laudem cordis atque oris vocibus, ex omnibus medullis reddimus, & in vestra beatitudine non vobis tantummodo, sed omnibus qui vobis subiacent congaudemus.] Placet etiam ex eodem Gregor. ad Dominicum illa subijcere, Episcopus, ait, semper de hoc prædicationis ministerio cogitet: & statim subdit, Intentissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, talenta

Homil. 17. in Euang.

lib. 4. Regi. Epist. 37.

l. 2. Ep. 39.

lenta seruis distribuens dicat, ne gotiamini dum venio, quod profecto negotium tunc vere nos agimus, si viuendo & loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos quosque cœlestis regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus, si superbos ac tumidos gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus,] & subdit; Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expaueſco & quod accepto regno paterfamilias redeat rationem nobiscum positurus aspicio.] Timebat sibi vir tantus: & addit, Sed qua mente sustineo cui de suscepto negotio animarum, lucrum aut nullum aut pene nullum reporto?] Ambrosius de se loquens, Vobis, ait, quasi liberis tradimus quæ Spiritus sapientiæ manifestauit nobis, cum effugere non possimus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit Sacerdotij necessitudo,]& subdit discendum mihi simul & docendum est, quia raptus de tribunalibus atque administrationis insulis ad sacerdotium, docere debeo quæ antea non didicerã. & tamen necessitatis vinculum agnoscit. Chryſ. Multum, ait, omnino confert ad Ecclesiæ ædificationem, si Præsules doctrinæ gratia polleant, quæ nisi adsit plurima Ecclesiasticæ disciplinæ peribunt.] Quantum vero periculi ipsis Episcopis immineat si huic muneri desint, multis, & grauissimis verbis explicat, & vt solet non solum sapienter, sed eloquenter exaggerat in libris de sacerdotio, quos si quis Episcopatum desiderans volnerit attentius legere ac perlegere, forte imitabitur eiusdẽ Chrysostomi exemplum, qui omnem adhibuit conatum, & fuga sibi consuluit, ne id onus vel opus assumeret, quod & plerique sanctorum fecerunt. Si quis vero iam in Episcopum inuctus est, nec potest fugam arripere, habet vnde sibi & timeat & prouideat, vt animæ suæ interitum effugiat, quia & hoc valde sibi timuisse Chrysostomus affirmat, cuius sanctitatem eam fuisse scimus & ante & post susceptum officium, vt merito admirari omnes debeamus. Idem etiam Chryſ. Sicut, videns (inquit) arborem pallentibus folijs, intelligis vitium esse in radice; Ita si aduertas plebem ac populum indisciplinatum, argumentum est esse defectum in statu Ecclesiastico, ad quem cultura spectat. Sicut si horologium audieris quod perperam horas significet, bene agnoscis culpam esse eius cui cura incumbit; eodem modo peccata populi ijs sæpe adscribuntur qui opportune remedium adhibere debuerant. Et plane cui non appareret manifestissimum id esse in multis Ciuitatibus, vbi populus non docetur à suo Pastore, non admonetur, non corrigitur,

lib. 1. off. c. 1.

Ho. 15. in 1. ad Tim.

homines ibi more belluarum viuere, & Christianos mores in barbaros & infidelium ritus degenerare? cuius maxima causa est, vt dicitur Marci 6. quia sunt oues absque Pastore; & licet non desit Pastor, tamen perinde est ac si non esset, vtinam non habeat locum alicubi illud. O Pastor & idolum. S. Prosper, ille, inquit, cui dispensatio commissa est etiamsi sancte viuat, si tamen perdite viuentes arguere, aut erubescit, aut metuit cum omnibus qui eo tacente perierunt, perit.] Et quidē omne ius & ratio id ita fieri debere agnoscit; Nam si nauis aliqua mercibus onusta male pereat naucleri negligentia, cum suis mercibus, merito omnium reus erit cuius curæ & nauis, & merces, & homines concrediti erant Greg. Tabernaculum Sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur vt videlicet prædicationis voces habeat ne superni inspectoris iudicium ex silentio offendat; scriptum quippe est vt audiatur sonitus quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu domini & non moriatur.] Sunt ait Cyrill. minime obscurum ænigma prædicationis facta ex auro tintinnabula. Addit Hieron. Tanta inquit, debet esse scientia & eruditio Pontificis, vt & gressus eius, & mores, & vniuersa vocalia sint, veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu.] Eadem optime confirmat Nicolai Papæ authoritas, Dispensatio inquit cœlestis seminis nobis iuncta est, væ si non sparserimus, væ si tacuerimus.] Ex quibus apparet mirum esse sane, non sæpe animo discruciari eos qui tot animarum curam gerunt ob incuriam, qua tanti momenti munus exercentes per raro suos ipsi filios, tamquam boni parentes adhortantur, nec valde laborant, si legitime ipsi impediantur, substituere, qui id officij pro dignitate administrent; magisque eligunt concionatores qui verbosæ eloquentiæ, & curiosæ studeant doctrinæ, quam morum correctioni, & animarum vtilitatibus: Mirum inquam mihi est quod seueriſſimum de hac re iudicium subituri non timeant vultum Christi Iudicis ipsos ob neglectum suum sanguinem correpturi; quod non sentiant acres conscientiæ stimulos dum aduertunt se in curanda sancti gregis æterna salute dormitare, cum tamen in redditibus beneficiorum & conseruandis, & augendis admodum se diligentes ostendant.

De Vi. cōt. lib. 1. c. 21.

2. par. c. 4.

Lib. 11. de Ador. di. Epist. 128. ad fab. in fine.

Habetur d. 43. c. 5.

Diuum-

Digitized by Google

Diluuntur quatuor obiectiones. Cap. XVI.

PLacet hic adijcere pauca quædam, quibus, excusationibus aliquorum respondeamus, ne quis friuolis verbis ad sui tegumentum frustra confidat. Ac principio satis apparet, non esse legitimam Episcopi excusationem, si dicat ideo se abstinere a concionandi labore, quod non videat se posse dicendo eã eloquentiæ consequi laudem, quam aliqui magni nominis viri sint assecuti: Non enim debet ad humanam gloriam, & sui ipsius famam hanc muneris sui præcipuam partem dirigere; neque hoc tam eximium, & Apostolicum munus ab humana debet eloquentia, & Rhetorico artificio pendere: esset enim hoc non Christo, sed vanitati seruire, præsertim quod in Prælatis non exigit populus, nisi grauem quandam & nullo modo affectatam eloquutionem, qualis plane patri conuenit filios suos alloquenti. Si sermo ex intimo mentis affectu nascatur, si cum charitate ac zelo sit cõiunctus, sine magnis amplificationibus, sine multa actione, copiosiorem fructum colliget, quam aliorũ conciones, & eruditione plenæ, & eloquentia redundantes pariant. Audiant qui se excusant D. Prosperum satis (ait) posse proficere auditores, si à doctoribus suis, quod vident spiritualiter fieri hoc etiam, simpliciter sibi audiant prædicari dicente Apostolo & si imperitus sermone, sed non scientia vnde datur intelligi, quod non se debeat, Ecclesiæ doctor de accurati sermonis, ostentatione iactare, ne videatur, Ecclesiam Dei non velle ædificare, sed magis se quantæ sit eruditions ostendere] & post pauca subdit. Tãm simplex & apertus, etiam si minus latinus disciplinatus tamen & grauis sermo debet esse Pontificis, vt ab intelligentia sui, nullos quãuis imperitos excludat, Sed in omnium audientium pectus, cum quadam delectatione descendat. Et subdit capite sequenti, Alia est ratio declamatorum, & alia debet esse doctorum, Illi elucubratæ declamationis pompam totis facundiæ suæ viribus affectant. Isti sobrio vsitatoque sermone Christi gloriam concupiscunt.]

1. Excusatio.

l. 1. de vi. con. c. 23.

Deinde neque illud idoneum impedimentum est, si quis multis ac varijs negotijs se distineri affirmet: cum enim inter Prælati munera hoc sit primum maximeque necessarium, alia potius, quam hoc, alijs committenda sunt. Diuus Petrus Cleto, & Lino, multarum rerum administrationem relinquebat, vt ipse Dei verbo vacaret. D. Paulus nec baptizandi quidem opere

2. Excusatio.

Digitized by Google

volebat se à concionibus retardari, cũ se ad euangelizandum, non baptizandum vocatum esse diceret. Idem fecisse scimus antiquos & sanctissimos Episcopos, Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Augustinum, Gregorium, Leonem, & alios. Plane Concilium Carthag. 4. præcipit, ne Episcopus viduarum, ac pupillorum, & peregrinorum gubernationem per se ipsum agat, sed per Archipresbyterum vel Archidiaconum: Et inferius vetat ne vllam rei familiaris curam ad se reuocet, vt lectioni & orationi, & verbi Dei prædicationi vacet. Acceperunt Patres hoc ab Apostolis, qui Actor. 6. dicunt, Non est bonum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Quod si pauperum curam per semetipsos noluerunt exercere, & verbi Diuini prædicationi posthabuerunt, multo minus litium & forensium negotiorum occupationem molestissimam ei præferrent. Quid enim absurdius, quam multas horas tribui litigatoribus audiendis, nec otium suppetere ad lectionem, orationem, & parandas exhortationes?

Episcopus liberet se ab alijs curis vt prædicationi vacet.

3. *Excusatio.* Non deerunt forte qui dicant, se alios viros prouidere idoneos qui hoc munus cum fructu præstare queant. Profecto si in alios fas sit curam & onera reijcere, quilibet quamuis indoctus, ac stolidus poterit ei dignitati esse idoneus; quippe per alios omnia exercebit munia, ipse verò beneficiorum fructibus & Ecclesiæ redditibus sine labore vllo perfruetur; quod an apud Deum aliquid valeat ipsosmet Iudices constituo. Tanti hoc æstimarunt antiqui Patres vt Episcopus per se loquatur nõ per alios, vt præter ea quæ a nobis initio dum de ritibus priscis ageremus, allata sunt, etiam in Concil. Hispal. 2. decreuerint, Episcopo præsente, non licere presbytero populum docere, aut exhortari; quod argumentum est illis temporibus id voluisse Prælatos, & illud ius obseruari solitum, vt si adesset, Episcopus, ipse suum populum alloqueretur, ipse salutaret, ipse admoneret, nec voluisse in aliorum humeros proprium onus deponere.

4. *Excusatio.* Denique si dicat Episcopus sæpe populos admonui, sæpissimè Euangelistam egi, nec tamen aduerto emendata vitia, repressam multorum licentiam, non aspicio floreſcentes campos, non maturos fructus, nolim oleum, & operam perdere; Recordetur, Verbum Dei non posse omnino vacuum reuerti, si ex cordis pietate nascatur, si cum spiritu proferatur. Sed quicquid sit, optimè Bernardus fac tu quod tuum est, nam Deus quod suum est satis absque tua sollicitudine, & anxietate curabit, certe

Ber. ad Eugen. lib. 4. initio.

sorte sua interesse Prælato non decent. Sed adhoc fusius cum Chrysostomo respondendum est à me paulò inferius in cap. de fiducia in Deum, quare in præsentia supersedeo, ne iterare eadem sit necesse. Quæ autem de Episcopis dicta sunt, etiam sibi dicta existiment cæteri, qui animarum curam habent presbyteri; vt enim Apostolis Episcopi successerunt, ita septuaginta duobus Christi discipulis presbyteri, vt docent Hieron. Augustin. Damasc. Ipsi milites sunt Episcoporum, ipsi eorum vexilla sequuntur, Ecclesiam Dei circundant, & hostium cuneos profligant: Ipsi sunt veluti prouectiores Episcoporum discipuli, qui, accepta ab eis facultate, infideles, vel Catechumenos per baptismum in Catholicæ Ecclesiæ scholam admittunt, eosque, & alios rudiores discipulos omnes fideles doctrina virtutis erudiunt, sunt vt lucernæ à maioribus luminaribus lucem mutuantes, cuius splendore tenebras à mentibus pellunt, & igne veræ charitatis accendunt, sunt q. inferiores Angeli, qui à superioribus Archangelis purgati, illuminati, perfecti alios possint & ipsi secundum portionem animarum sibi commissarum purgare, illuminare, perficere; & hoc modo Præsulum suorum onera ex parte sustentare. Audiant quid Gregorius in suo Pastorali habet: Officium (inquit) prædicatoris accipit quisquis ad Sacerdotium accedit (loquitur de sacerdote præcipuè curæ animarum præfecto) vt ante aduentum Iudicis, qui terribiliter sequitur, & ipse clamando gradiatur.

Eadem cæteris curatis cõueniunt.

ep. ad Marcellum.

ep. 3. in ps. 44. pro patribus tuis &c.

Greg. in past. par. 2. c. 4.

De alijs legitimis verbi Dei prædicatoribus. Cap. XVII.

Diximus de his, quæ ad ministerium verbi Diuini simul cum Pastorali cura, & præfectura vocantur. Iam de alijs agendum, quibus solum prædicationis munus iniungitur. Ac ponendum principiò horum duplicem in sacris literis vocationem reperiri, alteram à Deo per se se; alteram à Deo per hominem, cui legitima sit potestas. Christus quidem Dominus, Apostolos, quos mittere in mundum vniuersum, & Euangelium suum omni voluit prædicare creaturæ, diuina sua voce vocare dignatus est. Idem ipse posteaquam in cœlum conscendit, Paulum, missa de cœlo voce, in reliquum Apostolorum numerum cooptauit. Ex quo verè hic illa de se scribere potuit in epist. ad Galat. Cum au-

Duplex vocatio ad prædicandi officium.

cap. 10.

Digitized by Google

cem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me: & epist. ad Thessal. Probati sumus à Deo, vt nobis Euangelium crederetur. Magnifica sanè gloriatio, non vni è mortalibus, sed immortali homini, ac Deo probatum sic esse, vt ei Euangelij promulgatio crederetur. Olim verò sanctos Prophetas, cui dubium esse potest non sua sponte, sed admonitu Dei excitatos ad ea prædicanda repente prosiluisse, quæ nemo alius eis, nisi Deus ipse suggereret? Sanctus Hieremias, ille, quem suis manibus finxisse, atque formasse gloriatur Deus; ne ad concionandum mitteretur, pueritiæ excusat impedimentum, A A A Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Obsequentissimus verò Dei famulus Moyses, quàm timidè, quamq. cunctanter legationem ad Pharaonem suscepit? Assignatum sibi à Deo munus tantum non subterfugere parat, onus denique quod suis humeris impar existimabat, valentiori alicui imponi adeo humiliter, ac demissè deprecatur, vt propemodum quasi contumaciter abnuenti, ac recusanti seruulo, meritò subiraſci Dominus videatur. Nec verò Isaiam putandum est sponte sua magis, quàm iussu Dei promptum se se, atque alacrem ad concionandum obtulisse: intellexerat videlicet Vates sanctissimus per visum illud, quo quærentem Deum audierat, quem mittam? & quis ibit nobis? apertè se à Domino ad munus illud designatum; quamobrem diuinæ obsecutus voluntati, respondit, ecce ego, mitte me. Neque tamen prius prodire in publicum, nec verba ad populum facere ausus est, quàm Deum ipsum clarè exaudiuit præcipientem sibi, vt pergeret quò mitteretur, & Seraphim conspexit, qui comprehenso de altari carbone labia, populi contagio maculata purgaret. Denique præmuncius Christi Ioannes, non ante, in omnem regionem Iordanis pœnitentiam prædicaturus, aduenit, quàm verbum Domini factum sit super eum: Verbum Domini prius intus in seruulo operabatur, tum foris vocis officium in concionatore sequebatur. Hi omnes, alijque complures singulariter à Deo sunt vocati. Sed communis diuinæ prouidentiæ ratio est, vt per legitimos Præsides deligantur ij, quorum opera in huius functione muneris, vti constituit Deus. Præclarè Paulus ad Romanos cùm docere vellet, omnino necessariam esse in Ecclesia Dei prædicationem, sine qua non constat fides, posteaquam dixit: Quomodo credent ei, quem non audierunt?

1. c. 4.

1. cap.

Is. 6.

quo-

Digitized by Google

quomodo autem audient sine prædicante? subdit, quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? Omnino ergo qui Christi fidem ritè docere, ac prædicare debent, siue a Deo, siue ab homine, Dei vicem repræsentanté mittantur necesse est; alioquin sibi obijcienda putent, quæ apud Hierem. grauissimè exprobrat Deus. Non misi eos, neque præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Et non mittebam eos, & ipsi currebant; non vocabã eos, & ipsi respondebant;] Quæ pluribus verbis toties repetita sententia, satis eorum coarguit imprudentiam dixerim, an impudentiam? qui verbi ministerio vltro se offerunt, qui non iussi ad concionandum accedunt, sed irruunt non vocati. De quibus Chrys. multi, inquit, vt in publicum prodeant & concionentur multa faciunt, & si applaudentem multitudinẽ habent, quasi regnum adepti sint exiliunt gaudio, si autem silentio sermo eorum claudatur, maior illis ex silentio, quam ex gehenna mœror incessit.] Non potuit melius quam his Chrysostomi verbis hæc leuitas describi. Recte S. Bernardus ad vineas, inquit, quæ animæ sunt, vel Ecclesiæ, reuisendas, instruendas, corrigendas, saluandas anima perfectior inuitatur, quæ tamen id ministerium sortita sit non ambitione sed vocata à Deo tam quam Aaron]. Diuus Hieron. quatuor enumerat genera prædicatorum. Primum genus eorum, qui neque ab hominibus, neque per hominẽ, sed per Iesum Christum vocati sunt & missi. Secundum a Deo per hominem. Tertium ab homine non a Deo. Quartum neque ab homine, neque a Deo, sed à se. Exemplum primi generis est Paulus maximè. In secundo genere est Iosue a Deo per Mosen: ex nostris Chrysostomus Basil. Aug. Ambros. Greg. Bernardinus Senensis, S. Vincentius & alij. In tertio genere sunt omnes ij, qui aliqua lucri cupiditate, vel inanis auræ ambitione loca ad concionandum ambiunt, & per literas emendicatas & fauores humanos extorquent à Prælatis. In quarto genere videntur reponendi Hæreticorum ministri, qui magisterium hoc sibi assumunt, sicut quiuis artem aliquam sibi exercendam arripit arbitratu suo. Et hæc planè fuit prima tantæ pestis origo & seminarium, quæ tam multas Ciuitates ac Prouincias hac tempestate peruagata lætaliter infecit, quod scilicet voluerint homines libertatis malæ, ac nouitatum amatores his aures præbere, qui nulla nixi authoritate legitima, se in id munus prædicandi verbum Dei ingesserint, neque vocati, neque missi, cum neque suæ vocationis signa, quod a Deo mittuntur ostendere possint, neque a Prælatis Ec-

Hom. 30. in act.

Ser. 58. in cant.

Ier. ep. ad Gal. lib. 1. initio.

Contra eos qui non vocati se ingerunt.

Origo hæresum.

clesiæ, quorum ea est cura, vllas habeant literas & authoritatem. Debuissent planè populi populorumque magistratus aduertere a dæmonibus immissos, qui cathedras sic inuaserunt, præsertim cum nouam doctrinam, & antiquæ religioni contrariam inueherent. Oportuisset ab his nouatoribus percunctari, Quinam estis vos? a quo missi? qua authoritate locum Doctorum assumpsistis? vnde vos proripuistis? qui enim aliunde intrat in ouile quam per portam, quæ est Ecclesiæ authoritas, & Prælatorum, fur est & latro, diripere venit, non dirigere, mactare intendit non pascere.

In eos qui non vocati Prædicatoris officium ambiunt.
Cap. XVIII.

SEd mittamus Hæreticos, & loquamur de his, qui apud nos non vocati ambiunt hoc officium, & quibuscunque artibus ad magna pulpita viam affectant. Sanè si detur mihi facultas liberè, quod sentit animus expromendi, dixerim hunc appetitum, & vt ita nominem scabiosum concionandi pruritum, vel stultitiæ, vel arrogantiæ, vel etiam vtriusque euidens argumentum videri. Stultitiæ quidem, quia non aduertunt hi, quantas secum difficultates, quantaque pericula onus hoc grauissimũ afferat, cui vix robustissimi humeri pares esse queant: quod præsertim euenit ijs, qui nec morum sanctitate, nec multa eruditione præditi, vix pauca ex Theologia, ex sacris literis, ac sanctorum Patrum lectione delibarunt. De his vera est Hieronymi sententia, Qui (ait) prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat. qui prius doctor esse desiderat, quam discat, stultitiæ noxam non declinat]. Audi quænam sit grauissimi Theologi Nazianzeni sententia hac de re in orat. de sua fuga, vbi de verbi Dei dispensatione loquens, quam omnes ait hac ætate profitentur, si quis est qui audacter suscipiat, aut cuiusuis negotium esse censeat, huius ego solertiam animi acrẽ, ne dicam stultitiam, demiror.] Certè si stultitiæ nomen à præstantissimo Doctore id genus hominibus tributũ displicet, temeritatis, & arrogantiæ notam saltem non effugient. Quis neget virum graui iudicio præditũ facilè animaduertere posse, non esse se ad hoc munus rectè, cumque fructu præstandum satis idoneum, nisi adsit efficax quidam feruor spiritus in eius pectore, qui ita ad dicendum eum rapiat, vt ad commouenda corda auditorum sit potens? Sed quæso te, vbi nam requiescit spiri-

Stultitia eorum qui non vocati se ingerunt.

In cap. 58. prou.

Greg. Nazianz. in sua or. Apolog. 1.

Temeritas eorundem.

spiritus Dei? nonne super humilem ac timentem sermones Dei? qui autem verè humilis corde est, non facilè sibi persuadebit, se eum esse, qui ad tam magna & præstantia idoneus iudicetur; multoque minus semetipsum non vocatus audebit ingerere. Præclarum est S. Antonij Patauini exemplum, qui diu facultatem, qua in concionando pollebat, occultauit, tantum aberat, vt auidius id munus appeteret; quem Deus tandem, cum ei placuit, in lucem protulit. Itaque si qui ex obedientia alijs quam concionandi laboribus distinentur, possunt sibi omnino persuadere, si id expediret, fore, vt Deus vocaret eos in publicum, qui optimè nouit quid Ecclesiæ suæ, ac nobis maximè conducat. Summa huius negotij est & caput. Deum ipsum eligere & vocare quos voluerit, idque per Vicarios suos, qui ritè potestatem obtineant. In Act. dicit Deus: Segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus ad quod elegi eos. Dignum est animaduersione mysterium quod subijciam. Venerat olim ad Christũ quidam, assectatorem Domini se esse velle vnum è numero discipulorum præse ferens, cum diceret, magister sequar te quocunque ieris; is tamen indefessi famulatus obsequium Domino spondens, ab optimo magistro responsum hoc tulit, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet; quibus verbis numero discipulorum exclusus, locum quem optauit tenere non potuit. Idem Dominus alium quemdam de mortuo parenti solennia funerum parantem, adsectari se, & in suorum discipulorum comitatu esse iussit. Cumque is sepeliendi patris causa paucorum dierum, aut horarum moras postulasset, à Domino non impetrauit, sed audiuit, sine mortuos sepelire mortuos suos: tu autem sequere me, & euangeliza verbum Dei. Nonne hinc perspicuum est, munus hoc prædicandi Euangelium non votis hominum deligi, sed diuini numinis destinatione deferri? Concionatores enim suos Dominus quos vult ipse sibi deligit, ipse vindicat: ipse quos vult negligit ac repudiat. Veruntamen ex Sanctorum Patrum dictis intelligi facilè potest, priorem illum non studio spiritualis boni, sed lucri cupiditate aut gloriæ accedentem Christum adsectari voluisse: posteriorem hunc sedulo pietatis officia obeuntem vocatum à Domino, & post vocationem obsequium domini rebus omnibus præuertisse: Ita non immerito exclusus alter, alter receptus & in suam societatem admissus est. Quantum vero discrimen sit inter eos, qui legitimè vocati munus hoc suscipiunt, atque eos qui ex quadam leuita-

Exemplum S. Antonij Patauini.

Act. 13.

Mysterium Christi excludentis vnum vocantis alterum.

c. 8. Matt.

Discrimen inter legitimè vocatos & non.

leuitate se inferunt non vocati, rei euentus planè demonstrat; nam posteriores vix vllos ex concionibus fructus colligunt: totum est humanum quod agitur: non aguntur vt instrumenta, non sunt cœlestia organa: loqui possunt, delectare possunt, ostentare facundiam possunt, mouere & hominem à peccatis auocare vix possunt. Quantumuis eis non desit multarum scripturarum coaceruatio, philosophorum doctrina multiplex, & eloquentiæ humanæ lenocinia; quia tamen spiritus, & scilicet sincera vocatio deest, etiam fructus & animarum salus deest. Cõtra in Apostolicis prædicatoribus videre est quandam verbi diuini simplicitatem, de populis, de peccatis, de mundo triumphãtem, corda hominum penetrantem, & ab omni peccatorum genere ad omnium virtutum amorem pertrahẽtem. Rogandus est Dominus messis, vt mittat operarios in messem suam.

Signa vocationis, & quæ nam sint. Cap. XIX.

Signa ab ipsa pueritia.

FOrtassis à me hoc loco iure quispiam petat, vt aliquod assignem vocantis & non vocantis Dei iudicium & argumentum. Duo igitur consideranda propono. Primum ab ineunte ætate solet Deus aliquando instruere ac præparare hominẽ ad eum vitæ statum, quem ab æterno destinauit, & futuri status significationem aliquam dare ab ipsa pueritia, & suæ vocationis quosdam velut igniculos excitare statim futuræ flammæ indicia. Tale fuit quod Ruffinus Aquileiensis refert de Athanasio, qui puer insitans cum alijs pueris, Episcopi munus agebat cæremoniasque ac sacros ritus repræsentabat. Augustinus, antequam sacro baptismate initiaretur, occulta se quadam vi fuisse ad sacrorum librorum lectionem minè inflammatum affirmat, & libenter audisse eruditos Theologos Helpidium Carthaginẽ, Ambrosium Mediolani publicè docentes. Paulus scribit se quondam fuisse Mosaycæ doctrinæ æmulatorem, præ cæteris suis coætaneis abundantius, & institutum in scholis Hierosolymitanis apud grauissimum Doctorem Gamalielem amplexatum sectam Pharisæorum, qui iudicabantur legis diuinæ sinceriſsimi interpretes. Ex eo iam tempore adornabat eum Deus ad officium magni prædicatoris. Experti sumus aliquos pueros a teneris, vt aiunt vnguiculis rebus sacris valde intentos, verbi Dei præcones libenter & attentè audientes, domi etiam eorum personas, & actiones, coram domesticis repræsentantes, quos deinde agnouimus ad hoc munus assumptos,

l. 10. c. 14. hist. Eccl. & l. 5. c. 11. & 13.

operam

operam ſuam egregiè, & cum fructu collocaſſe. Euſebius ſcribit de Origene eum adhuc puerum a parente ſuo Leonida deditis ſcripturæ ſenſibus multa quærere ſolitum. Sanctus Nicolaus qui poſtea fuit Myræ Epiſcopus, puer adibat ſacras lectiones, dum cæteri ludibus vacabant. B. Carolus Borromæus, qui dum hæc ſcribo Romæ ante quinque dies in Sanctorum canonem cum ſumma omnium alacritate ac pompa a Summo Pontifice Paulo Quinto, relatus eſt, puerulus domi altaria erigebat, & coram eis procumbebat; Itaque prima Indoles ſæpe aliquid futurum præſagit. Sed clarius adhuc indicium videtur exquirendum, vt poſſimus de vocatione diuina iudicium ferre, quod ſecundo loco examinandum eſt. Quintilianus in ſuo Oratore ingenium imprimis requirit adeò, vt cui hoc deſit, non magis ſibi eſſe dicta quæ ſcripturus eſt, teſtetur, quam de agrorum cultu ſterilibus terris. Ponit autem in puero ingenij ſignũ eſſe memoriam; cuius duplex adhibet indicium, ſcilicet facilè percipere, ac fideliter retinere; Præter memoriam aliud proximum ait, eſſe ſignum imitationem, quæ eſt naturæ docilis propria, vt quæ diſcit effingat. Socrates ingenij ſignum ex loquela ſumebat cum diceret puero, loquere vt te cognoſcam. Nos, in noſtro Oratore Chriſtiano, debemus id primum inquirere, & animaduertere, vt ſit authore Deo ijs dotibus inſignitus, quæ ad munus concionandi rectè exequendum requiri videntur, cuiuſmodi ſunt, ingenij acumen, & iudicij ſaltem mediocris maturitas; eloquentia & copia dicendi naturalis, efficax quædam in dicendo vis, quæ inter colloquia communia appareat; aliqua libertas contraria timiditati, & inani verecundiæ; actionis & pronunciandi venuſtas, quæ audientes afficit; propenſio ad ſcientias præſertim, ad Theologicas & ſacras; & quod eſt præcipuum, quædam modeſta grauitas, & grauis modeſtia in moribus, ac virtutibus cum doctrina coniunctis. His rebus qui optimè ſit ornatus, ſignificat ſe ad concionandi prouinciã ſatis eſſe idoneum; quibus ſi accedant zelus gloriæ Dei, & ſalutis animarum deſiderium, atque ſuperiorum ſuorum ac Prælatorum Eccleſiæ voluntas, aut præceptum, facilè credi poteſt, imo omnino debet, huiuſmodi hominem à Deo vocari. Si vero omnino his donis caret, & contrarijs potius ſcatet impedimentis, non videtur ad tale munus in Eccleſia Dei eſſe idoneus, ac ſibi perſuadeat, non eſſe hanc ſuam vocationem, cum à Deo inſtrumentum, quod hæc exercitatio poſtulat, non acceperit. Nam Deus, niſi quid præter communem ſuæ prouidentiæ legẽ

Lib. 6. c. 2. hiſt. Eccl.

Niceph. l. 7. cap. 3.

Alia ſigna clariora. *lib. 1. inſt. cap. 3.*

Dotes animi.

effice-

efficere velit, non solet huiusmodi homines vocare. Si enim ad hoc elegisset, facilè esset credere, necessarias eis dotes largiturum fuisse: Quod si quis mediocriter est instructus non est planè ineptus, cum possit studio vitæque sanctimonia & exercitatione promoueri, sed deberet aliquod expressius suæ vocationis indicium habere. Et quidem qui in Religione, vel quocunque modo sub Obedientia aliorum viuunt, nutuique alieno res suas commiserunt, si non se importunè offerant, neque vrgeant, sine vllius culpæ suspicione sunt, si superioribus suapte voluntate præcipientibus sincerè obsequantur: & possunt omnino credere à Deo esse vocationem. Quare se indignos existimantes, diligentiã intendant, & elaborent, vt munus iniunctum ad Dei laudem, & cum ædificatione, fructuque proximorum exequantur. Alij vero si agnoscant se literis Theologicis ac peritia sacrarum literarum ornatos, & sincerè credunt se recta in Deum mente ad hanc sanctam palæstram duci, & cõfidunt se tales esse, ac fore per diuinam gratiam, vt exemplo vitæ Ecclesiam ædificent, possunt Prælatis suarum Ecclesiarum se ipsos offerre, & animi propensionem indicare, quã sentiunt, eorumque iudicio totum hoc negotium committere, à quibus siue mittantur, siue non; credant id demum esse diuinæ voluntati consentaneum, quod illi decreuerint. Prælati autem, quorum curæ incumbit idoneos ad hoc munus operarios eligere, tria maximè spectare debent, Morum candorem, cum idonea scientia, Iudicij præstantiam; & talentum concionandi, quæ est gratia gratis data à Deo aliquibus in ædificationem Ecclesiæ, & consistit in efficacia dicendi, vt quæ dicunt efficaciter penetrẽt; Et huiusmodi videtur Christus vocare operarios in messem suam, hos videmus in vna ciuitate commouere populos, & magnas animorum commotiones efficere, ita vt vnus pollẽs talento, plus efficiat quam multi simul sine hoc talento. Certe hos debent superiores seligere, iuuare, fouere modis omnibus; quod si ineptos admittant, sciant se esse infideles Dei & Ecclesiæ Sanctæ ministros, & rationem aliquando reddituros pro inerti administratione.

Qui sub Obedientia viuunt.

Qui nõ sunt religiosi quo modo se gerere debent.

Prælatorum in eligendis prædicatoribus industria.

Quænam sit ad concionandum matura ætas, & de timore vtili. Cap. XX.

His quæ de officio & vocatione dicta sunt, subijcienda videtur necessaria quædam appendix, quæ ad id muneris de

de quo locuti sumus gravitatem, & maturitatem morum, ac ætatis requirit. Decet enim Ecclesiasticum oratorem propter rerum ac negotiorum dignitatem, quæ tractat, gravitatem huiusmodi præ se ferre, in gestu, verbis, omnique actione, tam extra suggestum, quam in ipso: & cavere ab omni eo, quod aliquid levitatis significet. Nam teste Greg. non facilè prædicatio eius accipitur, si levis in moribus esse videatur.] Ætatem etiam maturam exigit idem Greg. Nequaquam ait, debent homines in ætate infirma prædicare, quia sermo doctrinæ non suppetit.] Et affert, Christi Domini exemplum, qui ante trigesimum annum noluit fieri magister hominum, vt præcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet: cum ipse etiam, qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam non nisi perfecta ætate prædicarit.] Et rursum eleganter de hoc ipso consilium repetit, Admonendi sunt, ait, quos ab officio prædicationis imperfectio, & ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit, quod pulli avium si volare appetant ante pennarum perfectionem, unde ire in alta cupiunt, inde in ima merguntur; vel si structuris recentibus nec dum solidatis pondus super ponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur: Et si conceptam sobolem, priusquam formauit fœmina profert, non tam domum quàm tumulum replet.] Certum est in Concionatore prudentiam, & rerum experientiam requiri, quæ in iuvenibus non satis suppetunt, populus non valdè credit iuventuti, eo quod quæ didicerint, nimis properè effundantur. placet illud Epicteti dictum in Enchyr. Magni periculi est statim evomere quod non concoxeris. Aristoteles non iudicat iuvenes esse aptos Ethicæ auditores ac discipulos, multo minus iudicasset idoneos fore magistros. Timotheus iuvenis erat, fateor, sed eo tempore fuit à Paulo electus, quando messis multa, operarij verò pauci, & nihilominus perfectissima, & singularis in eo virtus mediocritatem supplebat ætatis, Ioannes Baptista ætatis anno trigesimo ad prædicandum mittitur, qua ætate & Christus Dominus suam prædicationem aggressus est, quam perfectam esse ætatem Hieron. docet: Vnde & in Num. Sacerdotes à trigesimo anno ministrare incipiunt in tabernaculo, & Ioseph populis in Aegypto frumenta largitus est ait idem Hieron. & glossa interlinearis in illa verba Genes. triginta annorum erat Ioseph. quando stetit in conspectu Regis Pharaonis, hac ætate ait Christus cæpit prædicare Evangelium, antequam nemo debet assumi ad prædicationis officium. Verum qui sub obedientia

In Ezech. hom. 3. lib. 1.

Hom. 2. ibidem lib. 1.

In 3. p. Pastoral. 26. Admonitione.

Cap. 69. 1. Eth. c. 3. ad Nicom.

In Ezech. c. 1.

Gen. c. 4.

tia

tia viuunt, quemadmodum alijs in rebus, ita in hac debent ab suorum moderatorũ nutu pendere, & aliquando grauitas morum, atque etiam aspectus, ætatis maturitatem supplere potest. Ex his omnibus quæ hactenus superioribus capitibus proposita sunt, videtur mihi merito suboriri in bono viro timor ex vtraque parte, siue ad subeundum hoc munus, quod dixi esse difficile ac periculosum, siue ad detrectandum, ne Dei voluntati videatur obsistere, & animarum salutem non appetere; vt merito dicere possit (vt noster Pater Borgias in quodam suo breui opusculo considerandum proponit) Angustiæ mihi sunt vndique, & quid eligam ignoro; Timeo ne si prædicationi vacem, audiam, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, tu vero odisti disciplinam; Quod si non vacem, dicere cogar aliquando, Væ mihi quia tacui. Timeo negligentiam, & incuriam in tanto opere, ne sim auditurus, Sanguinem animarum de manu tua requiram. Timeo vanitatem ambitionis, & tamen timeo, ne absconditi alicuius talenti, quod à Deo acceperim, reus fiam in die mortis. Video Hieremiam excusantem se ab hoc officio, & Isaiam se Deo humiliter offerentem, ecce ego mitte me, & vterque timorem incutit. Timeo videns Ioannem Baptistam non nisi post longã pœnitentiam, solitudinem, orationes, & contemplatiuæ, ac actiuæ vitæ perfectionem, huic officio mancipatum, & me longè ab hoc apparatu abesse. Video ipsum Christum non prius aggressum Euangelicam prædicationem, quam apertis cœlis vox desuper delapsa sit, & Spiritus Sancti præsentia baptizatus fuerit; & per deserti asperitatem se ipsum præparauerit. Timeo videns quantos perpessi sint labores, non solum D. Paulus de quo Christus dixerat, ego ostendam illi quanta eum oporteat pro nomine meo pati; & omnes Apostoli quibus prænũtiatum fuerat, ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum; & tã multi Apostolici viri, qui spiritu Dei repleti in hoc concionandi agone tam multa passi sunt: Timeo inquam mihi, ne tanto oneri subeundo sufficientes humeros non habeam & tamen timeo ne vili & abiecto animo minus Dei virtute confidens, eius voluntati obluctari audeam. Vtilis est planè hic timor & a Spiritu sancto, modo non sit nimius, qui mentis tristitiam inutilẽ gignat cum dicat sapiens. Spiritus tristis exsiccat ossa, habeat sibi comitem Amorem. Summa sit omnium quæ diximus hæc. Primum vt nemo sese intrudat, nemo extorqueat siue eblandiatur hoc munus. Deinde vt si qui ritè vocentur, sibi dictum putent,

Timor vtilis in admittẽdo munere.

Psal. 49.

Act. 9.

Matt. 10.

Pro. 17.

putent, ſtate ergo ſuccinti lumbos veſtros in veritate, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. De qua præparatione promptaque voluntate aliqua mihi dicenda omnino videntur ad eos qui animi fractioris ſunt confirmandos.

Promptus animus ad Conciones contra puſillanimes. Cap. XXI.

DIco igitur eos qui per Superiorũ nutum vocantur à Deo, libenti ac prompto animo Concionatoris partes & ſuſcipere, & exequi debere; primum quia hoc negotium maximè ad Dei gloriam inſtitutum eſt, qua nihil optabilius nobis eſſe decet, & ad Eccleſiæ ſanctæ beneficium quod Chriſtianis omnibus præcipuè cordi eſſe par eſt. Præterea quia ſibi ipſis plurimum proderunt multis modis, & vitam ſuam tranſigent in ſtudio ac meditatione rerum ſanctiſſimarum, & in maximo, ac diuiniſſimo opere, quod eſt animas ad ſalutem æternam promouere. Non igitur qui ita vocantur, & a natura, & a Deo talentum acceperunt, ſicut ſuperius a nobis dictum eſt, vt poſſint cum efficacia loqui, debent vllo modo ſubterfugere, aut detrectare onus, ſed ſuſcipere cum omni humilitate, ac fiducia in Deum: alioquin accepti à Deo talenti ratione ſibi eſſe reddendam meminerint. S. Greg. Quo reatu, inquit, aſtringantur, aſpiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis fugiendo ſubtrahunt, morientibus animabus vitæ remedia abſcondunt. Et ſunt nonnulli qui magnis muneribus ditati, dũ ſolius contemplationis ſtudijs inardeſcunt, vtilitati proximorum vacare prædicatione refugiunt, ſecretum quietis diligunt, ſeceſſum ſpeculationis appetunt, de quo ſi diſtrictè iudicentur ex tantis proculdubio rei ſunt, quantis venientes in publicum prodeſſe potuiſſent.] Seuerè item Iuſt. martyr, qui poſſunt (inquit) docere, nec docent, damnationem incurrunt. Et Beda in illud prouerbij, Qui abſcondit frumenta maledicetur, benedictio autem ſuper caput vendentium; Qui, ait, prædicationis verba retinet, maledicetur, quia in ſolius culpa ſilentij promultorum quos corrigere potuit, pœna damnatur. Idem affirmat Hieron. in eundem locum prou. Propterea S. Petrus fideles admonet, ne ſegnes ſint, Vnuſquiſque, inquit, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicuti boni diſpẽſatores multiformis gratiæ Dei; ſi quis loquitur, quaſi ſermones Dei.) Verum conſideranda hic ſunt, primum Dæmonis

Puſillanimes animantur.

In paſt. p. 3. adm. 25.

Par. 1. c. 5.

In dial. cũ Triph.

In prouer.

1. c. 4.

frau-

fraudes, & astus, qui aliquos religiosos, quos videt non solidis virtutibus nixos, impellit, vt ad hanc concionandi prouinciam aspirent, & sese vel insinuent, vel etiam inuehant non vocatos, boni publici, & zeli cuiusdam nomine, quos tamen experimur, nec suis multum rationibus, nec alienis prodesse. Bonos vero, & idoneos eo nomine reuocat, vt viuant cum maiori puritate conscientiæ, nec se periculis obijciant. In vtroque, & periculosus, & pernicioſus error esse potest. Deinde si qui sint ab hoc munere alieni, eos hortor, vt penitus deprehendere studeant veras causas, quibus se inde sentiãt auocari. Quod si coram Deo sincerè ac diligenter inquirant, forsitan non difficilè inuenient, non esse timorem peccandi, non desiderium puræ conscientiæ, sed potius segnitiem, & amorẽ sui, aut languorem charitatis, ac fiduciæ in Deum, quem considerant tanquã acerbum iudicem, non vt dulcissimum Patrem; proinde timeant, ne meritò talem experiantur, qualem immeritò sibi fingunt. Tertiò attendant seruum absconderentem talentum in sudario, damnatum fuisse; vbi ait glossa, In Sudario pecuniam reponit, qui ad prædicandum idoneus, amore puritatis conscientiæ, officium prædicationis suscipere renuit, vel susceptum non benè gerit.] Sedulò etiam animo versent illam eiusdem Christi sententiam, in parabola talentorum: habenti dabitur, & abundabit, non habenti, etiam quod habet, auferetur, quod planè etiam quotidiano experimento cognoscimus. Quartò, reputent quantis laboribus & expensis Religio, in qua multos annos vixerunt, insudarit, vt eos aptos vineæ Domini ministros, ac operarios redderet in pietate, ac literis; quamque sint ingrati Deo, ac religioni quam populis eorum opem expectantibus, ac ius suum quodammodo repetentibus iniurioſi, qui cum videant segetes iam albas ad messem, tamen non se accingant ad laborem ad quem vocantur, sed ei præferant otij sui dulcedinem. Qui vero iam oneri non à se sumpto, sed ab his quorum curæ se commiserunt, impoſito, humeros subiicere, alacri animo cœptum semel opus vrgere debent, nec deficere in via: vt quod acceperunt donum in dies magis exercendo augeatur. Est enim verissima Aug. vox, Non est metuendũ ne Deus dare desinat cætera, cum ea quæ data sunt, cœperimus impendere. Omnis res, quæ cum datur non deficit; dum habetur, & non datur, non dum habetur, quomodo habenda est. Sicut ille panis, quem Christus multiplicauit in deserto, dum frangeretur accreuit, sic ea, quæ ad hoc opus aggrediendum, iam

Pusillanimitatis origo.

Pusillanimes quæ pœna sequitur. *Luc. 19.*

Perfidia, & Iniustitia.

Qui cœperũt alacriter progrediantur. *Lib. 4. de Doct. 10.*

iam Dominus præbuit, cum dispensari cæperint, eo ipso suggerente multiplicabuntur, vt in hoc ipso ministerio non solum nullam patiamur inopiam, sed de mirabili eius abundantia gaudeamus.] Cum ergo sese prædicandi occasiones offerunt, etiam extraordinariæ, ad exequendum sibi iniunctum officiũ animum parent, cum Paulus Timotheum hortetur, vt opportunè, & importunè prædicet, atque adeò instet, quin potius dent operam, vt numquam conueniantur imparati. Nam benè meo iudicio comparantur Prædicatores vectibus, quibus arca Domini portabatur, qui annulis semper inserti erant in ipsa arca, nec extrahebantur, vt cum arca esset portanda, nulla opus esset mora; quia prædicatores, per quos Ecclesia fertur, debent semper esse accincti ad onus, intentique sacris literis, ne tum demum necesse sit discere aut studere, cum necessitas, & occasio vrget docendi: sic eis conueniet illud, calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. Ac ne quem ab hoc salutari negotio cura retardet vacandi contemplationi, & sanctæ quieti, præter ea quæ iam disputata sunt, intueatur sanctorum virorum exẽpla. S. Bernardinus diserte profitetur, se fructum animarum, qui ex concione colligitur, suæ contemplationi anteponere, cuius tamen suauitate maximè illiciebatur. Charitas (inquit) quæ non quærit quæ sua sunt, id mihi iam dudum facilè persuasit, nihil desiderabilium eorum vestris proferre vtilitatibus: orare, legere, scribere, meditari, & si quæ sunt alia spiritualis studij lucra; hæc arbitratus sum propter vos detrimenta.] Optimum est Pauli exemplum in assiduitate concionum, Vos scitis quomodo nihil subtraxerim vtilium, quominus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos: Et mox: Propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui cum lachrimis monens vnumquemque vestrum: Et, Memores enim estis fratres, laboris nostri, & fatigationis nocte ac die: Valere possunt ad excitandam alacritatem in opere hoc prædicationis verba Diui Bonauenturæ, quæ de glorioso Patriarcha Francisco refert: Cum (inquit) animarum salutem, visceroſa pietate appeteret (Diuus Franciscus) & feruida æmulatione zelaret, suauissimis se, dicebat, repleri odoribus, & quasi vnguento prætioso liniri, cum Sanctorum Fratrum, per orbem distantium, odorifera fama, multos audiret ad viam veritatis induci, ex talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis, fratres illos accumulans, qui verbo

Prædicatores comparantur vectibus arcæ.

Contẽplatio non debet impedire cõcionandi munus.

Ser. 51. in Cant.

Act. 20.

1. Thess. cap. 1.

Cap. 8. vitæ Fran.

& opere ad Christi amorem inducerent peccatores.] Imitandus est B. Martyr Cyprianus, de quo Pontius, qui eiusdem Sācti Præsulis Diaconus fuit, & vitam scripsit, hæc refert, Tanta illi fuit sacri cupido sermonis, vt optaret sic sibi passionis vota contingere, vt dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur. Hæc autem fœlicitas, quæ S. Cypriano in optatis fuit, videtur amantissimo crucis Andreæ Apostolo cōtigisse, qui ex desiderato sibi suspensus patibulo, biduo quo superuixit, non cessauit tamquam è suggestu populum edocere. In quo mihi videtur tanquam Symbolum Euangelici cōcionatoris expressum, vt nimirū vita sic splendeat, Christique mortificationē in corpore suo ita circumferat, vt tamquā cum Christo Cruci confixus, verba faciat, illa enim fœcunda est prædicatio, quæ è circulata moribus cruce descendit. Insignis in hoc animarum zelo S. Dustannus fuit, qui die Ascensionis Dominicæ renuit festum diem cum Angelis inuitantibus in cęlesti gloria fęlici dormitione traducere. Hodie (inquit) dies solennissimus est, & incumbit mihi pane verbi Dei plebem reficere, nec debeo decipere illos, & ideo hodie venire non possum.

Diaconus Pōtius in vita Cypr.

Exemplum boni prædicatoris D. Andreas in Cruce.

Exemplum S. Dustanni.

Merces & Aureola boni Concionatoris. Cap. XXII.

Recordetur bonus Concionator versari se, non in opere solum diuinissimo, alijsque salubertimo, sed etiam sibi ipsi fructuosissimo. Ac primum ingens illud, ac præsens est bonum, conuersari semper in Cœlo, loqui cum Deo & Sanctis, vel de Deo & Sanctis, animo semper agitare, vel altissima & diuina mysteria, vel quę odium vitiorum, amorem virtutis ingenerent, Crepidines, quas interfluunt riuuli, aliquid humoris, interbibūt, & inde videmus lętiore graminum, ac stirpium viriditate vestiri: & qui meditatur die ac nocte erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Nutrix dum lautius pascitur, vt alumno lac præparet, & ipsa pinguescit: & Doctrina & institutio (ait Nazian.) eius quoque, qui alios alit, cibus est & alimentum]. quantò plus (inquit Chrysost.) profundimus fluentorum horum Spiritualium, tantò nobis & fluenta sunt auctiora]. & mox. Tunc spirituales hę opes magis augentur, quando audire volentibus doctrinam liberaliter profundimus. Multa Clem. Alex. & illa præ cęteris: Putei, qui exhauriuntur, emittunt

Occupatio concionatoris valde sancta & vtilis ipsimet.

Or. 2. in pasch. Hō. 8. in Gen. Lib. 1. stro. initio.

tunt aquam magis perſpicuam; corrumpuntur autem hi, quorum nullus eſt particeps. Ferrum quoque vſus ſeruat purius, defectus autem vſus ei rubiginem generat. Et vt ſemel dicam, exercitatio ſalubrem habitum ingenerat & ſpiritibus, & corporibus. Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui accepti fuerint conuiuio. quid enim iuuat ſapientia, quæ non ſapientem efficit eum, qui poteſt audire? præterea docens aliquis plus diſcit, & dicens ſæpe vna audit cũ ijs qui ipſum audiunt; Vnus eſt enim magiſter & eius qui dicit, & eius qui audit.] Deinde inter cætera præmia ei, qui conuertendis animabus ſtrenuam operam nauauerit, videtur ſingulari dono promiſſa ſuorum venia peccatorum. Oſtendunt id non ſolum priuilegia, eleemoſinæ corporalis, quę extinguit peccatum, & charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum, in has quoque eleemoſinas ſpirituales merito & magis conuenientia; Sed aptè ac proprie, poſtrema verba epiſtolæ ſancti Iacobi: Fratres mei ſi quis ex vobis erranerit à veritate, & conuerterit quis eum; ſcire debet, quoniam qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum: non ſcilicet ſolum eius, qui conuertitur; ſed etiam, vt multi interpretantur & Syrorum paraphraſis habet, ſuorum. Et æquum, eſt planè, vt ei, qui ſe totum exterminandis peccatis deuouit, cõdonentur quę ipſe commiſit: & hoc maximè, opus Deo pollicebatur Dauid, cum veniam ſuorum peccatorum precabatur: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Permagni autem æſtimandum eſt hoc ſuæ ſalutis & argumentum & pignus, quod confirmant verba Pauli: Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis, hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt. Et Eccleſ. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Breuiter at ponderosè Chryſ: ſi quis ſcandalizauerit etiam vnum, tantas pœnarũ minas audit; qui tot ſeruat non ſeruabitur?]

Cõcionatori cõceditur venia peccatorum.

Iac. 5.

Pſal. 50.

Pignus ſalutis.

1. Timoth. cap. 16.

Cap. 24.

Hom. 18. in acta.

Verum non modò ſalutem ſed ingens, cumulatumque præmium repoſitum eſſe fidelibus verbi Dei miniſtris, illud aperte oſtendit, quod ſingulari modo participes ſunt omnium bonorũ operum, quę fidèles per eorum adhortationes efficiunt. locus eſt pulcherrimus in epiſtolà, qua Moyſes & Maximinus presbyteri, & alij confeſſores B. Cypriano, qui ipſos ad conſtantiam cohortatus erat, in hæc verba reſpondent. Reddet tibi Dominus, pro iſta tua charitate mercedem, & huius tanti boni opes

Prædicatores participant in bonis aliorum. *l. 4. Ep. 26.*

Prou. 12.

Digitized by Google

ris repreſentabit debitam frugem. nõ minus enim coronę mercede condignus eſt qui hortatus eſt, quam qui & paſſus eſt: nõ minus laude condignus qui docuit, quam qui & fecit: non minùs honorandus eſt qui monuit, quàm qui dimicauit: niſi quòd nonnunquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum, qui inſtituit, quàm ad eum, qui ſe docibilem diſcipulum ſubminiſtrauit. hic enim fortaſſis hoc quòd exercuit non habuiſſet, niſi ille docuiſſet.] Ex quibus apparet, quantam ſibi conflent ſummam meritorum, qui diligentes ſunt ſtrenuique prædicatores, cum omnium (vti ſupradictum eſt) quæ in Eccleſia fiunt bonorum operum, generale ſint inſtrumentum. De his illud com-

Prou. 12. modè videtur pronuntiare Sapiens: De fructu oris vnuſquiſque replebitur bonis. Non ſolum enim tunc concionator bonis repletur, cum quæ dicturus eſt, meditatione (vti nuper diximus) quaſi concoquit, & conuertit in ſuccum ſuum, ſuamque animam meditationibus ſanctis ſaginat; ſed etiam quia fructus, quem ore ſuo in audientium corde progignit, ad ipſummet redundat, ac reddit. Indè Philippenſes non ſolum gaudium ſuum Apoſtolus, ſed & coronam ſuam appellat. Addo quæ cum ma-

l. 2. conſt. apoſt. c. 28. gno huius officij honore apud S. Clementem habentur. Presbyteris ſi aſſiduè in ſtudio docendi Verbum Dei laborauerint, duplam eſſe deponendam portionem, in gratiam Apoſtolorum Chriſti, quorum locum tenent, vt qui ſint conſiliarij Epiſcopi, & Eccleſiæ corona, concilium & Senatus.] & D. Paulus eos, qui laborant in verbo & doctrina, duplici honore dignos eſſe

Aureola Doctorum. decernit, vtique etiam in hac vita, haud dubium quin & in altera ſingulari gloria decorentur. Oſtendunt hoc euidenter

Cap. 12. illa Danielis verba: Qui (ait) docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt plurimos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et illa Chriſti Domini

Matth. 5. clauſula: Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum. Quanti tandem eſt magnum eſſe in cœio, vbi non poteſt comparatio eſſe niſi cum maximis? & in illa clariſſima luce eum locum habere, quem noſtra in nocte obtinent ſtellæ? Et meritò præferuntur Doctores à Daniele alijs pleriſque ſanctis in præmio: Nam ſi de gloria, quam eſſentialem vocant Theologi, agatur, tametſi certum eſt menſuram eius ex gratia & charitate ſumi; illud tamen quoque ſatis eſt manifeſtum, maiorem quandam occaſionem offerri vberioremque, ac magis perennem ſuppetere materiam gratiæ augendæ, ac proindè ampliſicandæ gloriæ, Doctoribus Eccleſiæ, quàm pleriſque

Digitized by Google

risque alijs: cum illorum munus in præstantissimis operibus sit, in docendis iuuandisque populis ad virtutes & ad salutē, in Sacrosancto Christi nomine celebrando, Deique honore illustrando continenter versari.

Si verò agatur de accidentali gloria, non dubium quin præcipua quædam huiusmodi gloria Ecclesiæ Doctores maneat in cœlis, quam Theologi Aureolam vocant, ad differentiam gloriæ essentialis, quam Auream nominarunt. Estque aureola quasi aureæ superaddita, veluti si regio diademati superponatur sertum ex prætiosis floribus contextum: atque est quidem gaudium peculiare in anima, sed ita, vt præcipuus quidam decor etiam redundet in corpus. Harum coronarum cum triplex genus à Theologis statuatur, pro triplici genere perfectæ victoriæ, de carne quæ Virginibus, de mundo quæ Martyribus, de Diabolo quæ Doctoribus debetur, potest intelligi quam sit aureola doctorum nobilissima. & si corona martyrum, ex genere pugnę excellit; tamen ex hostium deuictorum natura, longè præstat corona doctorum, quibus peculiaris colluctatio est, non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cęlestibus: hosque hostes ita profligāt, vt non modo ab se, sed ab alijs quoque victos expellant. Itaq; si vnius seruatori ciuis honestissima olim à Romanis corona dabatur; quam gloriosa reddetur in cœlo prædicatoribus, qui multos cęlestis Hyerusalem ciues ab interitu sempiterno seruarunt? Ac mihi quidem aliarum quoquè aureolarum, videtur aureola doctorum quodammodo decus amplecti. Sunt enim gloriæ Virginum iure participes, qui prædicatione sua efficiunt, confirmant, & ad perfectionem prouehunt Virgines: participes sunt & gloriæ Martyrum, qui ad martyrij amorē hominum voluntates incendunt. Nam si prophetam, aut iustū recipientibus, iusti ac prophetæ merces imputatur; quid ni Virgines Martyresque armantibus, & corroborantibus pars quædam gloriæ eorum, & coronarum detur? Quin etiam cum singularis quædam prærogatiua promitti videatur ijs domini verbis, Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est; proculdubio hæc prærogatiua iure quodam proprio debetur Prædicatoribus, quorum omnis in hoc vita occupatur, vt toto si possint Orbe Terrarum, coram omnibus hominibus, Christi gloriam & moribus, & lingua confiteantur, & prædicent. Quantus verò erit

Ex c. 25. Exodi.

Aureola doctorū an pręcellat alias aureolas.

Matth. 10.

honor, Christum Iesum in augustissima illa diuinitatis regia, & totius curiæ cœlestis consessu, confessorem esse fidelium famulorum, qui ipsum inter homines confessi sint, & prædicatorum suorum quasi prædicatorem? Non igitur dubium est, quin gloria non solum essentialis, sed etiam accidentalis vberrima, & aureola nobilissima reposita sit verbi Dei, panisque cœlestis largitoribus: cum & inter mortales plausum habeant maximum homines liberales, terrenasque facultates largè cõmunicantes; & tantum gloriæ Iosephus olim reportarit ob præparata Aegypto famis remedia. Hæc autem ornamenta non consequuntur nisi qui ipsa re prædicationem, & ob rectum finem exercuerint. Bene enim Hieron. Qui alios (inquit) erudierũt, stellarum fulgori comparabuntur: non enim sufficit scire, nisi & alios erudias, tacitusque sermo doctrinæ alium non ædificans, mercedem operis recipere non potest, iuxta illud Eccl. sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtroque? Qui autem non rectum ob finem, sed ad lucrum temporale, vel inanem gloriam, aut aliud suum mortale commodum prædicarint, nequaquam coronam accipient, sed audient: Receperunt mercedem suam.

Quibus prædicatoribus debeatur Aureola.

In cap. 12. Dan.

Cap. 20.

Parati ad omnes missiones. Cap. XXIII.

VErum non ea sunt tempora, vt longa adhortatione indigeãt multi, ne labori prædicationis otium contemplationis anteferant, illud potius serio monendi sunt omnes vt suscepto hoc munere inteligant se, non splendidis modo auditoriis debitores esse, sed omnibus hominibus. Prædicate Euangelium omni Creaturæ dixit Christus Apostolis. Et Paulus: Corripientes omnem hominem, docentes omnem hominem in omni sapientia. Cum ergo valde propeium sit huius officij Apostolici, & multarum Religionũ instituto maximè conueniens, excurrere & peragrare diuersa loca, etiam pagos adeundo & vicos, ad disseminandũ Christi Euangelium (quod nos missionis nomine intelligimus, ex imitatione missorum à Christo Apostolorũ, qui circuibãt per castella euangelizantes, & curãtes vbique) is qui hoc munere fungitur, peculiari deuotione ad has missiones obeundas affici debet: præsertim quod experientia certa compertum est, multas, & magnas ad animarũ salutem ex his vtilitates existere. Nam tota sæpe oppida scimus ita perpurgata, ita correcta, & ad omnem pietatis laudem instaurata, vt altera

1. Col. c. 1.

Missionum fructus.

planè

plane esse viderentur: eaque receptum semel nitorem, ac studium rectè faciendi longo tempore cõseruasse. Sed nihil acrius debet nos incitare, quam Illustrissimum nostri Ducis Christi exemplum, qui circuibat omnes Ciuitates, & castella, docens in Synagogis & prædicans Euangelium regni. Nec loco cedè voluit diu cõsistere, cum diceret: Quia & alijs ciuitatibus oportet me Euangelizare, quia adhoc missus sum. Accedit exemplum Apostolorum, qui à Christo bini mittebantur, sicut paulò ante significaui, vt Ciuitates & oppida Iudeę obirent. Imò ipsũ Apostoli nomen, non aliud quàm missum sonat, & post Christi Ascensionem perpetuò in his missionibus occupati, totũ peragrarũt orbem Terrarum, vt in omnem terram exiret sonus eorum. Instar porrò solis debet esse vir Apostolicus, qui non vno stat loco, sed omnes regiones, & oppida luce collustrat sua. Habemus etiam missionis exemplum in veteri Testamento, vbi missi principes referuntur, vt docerent in Ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitæ ac Sacerdotes: Docebantque populum Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant ciuitates cũctas, & erudiebãt populum. Cauendum igitur summoperè est ab eo spiritu elationis, quo quis ambire incipit magnarum Ciuitatum pulpita, nec dignatur villas & pauperum oppida interuisere. Nam cum D. Paulus dicat: Quomodo prædicabunt nisi mittantur, rectè licebit colligere, in eo loco prædicandum, ad quem mittuntur; alioquin non missi prædicant, sed per ambitionem immissi. Qui autem solo diuinæ gloriæ, & salutis animarum studio ducitur, is profectò in eligendis locis, ac regionibus in quibus suos labores ponat, non cõsiderat qui nobilior locus aut populus; qui nam sit vitę vsibus accomodatior; qui vrbanior, vel agrestior: sed quinam vel necessitate maiori prematur, vel paratior sit ad suscipiendam cum fructu diuinam sementem. Nam animarum par est nobilitas ex Christi sanguine; neque nobilis aut diuitis anima carius empta est, quam ignobilis, & inopis. Hoc genus merciũ potius numero æstimatur quã genere. Pro homine rusticano totus Christi sanguis effusus est, non minus quàm pro vrbano. Gehenna, si pereant, manet eadem vtrumque, & supplicium sempiternum. Quæ cum ita sint quis tamen nõ videt, quàm multis abundent vrbes præsidijs spiritualibus, quàm verò villæ, ac parua oppida destituta sint? Atque ex altera parte, cui non est manifestum quàm ad verbi Diuini escam quodammodo nauseent plerique vrbanorum quàm auidè agrestes multi eandem excipiant, & quanto

Exemplum Christi, & Apostolorũ, *Matth. 4. Luc. 4.*

2. Paral. cap. 17.

Contra eos qui non libenter ad pagos accedũt. *Rom. 10.*

cum fructu. Si ergo pari pretio emptæ sunt animæ rusticorum, atque vrbanorum, & ex his dum decem lucrifacio, ex illis possum lucrari centum; si Charitas Christi & Proximorum verè vrget me & nihil præterea, nonne anteponam vrbibus pagos? Sanè prima nato Domino prædicatio Euangelij facta est pastoribus: & quidem ab Angelo, cui astitit multitudo cœlestis, vt non solum prædicatione, sed etiam diuino concentu cõmendarentur concionatoribus paupères, quos ita Deus & Angeli, quasi cœlorum Apostoli, & Christus Dominus, qui pro eis natus dicebatur, honorauit. Nemo arbitretur se maiorem prædicatorem esse, quàm Christus fuerit, qui tam libenter cum turbis & pauperibus versabatur. Imo verò per Isaiam dicit se missum, vt euangelizaret pauperibus. Quem locum etiam in sensu, vt aiunt, literali, aliqui, & quidem rectè, de his exponunt, qui bonorum temporalium inopes sunt: & Christus ipse inter signa sui aduentus, locum, vt apparet, illum Isaiæ recipiens, & oraculum impletum volens ostendere, non solum posuit: Surdi audiunt, mortui resurgunt, &c. sed etiam pauperes euangelizantur. Non paucos ego audiui, qui totam vitam villis, & his missionibus offerrent, cum semel & iterum experti essent gratissimam illic se Deo operam nauasse; & animaduerterent ijs locis minori studio, labore, atque periculo; fructu autem & salute animarum longè maiori negotium prædicationis peragi: vt sæpe de magnis Ciuitatibus dici possit: Audiuimus eam in Ephrata; & de paruis oppidis quod sequitur, inuenimus eam in campis Syluæ, id est optatam diuinæ gloriæ, & animarum messem.

Prima Euangelij prædicatio ad Pastores. *Luc. 2.*

Isa. 61.

Ps. 131.

Finis Libri Primi.

DE

DE VIRTVTIBVS CONCIONATORI perneceſſarijs.

LIBER SECVNDVS.

Chriſtianus orator debet eſſe vir bonus.

CAPVT PRIMVM.

EX Quatuor, quæ Concionatoris perſonę poſuimus neceſſaria, Vocatione, Bonitate vitæ, Scientia, Eloquentia, de vocatione iam dictum eſt, ſequitur vt de Virtute dicamus. Peto autem à lectore hanc facultatem, vt poſſit oratio noſtra in hac parte aliquantò liberius exſpatiari, vt res quæ tanti ponderis eſt, nimirum bonitas in Oratore, quem inſtituimus, omnium concionatorum mentibus altiùs infigatur, & hæreat. Ac principio videri cuipiam poterit, Oratori Chriſtiano eſſe quidem conuenientem vitæ innocentiam, quia homo eſt, ad ſalutem ſuam; non tamen, quia prædicator eſt, ad ſalutem alienam. Cum enim hac in re non ſit niſi Dei adminiſter, non videtur Deus requirere in inſtrumento virtutem, vel certè eam poſſe ſupplere. Nam baptiſmus nihilominus eſt efficax, ſiue ab homine iuſto ſit, ſiue collatus ab impio. Neque abſurdum eſt, dona Dei deriuari quodammodo per adminiſtros malos. nam Caiphas prophetauit: multique dicent in iudicij die, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus; & in nomine tuo dęmonia eiecimus; & in nomine tuo virtutes multas fecimus? quibus Dominus reſpõdebit, Nunquam noui vos. diſcedite a me qui operamini inquitatem. Idem Dominus ait, Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundum autem opera eorum nolite facere. En iſti homines mali erant, propterea que docet Chriſtus non imitan-

Obiectiones proponũtur

Matth. 7.

imitandos; & tamen audiendos docet, quia erant Prædicatores. S. Paulus, Quidam (inquit) & propter inuidiam & contentionem, quidam autem propter bonam voluntatem Christum prædicant. Quid enim? dummodo omni modo siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.] Denique prædicationis gratia ex ijs est, quæ gratis datæ dicuntur, quæ non eius causa cui dantur, sed aliorum tribuuntur, vt gratia publicæ gubernationis. Igitur, vt in Ciuili administratione docet Arist. posse ciuem esse bonum, qui vir bonus non sit, ita erit bonus concionator, qui vita moribusque sit malis: præsertim, quod Christianæ Reipublicæ supra nos ipsi diximus, eum esse administrum. Ad hoc autem quid requiritur nisi idonea scientia, visque dicendi? Hæc & similia verè, sapienterque magna ex parte dicuntur. Nam primum veritas doctrinæ non vitiatur improbitate Doctoris. Deinde neque Prædicatori legitimo potestas interit prædicandi, quòd aliter faciat, ac dicat. Postremò ad populum spectat potiùs ex suo Pastore, quod docet accipere, quàm quomodo viuat, inspicere. Atque hæc passim à sanctis Patribus differuntur. Frequenter (inquit) Chrysost. & de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra prætiosum aurum producit.] Anastasius Papa: optime è sacris literis argumentatur. Quicquid ad hominum profectum quilibet in Ecclesia minister officio suo videtur operari, hoc totum contineri implente diuinitatis effectu.] S. August. mercenarios præpositos in Ecclesia non modò vtiles, sed etiam necessarios appellat, propter eos nimirum, qui opera eorum saluantur. Multi quippè (inquit) in Ecclesia commoda terrena sectantur; Christum tamen prædicant: & per eos vox Christi auditur: & sequuntur oues non mercenarium, sed vocem Pastoris per mercenarium.] Et mox subijcit multa de botro inter spinas pendente quod tamen alibi, explicat his verbis: Bonus tibi prædicat, carpe vuam de vite, malus tibi prædicat, carpe vuam pendentem in sepe. Botrus implicitè in palmite inter spinas creuit, & de spinis non germinauit. addit autem cauendum, ne dum quæritur fructus, manus laceretur. hoc est, ne qui audit bona dicentem, imitetur mala facientem & in psal. operatur (ait) quidem Deus aliquando per Euangelistam. salutem alterius tantum, si ipse dicit, & non facit: & fit per linguam eius in alio locus Domino, non autem fit ipse locus domini:] Hæc omnia verè, sancteque dici negari non potest, & malis etiam hominibus

Ad Philip. 1.

Hom. 45. in Matth.

Epist. ad Anast. Imperator.

46. in Io.

Ser. 42. de sanctis.

In Ps. 131 non longè ab initio.

nibus passim prædicatoris nomen attribui, sed id quàm decenter cum vitæ prauitate consistat à nobis in præsentia quæritur.

Ac primò quidem delenda ex animo est opinio illa vilis, ac falsa, per quam Oratoris nostri facultas propè videtur in Rhetorum detrudi officinas. Altior hæc professio est, sacra, diuina: profanæ Rhetoricæ, atque adeo philosophiæ nequaquam seruituti subiecta, imperans ijs, ac veluti ancillulis vtens, ex altissimarum cognitione rerum, ac nobilissimarum possessione virtutum. haud quidem sine eloquentia, sed tali, qualem suo loco describemus, efflorescens: Non enim de foro Rabulam fingimus, aut Sophistam de Theatro, aut alium quemuis ore promptum, & idoneum plebeculæ aures linguæ volubilitate suspendere: sed veræ pietatis magistrum, morum cultorem, euersorem vitiorum dignum denique Dei ministrum, rectè tractantem verbum veritatis ad æternam animarum salutem. Talis autem Orator esse sine virtute quam difficile poterit? nã cum omnis doctrina, generatio quædam sit, vt benè ex ipso Platone differit Clem. Alex. quemadmodum filios corporales non procreant homines, nisi in perfectione quadam ætatis ac virium; ita neque à viris bonis spirituales filios nisi in virtutum perfectione progigni. Sed quid opus est argumentis, cum peccatori dixerit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum? & Christus Dominus oratores suos instituens, hanc legem sanxerit, vt eorum scientia atque doctrina à bonitate vitæ penderet, cum dixit: Vos estis lux mundi: nempe Euangelicæ prædicationis facem circumferentes: Sic tamen luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, ac glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est? Et Apostolus Paulus, quos format populi magistros Timotheum ac Titum, iubet seipsos eorum quæ docent exempla præbere. Quàm verò sæpe conqueritur Deus in sacris literis, quòd nomen suum blasphemetur inter gentes? non quidem quod Hebræis scientia & eloquentia, sed quod proba vita deesset. Verè, ait, Chrysostomus, si Christiani forent quales deberent, iampridem nullus in mundo esset reliquus infidelis. Et tamen concionatorum non magna inopia est, & infideles magis in dies abundant: eò scilicet, quia verorum Euangelij præconum penuria augetur.]

Christiani oratoris longe altior quã politici.

In Cõuiuio. *l. 5. Strom.*

Matth. 5.

Atque equidem existimo non modò Sacrum concionatorẽ; à quo titulus ipse profanas vitiorum sordes excludit, sed ne vllum quidem qui Christianus sit, debere dignum Oratorẽ censeri,

Politicus Orator debet esse vir bonus.

seri, nisi idem fuerit vir bonus. Nec debet hoc mirum videri, cum laudem hanc olim in Oratore suo. Ethnici quoque sapientes requirerent. Ex quibus Seneca, is, qui declamationes scripsit, in earum Proemio iuuenes suos his verbis alloquitur. Erratis optimi iuuenes, nisi illam vocem, non Marci Catonis, sed oraculi creditis, Orator est Marce fili, vir bonus, dicendi peritus. Quintilianus autem Oratorem à se institui profitetur illum perfectū, qui (inqnit) esse nisi vir bonus non potest; Ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus.] Qua in re demonstranda, probabili sanè conatu elaborat. Equidem non dubitarim, quin idem omnino doctus fuerit Arist. si lucem Christianæ disciplinæ nactus esset. Nam id, nisi fallor, hoc argumento ex eiusmet præceptis ostenditur. Aristoteles ipse docet necessariam dicenti opinionem boni viri apud eos, apud quos verba facit; ac proin dè debere eum ita instituere orationem, vt eam sibi existimationem dicendo conciliet: quod perindè est, ac si dicat, Oratori ita est agendum, vt siue habeat verè siue non habeat virtutem; certè habere putetur. Adeo est in auditorum animis necessaria talis de suadente opinio. At Christiano Oratori nullo modo fas est hypocritam agere, & consectari famam virtutis, quam non habeat: habeat igitur virtutem ipsam, vt opinionem veram colligat.

In Proem.

Quint. in Probē. li. 1.

Cap. 1. lib. 12.

Probatur rationibus. Cap. II.

Prima ratio ex munerisdignitate. *Par. 2. Pastor. c. 3.*

Ad quas virtutes prædicatio refertur.

QVicquid tamen profano de Oratore, sentire libeat, certè quidem facer Orator non modò veram, sed etiam maximam in omni genere virtutem postulat. Eadem, inquit, Greg. loci maiestas, quæ concionatorem grandia dicere cogit, etiam magna operari impellit. Supra in cap. 9. libri primi diximus, Prædicatoris opera ad præstantissimas pertinere virtutes, ad charitatem erga Deum, & proximos, & ad alias omnes, ad quas cohortatur auditores, vel à quarum contrarijs vitijs abducit. Est enim temperantiæ ad ieiunium, pudicitiæ ad castimoniam, iustitiæ ad suum cuique reddendum exhortari, damnareque intemperantiam, libidinem, iniquitatem, eodemque modo in cæteris. Propriè autem è sua natura prædicare, quod est recta præbere consilia, adhibereque opportunas adhortationes, & consolationes, & alia ad vitam spiritualem subsidia, ad virtutem. Misericordiæ pertinet: quod etiam S. Thom. non semel

se mel docet. Igitur sicut largitio eleemosynæ corporalis, vt ita fiat, sicut natura sua postulat, ex misericordiæ virtute nasci debet; sic opera Christiani suasoris, cum per omnes vagentur virtutes, eas omnes in eo, ac præcipue erga proximum, charitatem requirunt. Ac veluti haud vere esset misericors qui pecuniam alia, quam virtutis causa, largiretur; ita nec dignus erit Prædicator, qui sua opera non ex virtute progignet. Qua in re etiam deterior Prædicatoris causa est. Nam qui dat eleemosynam, perindè appositè ad miseriam inopis releuandam, dabit, siue misericordiæ amore tribuat, siue iactãtiæ: Prædicator autem vix poterit, quę ab ipso expectantur, spirituales eleemosynas, quemadmodum opus est, & eius officium iubet, conferre, nisi veras possideat in mente virtutes.

Secunda ratio ex natura Sapiẽtiæ. *Collat.* 14. *cap.* 10. & *cap.* 16.

Deinde desideratur in eo ad hanc rem Sapientia. At ea in animam maleuolam non introibit. Nam, vt ait Cassian. Impossibile est immundam mentem donum scientiæ spiritualis adipisci. Nemo enim in vas fœtidum atque corruptum vnguentũ aliquod nobile, aut mel optimum, aut precioſi quiddam liquoris infundit; facilius enim quamuis odoratissimum myrum se mel horrendis imbuta fœtoribus testa contaminat, quam vt ali quid ex eo suauitatis, aut gratiæ ipsa concipiat. lege totum caput decimum sextum Cas. collationis 14. Ita igitur & vas pectoris nostri nisi prius fuerit ab omni fœtidissima vitiorum contagione purgatum, non merebitur suscipere illud benedictionis vnguentum, de quò dicitur, sicut vnguentum in capite &c. nec illam scientiã spiritualem, & eloquia scripturarum quæ sunt dulciora super mel & fauum, impolluta seruabit. Quod vidit etiam inter infidelitatis tenebras Fabius. Adde, inquit, quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens, nisi omnibus vitijs libera potest. Primum quod in eodẽ pectore nullum est honestorum, turpiumque consortium: & cogitare optima simul ac deterrima non magis est vnius animi, quam eiusdem hominis, bonum esse, ac malum. Tum illa quoque ex causa, quod mentem tantæ rei intentam vacare omnibus, alijs, etiam culpa carentibus curis, oportet.] Quæ nostrum in Oratorem, quanto is diuiniora tractat, tanto maiori iure conueniunt. Malè itaque omnino res cedet, nisi Deus Concionatoris mentem prius illuminet, osque aperiat. Verum enimuero amicis arcana sua reuelare se dixit Christus. Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Qui autem sint amici ipse item docuit: Vos autem

Pſal. 132.

Sapientia bonis sese communicat.

autem amici mei eritis, si feceritis, quæ præcipio vobis.

Eccl. c. 5. Sed audiamus quàm locum hunc S. Spiritus & copiosè, & magnificè tractet. Qui timet Deum faciet bona, & qui continens est iustitiæ apprehendet illam (nempe sapientiam) & obuiabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur, & continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos: & in medio Ecclesiæ aperiet os eius, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum. (Et addit) Homines stulti non videbunt eam, longè enim abest à superbia & dolo, viri mendaces non erunt illius memores, & viri veraces inuenientur in illa, & successum habebunt, vsque ad inspectionem Dei, Non est specioſa laus in ore peccatoris, quoniam à Deo profecta est sapientia, sapientiæ enim Dei adstabit laus, & in ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi.] En vt timenti Deū occurrat sapientia; eiusdem vt aperiat os in Ecclesia, vt viri veraces in sapientia inueniantur, & successum habeant vsque ad inspectionem Dei; quia noua lucra reportant, quousque ad ipsum perueniant clarum Dei conspectum. En vt sapientiæ, quę scilicet cum sancto timore, & virtutum omnium perfectione coniuncta est, adstet Dei laus: & in ore fideli abundet ijs animarum fructibus, quos & in dicentis, & in audientis corde procreat. En altera ex parte vt sapientia longè absit à superbia & dolo: vt viri mendaces, id est, improbi quilibet, non sint memores illius. Quid autem illo clarius & grauius, Non est specioſa laus: & addunt multa biblia causam, quia non est à Domino missus.

Explicatur optimus locus.

Tertia ratio ex natura eloquentię.

Quint. l. 12. cap. 1.

In bonis eloquentia vera viget.

Rursum desideratur in Oratore Christiano non sapientia modò, sed & eloquentia. Hanc autem rebus, quas tractat, & personæ, quam sustinet conuenientem nunquam poterit absque insigni virtute nanciſci. Qualis enim quisque est, ita loquitur. Certè, inquit, Fabius melius persuadebit alijs, qui prius persuaserit sibi. Prodit enim se quamlibet custodiatur simulatio: nec vnquam tanta fuerit eloquendi facultas, vt non titubet ac hæreat, quoties ab animo verba dissentiunt. Vir autem malus aliud dicat necesse est, quam sentit. Bonos nunquam honestus sermo deficiet: nunquam rerum optimarum (nam ijdem etiā prudentes erunt) inuentio: quæ etiamsi leoncinijs destituta sit, satis tamen natiua sua ornatur, nec quicquam non diserte,

quod

quod honeste dicitur] Hæc Fabius. Quibus iure illud Apostoli acclametur: Testimonium hoc verum est. Nam reuera quid intereſt inter eius orationem, quæ pleno fluit ex pectore, quam dicentis ornat, & armat innocentia, & facta corroborant; cui conſcientia fiduciam, & quaſi frontem addit, quid, inqnam, inter huius oationem intereſt, atque præmortuam illius dictionem, quæ aduerſante corde ſolum trepida formatur in lingua, dum ſiue inuehatur in vitia, ſiue honeſta commendet ſeſe accuſat, ſeſe condemnat? Cum igitur totus ſit Chriſtianus eloquens in commendatione virtutis, & vitiorum inſectatione; quin poterit cũ dignitate eloqui, cum grauitate agere, niſi reuera vitia oderit, virtutem amet? Neque nunc ago de vi recti exempli: ſuum illi deſtinatum eſt caput; ſed tantum de conueniente ad cunctas ſui officij partes Concionatori virtute. Qui cuiuſpiam vitium corripit, vacet eo, alioquin dicta factis deficientibus erubeſcunt. Emunctoria quæ lucernis expurgandis vſui erant, Deus aurea eſſe voluit; qualem igitur volet Concionatorem eſſe ad purganda populi peccata miſſum? Non confundant, inquit, S. Hieron. ſermonem tuum opera tua: ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat, cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus magiſter eſt, qui pleno vẽtre diſputat de ieiunijs. Accuſare auaritiam, & latro poteſt. Sacerdotis Chriſti os, mens, manusque concordent.] In libello duodecim abuſionum, qui Cypriano adſcribitur, Primus cẽſetur abuſionis gradus, ſi ſine bonis operibus prædicator fuerit; quia quæ ſermone docet, actibus explere negligit. Et ſubditur; Nunquam enim fit efficax conſtituentis authoritas, niſi eam effectu operis cordi affixerit audientis.] Optimè Naziãzenus comparat malos Prædicatores malis pictoribus, qui lingua pingunt, vita expungunt. Ideo (vt vtar eius verbis) purgari prius debent, quàm purgare; lux fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ita alios adducere: ſanctificari, & ita alios ſanctificare: prius manibus ducere, ideſt exemplo ſuarum actionum, inde conſiliũ dare.] Nemo inquit Symmachus Papa, rectè monitoris perſonam ſuſcipit, niſi qui actibus ſuis errata condemnet, & amorem innocentiæ conuerſatione demonſtret. Et Greg. Quid eſt, quod labia ſponſi lilia eſſe dicuntur? niſi quod illi per quos Chriſtus loquitur, neceſſe eſt, vt mundi ſint, & per eos bonus odor aſpergatur. De quibus erat Apoſtolus Paulus, qui dicebat bonus odor ſumus Deo in omni loco; & in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt.]

Cap. 1. ad Tit.

Hier. Ep. 2. ad Nepot.

Apol. 1.

Habetur diſt. 81. c. nemo.

In cap. 5. cant.

Quid?

Quid? quod, vt ait Isidorus, interdum doctoris vitio etiam ipsa vera doctrina vilescit: quia dum non viuit sicut docet, ipsam, quam prædicat veritatem contemptibilem facit?] Si nō habueris opera (inquit Chrysostomus?) non tantum loquens non profuisti, sed & potius læsisti. Melius est tacere. Quare? Quoniam opus mihi reddis impossibile. cogito namque, quod si tu tanta disserens nō efficis, multo magis ego venia dignus.] Quam porrò indignè, quàm insulsè de spirituali vita loquetur, qui eam non intimo cordis palato gustarit? Nam neque de mellis dulcedine quisquam melius, quàm ex gustatu loquitur.

l. 3. de Sū. bono c. 57. Hō. 38. ad pop. Ant.

Quinta ratio ex morata oratione.

Quod si in primis eloquentiæ laudibus morata censetur oratio, cum scilicet in dictione probi mores dicentis elucent: ijque beneuolentiam auditorum conciliant, ij persuadent, mouentque. quia, vt ait Augustinus. Habet, vt obedienter audiatur, quātacunque grauitate dictionis maius pondus vita docentis.] quin rogo, habebit bonos mores oratio, si habeat malos Orator? Ad hæc auctoritas in dicente necessaria est, vt fide sit dignus. Nunquam enim bene auditur, qui male audit. Quin etiam mali hominis graue est sequi consilia, etiamsi recta esse intelligantur. Plutarchus in moralibus, & Gellius referunt Lacedemonum iudices cum orationem satis bonam audissent, quam improbus orator habuerat, probasse quidem, quæ ille dixerat, sed displicuisse eis, quod malus esset author sequendus; ideoque decreuisse, vt alius bonis ornatus moribus eadem repeteret, ne praui hominis sequuti consilium viderentur. Simile est quod Tullius de Phormione Peripatetico refert: qui cum aliquot horas de Imperatoris officio, & re militari coram Annibale, Pæno Imperatore præstantissimo, disputasset, interrogatus Imperator quid de Phormionis oratione sentiret, libere dixit, se multos deliros senes sæpe vidisse, sed qui magis quàm Phormio deliraret, vidisse neminem: quod ea, quæ ipse non esset expertus, vellet cæteros edocere.] At inquies, verbum diuinum quocunque ex ore manet ingenita vi sua pollet, idque, ad quod mittitur, efficit. Est ita sanè: potest Deus, vt initio dixi, per quoscumque homines sua alijs dona largiri: tamen certū est posse malos prædicationis ministros impedimentum diuinis donis obijcere. Isid. Arcus peruersus est lingua ministrorum docentium bene, & viuentium male &c. Inde enim est, quod tantopere cauebat Paulus, ne quam offensionē daret Euangelio. Inde sanguis impij, qui perierit, quod speculator non annunciauerit, de manu ipsius speculatoris requiritur.

Plut. tractat. de audit. Offic. Gell. l. 18. c. 3. noct. Attic.

Lacedemonū Iudicium.

2. de Orat.

Annibalis de Phormione Iudicium.

4. Doctr. Christ. c. 27.

3. de Sum. bono c. 3.

Digitized by Google

rit. Quid autem interest non annunciauerit omnino, an male annunciauerit?

Et infra sparsim ostendetur, quantum preces, & recta opera Prædicatoris pro fructu animarum adiuuent apud Deum; idque ex proprio requiri Doctoris officio etiam S. Thom. ostendit, vbi demandatum Prælatis ait à Domino docendi munus & baptizandi: sed ita, vt illud per se, hoc per alios exercerẽt. Et hoc ideo (inquit) quia in baptizando nihil operatur meritum, & sapientia ministri, sicut in docendo. Et sane quid est quod tantum Apostoli profecerẽt? Num ob exquisitum dicendi genus? Non ita: sed spiritus Domini repleuit orbem Terrarũ. Nec in verbis, vt ait Iustinus, sed in factis & operibus res Religionis nostræ positæ sunt. Qui subdit, Philosophorum fuisse Ethnicorum, aliquos, qui vellent eloquentiâ freti persuadere hominibus falsam religionem. Sed operarium frugiferum videamus quomodo per Malachiam sub nomine Leui describat Deus. Pactum meum fuit cum eo vitæ, & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. En ante omnia virtus; Sequitur iam recta doctrina. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. Iam rursus ad morum Sanctitatem & coniunctionem cum Deo regreditur: In pace, & in æquitate ambulauit mecum. Tum demum sequitur fructus: Et multos auertit ab iniquitate. Timor igitur Dei, sincera doctrina, consensio, coniunctioque cum voluntate diuina ad auertendos ab iniquitate multos sunt quæsita.

Oratio ex fructu.

3. p. q. 67. ar. 3. 1.

In Parænetica ad gẽtes.

Cap. 2.

Probatur eadem conclusio ex titulis Concionatori proprijs. Cap. III.

Adde his concionatorem instrumentum Dei esse quasi simile ijs, quæ coniuncta nominantur; id est, quæ solent vim, & impulsum accipere ab agente principe, tum eam adhibentur ad opus, ideoque apte oportet, & ei esse coniuncta. quomodo manus est hominis instrumentum, At semina arborum, & instrumenta id genus alia, separata vocantur, quia cum ab agente primo semel suo in orta virtutem recepere, per eam postea, etiam illo absente, suum opus efficiunt. Quibus comparare possumus sacramentorum ministros, quatenus eorum propria effecta à ministri virtute, seu vitio non pendent. Ex priore igitur genere Concionator cum sit, coniunctus conetur esse cum Deo, qui virtutis & impulsus est author. Adde quod serui fa-

gitiosi, & legati perversi dedecus redundet in Dominum. Igitur quamuis mandata fideliter exponat; fidelis omnino servus non est. Quid enim si nos audiremus missum à Rege seruum, qui tradita quidem sibi à Rege mandata eleganter exponeret, magnaque contentione agendi, sed eodem tempore sciremus, cum Regi ipsi insidias, necemque moliri? Plus creditur factis, quã dictis: atque adeo ille non tã legati, quàm proditoris munere fungeretur. Adde rursus quod legationis huius ea est causa, vt reconcilientur homines Deo. At is, qui reconciliatoris sustinet munus, vtrique parti debet esse benevolus. Non igitur qui malus est homo, vnquam dignus erit hoc nomine, cum is, qui scelestus est, nec Deo, nec hominibus sit revera benevolus.

Est Minister. Quid à nudus ille titulus ministri Dei quantam sanctitatis exigit perfectionem? Hoc volebat accurate perpendi magnus ille gentium Doctor, qui, Sic nos existimet homo, inquit, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Sed planius quid hoc nomen postulet magnificis illis verbis exponit. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate nõ ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris &c. Hæc & alia quæ sequuntur consummatæ virtutis opera in Dei ministris requirit Paulus, eo solùm nomine, vt exhibeant se in omnibus sicut Dei

Ep. 2. *c.* 4. ministros. Ideo ad Timoth. scribens, & coram Deo & Christo Iesu testificans, vt prædicet verbum, instet opportunè, importunè, arguat, obsecret, increpet in omni patientia ac doctrina, vigilet, in omnibus laboret; Omnia breui complexurus subijcit: Opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto, tamquam omnis illa imperans, vt ministerij munus, & dignitas & Euangelizandi præsertim opus impleatur. Sactus Pe-

2. *Petri.* trus: Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam

cap. 4. administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum. Rursum Paulus. Et ipse

Ad Eph. 4. dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi. Quanta ergo virtutis celsitudo postu-

latur

latur in ijs, quorum officium est loqui sermones Dei? vt eos ita tractent, vt Dei sermones? quorum est Dei mysteria dispensare, vt pro dignitate dispensentur? quorum est consummare ac perficere Sanctos, & reddere omnem hominem non modo innocentem, sed etiam quantum fieri potest perfectum in Christo? quorum denique est ipsum Christi corpus ædificare? Quod si ipsa Sacramentorum administratio vitam ab omni labe puram requirit; ministerium verbi diuini, cui omnia posthabebant Apostoli, poterit inter peccatorum sordes consistere? Maneat igitur summopere conuenientem esse Christiano Oratori insignem in omni genere virtutem, ac propterea habeat ante oculos Christi exemplum, qui erat docens tanquam potestatē habens, non solum, quia Deus erat, sed etiam quia quod sermone prædicabat, representabat facto, & prius cepit facere quàm docere: & liberè obmurmurantibus Hebræis obiecit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Proponat sibi etiam Paulum, qui se pugnare sic aiebat, non quasi aërem verberaret. Nā planè mali declamatoris oratio, nil nisi aërem, & aurem auditorum verberat, pernadere pectus vix potest. Sit talis, vt possit cum eodē Apostolo dicere, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Audiat S. Bernardum. Si sapis, inquit, concham te exhibebis, & non canalem; hic siquidem pene simul & recipit, & refundit: illa verò donec impleatur expectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat: sciens maledictum, qui partem suam facit deteriorem. Et regius Propheta cum dixisset, Ecce enim veritatem dilexisti, incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi: non tamen idcirco statim prosilit ad concionandum, sed subijcit precationem, vt à peccatis liberetur, & impleatur virtutibus: tum demum etiam ad prædicandum se processurum profitetur. Spiritum, inquit, rectum innoua in visceribus meis, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me; & spiritu principali confirma me, atque tunc Docebo iniquos vias tuas: Neque erit irritus, sed plenus bonarum frugum labor, & impij, inquit, ad te conuertentur. quod argumentum sequentibus etiam versiculis prosequitur. Hæc igitur ordinaria Dei prouidentiæ ratio est, & rerum naturæ consentanea. Si autem præter ordinem velit ipse, vel mutis iumenti os aperire, vel linguam Balaami, quam ille impellebat ad maledicta, in benedictionem soluere, admiranda sunt: eoque tantū valent, vt si quis vitæ non bonæ aliquando in sancto hoc ministerio versetur, quod ad nos pertinet, cum Apostolo gaudeamus,

Exemplum Christi, & Pauli.

1. Cor. 9.

1. Corinth. cap. 10.

Ser. 18. in Cant.

Psal. 50.

Etiam per Asinā Deus potest loqui.

deamus, modo Christus annuncietur & populis necessaria institutio minus desit. Illos tamen præter iacturam maximi lucri, quo se miseri sponte defraudant, dum tam pretiosas merces proiiciunt, sine dubio pœnæ manent grauissimæ, quas supra indicauimus ob contumeliam, quam adeo sancto ministerio irrogant, & fructum animarum, quem impediunt: Ac timere debent, ne eueniat eis, quod in actis Apost. legitur euenisse Iudæis, qui adiurabant Dæmones per Iesum, quem Paulus prædicabat: quibus respondens spiritus nequam, dixit, Iesum noui, & Paulum scio. Vos autem qui estis? & insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. Videbantur vel ipsi dæmones pati indignitatem rei non posse, vt homines nulla virtute Christi, Paulique præditi, tamen vellent eis per eorum nomina insultare. Similia videntur facere, qui pro suggestu, Satanæ ac peccatis insultant, habentes in ore Sanctos & Iesum, & Deum, a quibus tamen vita sunt alieni. Qui dicunt, nec faciunt, similes cereo sunt, qui dum lucet aliis, se ipse consumit. Et ideo qui sunt eloquentes, nec rectè viuunt, magis miserandos affirmo, quàm si eo dono carerent: vt is magis miserationem commouet, qui pulchrum habet corpus, & fœdam animam, quàm si corpus quoque fœdum haberet. Vt igitur concludam nostrum Oratorem etiam atque etiam moneo, vt auream planè Chrysost. sententiam diligenter notet, nec eam frustra dici patiatur. Bene viuendo, (ait) & bene docendo populum instruis quomodo debeat viuere, bene autem docendo, & male viuendo Deum instruis quomodo te debeat condemnare.

Exemplũ hominis peruersi adiurantis spiritum malignum. Act. 19.

Isid. 3. lib. de Sũ. bo. cap. 17.

Hom. 43. in Matth.

Recta intentio. Cap. IV.

SAtis docuimus Euangelicum Oratorem, virum esse debere virtutum omnium ornamentis egregie instructum: Virtutes iam non omnes, sed quasdam singillatim, quibus potissimum debet excellere videamus, meminisse autè semper oportet illum esse Dei ad saluandas animas instrumentum. At instrumenta ita debent comparari, vt conuenientia sint Agenti, & effectui, & tam cum agente, quàm cum ea re, in qua opus moliuntur, aptè iungantur. Quare noster Orator, cum sit medius inter Deum, & homines, & per virtutes præcipuè ad vtramque partem conuenienter aptetur, nonnullas prius, per

Erga Deum virtutes.

quas

quas Deum, cum alias, per quas respiciat homines, consideremus. Ac primum præeat, & quasi ducat agmen, tanquam lumen, & oculus cæterarum, recta meas & intentio. Tum initio prædicator, cum toto in progressu, & exitu sui laboris rectam intentionem diligentissime conseruet necesse est. Nam quemadmodum vnum, idemq; opus vna cum Deo molitur, et vt administer, atque adiutor inseruiens; ita spectare idem omnino, idemque habere propositum debet: ita legati, & eius, qui illum mittit ad optatum legationis exitum, opus est, consentiant voluntates. Sit igitur tamquam Aaron, deferens in fronte mentis semper auream laminam diuinæ charitatis, in qua sit sanctissimum Dei nomen insculptum. Hoc habeat præ oculis mentis semper, hoc intueatur, vt Christum magnificet. & in cordibus auditorum imprimat vt animas Deo lucretur, & spirituales reddat suos auditores; denique peccata ex orbe Terrarum exterminet. Nam Isaias clamat, hic est omnis fructus vt auferatur peccatum. Bernardus puritatem intentionis præcipue in duobus docet consistere: in quærenda Dei gloria, & vtilitate proximi, vt in omnibus actibus suis nihil Sacerdos quærat, nisi tantum Dei honorem, aut proximorũ salutem, aut vtrumque magis: sicut duo maximè hoc in opere rectam peruertunt intentionem: inanis gloriæ ambitio, & lucri alicuius temporalis appetitus, vnde præstantissimi muneris tota administratio vitiatur. Nam recte Greg. cum peruersa est, ait, intentio, quæ præcedit, prauum est omne opus quod sequitur, quamuis esse rectum videatur: plane. si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste callido secure possidetur: quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit, quã veneni dente in radice vulnerauit.]

Qualis esse debeat Concionatoris intentio.

Cap. 27.

Bernar. Ep. 42.

l. 1. Dial.

Habeat itaque Prædicator in ore illud Christi, Ego non quæro gloriam meã, sed eius qui misit me, &, Si ego gloriam meã quæro, gloria mea nihil est. Cumque aliqua inanis gloriæ tentatio eum quatit, repetat eadem verba, & addat, Si ita Christus, quid ego? Habeat in ore, & in corde verba Diui Pauli, exhortatio nostra (ait) non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs.] Quid tam absurdum quam vi-

Thom. 8.

1. Thess. 2.

Contra Ioanem gloriam in concionando.

tia insectari per vitia? & imitari eorum Philosophorum vanitatem, qui (vt ait Tullius) de contemnenda gloria libros scripserunt, & in his ipsis gloriam proprij nominis quæsierunt? Caueat ergo sibi tamquam à pessimo fure inani gloria, laudibus & applausu populi. Audi quid hac de re egregie doceat Chrysost. Difficile est plane superare appetitum laudis, sed certũ est eos, qui eius cupidi sunt, mœstitia ac dolore affici, quoties non assequi contingat: vt qui appetunt opes, si in paupertatem inciderint, mœrore afficiuntur, & delitijs assueti tenuem victum tolerare non possunt; ita qui laudum amore capti sunt, non solum cum iniustè vituperantur; sed etiam cum ab alijs assidue non laudantur, quasi fame quadam animum conficiunt, idque maxime si alios apud se laudari audierint. Qui vero cum laudum appetentia huiusmodi, in docendi certamen prodierit, quàm multis illum doloribus obnoxium putas? certe neque mare vnquam potest vndis carere, neque illius animus curis atque angustia.] Et addit hac in parte Chrysost. optimum cõsilium: Qui aliorum, inquit, docendorum prouinciam suscipit, nec de aliorum laudibus dependeat, neque ab ijs animum despondeat.] Vbi fusè ostendit tam insignes quã mediocres in hac facultate homines, egere contemptu laudis: alioqui vel fructum amittẽt, vel officium deserent, vel in magnas animi curas incident. Vide ibidem plura; quo loco etiam admonet, illud in meditandis cõcionibus spectari debere, vt ille Deo Opt. Max. gratæ sint & acceptæ: Hoc vnum ait quisque sibi statuat terminum optimi illarum opificij, non autem plausus ac laudes.]

Cicer. pro Arch. & alibi.

Lib. 3. de Sac.

Ibidem.

Hieron: in illud Prouerb. In plateis aquas tuas diuide, habeto eas solus, ne sint alieni participes tui. Hoc (ait) accidit, quando exterius late prædicationem fundimus, & tamen per eam laudes humanas minimè ambimus. Immundi autem spiritus, qui alieni dicuntur, tunc participes fiunt Doctoris, si eius mentem vel fausto elationis, vel alio vitio corrumpunt.]

Hier. l. 1. in prou. cap. 5.

Augustꝰ. & Gregorius super verba, Excutite puluerem de pedibus: Quia (inquiunt) puluis inanis gloriæ, pedibus prædicatorum frequenter adhæret, debet vtique Prædicator excutere puluerem de pedibus suis, ipsosque compunctionis aqua lauare, vt mundus sit totus, ne forte cum alijs prædicauerit, ipse reprobus fiat.

Augustꝰ. de Doct. Chr. l. 4. c. 15. Gregor. 2. past. 1. c. 8.

Contra cupiditatem rerũ temporaliũ.

Neque cupiditas temporalium rerum debet eum vel tantillum mouere, cum verbum Dei ad cœlestia & æterna trahat homines, non ad terrena lucra, & proprius commoditates; cuius

rei

rei vel leuissimum signum Concionatori plurimum obest, & fructum verbi Dei interuertit. Nec verò difficile est animaduertere cum ad ostentationem sui, vel aliquam lucri humani spem Concionator se conuertit: cum se ipsum magis, quàm Christum prædicat: quod est adulterare verbum Dei, & sibi gloriã tribuere, quæ soli Deo conuenit: cum ipse vult potius prædicari, quàm Dominum prædicare. Quod tantò magis vitio verti debet, quia in eo munere agit legatum pro Christo, vt supra ex Paulo monuimus. Quæ autem perfidia maior quàm si legatus missus à Principe, vt sponsam Domino suo procuret, eam sibi cum summa illius iniuria assumat. Quare August. ait: Secundum legem veterem debet Prædicator fratri defuncto, id est Christo, prolem generare, non sibi, & illius nomine vocare] Paulum imitetur sic alloquentem Corinthios: Despondi vos vni viro virginem castã exhibere Christo; Vbi Theoph: Corinthios ait sponsæ loco posuit Paulus, se ipsum autem pronubi vice. Idem Theophil. & Chrysost. docent, tales pronubos imitari debere famulum Abrahæ seruum fidelem, qui ingressus domum Rebeccæ, cum appositus esset ei cibus: Non comedã, ait, donec loquar sermones meos; In quæ verba glossa interlinearis ait, Non quærit famulus, id est Concionator, quæ sua sunt: non vult metere carnalia, nisi prius seminauerit spiritualia. siquidem fidelis Concionator non concionatur vt comedat, sed comedit vt concionetur] Bernardus etiam: Quæris, inquit, quem dicam impurum? qui laudes requirit humanas, qui non ponit sine sumptu Euangelium: qui euangelizat, vt mãducet, qui quæstum æstimat pietatem, qui non requirit fructũ, sed datum] Et hos quidẽ vehementer arguit vox illa Balaam licet impijssimi Prophetæ: Si dederit mihi Balac domum suam plenam auro, non potero loqui aliud, quàm quod mihi præcepit Deus] Vtinam Christi Domini vocem audiamus dicentis, laxate retia vestra in capturam, scilicet animarum, non proprij fauoris, non dignitatis alicuius, non lucri terreni: & cum Petro dicamus, in verbo tuo laxabo rete. Vnde enim est quod aliquando totas etiam noctes aliqui studio vacant, conciones cum magno labore componunt, integras quadragesimas peragunt: & tamen laborantes nihil videntur capere, vix vnius animæ conuersionem referre possunt: nimirum quia non in verbo Christi, nec ad dexteram, sed ad sinistram nauigij laxant retia: aliud quàm animas quærunt, se ipsos prædicant non Christum, eloquentiæ vanæ innituntur, voces arte compositas promunt,

l. 2. contra fau. ma. ma. c. 10.

2. Cor. 11.

Famulum Abrahæ imitemur.

Gen. c. 24.

Ser. 62. in Cant.

Num. 24.

Lucæ 5.

fudant quidem, sed inani labore se ipsos consumunt sine fructu animarum. Declamationes suas quasi telas aranearum texunt ad captandam auram, ac nomen: & sæpe assiduè istas muscas venantes ne istas quidem capiunt. Itaque prudens & spiritualis Orator, nisi velit laborum suorum fructus amittere, sæpè suam intentionem examinet, sæpe corrigat cum est opus: cum studio. & parandæ concioni animum admouet, oret Deum
Psal. 50. cum Dauide, Spiritum rectum innoua in visceribus meis: cum ad pulpitum accedit, quicquid est dicturus Deo offerat, dicens:
Psal. 113. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Si aliqua inanis gloriæ tentatio, vel sinistra intentio cordis sui fores pulset, cum zelo exclamet, Vade retro Sathana, Domi-
Matth. 4. num Deum tuum adorabis, & illi soli seruires.

Amor erga Deum & Christum magnus.
Caput V.

SAcrum hoc instrumentum, & adminiculum humanæ salutis, nihil est quod æque perficiat, Deoque habile reddat, quàm Dei ipsius & Christi amor, sine quo omnis prædicatio
1. Cor. c. 13 vana est ac futilis. Egregie Paulus vt omnia: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens; inanime scilicet ac mortuum instrumentum. Docet D. Paulus sine charitate & amore, Dei concionatorem posse quidem exterius tinnire, sed ille sonus ipsi quidem concionatori nihil, auditoribus vero parum omnino proderit. Quamuis enim aliquantulum
Quam sit necessarius Amor in Deū. delectari videantur sonitu, qui foris aures pulsat, intus tamen corda non accenduntur cum verba ex frigido pectore manantia, non habeant vim ad ignem excitandum. Idem Pau-
Cap. 3. lus charitatem vocat radicem ac fundamentum omnium bonorum, cum ad Ephes. scribens dicit: In charitate radicati, & fundati. Hanc radicem Christianus Orator in corde suo si alte figat, cætera facile & abunde ex ea oritura speret, quemadmodum ex vna radice tota pendet arbor. Solus quippè Dei amor ingenium acuit, industriam exstimulat, solus inuenit, aggreditur, peragit. Est enim amor acutus, ingeniosus, acer, ipse idem excitat ignem, ex quo verba profluant ignita, quæ possint in cordibus auditorum & ipsa faces accendere. Ob id enim Spiritus sanctus linguarum ignearum specie in Apostolos descendit, diuini amoris eloquentiam ipsis largitur. siquidem clo-

eloquentiam linguis, Amorem igne voluit designare: & Christus Apostolis præcepit, ne discederent è cœnaculo, nec euangelicæ prædicationi principium darent, quousque induerentur virtute ex alto: ipse enim Spiritus ostium est, per quod qui non intrat, fur est & latro: ipse Amantibus dat latitudinem Cordis: Ipse facit eloquentes, quia non potest vnquam deesse amanti, quod dicat, suggerente amore sententias, & verba. Ex hoc amore nascitur zelus gloriæ Dei, qui concionatorem vrit, vt dicat cum Elia, cuius verba instar facis ignita erant: zelo zelatus sum super Domino Deo exercitnum. Ex eodem charitas proximorum exsurget, quæ nihil aliud est, quàm omnes propter Deum diilgere: vnde zelus salutis animarum amplius efferuescet. Denique si Dei adsit amor, pauca ex ijs, quæ ad boni Concionatoris partes, edendosque fructus requiruntur, desiderabit. Hic amor Dei necessarius est, vt semper recta in Deum intẽtione feratur, nec populari plausu euanescat. Hic ad tolerandas persequtiones præbebit vires, enim sciat illud Christi: Si me persequuti sunt, & vos persequentur. Et illud habeat ante oculos: Si de hoc mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Sed diuinus Amor tale odium non horret, nec veritatem propter hoc tacet. Ex hoc eodem amore nascetur vis quædam in dicendo, & ardens eloquij efficacitas. Si enim Rhetores volunt ijs affectibus debere suum Oratorem moueri, quos in alijs velit excitare; noster Concionator quomodo in alijs amorem Dei ingeneret, quo ipse destituitur? In hoc ergo Dei amore laboret, vt etiam eximius, & magnus euadat, & ad quamdam cum Deo familiaritatem perueniat; ita enim fiet, vt non mediocres, sed magnos fructus pariat. Vt enim plantæ, fructus non faciunt nisi creuerint & animalia non generant nisi in ætate adulta, ita, vt filios spirituales Deo generet, & Christum parturiat, & in ingeneret in cordibus; multum refert, vt in hoc amore Dei sit magnus:

Act. 1. 3. *Reg. c. 4.* 3. *Regum cap. 19.* *Thom. 15.*

De Amore erga Christum.

Sed placet magis ad amorem Christi sermonem conuertere, & hunc Oratori nostro ante oculos ponere, nõ solum qua Deus sed etiam qua parte homo est. Hic Christi amor, si perfecte cum concipiet Sacer Orator, maxime erit efficax, vt ipsum instrumentum auctori suo proxime, & conuenienter annectat; cum enim illa Christi sanctissima humanitas sit perfectissima vnitate Deo coniuncta; qui illum hominem singulari dilectione complectitur, non poterit cum ipso Deo non fieri vnum.

Quam-

Quamobrem arbitror, neque dignius fundamentũ, neque fęcundiorem radicem posse desiderari, quam sit amor Christi, qui quanto erit in cõcionatore feruentior, tãto is maiore dignitate munus suũ administrabit. Etenim obscurum esse nõ potest, quin omnium Christianarum dictionum primum ac maximũ argu-
1. Cor. 1. mentum Christus esse debeat. Debemus enim cum Paulo dicere: Nos autem prædicamus Christum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, nobis autem, id est his qui salui fiunt, Dei
Gal. 4. virtutem ac Dei sapientiam: Et, quoniam non cognouit mũdus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Cum ergo Christianus Orator debeat semper Christum in ore, & concionibus habere, & id eniti, vt eius amorem in auditorum pectoribus ingeneret, oportet eum animo erga ipsum quam suauissime affectum esse. Si enim non habeat Christum in corde, vel non habebit in ore, quia ex abundantia cordis os loquitur; vel si fingere velit, in detestandam incidet hypocrisim: neque vnquam sermo fictus & artificiosus poterit esse efficax; verus enim non simulatus ignis incendit. & nemo, vt vulgari prouerbio dicitur, alteri dat quod ipse non habet.

Propterea studeat in se primo Christum formare, & tunc poterit vere cum Paulo dicere; Filioli, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Habeat Christum in intel-
Magna de Christo existimatio. lectu, maximam de eo, vti par est, concipiendo existimationẽ, vtpote de vero & vnico filio Dei viui, in quo repositi sunt omnes thesauri sapientiæ, ac scientiæ Dei, & perfectissimo capite totius Ecclesiæ non solum militantis, sed & triumphantis. Cogitet hominem, & Deum sublatum super omnem principatum & potestatem, & super omne nomen, quod nominatur, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, & cui flectitur omne genu; & alia quibus Sancti Pauli epistolæ plenæ sunt, quas in hunc finem & legere, & attente considerare vtilissimum est. Ex qua existimatione fiet, vt primum ipse omni honore ac laudibus eum colat & adoret. Deinde cum ad alios pro concione de eo verba faciet, cum quadam dicendi maiestate, ac magna reuerentia id præstabit, ita vt verba etiam corda penetrent auditorum, eosque ad idem faciendum permoueant. Præterea contendat enixis precibus à Deo impetrare, vt in animum suum tenerum ac singularem quemdam amorem infundat, quo feratur in Christum, tanquam in eum, qui modo singulari sit Deo dilectus filius, in quo pater vnice sibi complacet,

cet, in quo vt primogenito naturali agnoſcit ac diligit omnes filios adoptionis: in eo inquam, qui omnis noſtri boni fons, atque author eſt, cum non ſit aliud nomen, in quo, oporteat, nos ſaluos fieri: & denique à quo, & cum quo, & in quo, & per quem ſunt omnia. Ex hoc amore id conſequetur Chriſti amator, vt ſi fieri poſſit, omnes gentes, ac totum mundum cupiat, ad eius amorem pertrahere: tum vt habeat tanto plures ad eum amandum, colendumque auditores ac ſocios: tum quia hoc illi obſequium, hoc donum eſſe gratiſſimum nouit: atque adeo nihil magis in optatis habebit, quàm animas in ſuis concionibus Chriſto parere, ad quas ille ſuo ſanguine redimendas è cœlo deſcendit in Terras. Et ſane hic dignus eſt prædicare Chriſtum, & pro Chriſto legatione fungi, ac Euangelium Chriſti populis promulgare, qui aliquo modo ſaltem cupiat poſſe cum D. Petro dicere: Tu ſcis Domine, quia amo te, & animam meam pro te ponam. Debet vero pius Orator ſic animo inſtructus, ac tali amoris igne ſuccenſus, ſæpiſſimè de Chriſto in ſuis concionibus agere, de eius maieſtate, perfectionibus, amore, beneficijs in nos collatis; de illius dictis, factis, myſterijs, virtutibus ſermones frequenter inſtituere, maximè vero de illius paſſione & morte: in qua maior ſapientia ſplendet, & charitas ardet, vt poſſit eadem cum Paulo verba vſurpare, Non iudicaui me ſcire aliquid, inter vos, niſi Ieſum Chriſtũ, & hunc crucifixum. Ad hunc autem effectum animi tam precioſum in ſe primum, poſtea in alijs ingenerandum, eximium ac ſingulare quoddam, vti modo ſignificaui, præbebit exemplum, & adiumentum Paulus, cuius verba ex ardentiſſima eius cordis fornace erumpentia ſingulos inflammabunt, eruntque fontes vberrimi quibus hortulos noſtros irrigemus. Theſauri ſane pretioſi, vnde aureas ſententias depromamus: quarum nos aliquas in vltimo huius primæ partis capite ſubijciemus. Denique illud omnino ſibi perſuadeat noſter Orator, nulla re magis ſuas conciones vtiles futuras, quàm ſi Chriſtum ſepe proponat, Chriſtum prædicet, Chriſtum inculcet, & quaſi quotidianum panem ſemper cum alijs cibis menſæ Euangelicæ apponat. Cuius rei ſit mihi locuples teſtis magnus Prædicator, & clariſſimi Ordinis Prædicatorum primus author Dominicus, cui poſt multas Toloſæ habitas conciones, conquerenti coram Deo de exiguo earum fructu, Beatiſſima Dei Genitrix aſtitit, quæ Sanctum virum blande conſolata admonuit, vt filij ſui myſteria in concionibus tractaret quàm ſæpiſſime,

Thom. 13.

1. *Cor. c.* 2.

Exemplum Amoris Chriſti Paulus.

S. Dominici exemplum,

pissimè, indè futurum, vt magnum singuli fructum excerperēt. Quod etiā confirmare possem experimento aliquorū, qui nostra ætate, cum maiori animarum beneficio in hoc munere laborarunt; in quorum numero habuit Hispania magistrum Ioannem Auilam, qui cum esset ipse singulari modo in Christum animatus, maximè ad mysterium incarnati Verbi, & Sacratissimæ Eucharistiæ, dum Christum, sepe auribus & cordibus inculcat, messem animarum fecit vberrimam. Concludant hoc caput B. Bernardi verba. Qui perfectam habet charitatem, prædicet; fructificet, innouet signa, immutet mirabilia, quia non est quo se immisceat vanitas, vbi totam occupat charitas.

Serm. 15. in Cant. in fine.

Spiritus orationis & contemplationis. Cap. VI.

AMoris Diuini fomes ac nutrimentum oratio & contemplatio est, cuius spiritus in Ecclesiastico Oratore vigere plurimum debet. Multa sunt quæ hoc clarissimè docent humana ac diuina testimonia, multæque rationes. Nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus, dixerunt Apostoli; Vbi oratio ante prædicationem rectissimè constituitur, tamquam ea quæ hierarchicam hanc debeat actionem dirigere, & sine qua mutila ac sterilis foret. Nec solum docent orationi vacandum, sed cum instantia orandum, quod à Christo ipsi didicerant, qui cum dies in populis erudiendis posuisset, noctes in Dei oratione ducebat. Sed audiamus Sanctos Patres: Augustinus, munus suum, ait, vt præstet magis pietate orationum opus est, quam Oratoris facultate, vt orando pro se, & pro illis, quos est allocuturus sit orator, antequam dictor.] Diuus Bernardus in illa tria verba. Amica mea, columba mea, formosa mea, Habes, inquit, tria hæc prædicationem, orationem, contemplationem, in tribus designata vocabulis. Etenim merito amica dicitur, quæ sponsi lucra studiosè ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando conquirit; merito columba, quæ nihilominus pro suis delictis in oratione gemens, & supplicans, diuinam sibi non cessat conciliare misericordiam; merito quoque formosa, quæ cœlesti desiderio fulgens supernæ contemplationis decore se induit] & concludit, qui huiusmodi est, placens Deo, cautus sibi, vtilis suis erit.] Idem, nunc manent, ait, tria hæc Verbum, exemplum, oratio, maior autem horum est oratio, ea namque operi & voci gratiam, & efficaciam promeretur. Greg. etiam Nazian. Christus, inquit, vt actio-

Probatur authoritatem Patrum.

Act. 6.

Augusti. l. 4. de Doct. Chr. cap. 15.

Ser. 57. in Cant.

Ep. 201. Orat. 27. In Maximum.

actiones multitudini, hominumque frequentiæ; ita preces quieti, locisque ab hominum commertio fere tribuebat, quid per hoc sanciens, ac velut lege lata statuens? nempè nobis quoque nonnihil quiescendum esse, vt animo minimè turbato, cum Deo versemur, mentemque à rebus vagis, & incertis paulum reducamus. Neque enim ille secessione opus habebat, verũ vt & actionis, & sublimioris occupationis tempus esse discerneremus] Alter similiter Gregorius consonat dicens: Humani generis redemptor per diem miracula hominibus exhibebat, & ad orationis studium in nocte pernoctabat, vt perfectis prædicatoribus innueret, quatenus nec actiuam vitam amore speculationis deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitus cõtemnant: sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant] Hoc ipsum exemplo D. Pauli admonet nos S. Maximinus: Paulus, inquit, vltra humana raptus in tertium cœlum, secreta cœlestia cognouit, vt Ecclesiarum futurus Doctor inter Angelos disceret, quod inter homines prædicaret] Sibi omnino Concionator dicta putet, & sibi vt maximè conuenientia & propria applicet. quæ dicũtur ab Ecclesiastico: Iustus cor suũ tradet ad vigilandum diluculo, aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur; Quia omnis sapientia à Domino Deo est, quam ipse in oratione poscenti dat, vt D. Iacobus testatur: Si quis indiget sapientia, postulet à Deo. Orator autem Christianus maximè indiget, sibi primum, deinde alijs quos docturus est. Non est autem aliud tradere cor ad vigilandum, quàm toto pectore in hoc vnum incumbere: & aperire os est desiderium suum promere: & pro delictis suis debet deprecari, sciens, quia in maleuolam animam non introibit sapientia, subdit autem idem sapiens: Si Dominus magnus voluerit, nempè ex cuius nutu, & voluntate pendet sapientia; spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tamquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ, scilicet concionibus ad populũ habitis, & fructus hinc sequetur magnus, qui tum ad concionatorem pertinebit, quia sic ipse in oratione confitebitur Domino, laudans eum pro magnificè acceptis beneficijs, & ipse diriget consilium, & disciplinam, tum ad alios, ad quos verba facit: Palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur.

l. 6. Moral. cap. 17.

De SS. Petro et Paulo Hõ 1. Explicatur locus Eccles. 39.

Iac. 1.

Quid autem sit, quod orandi studium tantoperè Ecclesiastici Magistri officio sit annexum, facili negotio quis aduertere poterit,

Probatur ideã rationibus.

Prima ratio.

poterit, si allatis testimoniis rationes adiungamus. Primò constat officium concionandi pertinere ad vitam Actiuam, non ad

Actio cõcionandi ex contemplatione nasci debet.

illam quidem puram, sed ad eam, quæ ex contemplatiua nascitur, quam potes mixtam dicere, cuiusmodi vita Christi & Apostolorum fuit, & qualis est Episcoporum omnium, ac multorum Religiosorum: quam dignorem esse contemplatiua pura, certo constat, & D. Thomas ostendit. Quocirca qui se totos ita dedunt actioni, ac prædicationi, vt langueat in eis orationis spiritus, hi planè non sectantur eam vitæ rationem, quã sui instituti genus exigit, sed degenerat in his Actio, cum non inde oriatur, vnde eam oriri oportuit. Secundò, cum officium concionatoris requirat tã multas virtutes, vt cum fructu fiat, & multiplicem spiritum charitatis, humilitatis, mãsuetudinis, patientiæ, paupertatis, simplicitatis, deuotionis, zeli & animarum, & totius Christianæ perfectionis; quis speret se idoneum operarium futurum, nisi per assiduam orationem sit Deo coniunctus, à quo bonum omne manat? Præterea cum hoc munus permultas difficultates habeat coniunctas, si quis credat sine spiritu orationis, & deuotionis has posse superari, perinde est, ac si quis sine nauigio velit se mari committere. Quartò per orationem maximè Deum communicare sapientiam, constat, vt ex loco iam citato ecclesiastici, & cap. vlt. patet: Et confirmant Salomonis verba, inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ; Et D. Iacobus satis apertè monet: Si quis indiget sapientia postulet à Deo: Hac autem in concionibus indigere nostrum Oratorẽ satis est manifestum, vt prius ipse à Deo illustratus spiritu sapientiæ, ac intellectus, possit alios illustrare. Quintò necessarius est hic orationis spiritus ad impetrandum à Deo auxilium, quo prudenter, & cum decoro exerceat partes suas in concione, in qua tam multa sunt dicenda, & adeò difficilia. Requiritur magna attentio, magnus feruor, & spiritus in dicendo, vt nisi Dei opẽ oratione sibi conciliet, præsioque habeat, facilè sit errare, facilius turbari, facillimum aliquod verbum emittere, quod cuiuspiam animum offendat; eodemque orationis spiritu fiet, vt nihil quod sit dicendum, taceat, nihil quod sit tacendum dicat, præsertim cum non simus sufficientes cogitare quicquam ex nobis, nedum dicere, & nemo possit dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. Præclarè S. August. hanc explicat causam: Cum enim (inquit) de vnaquaque re, quæ secundum fidem, dilectionemque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur

Secunda ratio ex virtutibus multis necessarijs oratori.

Tertia ratio ex difficultatibus.

Quarta ratio ad impetrandã sapientiã. *Sap. 7. Vide c. 8. & 9. c. 1.*

Quinta ratio ad obtinendum auxiliũ.

2.2. q. 188. art. 6.

l. 4. de Doc. & c. 15.

cantur ab eis, qui hæc sciunt; quis nouit, quod ad præsens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt, & quis facit, vt quod oportet, & quemadmodum oportet dicatur à nobis, nisi in cuius manu sunt, & nos, & sermones nostri?] Sextò, valet oratio, & debet præire ad obtinendam gratiam efficiendi fructus spirituales in animis auditorum. Qua in re debet orator noster Paulum imitari, tum orando pro his, qui verbum Dei audiunt, sicut ille de se non semel testatur sine intermissione orasse, tum aliorum orationes pro se postulando, vt idem facit scribens ad Thessalon. Coloss. Ephes. Adde quod ad Contemplationem propriè, atque Meditationem pertinet, ex his ipsis diuinæ eloquentiæ, quam optamus, vim atque adeò vitam, spiritumque pendere. Nam cum tota Eloquētia fermè sit in inuentione, eloquutione, actione; Contemplatio, ac meditatio animum quodammodo saginant, lætificant, & fœcundant ingenium, affectum mollem, ac teneorum fingunt: eiusque deuotionis, quę sensibilis dicitur, succum, & quasi pinguedinem alunt, vt Concionatori ita affecto numquam deesse possit sylua ingens, & sententiarum magnificarum, & verborum optimorum, Nec deinde in actione ardor, atque commotio, vnde facilè sit auditores; quocunque opus est, conuertere. Contra vero vbi deest Deuotio, vsusque meditationis, quantumcumque adhibeatur artis, erit oratio languida, frigida, exanimis, demum facta, non nata; picta, non viua; aurium ludibrium, non animorum tormentum. Has rationes optimè illustrabunt, & confirmabunt verba Bernardi, vbi decernit; Hoc esse vitæ spiritualis fundamentum, non totis se, nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid reseruare. Audiamus ipsum: Si quod viuis (inquit) & sapis, totum das actioni, considerationi nihil: laudo te? in hoc non laudo, puto quod. & nemo, qui à Salomone audierit, qui minoratur actu percipiet sapientiam. Addit: Si totus vis esse omnium per actionem, instar illius qui dicit, Omnibus omnia factus sum; Esto & tuus, nam & tu homo es: in sinu tuo in quo omnes recipis, te ipsum etiam collige: omnes habent te, esto & tu ex habentibus vnus. Vt quid solus frandaris munere tui? quid prodest si vniuersos lucreris, te ipsum perdas? Vsquequo spiritus vadens (per actionem) & non rediens (per considerationem) sapientibus, & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Omnes de fonte bibunt, pectore tuo, & tu seorsum sitiens stabis? Si maledictus qui parcem suam facit deteriorem, quid ille,

Sexta ratio ad gratiam fructus.

Septima ratio ad feruorem.

l. 1. de Cōs. ad Eug.

1. Cor. 9.

ille, qui se penitus reddit expertem? Vtere te quoque inter multos. aut post multos.] Quo loco si placet, etiam legere potes maxima detrimenta, quæ ex considerationis defectu manant, & multa in eius Encomium, inter alia hæc dicit: Ipsa consideratio primum quidem fontem suum, id est mentem, à quo oritur, purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, cõponit mores, vitam honestat, & ordinat, diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert.]

Quem modum tenere debeat, vt orationi sit deditus. Cap. VII.

Oratio ordinaria.

Orationes Iaculatorię.

Præcedat oratio cum paraturus est concionem.

Exercitiorũ spiritualium vsus.

SEd fortasse quis huius præcepti agnoscens quanta sit necessitas, scire cupiat quam viam tenere, quem obseruare modum debeat, vt eorum de numero sit, qui cum Apostolis dicere possit, Nos autem orationi, & ministerio verbi instantes erimus; denique quid hæc orationis instantia; perpetua concionum comes à Concionatore postulat? Respondeo, vt habeat quotidiè certum tempus, quo segregatus ab alijs curis, ad pedes Domini sedeat cum Magdalena, vbi audiat à Christo quæ in suum vsum conuertat, & quæ suo tempore Marthæ personã agens, communicet cum alijs: & erit hæc ordinaria Oratio. Secundo; Sed præter hanc toto die rebus etiam, quas agit, orationes extraordinarias intermisceat, siue studijs vacet, siue mẽsæ accumbat, siue deambulet, siue ministret alijs. Sic exponunt, permulti illud Christi, oportet semper orare, & nunquã deficere. Quod fiet, si etiam recitet horas diuini officij cum deuota cordis attentione, & quas vocant iaculatorias orationes frequenter adhibeat, ita nõ difficilè erit, id quod est Abrahæ dictum, seruare. Ambula coram me, & esto perfectus. Tertio, etiam per orationem se disponet, cum est concionem paraturus, & cum est proxima concionandi hora: sed hanc admonitionem alibi commodius explicabo.

Quarto, vehementer etiam Concionatoribus author sim, omnibus, vt saltem semel in anno tempus aliquod eligãt, quod commentationibus rerum spiritualium totum occupent, & intelligant ita inseruiendum per occupationem esse aliorum saluti, vt tamen nõ sinant se adeò distrahi, vt non sibi ipsis vacent per quietem. Redẽptor noster, (ait Greg.) planè sic vult nos quærere salutẽ alienam, vt non negligamus nostram, & vult Prædicatores suos ad horam ab aliorum sollicita intentione quiescere,

scere, vt sibi ipsis per quietem valeant melius prouidere. Quid prodest, ait Christus, homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimẽtum patiatur? Sic exponit Greg. illud Cant: Mel, & lac sub lingua eius. Bonus cõcionator non solum habet mel in lingua, dum diuinarum rerum dulcedinem prædicat, sed etiam sub lingua quia internam dulcedinem assiduè secum portat: dum enim terrena abijcit, dum vitiorum amaritudinem respicit, in interioribus sensibus sapientiæ dulcedine se pascit, qua robur colligit, vt ad æterna gradiens in labore viæ lassescere non possit.] Proinde vtile erit operario Euangelico, aliquando locum à turba, & conuersatione semotum petere, vt sese meditationibus spiritualibus dedat; quæ res nõ ipsi tantum proderit, quod tamen vnum magni momenti est; sed auditoribus præterea suis cum maiori fructu aperiet, quæ Dominus Deus in secreto cordis sibi communicauerit. Hoc est piscatores imitari, qui post piscationis laborem, reficiendis retibus vacant, & Solis radijs ad exsiccandum exponunt: ita tuas conciones, ac te ipsum æterni Solis obijcias radijs, quibus incendantur simul, & ab omni vanitatis, & cupiditatis humore siccari possint. Igitur quicunque in hoc munere versatur, nunquam separet orationem à concione, præcedat illa, sequatur hæc, & quæ Deus coniunxit, non separet homo: Habeat præ oculis semper illud Apostolicum, quod placet repetere, vt sæpe Prædicator & ipse apud se reputet: Nos autem, orationi, & ministerio verbi instantes erimus: Et intelligat eandem sibi curam in oratione, quam in concione ponendam, imo maiorem, & planè persuasum habeat, tunc concionem efficacem futuram, & cum fructu, cum ex orationis deuotæ spiritu effundetur. Quoniam verò res tanti momenti est, placet vltimo loco alijs Patrum ablatis testimonijs, adijcere sententiam S. Chrysost. vt memoriæ infigatur. Is enim hæc habet verba, de quorum veritate si quis dubitet is neque Orationis dignitatem agnoscit, nec se eius studiosum, & amantem esse testatur. Cum, inquit, video quempiam non amantem orandi studium, neque huius rei feruida, vehementique cura teneri, continuò mihi putam est, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Rursum vbiquem conspexero insatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in summis damnis numerantem, si non continenter oraverit, coniecto talem omnis virtutis firmum esse meditatorem, ac Dei amicum,

Matt. 16. *Can. c. 5.*

Act. 6.

Lib. 1. de Ora: Deo.

Digitized by Google

Fiducia in Deum. Cap. VIII.

QVoniam verò officium Concionatoris plurimas difficultates admixtas habet, vt supra attigimus, quæ sæpè illum minus audentem, ac timidum reddere possunt, operæ pretium erit, vt actus fiduciæ in Deum frequenter exerceat, tum maximè, quando difficile quippiam, & laboriosum occurret, sincero animo suum Deo laborem, & ministerium offerendo.

Lib. 4. de Sacer. Primo loco, vt docet Chrysost. Oportet oratorem pugnare, contra multos aduersarios veritatis, cuiusmodi sunt Gentiles, Iudæi, Hæretici, & subdit; Iam quis enumerare queat domesticorum nugas, atque contentiones, quæ etiam sudorem pariunt Concionatori? Inter hos enumerat eos, qui ex curiositatis studio à Concionatore ea doceri velint, quæ neque disci possunt, neque vtilia sunt iis, qui ea edocti fuerint. Alij diuinorum arcanorum causas postulant, & conantur metiri abyssum illam magnam iudiciorum Dei, quæ inuestigari non debet; & plures docet esse hos curiosos, paucos autem fidei, ac vitæ institutionis studiosos, & si Orator obstruxerit eiusmodi hominum ora, tamen non effugere aliquando poterit insciticæ notam.

Difficultates quæ se fiduciæ opponùt.

Quam difficile sit Concionatorem omnibus placere.

Nulla verò alia ratione prouidebit, quàm si facultate in dicendo valeat ad moderandos animos.

Criminationes in Oratorem. *Lib. 5. de Sac. 5.* Solet adhuc concionatoris animus sæpè turbari, & deijci ob aliquas obortas hominum opiniones, & criminationes in eum. Qua de re placet etiam afferre, quæ idem hic diuinus Chrysostomus necessario monenda iudicauit. Ingens (ait) labor in concionibus publicè ad populum habendis est; nam populus non ità se accomodat ad concionantes, sicut solent discipuli ad præceptores se accomodare, sed potius multos eorum videre docet, vt sedent spectatores in theatris, & stadijs, vbi multitudo in contraria scinditur, dum alius vni, alius alteri applaudit, alij ad gratiam, alij ad inuidiam dicenti aures accommodant, præsertim quod multi assuetas habent aures, non vt ad vtilitatem, sed ad voluptatem potius audiant, vt faciunt qui de Tragœdijs, aut de Citharœdis iudicaturi sedent.] Rursum infra: Oportet, inquit, sæpè contemnere criminationes & intempestiuas insinuationes, liuorem, & inuidiam, neque præter modum vereri ac reformidare, neque rursus leuiter despicere conuenit, sed contendere, vt extinguas, etiamsi à plebeijs viris, & vilibus contorqueantur. Nam nulla res magis

famam

famam auget, seu bonam seu malam, quàm vulgus incompositum, vt quod audire & eloqui temerè soleat, nulla prorsus veritatis habita ratione. Denique addit: Si quis ob populi dicta animo statim deijci cœperit, næ is nihil vnquam quod generosũ, admirandumque sit, parepe poterit; siquidem mœstitia, itemque curæ ac solicitudines perpetuæ, animi vim maximè possunt prosternere.

Præter hæc contingit eundem Oratorem cõtristari animo, si quando in concione sibi ipse non satisfecerit, fit enim hoc ex Dei benignitate aliquando, vt sic elationi locus præcludatur. Sæpè id contigisse fumus experti, vt nunc aliquis magis alijs placuerit, cum sibi minus. Quod præclarè docet Aug. Nolim, ait, te moueri, eo quod sæpè tibi abiectam sermonem fastidiosumque habere visus es, fieri enim potest, vt ei quẽ instruebas, non ita visus sit, sed quia tu aliquid melius audiri desiderabas, eo tibi quòd dicebas, videtur indignum auribus aliorum. Nã & mihi propè semper sermo meus displicet, melioris enim auidus sum.] Et infra subdit, sed mihi, inquit, sæpè indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita esse frigidum eloquium meum, vt videtur mihi, mecumque ago sedulò, vt huic exhibendo ministerio non desim, in quo illos video benè accipere, quod exhibetur. Nec ita multo post addit: Si in pecunia corporali, quanto magis in spirituali hilarem datorem diligit Deus, sed hæc hilaritas vt adsit ad horam, eius est misericordiæ, qui ista præcipit.

Sæpe Orator sibi non satisfacit.

l. de Cath. iud. c. 2.

Constantia & perseuerantia. Cap. IX.

DEbet etiam perseueranter animarum patronus, & animo constanti perdurare in ministerio, ad quod vocatus est, neque ab incœpto desistere, etiamsi ipsi videatur modicus fructus colligi, sicut Beatus Chrysost. ait: Aquarum venæ, etiamsi nullus veniat adaquatum, manant tamen, & fontes, quãuis hauriat nemo, scatebras emittunt.] Et affert exemplum Hieremiæ, qui ob hanc ipsam causam se ab hoc munere subtrahere cogitabat, cum dixit, factus sum in derisum tota die, dixi, non loquar, nec nominabo nomen Domini: Sed quid passus sit hæc dicens, subdit: Et factus est in corde meo quasi ignis æstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens. In ea concione Chrysostomus multa plane digna, quæ ex abundanti illo fonte hauriantur affert, ad confirmandum concionatorẽ,

In cap. 18. Lucæ conc. 1. de Lazaro initio.

Digitized by Google

In eos, qui animum despondent eo quod non appareat fructus.

se animum in suo labore despondeat, contra eos qui dicunt

Primo.

desine benè consulere, desine monere, nolunt te auscultare,

Secundo.

Respondet fusè sed summa est hæc. Primo, quid ais homo? videlicet polliciti sumus nos vno die omnes rete capturos? Nam si decem tantum persuasi sint, si quinque, si vnus, nonne hoc nobis sufficit ad consolationem? Secundo, Imo pone, neminem nostris dictis persuasum, quanquam id fieri non possit, vt sermo in tam multis disseminatus, vacet omni fructu: sed pone ita esse, tamen non erit sermo sine fructu, cum illi ipsi, qui ad peccatum redeunt, haud tanta cum impudentia, audaciaue id faciant, obiurgatione nostra eis in memoriam redeunte, & tacita cogitatione erubescent. Hoc autem non simili impudentia peccata solita perpetrare; aliquod saltem est futuræ salutis indicium.

Tertio.

Tertio, si non profuit sermo malis, tamen bonos in bonis propositis & consilijs confirmat; non erexi ægrotantem,

Quarto.

attamen eos qui valent reddidi firmiores. Quarto hodiè non persuasi, cras persuadere potero; quod si minus cras, perendiè, aut quarto ab hinc die, vt Piscator qui per totum diem vacuũ attraxit rete, sub noctem iam abire parans, capto, qui ipsum

Quinto.

per totum fefellerat diem, pisce discedit. Quinto, in omnibus artibus vulgo homines, etiamsi crebrò frustrentur optatis, nec eos ex voto succedant, tamen ad eadem redeunt, nec desistũt, vt apparet in agricola, negotiatore, nauclero, & tamen nostra ab his longe est diuersa conditio. Nã si illis non successit euentus, nullus aliunde existit fructus, qui lucrum interceptum, aut damnum acceptum, resarciat; At Concionator, etsi iactũ semen auditor non recipiat, non minus accipiet præmij non auditus, quàm accepturus erat si alter obtemperasset.] Nam vnusquisque (ait,) mercedem accipiet secundum proprium laborem, & non dicit secundum euentum lege eundẽ Chrysost. hom. 12. in Ioan. Tom. 3. de mercede concionatoris, etiam si

Bernar. lib. 4. de cõsid. initio.

fructus non fiat. Fac tu quod tuum est inquit Bernard. nam Deus quod suum est curabit; planta, riga, & tuas expleuisti partes, sanè incrementum vbi voluerit dabit Deus, vbi fortè noluerit, tibi deperit nihil. Medici est medicamenta adhibere, non est in manu medici semper releuetur vt æger; En plaga, tibi incumbit, cura eam, curam exigeris, non curationem.] Quamquam sæpè etiam fructus concionum occultus est, & non peruenit plerunque ad aures concionatoris. Hæc cum ita sint, (vt addit luculenter Chrysost.) debet constanter in suo munere Concionator persistere, nec vnquam de aliorum salute despera-

sperare secundum Pauli præceptum ad Timotheum, seruum Dei oportet mansuetum esse, ad omnes docibilem, corripiẽtem eos, qui resistunt veritati, ne quãdo ideſt si fortè det illis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis. Parentes ægrotantibus filijs, quamquam medicorum sententia desperatis, mœsti quidem, sed tamen seduli sunt, & omnia quæ possunt, ad supremũ vsque halitum admouent. Hoc nos quoque pro fratribus animæ causa faciamus, quin eo accuratius, quo videtur mors ei æterna certius impendere.] Bone Deus, dæmon non cessat tentare viros sanctos, etsi non valde confidat se quidquam effecturum, vt patet in historia Iob. ego vero de fratris salute desperabo, & curam omnem abijciã? Ante omnia sit nobis Christus exemplar ob oculos, qui cum omnium futurorum esset cõscius, tamen nunquam cessauit quod sui erat muneris præstare, etiam cum perfido & impijssimo Iuda, quem sciebat certissimè damnandum.

Optima consilia.

Hoc loco habenda sunt in promptu præclara monita B. Ignatij Loiolæ Societatis nostræ parentis, & Iacobi Laynis, qui primus post Ignatium Generalis Præpositus fuit; hic aiebat versandum esse animo; Deum quarundam rerum velle studia, & conatus à nobis, quarum omnino vel nolit effectum, vel ab alijs velit, idque ex ipsis Dei verbis ad Dauid docebat. Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benè feciſti, hoc ipsum mente tractans, veruntamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus. Ignatij autem consilium erat, in hac proximorum salute imitandam esse, ex vna parte Angelorum sedulitatem, & industriam, ex altera eorumdem tranquillitatem si euentus non succedat è sententia.

Auditorum paucitas non debet exanimare.

Adijciam vltimo loco monitionem meo iudicio necessariam ijs, qui cum vident paucitatem auditorum ad concio es confluentium, cadunt animo, & omninò sese abijciunt; cauendum his est, ne si forte initio res minus succedat, propterea frigidius dicant, & concionem minore studio comparent; nam id esset inclinatam rem vrgere in præceps, contra potius nitendũ est. Nam sæpè illa perseuerantia expugnat difficultates, & paulatim alijs atque alijs accedentibus, frequens fit auditorium. Certè maximi est meriti apud Deum ille fidelis labor, & argumentum satis manifestum, Concionatorem non plausus gratia, & placendi hominibus; sed obedientiæ, & Deo seruiẽdi studio munere illo perfungi.

Orator sit paratus ad multa toleranda pro Christo.

Sed parua sunt quæ hactenus dixi, ad maiora vocatur, qui

Digitized by Google

pro Christo legatione fungitur, nempè vt sicut ipse pro Euangelica veritate mortem tam crudelem subijt, nos quoque nihil magis habeamus in votis, quam vt pro ipso, & pro Euangelio si opus sit, sanguinem fundamus. Sicut habemus tam multa exempla, tam eorum, qui Christum præcesserunt, quàm qui subsequuti sunt: Isaias post multas conciones habitas, in duas partes sectus, occubuit; Hieremias post carcerem & cathenas lapidibus obrutus; Ezechiel occiditur: Amos vecte per tempora transfixus, Micheas præcipitatus interijt: Quis ignorat Eliæ persequutiones, minas Eliseo intentatas? Sed hæc si cum nostris concionatoribus conferantur, minora videbuntur. quanta passi sunt omnes Apostoli, qui omnes post tot labores, post tot peregrinationes, post tam multas; & longas infectationes, atque infamias, Christo adiuncti sunt in cruce ac variis tormẽtis? Longũ esset enumerare innumerabiles prædicatorũ acies pretiosa morte immolatorũ. Hæc sunt vera præmia bonorum Concionatorum, consignare sanguine Euangeliũ: hi fauores electis doctoribus á Christo exhibiti, nõ autem populorũ plausus, nõ principum terrenorum gratia, non populares honores ac dignitates. Vnde ea fortitudo concionatoris pectus armet; vt ad tormenta, & mortes paratum se præbeat. Sibi dictum putet á Deo, quod Hieremiæ dicitur: Ego dedi te hodiè in Ciuitatẽ munitam, & in columnã ferream, & in murum æneum super omnẽ terrã. Et quod dicitur Ezechieli: Dedi faciem tuã valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt Adamantem, & vt Silicem dedi frontem tuam, ne timeas eos, neque metuas á facie eorum. Ad confirmandum autem Christianum Oratorem, vt cum magna constantia, & fiducia verbum Dei proponat, multum mihi valere videtur, si verbi Dei, quod prædicat, virtutem, ac dignitatem mente concipiat: Propterea Paulus dixit; Viuus est sermo Dei; Planè viuus & animatus, eo quod á se habeat principium motus. Et addit Paulus, & efficax: quia á se habet penetrandi virtutem. Propterea & Christus dixit esse semen, quia habet in se latentem vim ad fructum producendum; & Dauid vocat eloquium ignitum, quia vt ferrum ignitum ad comburendum magnam vim habet, ita & sermo Dei cum spiritu prolatus. Itaque qui in hoc Dei verbo explanando est positus á Deo, confidat omninò in eodem, quod dabit verbum Euangelizantibus virtute multa. Concludat hoc caput generosus Chrysostomi spiritus qui hæc de se loquitur; Ego meo ipsius animo persuasi quoad spirauero, & do-

Cap. 1.

Cap. 3.

Verbi Dei virtus maxima.

Prædicandũ, ad mortem vsque.

Concil. 1. *de Laz.*

& donec Domino visum fuerit, nos in presenti vita versari, hoc implere ministerium siue quis attendat, siue non attendat, vt faciat ea quæ præcipiuntur, Hæc de se, Ad alios vero: Nihil (inquit) aliud iubemur, quàm apud mensarios deponere pecuniã, loquere, & admone: verum non audiuit; Tu nihilo secius habes paratam mercedem, ne destiteris prius quam persuadeas, donec spiritum afflaueris, terminus monendi sit obedientia monitionem tuam recipientis.

Charitas erga proximos. Cap. X.

SI adsint quæ iam à nobis proposita sunt, Vitæ sanctimonia, Recta intentio, Amor Dei, Orandi studium, Ad Deum fiducia: paratum habemus instrumentum, vt à diuina manu facilè tractetur. sed vt bene etiam erga proximos accomodatũ sit, quæ mox sequentur plurimum iuuant, charitas imprimis, & amor erga fratres in Christo nostros, & filios; quoniam teste Greg. difficilè est, vt quantumuis recta denuncians is, qui non diligitur, libenter audiatur.] Ideo est res magni momenti ad fructus pios ex Euangelica semente colligendos, vt seminator fidelis, non solum exterius significet, sed planè induat boni patris spiritualis, imo vero etiam piæ matris, & indulgentis affectus in suos alumnos. Amor enim amorem conciliat, & quisque facillimè suasoris beneuoli dicta complectitur. Tamquam medicis corporum, sic & animarum, maiori quadam voluntate obedientia exhibetur, his quorum sincerus amor est cognitus. Dilatet igitur sinum charitatis, vt possit cum Paulo dicere: Testis mihi est Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi: & iterum; Filioli quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Et illud: Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Alibi infirmatur cum infirmis; vritur cum ijs qui scandalizantur. Et ad Corinth. Os nostrum patet ad vos, cor nostrũ dilatatum est. Et ad Thessal. audi hanc matrem: Facti sumus paruuli in medio vestrum, tãquam si nutrix foueat filios suos. ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis, non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis &c. Et ad Philip. fratres mei charissimi & amantissimi, gaudium meum, & corona mea. Iam vide, hic amor Apostoli quantum illi vicissim concilianit amorem eorũ, ad quos verba faciebat. Testimonium enim perhibeo vobis, inquit,

Virtutes erga proximos.

2. par. past. cap. 8.

Exemplum charitatis Pauli.

Philip. 1.
2. Cor. 9.
Cap. 6.
Cap. 2.
Cap. 4.

Gal. 4. *Cap.* 20. inquit, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi: & in Actis, cum Paulus discederet, procidentes osculabantur eum flentes, propterea quod dixerat, faciem eius nō amplius visuros. Fructus autem ex hac mutua charitate erat illa admirabilis gentium conuersio, quod idem Apostolus significat ad Thessal. vbi cum commemorasset suum erga illos studium, subijcit de illorum profectu. Quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei. Et sane quid boni non proueniet ex hac mutua charitate, cuius & fons, & centrum est ipse Christus, qui quidem cum sit author omnis boni, ac forma, vt amorem suum explicet erga Synagogam, gallinæ se comparat, magno cum affectu pullos suos congreganti sub alas.

1. *Cap.* 2.

Charitatis munia quænam.

Gal. 4.

Debemus ergo paterno affectu animas, non secus ac filios complecti, eas piè, ac sollicitè generando, ac genitas parturiendo, vt Paulus ait, editas educando, ornando, & ad omnem virtutis gradum euehendo. Non enim Patris solum est generare, sed ipsos genitos educare, & multos ferre labores, quos educatio habet adiunctos: vt parētes filiæ curam gerunt, quousque eam in matrimonium collocent. Nec parturitio est sine labore, ac dolore mulieris quæ parit. eodemque modo haud voce ludicra, ac fessa generantur filij spirituales, sed gemitibus multis, & precibus. Morientes etiam filios deplorare debet, qui Pater est, & non mercenarius solum ac pædagogus, & omnem adhibere curam ne pereant, vt possint dici filij lachrymarum. Et tamen debet simul cum lachrymis officio suo diligenter insistere. Nec dicat cum Aarone, quomodo poteram placere Domino in ceremonijs mente lugubri, quia hic luctus spiritualis excitat potius, quam impediat concionantis feruorem.

Léuit. 10.

Præferat alio rum cōmoda suis.

1. Thess. 3.

Denique debet talis ac tanta charitas in eo vigere vt emolumenta aliena & detrimenta, vitam ac mortem pro suis numerans, possit cum Paulo dicere: Viuimus si vos statis in Domino. Qui ergo eiusmodi est, & audietur æquo animo, & ad eum populi, vt filij charissimi confluent, & amabitur vt pater: & ita orationem suam temperabit, vt qui audit, etiam cum arguitur, agnoscat eum ex charitate loqui. Sic Greg. cornu Samuelis oleo plenum Prædicatori accommodat, quia cornu debet ferire peccatores acutè redarguendo, sed idē debet esse plenum oleo, quod tunc fit, cum Prædicatoris sublimitas non

Lib. 1. *Re.* 6. 16.

habet

habet aſperitatem minarum, ſed blandimenta fauorum.] Idem exponens locum Iob; Nunquid parturientes ceruas obſeruaſti? quærit cur ceruas potius Prædicatores vocet, quàm ceruos: Quia, inquit, illi verè doctores ſunt, qui cum per rigorẽ diſciplinæ patres ſint, per pietatis viſcera eſſe matres nouerũt, qui labores ſanctæ conceptionis toleraht, & proferendos Deo filios intra vterum charitatis portant; in edenda enim prole plus matres laborant.] Is debet ſpiritus eſſe, ea charitas Oratoris Chriſtiani erga ſuos Auditores, vt ex affectu interno cordis, & in viſceribus Chriſti dicere queat, me, putate matrem veſtrarum animarum eſſe, & ita vos velle componere, vt in vobis nec macula, nec ruga poſſit ante Tribunal æterni Iudicis apparere; animabus autem veſtris, non ſolum ornamenta, ſed etiam medicamenta prouidere deſiderans, ſtudeo diſſuta conſuere, conſciſſa ſarcire, vulnerata curare, abluere ſordida, reparare perdita, & ea quæ ſunt integra ſpiritualibus margaritis ornare, hanc doctrinam docet Ber. matres vos, fouendo, patres corripiendo exhibeatis, cur morſus à ſerpente paruulus, fugit conſcientiam Sacerdotis, ad quam eum magis oportuerat tanquam ad ſinum recurriſſe matris?] Huius admonitionis, quæ maximi eſt momenti, Concionator præſertim in arguendis peccatis meminiſſe debet. Hac virtute D. Dominicum prẽditum imprimis fuiſſe conſtat, qui interrogatus, qua ratione tot animas Chriſto lucrifaceret, Reſpondit, ſe ea quæ prædicabat, in libello charitatis, & ſancti Spiritus inuenire.

Lib. 3. c. 9.

Sit Concionator vt mater.

Sup. Cant. Ser. 25.

Zelus ſalutis animarum. Cap. XI.

EX ea, quam ſupra diximus, erga Deum charitate, & ea, de qua proximè egimus, ad proximos habenda, orietur in Prædicatore feruens quidam zelus ſalutis animarum, quo inflammata ipſius oratio eorum, qui audient, animos & corda ſuccẽdet, & fructus vberes reportabit. Hæc eſt Sartago ferrea, quam iuſſit Deus Ezechielem aſſumere, ac ponere tanquam murum ferreum inter ſe, & Ciuitatem. Per Sartaginem ait Greg: frixura, per ferrum vero fortitudo oſtenditur. Quid autem ita magiſtri atque Doctoris mentem, quàm zelus Domini frigit & excruciat?] Hac nimirum frixura incenſus Moyſes orabat, aut parce huic populo, aut dele me de libro vitæ. Et ante omnes Chriſtus Dominus, qui hoc zelo inflammatus, exinaniuit ſemetipſum vſque ad mortẽ, pro animabus noſtris ſaluandis,

Ezech. 4. Lib. 1. in Ezech. Hom. 12.

Ezech. 32.

Digitized by Google

nandis, vt suo nos exemplo doceret, nullum subterfugere laborem, omnem iniuriam, omne priuatum commodum saluti animæ vnius posthabere : vt sicut ipse pro vna duntaxat anima, si opus fuisset, quod pro omnibus passus est, exsoluisset; ita nos omnium animas ex zelo iuuare conemur nulla facta animarũ acceptione, sicut est nulla distinctio. Zelus iste, de quo loquimur, est calculus ille ignitus de altari sumptus, quo vnus ex Seraphim Isaiæ labia purganit, quo, qui fuerit similiter accensus, efficaciter corda audientium inflãmabit. Nec fere quicquam est, quod auditorem magis permoueat, quàm si aduertat, concionantem solo Dei amore & suæ salutis duci. Hoc zelo armatus & animatus Paulus dicebat: Optabam, anathema esse pro fratribus meis. & iterum: Quis scandalizatur & ego non vror? Et plane verissimum est illud Greg. Nullum Omnipotenti Deo maius sacrificiũ offerri posse zelo animarum. Intelligat autem quilibet, zelum hunc à se ipso incipiendum esse ei, qui prius lucerna ardens sibi esse debet, quàm proximis suis ardoris radios ac lucem communicet: ita vt quod in alijs sollicitè optat, in se ipso primum exequatur.

Isa. 6.

Rom. 9.
2. Cor. 11,
Hom. 12. in Ezech.

Quæ nam zelum animatum excitét.

Ad hunc autem zelum excitandum plurimum confert si hæc apud se diligenter perpendat. Primo Dei maiestatem, ac bonitatem infinitam omni adoratione, & amore, ac veneratione dignissimam: vnde sequetur, vt vehementer animo angatur, quod talis tantusque Dominus à tam paucis colatur, & ametur; cuius rei concepta indignitate exclamabit, obstupescite cœli super hoc. Secundo si sub aspectum mentis sibi subijciat, tot tantaque hominum flagitia, ac scelera totum per orbem terræ, non Ethnicorum modo, & Hæreticorum, sed etiam eorum qui Christiani, & Catholici nominantur; ex quorum infami & horrendo aspectu, considerans tam multas, & adeò graues iniurias Deo irrogari, tantam animarum pereuntium stragem, non poterit non deplorare cæcitatem eorum, qui tantam calamitatem nec agnoscunt, nec dolent; nec poterit simul non excitari ad succurrendum quacunque re possit, ad vociferandum, ad circumeundum, ad omnia demum tentanda, vt malum adeo tetrum ac miserandum leuet. Quis enim si prophanari sacros calices, si venerandas Christi, aut Beatissimæ Virginis imagines, impiè lacerari, ac proculcari videat; non exclamet, non prohibere nefas conetur? quis fratri suo, vel patri in vndis pereunti, manum non porrigat, vel à feris, aut latronibus circumsepto opem segnicer ferat? Et nos Deum nostrum

Consideratio peccatorũ excitat zelum.

despi-

despici, vina eius templa, quæ sunt animæ fidelium conspurcari: Nostros in Christo fratres in faucibus infernarũ bestiarũ videbimus, & cessabimus? Tertio animaduertat, quot labores subeant, & quanta sollicitudine angantur, tam multi in rerum cura mortalium. Quid non subeunt medici, vt perituris corporibus breuem lucis vsuram prorogent? Nonne animarũ salus nobis tanto magis curæ esse debet, quanto anima corpori præstat? quanto etiam merces æterna Concionatori parata, omnes superat caducos quæstus? Imo vero etiam cogitet, quã multa patiuntur auari cumulandis intenti opibus, milites inanis gloriæ studio, ambitiosi in Principum aulis, honorum, ac dignitatum, & videat, quid æquum sit facere nos, qui ad hoc munus adiuuandi animas vocati sumus, ad hanc tam nobilem mercaturam, Dei militiam spiritualem, & æternas dignitates promerendas.

Zelus Christi domini pro animabus.

Quarto, Sed nihil magis ad zelum animarum incitare nos poterit, quam si animo voluamus, Dei filium è cœlo lapsum, triginta tres annos laborasse, regnum Dei per vicos, & Ciuitates prædicasse, cum tanto zelo, & amore mortuum esse, omnia quæ habebat eis dedisse: & corpus suum sanctissimum, & aliorum sacramentorum medicinas, ac præsidia reliquisse. Quid non pro eisdẽ animabus faciet, qui Christum Dominum verè diligit, & eum tam liberalem, ac prodigum erga animas fuisse cognoscit, non aliam ob causam nisi quia zelus domus Domini comedit eum? Hæc omnia si diligenter perpẽsa fuerint, zelum in pectore boni Concionatoris magnum excitabunt, & reddent eum strenuum, ardentem, sollicitum in procuranda aliorum salute: & fiet similis animalibus quæ describit Ezechiel, quæ erant plena oculis ex omni parte, & omnibus membris, & ibant, & ambulabant, & non reuertebantur. Vtrum ex his sanctissimis animalibus, fuisse Seraphicum Franciscum cognosces inter alia, ex his quæ D. Bonauentura de eo refert, Animas (ait) Christi Iesu sanguine prætioso redemptas, cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, vt eas tanquam mater in Christo, quotidiè parturiret, & subdit, hanc in eo fuisse causam præcipuam venerandi verbi Dei ministros, quod semẽ fratri suo defuncto, Christo videlicet, pro peccatoribus crucifixo, per ipsorum conuersionem, & pia sollicitudine suscitent, & sollicita pietate gubernent. Videat, tamen prudens Concionator, ne deceptus eo zelo, qui non est secundum scientiam, sinat se rapi extra limi-

Cap. 8. de Vita Sancti Francisci.

Zelus qui nõ est secundum scientiam.

limites rectæ rationis: sine qua indiscretus zelus quorundam & ipsis valdè nocet, & aliis plurimum obesse potest: de qua re suo loco plura dicemus.

Spiritus humilitatis. Cap. XII.

CVm Prædicationis officiū per se satis illustre sit, atque externa facie speciosum, eo quod vnus coram tota cōcione loquatur tacentibus vniuersis, & solus tam multorum aures, etiam virorum grauium, & Doctorum, & Principum contineat; Ideoque non tantum laudibus hominum, sed quod est periculosius, assentatorum fallacissimis vocibus pateat, propterea in Cocionatore veram cordis submissionem apprimè necessariam esse, quis non videt? quam tutissimum virtutum omnium thesaurum vocat Basi custodem pudicitiæ, & matrem patientiæ Ber. totius spiritualis structurę solidissimū fundamentum Cassiodorus inquit Greg. prouidendum est, ne accepta sapientia, cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat: vt iam sapientia esse nequeat, quæ etsi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat.] Præclarè S. Leo, Tota dilectissimi Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit: Quam Dominus Iesus Christus ab vtero matris, vsque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine & elegit, & docuit.] itaque præmuniat sese sacer Orator, & armet frequenter contra elationem, arrogantiam, iactantiam: quæ multo est perniciosior, cum in suggestu ipso oppugnat, & vincit. Docet hoc periculum, Augustinus eáque re fœliciores, qui audiunt, quam, qui loquuntur appellat; Qui enim, inquit, discit, humilis est, qui autem docet laborat, vt non sit superbus: ne malè placendi affectus, irrepat: ne Deo displiceat, qui vult placere hominibus, magnus tremor est in docente, fratres mei, magnus tremor est noster in his vocibus nostris, credite cordi nostro, quod videre non potestis, scit ipse, qui propitius sit nobis, cum quanto sub illo tremore ad vos loquimur.] Hunc tremorem studeat Concionator in animo sibi miter custodire, qui adeò necessarius est, vt primum ad sapientiam gradum idem Aug. illum faciat. De Origene scribit Nicephorus, eum martirij subeundi amore incensum, incredibili etiam iuuandi proximos cupiditate flagrantem, plurimos ac maximos Christi causa suscepisse labores, quin etiam aperto

De consit. mon. c. 17. *De ord. vitæ.* *Collat. 19. cap. 12.* *Lib. 27. Mor. c. 27.* *Serm. 7. de Epiph. Domini.* *In ps. 50.* *Aug. de Doct. Chr. l. 2. cap. 6.* *Lib. 5. hist. Eccles.*

vitæ

vitæ discrimini obiecisse sese, cum perfossis, ac perforatis conclauium parietibus, ex alijs ædibus, in alias ædes sese concionabundus insereret; hic tamen sibi ipsi minus præcauens, virtutique suæ nimium confidens, in multos errores miserrimè incidit, & de sua salute incertos nos, dubiosque reliquit. Itaque qui stat, videat ne cadat. Originis exemplum formidandum.

Si quis autem signa maximæ huius virtutis a me quærat, vt quisque de se ipso iudicium ferre possit, ex Alberto Magno hæc consideret. Humilitas, inquit, vera & perfecta est, cum exhibita gloria contemnitur, nec exhibenda appetitur. Verus humilis semper timet ne sibi aliqua gloria exhibeatur, & cum sibi exhibita fuerit, expaueſcens, medullitus contristatur. Verus humilis numquam de aliqua gloria, vel gratia gloriatur, nisi ex hoc audientibus confidentiam ad Deum præstare intendat. Verus humilis, nec maiori, nec minori, nec æquali se comparat; imo nullum inferiorem se credit, nullum omnino spernit, & se solum ex corde despicit, & ab omnibus despici feruenter appetit, gaudetque cum despectus fuerit, talis nullam timet contumeliam, quia nullam amat gloriam. Signa humilitatis. *In Parad. animæ c. 2.*

Sed non est hic locus multa de virtutibus disputandi. Illud potius videamus quemadmodum hic spiritus veræ humilitatis, tum Dei causa, tum auditorū, tum ipsiusmet Concionatoris sit illi pernecessarius, vt aptum fiat instrumentum ad suum munus ritè obeundum. Probatur rationibus quā sit necessaria Oratori humilitas.

Ac primum quidem, cum fructus concionis à Deo pendeat magis, quam ab humana qualibet industria; satis patet plus illi à Deo concedi gratiæ, qui in spiritu humilitatis ei se offert; qui nihil sibi arrogat, sed à Patre luminum quicquid boni est, expectat; qui persuasum habet, vt ipse intelligat euulgetque appositè, quæ dicturus est, non suæ sapientiæ, sed Dei clementiæ esse. Certa est Christi sententia apud Matthæum Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: ita Pater, quia sic placitum est ante te: Rursum vt cum spiritu spiritualia loquatur, non efficiet sine Spiritus sancti ope. Sed super quem (ait idem Deus per Isaiā) requiescet spiritus meus, nisi super humilem, ac trementem sermones meos? Mos est hic perpetuus Dei, infima, & contemptibilia mundi eligere, vt confundat fortia, nempè vt ostendat se esse operis effectorem, cui facilè sit saluare æquè in multis, atque in paucis: quique his aut illis vtatur adminiculis, non quia indigeat, sed quia velit: sicut muri Hierichontini tū- Primo respectu Dei. *Cap. 11.* *Is. 66.* 1. *Cor. 1.*

barum

barum ſonitu, non autem bombardarum, aut machinarum, ictibus ceciderunt. Holofernes & Goliath; ſuperbientes, cæteros aſpernabantur, & tamen eorum alter per manum mulieris occiſus, alter lapide, ac funda deiectus eſt: ſed vt hæc, & alia omittantur, en terrarum orbis, piſcatorum, & ſcenofactoris voce ſubactus eſt. Humilitas opis diuinæ efficaciſſima eſt conciliatrix. Ipſi illi humilium exemplari clariſſimo D. Franciſco obfuit aliquando concionem accuratius præparaſſe, vt experimento diſceret, quanta ſapientia eſſet, nihil ſibi tribuere, nihilque confidere. Mirè hunc locũ illuſtrant, quæ ſcribit S. Gregor. ſuper illa verba Iob. Et non audebunt contẽplari omnes, qui ſibi videntur eſſe ſapientes. Vbi docet omnia Dei dona, omneſque virtutes peſſum ire, niſi adſit humilitas: vnde ſic, inquit, vt accepta virtus, dum in vſu tranſitoriæ laudis aſſumitur, quia vitio militat, virtus non ſit. Benè ergo dicitur, non audebunt contemplari omnes, qui ſibi videntur eſſe ſapientes; contemplari enim Dei ſapientiam non poſſunt, qui ſibi ſapientes videntur, quia tanto ab eius luce longe ſunt, quanto apud ſemetipſos humiles non ſunt: quia in eorum mẽtibus dum tumor elationis creſcit, aciem contemplationis claudit, & vndè ſe lucere præ cæteris æſtimant, inde ſe lumine veritatis priuãt. Si igitur veraciter ſapientes eſſe, atque ipſam ſapientiam contemplari appetimus, ſtultos nos humiliter cognoſcamus, relinquamus noxiam ſapientiam, diſcamus laudabilem fatuitatẽ. Eſt æquiſſima pœna ſuperbi concionatoris, vt ne ſuæ quidem ſapientiæ compos ſit, nec intelligat quæ profert, ſicut ſcriptum eſt, Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Vbi ſapiens? vbi Scriba? Talis fuit pœna Hebræorum, qui nimium ſibi ipſis confidentes, meritò a Deo derelicti ſunt, & excæcati. Talis illorum veterum, qui apud Ethnicos appellabantur ſapientes, de quibus Paulus ait: Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Talis & noſtri temporis hæreticorũ, inter quos Lutherus, non dubitat arrogantiſſimè profiteri, in ſeipſo eſſe Spiritum ſanctum, quemadmodum in Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, quid autem mirum, ſi datus ſit in reprobum ſenſum, cum ſuperbia hominem à Deo apoſtatare faciat?

Reg. 17.

Exemplum S. Franciſci.

l. 27. *Mor. cap. vlt. Iob* 37.

Pœna ſuperbi Concionatoris.

1. *Cor.* 1.

Cap. 1. *Rõ.*

Reſpectu auditorum.

Deinde auditorum cauſa neceſſariam eſſe hanc ſui ſubmiſſionem dicebam. Natura enim ita comparati ſumus, vt fugiamus omnes arrogantes, ac tumidos; ſicut contra facilè cedimus

Digitized by Google

dimus his, qui submissè gerunt se, ac modestè, vt certum sit superbos, non solum Deo esse odibiles, sed & hominibus. Nimirum libenter nemo contemnitur. Omnis autem superbia, contumeliosa est: voluntque homines parere magistris non seruire: duci, non agi. Itaque nemo amicè obedientes aures præbet ijs, qui nimirum sibi tribuunt, & tanquam superiores cum potestate imperium quoddam sibi in omnes arrogant. Contra vero nihil amabilius sincera animi submissione, præsertim in magnis viris, quos aliundè populus suspicit. Illam enim manifestatem suauissimo quasi colore aspergit ipsa hominis modestia; & excelsitatem, ac præstantiam, quasi ad planum, æqualitatemque, & vsum inferiorum deducit. Idcirco caueant dicto, facto, aut indicio vllo præbere vilius contumaciæ signa, præsertim quando cum humilibus, ac pauperibus seu rusticanis hominibus agunt. Hi enim quo opportuniores contemptui sunt, eo pronius in eam partem signa interpretantur, & implacabilius offenduntur. Nec raro fit vt vel leuissima significatio, qua se homines contemni, aut parui pendi suspicantur, multorum laborum fructum corrumpat.

Adde tertio, & sui causa Concionatori hanc virtutem summè cordi esse debere, ne, si vanitati & arrogantiæ seruiat, quicquid poterat recipere mercedis, amittat; neque aliquid emolumenti apud Deum ex suis laboribus, ac vigilijs, studijsque reportet, sed inanem solum auram apud populum. Hoc Christus Pharisæis crebrò, & serio inculcat: Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, & volunt vocari Rabbi, & amant salutationes in foro; contra quos iã est lata sentencia. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. *Matt.* 23.

Tertio respectu ipsius Oratoris.

Humilitatem assequendi modus. Cap. XIII.

VT autem virtutem hanc tam illustrem noster ecclesiastes consequatur. Primo sæpissime eam, atque enixè a Deo petat. Secundo D. Paulum imitetur, qui sæpè repetebat, blasphemus fui; Non sum dignus vocari Apostolus, persecutus sum Ecclesiam Dei. nequaquam bona, quibus abūdè erat cumulatus, ante se ponebat, sed præterita vitæ peccata. Idem faciat Concionator indignissimum se eo munere sentiens, vitia sua coram Deo consideret, attendat negligentias multas, quas in hac tam graui prouincia committit, & accuset, arguatque se ipsum. Tertio, nunquam suas actiones commendet, neque ab alijs

Primo. Secundo. Tertio.

Digitized by Google

alijs velit laudari, neque repetat aliquid, quod sibi placuerit inter concionandum. Quarto non quærat loca vbi sunt nobiliores, vel plures auditores, sed omnino permittat alijs hanc curam, & quod ad se pertinet, eligat potius pagos, quam amplas vrbes. Addam, & hoc loco verba B. Patris nostri Xauerij, quæ legi in quadam eius epistola ad Patrem Gaspárem; Ad Christianam, inquit humilitatem comparandam cum in cæteris, tum in concionandi munere, caput est, Deo bonorum omnium fonti, quicquid inde fluat boni, acceptum referre; memor quicquid in concione pij, rectique expresseris, nequaquã esse tuum, sed ore tuo loquentis Dei. Nec quicquam tibi tribue præterdelicta, socordiam, elationem, ingratumque animum in Deũ, in populum in socios, quorum deprecatione, non tuo merito, talentum communicatũ tibi est à Deo. Et subdit; Illud enim uero te meminisse velim, ac sæpius animo repetere, multos concionatores apud inferos cruciari, qui plus habuerint vel copiæ, vel leporis in dicendo, quam tu, pluresque a scelerata vita ad honestam, piamque traduxerint; & quod monstri simile est, cum plurimis saluti fuerint, ipsi tamen miserrimè periere. Cur ita? nempe ob eam maximè causam, quia ab elatione, & arrogantia insolentes, diuina bona non Deo retulerunt accepta, sed vindicarunt sibi, quocirca humanæ auidos laudis, vnaque sui opinione inflatos, insana gloriæ cupido præcipitem in locum prouexit, vnde in exitium ruerent sempiternum. Proinde se quisque colligat, suisque consulat rationibus.

Quarto.

Monitio Beati Francisci.

Denique cõcludant hoc caput duo grauissimi Patres Chrysost. & August. quorum ille multa contra inanem gloriam remedia habet. Probat primum nil esse cupiditate inanis gloriæ ac laudum peius, & subdit elegerim potius iunumerorum barbarorum seruitutem, quam semel vnius inanis gloriæ, neque enim captiuis, illi, suis talia præcipiunt, qualia subditis suis ista iubendo mandat. Omnium, inquit, seruus esto, animam contemnito, virtutem negligito, libertatem rideto, salutem tuã destruito, & si bonum quid feceris, non adhoc facito, vt Deo placeas, sed vt multis ostentes, & coronam quæ benefaciẽtes manet perdas. Quid quæso poterit hisce præceptis crudelius fieri? Deinde addit, Quod malus planè sit hic morbus, manifestum est, quomodo autem illum effugiamus, necesse erit, vt dicatur, maximè sanè si tibi hoc potissimum persuaseris, nẽpè hunc morbum esse grauem, optimè iam correctionis initiũ feceris; tum enim ægrotus confestim de medico cogitat, cum

Hom. 17. in Ep. ad Rom.

Optima Doctrina Chrisostomi contra Vanaglo riam.

ante omnia, primum ægrotare se cogitauerit. Quod si & aliam viam, qua morbum hunc effugias, quæsieris, respice ad Deum continuò, & ea quam ab illo expectas, gloria contentus sis. Si quando te morbus hic titillauerit, vt conseruis tuis, quæ rectè facta gesseris, gloriando narres, rursus cogitans, quod nihil inde fructus, etiam cum dixeris, sis accepturus absurdã hanc concupiscentiam extinguas animæ tuæ in hunc modum immurmurans, Ecce tantum temporis parturiendo laborasti, vt quæ rectè gesseras alijs inuulgares, & cum tantum temperantiæ non haberes, vt silentium seruares, omnibus ea obtrusisti, iam dic quæso, quid vtilitatis amplius inde cæperis, nihil planè nisi extremum damnum, nimirum, quod irrita facta sunt omnia, quæ magno labore congesseras; post hæc, & illud perpendas quod multorum sententia sit corrupta, corruptumque iudicium, imo non solum corruptum, sed & qnod subito marcescat, nam etiamsi ad horam admirentur, puncto tamen temporis vix præterito, omuium obliuiscuntur, quamquam etiam si manserit, multæ tamen miseriæ fuerit, diuinam illam, ista commutasse. Si vero mirum videtur, quod dico audi Christum idem censentem, Væ vobis, (inquit) cum benedixerint vobis homines; Si enim cuiuis arti, non quosuis, sed ipsos opifices iudices requiris, quomodo virtutis probationem multis committis, & non vni illi præ omnibus, qui cum omnia sciat, solus etiam vel exturbare vel coronare potest. Hoc itaque Christi verbum inscribamus & parietibus, & ianuis, & menti, dicamusque continuè nobis ipsis: Væ nobis, si quando laudauerint nos omnes homines, nam ipsi etiam laudatores te postremo, velut vani honoris, præconijque, quod ab ipsis fit, stultè amantem vituperabunt.] lege totam homiliam, & pleraque inuenies similia ego quidem plura hic adscripsi, quod cum totus locus verè aureus sit, ipsa etiam prætiosa longitudo est, sed audiamus iam paucis Augustinum. Non aliam, inquit, ad capessendam, & obtinendam veritatis viam munias, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum, verus Deus, videt infirmitatem. Ea autem prima est humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas. Sic fiet, vt illud Annæ impleatur; Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. *Luc. 6.* *Ep. 56. ad Dioscorũ.*

Spiritus paupertatis. Cap. XIV.

CHriſtus Dominus, ſiue Apoſtolos, ſiue ſeptuaginta duos diſcipulos ad euangelizandum miſſurus, poſt propoſitam prædicationis materiam paupertatis præceptum maxime videtur inculcaſſe, iubens etiam eoſdem ſolo cibo, quicunque apponeretur, eſſe contentos, Cui tamen priuilegio, S. Pauli magnanima charitas renunciauit, cum ne vlli grauis eſſet, manibus ſuis operaretur, vt planè admirandum ſit, totius orbis magiſtrum, qui ne baptizandi quidem occupatione volebat diſtineri, quo impenſius ad prædicationis miniſterij incumberet, tamē labores operis, manu ſua faciendi, vtrò, ne cui moleſtus eſſet, aſſumpſiſſe; cum tamen potius in eos à quibus quippiam accepiſſet, videretur beneficium collaturus. Tantum ſcilicet intelligebat in Paupertate eſſe momenti, ad fructus prædicationis propagandos. Et ſanè cum toti ſint vulgo homines in habendi cura, vix vllam in ſeruis Dei virtutem æquè admirantur, atque abſtinentiam ab ijs rebus, quas ipſi vſque adeò ſitiunt. Itaque tamquam Angelos, ſi fieri poſſet, oporteret concionatores terrarum orbem peragrare omnium rerum terrenarum onere expeditos, vt tanto libentius audirētur a populis, quāto clarius cernerent, non quęrere ipſos quæ ſua ſunt; ſed quæ ſalutis æternæ ipſorū. Illuſtris eſt ratiocinatio Bernardi, ſi Sacerdos paſtor eſt (inquit) & populus oues, dignum eſt vt in nullo appareat ouibus paſtor diſſimilis? Si inſtar mei qui ouis sū, paſtor meus, & ipſe incuruus graditur, vultum gerens deorſum, & terrā ſemper reſpiciens, & ſoli ventri, mēte ieiunus, pabula quærens, in quo diſcernimur? Væ ſi uenerit lupus, non erit, qui prænideat, qui occurrat, qui eripiat, Decet ne Paſtorē more pecorū, ſenſibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis? & non potius erectū ſtare vt hominē, cœlum mente ſuſpicere, quæ ſurſum ſunt quærere, & ſapere, non quæ ſuper terrā?] Exemplo nobis eſſe poſſunt, Tum plerique aliarum religionum primi ſectatores, Tum noſtræ Societatis antiqui Patres, qui propterea tantum proficiebant initio, non quod ſingulare aliquod dicendi genus afferrent, ſed quod inter cæteras virtutes illuſtria perfectiſſimæ paupertatis documenta præberent, in Xenodochijs diuerſantes, & emendicata ſtipe victitantes; quod & in aliarum religionum principijs, aperte ex earum Chronicis manifeſtum fit; ob hanc eandem edificationis cauſam, &

Exemplum Pauli.

Ep. 42. ad Epiſcopū Senonenſem.

rerum

rerum terrenarum contemptum; Et hæc inter cæteras causa fuit N.B.P. Ignatio, cur nollet à suis, ne eleemosynas quidem pro concionibus cuiusuis generis accipi. Sed quid mirum, inter Christianos tantum esse authoritatis paupertati? Audi Senecam, & quidem Epicuri vocem laudantem, magnificentior, (mihi crede) sermo tuus, in grabato videbitur, & in panno; Non enim dicentur tantum illa, sed probabuntur. Ego certè aliter audio, quæ dicit Demetrius noster, cum illum vidi nudum, quanto minus quam stramentis incubantem: tunc enim non præceptor veri, sed testis est.] *Epist. 20.*

Verum quia non eadem est omnibus Euangelij præconibus par virium, & valetudinis firmitas, & alia alijs necessaria subsidia sunt, vnusquisque tamen suspectus sibi sit, & studeat ergà spiritum paupertatis, propensionem habere, ac sibi persuadeat, si superuacua commoda recidantur, reuera per pauca satis esse naturæ, quæ paucis contenta viuit: & omninò credat, Apostolicæ, & Euangelicæ prædicationi, paupertatem, clarum, & familiarem esse debere; vt mirum non sit, si multi interdum quamuis magno labore, non multum proficiant, cum iam soli laborent, Christo operis huius authori non ritè connexi. Sit ergo Euangelicus Prædicator, ea contentus simplicitate victus & indumentorum, quam Apostolici muneris conditio postulat. Religiosi nihil inter suos singulare velint; nihil aut in libris, aut in sacris imaginibus, aut reliquiarijs supra communem modum spectabile, aut prætiosum. Nec cum apud Episcopos, aliosvè concionum grátia (vt fit) diuersabuntur, vllo modo sinant sua causa magnos fieri sumptus, siue in mensa, siue in domicilio, aut vlla re. Certo etiam sciant, si dona repudientur neminem offensum iri; sed maiorem ædificationem ac fructum inde consequuturum. Instrumentum item viatorum vulgare sit, nec itineris faciendi gratia alia quærantur, nisi quæ ad vitam pauperum modo, sustentandã sit satis. Nec vero videbimur hac re nimium seueri, si cogitetur muneris huius perfectio, si forma quam tradidit Christus Apostolis, & quã ipsi Apostoli tenuere; si denique virtutes quas ipsi Prædicatores tractant, in quibus est paupertatis Euangelicæ commendatio, & rerum terrenarum contemptus. si denique quantam vim habeat ad persuadendum veri pauperis Oratio. Debet igitur Euangelicus Concionator optimè affici ad spiritum sanctæ paupertatis, & cauere: ne ea, quæ tanquam murus religionis dicitur, detrimenti quippiam patiatur.

In quo paupertatem tenere oportet.

Digitized by Google

Malũ exemplum in hac re quantum noceat.

Præter alia damna plurimum in religiosis familijs nocent exempla, serpuntque contagij modo. Nihil enim est tam proclive, quam vt quod in alijs videmus, & ipsi velimus. Nec causa idem volendi deerit, cum adeò sit cauillatrix commoditas. Multi præterea grauiter offenduntur, ac stomachantur, dum vident quosdam eorum de numero esse, qui grauia alligant onera, nec digito suo voluntea mouere. Itaque fidelis præco virtutum, sicut verbo alijs præit, ita exemplo præluceat domi, foriſque & sibi accomodet illud Cassiani, Quodcunque extra cõsuetudinem præsumitur; vsumque communem, vanæ gloriæ atque ostentationis morbo pollutum, antiquissima Patrum traditio notat. Sed iam de recti cura exempli nouo instituto capite differendum est.

Lib. 5. c. 23 de spiritu Gastrim.

Conuersationis bonæ exemplum. Cap. XV.

QVam sit necessaria Oratori Christiano vera, & solida virtus, à nobis dictum est hactenus: verũ quia sanctitas non illi quæcunque satis est, sed quæ etiam foras emanet: Placuit, hic de recto exemplo seperatim differere, quod, tum domesticis cum quibus versatur, tum cæteris præbere omnibus debet. Nam quamquam huius rei sæpè ante incidit mentio, tamen grauitas ipsius postulat, vt ea quoque propriè, planiusque tractetur. Rectè enim Chrisostomus iudicat, Omni tuba, documenta operum clariora esse vitamque mundam ipsa luce clariorem. & multo fidelior, inquit, & certior doctrina operum quam sermonum. Nam qui talis est, etiam silens, & cum non videtur docere potest, & alios quidem, qui illum vident, alios vero, qui de illo audiunt: & multa fruetur Dei gratia, non solum propter se, sed & propter alios, qui illum vident, & incitantur, vt glorificent Dominum. Talis per mille linguas, & multo plures gratias, & laudes referet Deo. Neque enim noti soli, testes sunt vitæ illius, & ipsum mirantur, ac ipsum Dominus, sed & qui non cognoscunt, & ab alijs discunt, & qui valdè procul habitant, & non amici soli, sed & inimici reuerebuntur virtutis eminentiam.]

Hom. 15. in Matth. Hom. 13. in Gen.

Bonum exẽplum quantã vim habeat.

Opinio virtutis quã oratori necessaria.

Cum igitur duæ præcipuè res authoritatem suasori necessariam colligant, scientiæ, ac virtutis opinio, vt confidant ij, quos adhortatur, nec falli eum, nec velle ipsos decipere, manifestum est, probitatis opinionem apud quosuis, sed maximè apud Christianos auditores, longe necessariam magis. Nam

cum

Digitized by Google

cum fidei res pro concione tractentur, satis ferè norunt homines vera dici: neque tam docendi, quam permouendi sunt, vt quæ ipsi quoque iam cognouere, atque etiam volunt, sed languidè; ea efficaciter velint, agantque. Atqui quanto magis populum opinio sanctitatis, quam scientiæ moueat, per seipsa liquet, & apparet ex concursibus, quos ad idiotas, planèque infantes, nomine sanctitatis eorum vulgato, fieri videmus, quibus illa ipsa humanarum ignoratio doctrinarū, augere authoritatem, ac fidem videtur; quod scilicet quicquid loquuntur, traditum ijs diuinitus creditur; & cum veneratione suscipitur. Hæc ita cum sint, eo debet Concionator vires intendere quod summa cum humilitate potest efficere si seriò virtutem, & Dei gloriam amet vt nullum famæ suæ offendiculum ponat. Propterea Christus priuatim Doctores Ecclesiæ instruēs dixit, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum: Non autem tum glorificant homines Patrem cœlestem, cum in Concionatore solam doctrinæ lucem vident, sed vbi eam animaduertunt bonis operibus, & vitæ sanctitate splendescere: cum contra: Cuius vita despicitur, nihil aliud restat, nisi vt eius doctrina contemnatur. D. Prosper; Non potest dicere (ait) Sacerdos contemptoribus admonitionis suæ, futurum cogitate iudicium, quod ipse fortè non cogitat, amatoribus sęculi, nolite diligere mundū, si eum mundi amor delectat, Ambitiosis, ambitioni finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat, & quicquid boni nō facit, aut mali committit nec iubebit fieri, nec vetabit, quia necessariam docendi authoritatem contrarietate suæ actionis aut amittit, aut minuit.] Chrisost. Neque tam considerantur ea, quæ à nobis dicuntur, quam quæ à nobis aguntur. Et vt scias rem ita se habere, licet infinities tantum philosophemur verbis, & de patientia disseramus: & cum tempus fuerit, eam operibus non demonstremus, non tantum proderunt verba, quantum nocebunt opera.] Sed intueamur magis ipsam Prędicatorum formam; Quæcunque sunt vera, ait Paulus, quæcunque pudica, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus Dei, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite. Vtinam tales simus, vt quæ populi à nobis audiunt, eadem intueantur. in nobis: vt cum eodem Paulo dicere possimus; Deo autem gratias, qui semper triumphat, nos in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

Matth. 5.

De vi. Cōt. l. 1. c. 15.

Hom. 8. in Gen.

Phil. 4.

2. Cor. 2.

Digitized by Google

1. Tim. 4. Tit. 2. Itaque sibi dictum putet Concionator, quod Timotheo dicitur, exemplum esto fideliū; & quod Tito; In omnibus temetipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, verbum sanum, irreprehensibile: vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens dicere de nobis. Quod omnibus Clericis præcipit Concil. Trid. sibi maximè conuenire credat Euangelicus Doctor, Nihil ait, esse quod alios magis ad pietatem & Dei cultum, assiduè instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt, cum enim à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciuntur, in eos tamquam speculū reliqui oculos conijciunt, ex eisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet Clericos ad sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, vt habitu, gestu, incessu, alijsque omnibus rebus nihil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præseferant.]

Sess. 22. c. 1. de refor.

Igitur omni cura inuigilandum est ei, qui se profitetur morum magistrum, vt domi, forisque, inter domesticos, & externos, cunctæ eius actiones, ac verba, sanctitatem, & bonum nomen redoleant. Illa enim ipsa professio facit, vt plus quiddam ab eo, quam à cæteris expectetur, quod si non præstat, tum homines propter rei deformitatem, quasi decepti indignantur. Ac frustra in Concione loquetur, destruens exemplo, quod verbis ædificat. Sic exponit B. Greg. id quod habetur 3. Reg. 3. de muliere quæ filium, quem lactabat vigilans, dormiens interemit, quia Magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere verborū lactæ videbantur.] Et alibi egregiè docet, hos Prædicatores contra se ipsos ferre sententiam; Viri inquit, arrogantes, & docti cum rectè non viuunt, & tamen recta dicere doctrinæ impulsionibus compelluntur, ipsi damnationis suæ aliquo modo præcones fiunt; quia dum ea quæ agere respuunt; prædicantes insinuant; suis se vocibus damnatos clamant:] Et interpretatur in eos illud Psalmi Conuersi sunt in arcum prauum; Arcus quippè peruersus (ait) ipsum à quo intenditur, percutit, in dictis autem suis arrogantium linguæ arcui peruerso sunt similes, quia dum contra elationem verba faciunt, in suis authoribus sagittas figunt] Eadem Chrysost. docet multi sacerdotes, & pauci sacerdotes, multi nomine, pauci opere. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram, quia cathedra non facit sacer-

Exemplū malum Prædicatoris obest.

l. 21. Mor. cap. 8.

l. 27. Mor. cap. 27.

Dist. 4. cap. multi.

sacerdotem, sed sacerdos cathedram: Non locus sanctificat hominem, sed homo locum, qui benè sederit super cathedram, honorem accipit ab illa, qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit non dignitatem; in iudicio enim sedens, si quidem benè vixeris, & benè docueris omnium iudex; si autem benè docueris, & malè vixeris, tui solius condemnator eris.] & rursum idem. Qui docet, verborum suorum sit ipse exemplum: vt magis opere doceat quam sermone. Et paucis interpositis dignam Chrysostomo profert sententiam; Si in Terra est animus tuus, vt quid de cœlo loqueris? Si autem de cœlo loqueris, in cœlo consiste: vt possis cum Paulo dicere, Nostra conuersatio in cœlis est.] Et concludit, Aut vbi fuis inde loquere, aut vnde loqueris ibi sta.] *In 5. cap. Matth.*

Nimia familiaritates & crebræ visitationes vitandæ.
Cap. XVII.

HAec vt Concionator facilius obseruet, imprimis multo conuersationis amicus ne sit, quamuis enim eius spiritus non debeat esse supra modum solitudini addictus, & silentio; tamen multo minus debet esse consuetudini sæcularium deditus; Vbi non agatur de conscientia, vel de spirituali animæ profectu, sese paucis expedit, vt solebat ex nostra societate Pater Hieron. Ottelius, qui concionando in animarum salute multos annos cum magno fructu, & egregiè laborauit, adijciens illud prouerbium, Amici fores temporis. Quo pertinere videtur Apostoli præceptum, In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Iuuat hic Senecam audire; *Epist. 7.* Quid tibi vitandum præcipuè existimem quæris? turbam. Nondum illi te tuto commiseris: ego certè confiteor imbecillitatem meam. Nunquã mores quos extuli refero:] Et mox; Inimica est multorum conuersatio. Nemo non aliquod vitium nobis aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.] Ipse etiam Plato in Timæo iubet Sacerdotes separatos ab omni turba vitam agere debere. Sancti autem religionis Christianæ Doctores, multum grauitatis in Sacerdotis, & præsertim Concionatoris vita requirunt. Vitanda est igitur multa hominum consuetudo, ac frequens, non modò quia teritur frustra tempus, sed etiam quia inter huiusmodi colloquia facile euanescit spiritus ac deuotio. Quin illi ipse qui nostro vsq

Nimia familiaritas sibi & alijs nocet.

delectari videntur, paulatim incipiunt bonam de nobis opinionem amittere; verum est vetus verbum Nimia familiaritas parit cõtemptum: Optima illa tenenda est regula quæ sic habet, cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Præterea periculum est, ne is qui populo frequenter immiscetur, populi mores addiscat, & secularium studijs afficiatur sensim, & inficiatur. Neque enim adeo debemus nobis ipsis fidere, vt non timeamus illud, Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.

Fugiendæ crebræ visitationes.

Ex quibus verbis optimum consilium nobis tenendum est, non debere Concionatores in visendis viris nobilibus, & multo minus mulieribus esse occupatos, nisi spiritualis necessitas compellat. Neque illud debet apud nos habere multum momenti, quod à quibusdã obtenditur, qui id fieri iudicant oportere ad conseruandam horum amicitiã, vt in spiritualibus animarum suarum rebus ãdiuuentur. Nam experientia patet, his crebris salutationibus neque eos multum lucrari, & nos de nostro non parum deperdere. Et planè si prædicationis officium comitari debet (vt supra docuimus) contemplatio, certè huic detrahitur, quod in superuacaneis colloquijs insumitur & attentionis & temporis. Ex quo necesse est officium Prædicatoris ac statum, non integrum permanere. Atque hoc diserte Diuus Gregorius docet. Egressus Samuelis expectetur quia viri sancti in secreto sui silentij venerandi sunt, inquietandi non sunt. Raro enim (inquit) videbatur in Ciuitate, videlicet, tardè veniens cito recedens quo nimirũ magisterio sanctæ Ecclesiæ Doctor instruitur, vt videlicet raro fit in publico, frequẽs in secreto, vt quo tardius aspicitur, deuotius veneretur, quia quo amplius in secreto contemplationis latuit, verbi Dei thesauros, ad eos qui se expectant, ditiores trahit, ille enim potest multa bona in infimis dicere, cui per secretum mentis intuitum conceditur summa videre.

In 1. Reg. c. 9. expositi. l. 4.

Modus conuersandi politicus vt hodie vocantur.

Secundo in seculari consuetudine fugiendus est Concionatori agendi modus quidam, qui magis aulicorum, quam Religiosorum proprius est, & eorũ qui magis spiritu huius mundi, quam spiritu Dei viuunt: magisq; sapit mores quosdã, quos hodie politicos vocamus, quam simplicitatẽ Euangelicam ac religiosam. Ex hoc genere, vt exempli gratia dicam, est leuis & iuuenilis in familiari vsu libertas, sub prætextu hilaris, & lectioris cuiusdam conuersationis ridicula dicta, ac facta, & lepidas historias intermiscendo, vt hoc modo amicos & viros

nobi-

nobiles familiaribus colloquijs detineãt. Tenenda est Ambrosij sententia. Affabilitas sermonis ad conciliandam gratiam valet plurimum. sed hanc volumus esse syncerã, ac sobriam sine vlla adulatione, ne simplicitatem: ac puritatem alloquij dedeceat sermonis adulatio. Magnus item Bas. Cum quid loquuturus es, ea ex ore tuo prosiliant, quibus & proximum consoleris, & charitatem erga illum tuam magis confirmes, & addit: Idque adhibita quadam festiua Oris hilaritate, vt qui tecum loquitur per te exhilarari se sentiat. *l. 2. offic. cap. 19.* *Serm. de Abd. rerti.*

Certè D. Chrysostomus, super illa Pauli verba; neque stultiloquium, neque scurrilitas, ostendit quam sit Christianæ grauitati conueniens, ridiculis abstinere, quas qui legerit, non poterit non mirari, quantum plerique Christiani populi Doctores ab ea grauitate distent, quam ille vir sapientissimus ire ab ipso populo exigebat. Bernardi est sententia, Inter seculares nugæ sunt nugæ, in ore sacerdotum blasphemiæ, consecrasti os tuum Euãgelio, nugis ergo iam os aperire illicitum est, assuescere vero nugas loqui sacrilegium est, Labia sacerdotis ait Propheta custodiunt scientiam, & ex ore eius requirunt legem, nõ nugas, aut fabulas. Qualis autem sermo adhibendus sit, egregie docet idem Chrisost. in ea verba Apostoli, Sit sermo vester sale conditus, siue in animum delicatum inciderit: astringet mollitiem; siue in confidentem, emolliet duritiem: siquidem gratiosus fuerit, neque onerosus sit, ac durus, neque rursum mollis, sed & quod stringat habeat, & quod iucundum sit, si enim immoderate perstrinxerit, magis nocebit quam proderit, rursus si immoderate gratificabitur, perniciem magis afferet, quam vellitatem. Itaque vtrinque oportet esse mensuram neque crudis sit ac durus, est enim iniucundus; neque rursus dissolutus sit, contemptui quippè te obnoxium reddet, sed vtrinque quod est virtutis captans, malitiam fuge instar apis, hinc scilicet alacritatem, illinc vero honestam grauitatẽ desume. Audi & Greg. esto grauis, sed nõ austerus, vt neque de seueritate sis oneri, nec de familiaritate contẽptui. Et Cypr. Sit vobis in vobis circa fœminas vigeat, authoritas polleat, vigor teneatur, grauitas venereatur. Eadẽ ratione nullo modo ij sũt imitandi qui horas & colloquia insumunt in rebus curiosis, inquirentes, & referentes quæ neque ad suum statum, neque ad vtilitatem eorum pertinent, cum quibus agunt; similes his de quibus. D. Lucas in Actis ait, Athenienses, & aduenæ Romani ad nihil aliud vacant, nisi audire, & dicere aliquid noui. *Ho. 17. in eap. 5. ad Ephes.* Sermo qualis in Concionatore. *l. 2. de cõs.* *Ho. 11. in c. 4. ad Colos.* *l. 10. Mor. cap. 1.* *De sing. Cler. sub finem.* *Act. 17.*

A con-

A conuiuijs, spectaculis & negotijs sæcularibus abstinendum. Cap. XVII.

TErtio, ob easdem causas putarim communiter vitanda conuiuia sæcularium, nec ea nisi raro adeunda. Nec ratio obscura est. Si enim raro debet Concionator apparere in publico quanto minus in conuiuijs, vbi omnia illa, quæ nimiæ conuersationis, & multo plura sunt damna? Quin ipse Dominus vetuit circumcursare per domos, sed voluit discipulos in eadem manere domo, in quam primo ingrederentur. Exemplũ vero Christi & Sanctorum, qui conuiuijs non modo interfuere aliquando, sed vltro se etiam obtulere, eo valet, vt cum ingens apparet per eam occasionem animas lucrandi spes, non subterfugiatur occasio: quæ spes vbi magna non appareat, fugiendũ potius est & alienæ & suæ iacturæ periculum. Nam inter loquutiones familiares in mensa, inter conuescendum, & compotandum, eam tenere modestiam, quæ officij ac status dignitati par est, non est cuiusuis virtutis; tum periculum est ne in alterum extremorum incidas, vel vt nimis rigidus habearis ac morosus, nisi te alijs accommodes, vel de bona opinione aliquid amittas, si qua re temperantiæ religiosæ fines egredi videaris.

Quare à conuiuijs abstinendum.

Ad Nepot. Ep. 2.

Cuius moniti grauitas vt appareat, accipe grauissimorum Patrum Hieron. August. & Ambrosij sententias. Consolatores nos (inquit Hieron.) in mœroribus suis potius, quam conuiuas in prosperis nouerint. Facilè contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat: Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Nesciò enim quomodo, qui deprecatur vt tribuat, cum acceperis, viliorem te iudicat, mirũ in modum si eum rogantem contempseris, plus te postea veneratur.] Testimonium Ambrosij & August. simul inuenies in vita eiusdem August. quam Possidius describens sic ait, Seruãdam esse in vita, & moribus hominis Dei, referebat (scilicet S. August.) quod in institutis sanctæ memoriæ Ambrosij compererat, vt vxorem cuiquam nunquam curaret, neque militare volentem ad hoc commendaret; neque in sua patria petitus iret ad conuiuium. Quorum etiam rationes has dabat, vt idẽ refert Possidius scilicet, ne dum coniugati inter se casu iurgarent, etiã maledicerent, per quẽ coniuncti essent: & ne militiæ commendatus, ac male agens, suam culpam suffragatori tribueret;

Possid. in eius vita. cap. 27.

dueret, & ne per frequentium conuiuiorum temperantiæ amitteretur modus. Hinc de conuiuijs neque tamen sanctorum ea est seueritas, vt nunquam velint acceptandum esse aliquod cõuiuium vbi alicuius spiritualis fructus spes appareat, (vti dixi mus) quia contingit aliquãdo vt quos correctio disciplinæ tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conuiuiorum sedulitas & admonitio blanda ad viam perducat iustitiæ. Idem fit iudicium cum ad celebritates quasdã prophanas facer magister, imo etiam spirituales, solum spectandi gratia inuitatur. Multoque magis villæ ac rusticatio cum secularibus euitandę. Veruntamen, vt initio dicebam, neutiquam ita amanda est solitudo, vt salus proximi, cum se offert occasio negligatur. Neque enim vt ait idem Greg. perfectus Prædicator est, qui vel per contemplationis studium operanda negligit, vel per operationis instantiam contemplanda postponit.] Cum ergo pro ratione muneris sui in beneficium alicuius animæ prodire in publicum cogitur, seruet illam solitudinem, quam Bernardus docet, solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia; si despicias quod multi suspiciunt; si fastidias quod omnes desiderant.]

A spectaculis abstinendum.

l. 6. Mor. cap. 17.

Ser. 40. in Cant.

Quarto seruandum est optimum Gregorij documentum, qui vult Concionatores alienos esse à suscipiendis secularium negotijs: Qui, inquit, officium Prædicatoris suscipit, dignum non est, vt ónus secularium negotiorum portet, nedum hoc eius colla deprimit, ad prædicanda cœlestia non assurgat.] Paulus clamat Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. Christus noluit inter duos fratres cõponere negotium de hereditate, cum tamen posset alicui videri pertinere ad pacem inter eos conciliandam, sed repudiauit cum diceret, Quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos? Certe ad nos nequaquam pertinent multa negotia contractuum præsertim rerum ciuilium. quæ sæpe cum eum euentum non sortiantur, quẽ seculares expectant, conqueruntur postea de sacris viris, qui se hisce negotijs immiscuerunt. Denique Concionatores, suo debent muneri incumbere, & non ad alia distrahi etiam bona opera, iuxta illud Pauli non misit me Dominus baptizare, sed Euangelizare.

Hõ. 17. in Euang.

Negotiorũ secularium ea non admittenda.

2. Tim. 2.

Luc. 2.

In 1. Cor. cap. 1.

1. Cor. 1.

Ex hac necessaria & cœlesti doctrina, quam hactenus explicaui, duo velim, vt noster Christianus Orator apud sese statuat, tamquam axiomata certissima, de quibus nullo modo liceat dubitare. Primum, validiora esse ad persuadendum vitæ sanctæ exem-

Exempla validiora quam verba.

exempla, quam verba pluſque nos poſſe proficere virtutum ſpendore quam ſono verborum. D. Franciſcus ſine dubio plures animas Deo lucratus eſt bona ædificatione ſuæ humilitatis, ac ſanctitatis, quam Concionatores multi docta, excultaque facundia; quia Homines, vt ait, Seneca magis oculis, quam auribus credunt; Nam virtutem in abſtracto conſtitutam quis videat quis imitetur? At virtute præditum quempiam: homines videndo & audiendo imitari conabuntur. Secundum quod velim ex dictis colligi, & penitus in animũ infigi, ſumma vigilantia curandum, vt ne in minimis quidem proximi noſtra conuerſatione offendantur. Vix dici poteſt quantum homines ſcandalum patiantur leuibus quibuſdam culpis Concionatorum, ſiue ij religioſi ſint, ſiue non, qui præcipua quadam profeſſione diuino cultui mãcipantur. Quorũ vel ineptiæ, nugæ, moroſitas, & alia id genus, profectui populi impedimentum ingens opponunt. Quin adeo non a leuibus modo peccatis, ſed etiam ſæpe abſtinẽdum eſt a rebus, quas ſine vlla vel leui culpa fieri liceat. Audi Paulum, Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æteruum; &, Omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti; &, Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Poſt omnes has a nobis enumeratas Chriſtiani Oratoris virtutes, agendum adhuc eſſet de eius, qua maximè pollere debet, Prudentia, in pleriſque ſui muneris functionibus omnino neceſſaria. Sed quoniam hæc late patet, & copioſam habet in qua ſeſe exerceat ſegetem, Tertiam ei noſtræ inſtitutionis partem aſſignauimus: quare hoc loco nihil erit dicendum.

Senec. Ep. 6.

1. Cor. 8. cap. 9. Cap. 6. & 10.

De prudẽtia in tertia parte agitur.

Regulæ Chriſti Domini his quos ad prædicandum mittebat. Cap. XVIII.

HActenus ergo de virtutibus Oratoris noſtri ſit dictum, quæ eo tendunt, vt ad Deum & ad homines optime inſtrumentum accomodent. Erit fortaſſe, cui fruſtra in his tantum operæ inſumptum videatur, cum haberemus ad manum germanam euangelizantium formam, quam iam olim Dominus noſter, id eſt ſapientia ipſa, ipſeque Euangelij author coloribus ſuis expreſsit, quæ ſatis eſſe poterat ſi ſola proponeretur. Verum noſtram ſedulitatẽ excuſabit cum grauitas operis, tum iuuandi voluntas, non tam vt ex me audirent Concionatores:

Digitized by Google

tores; quod ipsis oneris incumberet, quam ex sanctis Patribus acciperent; hoc enim curauimus. Nunc antequam ad ea progrediamur, quæ ad sapientiam euangelici Oratoris spectant; proferamus etiam, & quasi sub aspectum ponamus illud ipsum exemplum, quod cœlestis magister descripsit:

Conuocauit Christus dominus duodecim Apostolos, quos ad prædicandum regnum Dei mittebat: ac primum loca certa in prima illa legatione, quæ adirent, iis attribuit, nempe Iudeæ Ciuitates & oppida, vetuitque in viam gentium abire, & in Ciuitates Samaritanorum intrare, ob causas quas ipse iustissimas iudicauit. Hoc autem Concionatores admonet, ne ipsi sibi ad concionandum pulpita, & Ciuitates eligant: sed intelligant multo esse huic Apostolico numeri congruentius, vt hoc superiorum iudicio relinquant, & multo libentius suos labores ponant in locis ad quæ mittuntur, quam ad quæ ipsi suopte nutu propendent: hoc est enim esse Apostolum, id est missum; vt profecto videatur Apostolici muneris etiam nomen amittere, qui nutum eius, à quo mitti debuit, aliquo modo præit. Neque Apostoli cum in varias orbis terræ partes ad prædicandum discessere, ipsi sibi regiones delegerunt, sed delectum illum vel in commune consilium retulerunt, vel diuinæ reuelationi, ac prouidentiæ per sortitionem ac orationes permiserunt, quod in electione Matthiæ factum legimus. *Matt. 10.* Concionatores debét mitti ab alijs. *Act. 1.*

Secundo, binos eos mittit ob fraternam charitatem, & consolationem, ait Euth. vt se mutuo in laboribus ac ærumnis iuuarent, vt in rebus agendis & consilio & opera sibi inuicem opem ferrent, Væ soli, ait sapiens, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se. Ob id maximè curandum Euangelizantibus, vt consonionem inter se animorum conferuent, & alter alterius onera ferant. Adde quod id etiam ad nostræ & virtutis & famæ munimentum pertinet, vt habeamus semper aliquem nostrarum actionum testem, & fidelem custodem. Quæ quidem res vt summi momenti, & exoptanda, & curanda est maximè: Præclarum in ea (vt accepimus) B. Carolus Borromeus, sicut in omnibus alijs suæ virtutis exemplum nobis reliquit. Nunquam enim Sanctissimus Præsul, & nusquam solus volebat esse: sed assidue etiam noctu aliquos habebat inculpatæ virtutis, ac bonæ famæ Clericos, qui ante sui cubiculi fores cubarent. *Luc. 10. Mar. 6.* Bini mittantur. *Cap. 14. in 6. Marci.* *Eccl. 4.*

Tertio materiam præscripsit concionum. Prædicate, inquit, dicentes appropinquat regnum Dei. Quibus verbis licet paucis, Tertio materia concionū

cis, omnia pene quæ ad materiam prædicandi pertinent concluſit: nam ſi prædicandum eſt Regnum Cœlorum, profecto ad contemptum rerum terrenarum, ac mundi, ſunt homines inducendi; quomodo enim ad futura Regni cœleſtis bona poterit quis aſpirare præſentibus & caducis opibus, ac voluptatibus inhians? Deinde ſi finis annunciatur, & æterna felicitas, etiam via debet prædicari: hæc autem eſt pœnitentia peccatorum his qui à Deo alienati ſunt. Quare & Apoſtoli probe id intelligentes, cum à Chriſto mandatum accepiſſent prædicandi Regnum Dei, exeuntes ait Marcus prædicabant, vt pœnitentiam agerent, optimè aduertentes, id ipſum eſſe prædicare Regnum Dei, quod Chriſti exemplo didicerant, qui hinc ortus eſt prædicationem, vt dicerat pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum. Ergo omnium vitiorum odium, ac deteſtatio eſt maxima Chriſtiani Oratoris materia, & cum his etiam virtutes, quæ ſunt ad cœlum via neceſſaria. Quod autem Chriſtus præcepit, vt prædicarent appropinquare regnum cœlorum, ad ſuum aduentum, & incarnati verbi encomium ſpectat, quippè per Chriſti legem & gratiam cœpit vita quædam cœleſtis in terris, per quæ eius idem paſſionem cœlum, iamdiu peccato clauſum, patefactum eſt, vt ingreſſuris nullum eſſet impedimentum. Ergo Chriſtum prædicaturi mittuntur Apoſtoli, vt eius poſteri ad idem munus deſtinati, & eius myſteria mundo aperiant, & gratiam Redemptoris commendent.

Quarto. Paupertas Apoſtolica.

Quarto poſt aſſignatum Prædicatoribus locum, ſocium, & materiam concionum, edocet eos de viatico, quod ſolent, qui ad iter ſe accingunt ad vitæ neceſſaria comparare. Nihil, (ait) tuleritis in via; Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, neque peram, neque panem, neque duas tunicas habeatis. Non eſt huius inſtituti Euangelicas explicare quæſtiones. Verum certum ſit hoc præceptum fuiſſe temporarium, datum in eam legationem, qua in Iudæa eo tempore fungebantur: & nulli dubium ſit, Apoſtolos aliquid tuliſſe rerum neceſſariarum in via, quando inter gentes Euangelium prædicabant: tamen certiſſimum eſt Chriſtum his verbis, voluiſſe omnibus Diuini Verbi Prædicatoribus inculcare, quam omnino deceat Virum Apoſtolicum vacuum eſſe omni ſollicitudine rerum temporalium, etiam earum, quæ vitæ neceſſariæ ſunt, & in Deum fiduciam collocare eiuſque prudentiæ ſe committere, vt credat nihil defuturum neceſſitatibus corporis, ſi

Luc. 22. ſuo bene fungatur officio: quod & alibi Chriſtus ſignificauit,

cum

cum interrogaret Apostolos: Quando misi vos sine sacculo, & pera, nunquid defuit vobis? Et in hoc eodem loco suam promittit operam subijciens. Dignus est enim operarius cibo suo; quasi dicat, non deerit laboranti suus cibus, si tamen suo cibo sit contentus, id est necessario ad vitæ sustentationem, ac status sui conditionem, qui paupertatem profitetur Euangelicam non ad luxum, aut magnificentiam, more eorum, qui in domibus regum sunt, & mollibus vestiantur, aut lautius epulantur. Recte hoc loco Euth. Nihil adeo admirandos reddet Prædicatores, vt vita frugalis, & rebus contenta communibus.] Paulus ait, habentes victum, & quibus tegamur, his contenti simus. Quid indignius quam sacri hominem Euangelij præconem coram secularibus videre in mensa splendide epulantem? *Matt. 10.* *Cap. 19.* *1. Tim. 6.*

Alia quatuor Christi Domini regula. Cap. XIX.

QVinto, instruit Christus Apostolos de hospitio apud quos, & quemadmodum diuersari eos velit. In Quamcunque Ciuitatem, aut Castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis. Duo præcipit: Primum vt non sine delectu in cuiusuis domum diuertant, sed prius inquirant hominem dignum, non qui sit diues, non qui habeat nobile hospitium, sed qui sit Dei cultor solitus peregrinos suscipere, vir bonæ famæ apud suos ne si contingat adire domum alicuius, qui male audit in ea Ciuitate, vel populus offendatur, vel aliquod ipsorum mores periculum subeant, vel denique necesse sit mutare hospitium, quod prohibet. Secundum enim præceptum hoc est, vt eadem in domo permaneant, neque vagentur de domo in domum, quod posset præbere suspicionem, ait Euth. gastrimargiæ, quasi delicatiora quærerēt, & iniuriam facere viderentur priori hospiti. Quinto. Hospitium quod eligendum.

Sexto qualis eorum conuersatio esse deberet apud populos, apud quos agunt, sapientissimè monet, & quibus virtutibus fulgere par sit. Prima virtutum est paupertatis amor, contemptus omnem cupiditatem. Gratis (inquit) accepistis, gratis date, ne scilicet propter mercedem spiritualia impertiant, sed gratis omnino, eo præcipuè, quod gratis a Deo & ipsi acceperint, quæ gratis dare debent, ne quæstum faciant gratiam prædicationis, & videantur cupiditate magis rerum secularium, quam zelo gloriæ Dei, ac salutis animarum ad prædicandum accessisse. Secunda mansuetudo ac benignitas. Ecce inquit, ego mitto Sexto. Consuetudo qualis. Gratis dandum. Mansuetudo.

vos

vos ſicut oues in medio luporum. Quaſi dicat, non deerunt qui verbis vos mordeant, qui factis dilanient luporum more. Vos autem volo eſſe oues, hoc eſt innoxios, nec repugnantes. Quare? quia ita melius eritis victores, & lupos in agnos tranſmutabitis. quo modo? virtute mea, & veſtra manſuetudine, quæ facile reprimet ferociam impiorum. Dumque oues eritis, me paſtorem habebitis, cui ouium cura eſt non luporum. Tertia, & quarta, Prudentia ac ſimplicitas, vt prudentia imitemur ſerpentes, ſimplicitate columbas; & vtranque vult iungi, quia altera ſine altera vitioſa eſſet. Prudentiam præcipit, quia non temere fidendum cuilibet, nec vnquam deerunt peruerſi homines, a quibus cauendum ſit; ob id enim addit. Cauete ab hominibus. Sed cum prudentia coniungenda eſt columbę ſimplicitas, ne vnquam nocere, aut vlciſci velimus: ſiquidem columba, licet pulli auferantur, tamen in ijſdem locis perſeuerat, & alios generat, vbi priores amiſit, Baſilius, prudens eſt, inquit, qui cum conſideratione virium, & ſucceſſus ad perſuaſionem audientium doctrinam ſuam diſponit. Simplex autem vt Columba, qui ne cogitat quidem de vlciſcendo eum qui inſidias ſtruxit, ſed in beneficentia perſeuerat, iuxta illud Pauli. Vos autem nolite deficere benefaciendo.]

Prudentia & ſimplicitas.

In q. 145. reg. breu.

2. Theſſ.

Septimo. Fiducia in Deum.

Septimo, circa prædicationis officium præter materiam quæ eſt de Regno cœlorum, vt ſupra diximus, monet, vt cum magna alacritate, ac feruore, ſpiritus, ac fiducia in Deum munere ſuo fungatur. Nolite cogitare, id eſt, ne anxij, ac nimis ſolliciti ſitis, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Quo loco prohibet tantum nimiam curam, vultque intelligi hoc munus maximè pendere à ſpiritu Dei, cui multo magis Concionator debet fidere, quam ſtudio ſuo, ac humanæ induſtriæ. Adhibenda tamen eſt cura & diligẽtia tanto negotio conſentanea, ne Deus tentetur. Præterea adhibendam libertatem docet, ne aliquo humano timore, aut reſpectu præpediti taceamus. Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Rurſus, vt Chriſti cauſam præferamus omnibus alijs rebus, & amori parentum, & conſanguineorũ, etiam vitam ipſam periculo, ſi opus ſit, obijciamus. Qui amat patrem, aut matrem, pluſquam me, non eſt me dignus.

Libertas in dicendo.

Matt. 10.

Octauo. Fortitudo vſq; ad mortem.

Octauo, maxime autem ſuos Prædicatores præmunit Chriſtus contra perſequutores & aduerſarios, multis rationibus ad forti-

fortitudinem instruens, & exerans ad fiduciam in Deum, Nolite timere eos, qui occidunt corpus; multis passeribus meliores estis vos; & Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Non est discipulus supra magistrum; Si me persecuti sunt, & vos persequentur. En optime diuini verbi præco, qualem a te Dominus perfectionem requirat! En regulę ad quas tibi omnis agenda, & exigenda est vita; quas qui sequi animum constanter induxerit, pro certo habeat, & Deo & Cęlo multas se animas lucraturum, & multos sibi meritorum thesauros, cum beatissima illa Christi Domini confessione, qua ipopodit, cum dixit, Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est; Contra vero qui hoc spiritu quem Christi regulæ formant, destituitur boni Prędicatoris nequaquam nomine gaudere, nec animarum lucro, nec Christi bonus haberi legatus debet. Confirmabunt optimè has regulas & totam hanc de virtutibus Oratoris tractationem quæ D. Bonauentura scribit de S. Francisco Plangedum dicebat prædicatorem tamquam vera pietate priuatum, siue qui in prædicatione, non animarum quærit salutem, sed propriam laudem, siue qui prauitate vitæ destruit, quod ædificat veritate doctrinæ, præterendum dicebat huic fratrem simplicem & elinguem, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum, & ita exponebat verbum Illud donec sterilis peperit plurimos talis est (dicebat) frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios, non habet officium, hic pariet in iudicio plurimos, quia quos nunc priuatis orationibus conuertit, suæ gloriæ, tunc Iudex asscribet, & contra, quæ multos habebat filios infirmabitur, quia prædicator vanus & loquax qui multis nunc, quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nil proprii habere in eis.

In Vita S. Franci-

1. *Re. 2.*

Finis Libri Secundi.

DE SCIENTIA CONCIONATORIS,

Et varijs ad bene dicendum exercitamentis,

LIBER TERTIVS.

Scientia Concionatori necessaria, ac primo Sacrarum scripturarum.

CAPVT PRIMVM.

QVoniam Virtutes aliquas, quæ in Concionatore præcipuè desiderantur attigimus, par omnino est, vt de eius etiam doctrina pauca dicamus. Rectè enim Isid. tam vita quam doctrina clarere debet Ecclesiasticus Doctor, nam doctrina sine vita arrogantem reddit. Vita sine doctrina inutilem facit. Deus ab omni Sacerdote scientiam requirit, quæ plane maior in eo debet esse, qui alios docendi munus sortitus est. Quis poterit medicus esse si ignoret medicinam, quomodo erunt magistri qui non fuerunt discipuli erunt plane canes muti non valentes latrare. Hoc significat præceptum Dei cũ præcipit pones in rationali Iudicij Doctrinam, & Veritatem, & alibi. Præceptum sempiternum est in generationes vestras, vt habeatis scientiam discernendi inter sacrum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatisq; filios Israel omnia legitima mea. (Et in Osea dicitur;) Quia tu scientiam repulisti, repellam te & ego ne sacerdotio fungaris mihi. Ex Conc. Tolet. & Arelat. Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda, est qui docendi officium in populis susceperunt. Non ergo dubium esse potest, quin ei cognitio multiplex necessaria sit, qui se popu-

l. 3. de summo bono c. 36.

Ex. 28. Leu. 10.

Os. 4. Conc. Tol. 4. cap. 24. Cõc. Arel. 4. cap. 3.

palorum doctorem in rebus grauissimis, & publicorũ morum magistrum profitetur. Quomodo enim de virtutibus, vitijsque recte disserere fidei dogmata exponere, diuinarum scripturarum arcana detegere poterit, cui multa nõ adsit doctrinæ supellex. Nam cum res, quas tractat grauissimæ sint, eo debent magis esse cognitæ atque perspectæ. Si enim (*ait Leo*) vix in Laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in eis qui præsunt: & quamuis consultò quæstiones (vt fere vitandæ sunt) vitet, tamen ea ipsa, quæ popularia sunt & planiora, & quæ dici necesse est, sæpè ita cohærent & implicita sunt difficultatibus maximis, vt qui eas non saltem mediocriter nouit, etiam titubare cogatur, ac ruere: quo fit vt magno periculo conscientiam suam & famam, & animas etiam auditorum exponat; ne eueniat quod in Euangelio legimus; Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Nec solũ necessaria est scientia ad recte docendum, aptèque dicendum, sed etiam ad authoritatem & fidem. Valde enim commouetur populus opinione doctrinæ. Itaque quamquam plus momenti est in Virtute, & in ea primum est elaborandum, tamen ad maiorem Dei gloriam, & frugiferam Apostolici huius muneris functionem, etiam in colligenda scientia desudandum est, neque eius opinio neglegenda.

Quam necessarium studium sacrarum literarum.

Cum autem varia cum eruditione oporteat esse ornatum & notitia, & studio sacrarum literarum ordiamur, quæ in nostri Oratoris persona videtur principem locum habere; qua debet adeo dives esse vt de eo dici possit. Profert de Thesauro suo noua & vetera (& ipse quoque vt S. Antonius Patauinus possit quodammodo dici Arca Testamenti. Cum enim prædicator Diuini Verbi prædicator sit, & instrumentum Dei ad animarũ beneficium, non per sacramentorum administrationem, aut alio quouis modo, sed per ministerium Verbi Dei, perspicuum est, sacram scripturam, cum in ea Verbum Diuinum contineatur, propriam in qua versetur materiam & cognitam esse debere. Sibi dictum putet Cõcionator, quod D. Paulus Timotheo scribit. Tu vero permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Et vt intelligat omnia esse in scripturis sacris, quæ ad bene concionandum possunt valere, subdit. Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia vt perfectus

Matt. 13.

Ep. 1. *c.* 3.

sit homo Dei ad omne opus bonum instructus Intelligat ergo multum omnino momenti habere, si ad literarum sacrarum studium sit valde affectus, & in eo bene versatus, & sibi persuadeat hoc singulare instrumentum esse, quod tractare debet vt muneri suo respondeat. Si enim ideo suggestum ascendit, vt ex edito loco Dei voluntatem populis explicet, nonne illa ex diuina scriptura nobis manifesta sit? in qua Deus loquitur, & quã ideo Gregorius & S. Chrysostomus Epistolam Dei ad nos missam vocant? Si autem velit proponere virtutes quas sequamur, & vitia quæ fugiamus, vbi melius hæc possumus, contemplari, quam si scriptura ante mentis oculos obijciatur, quę teste eodem Gregorio quasi quoddam speculum opponitur, vt interna nostra facies in ipsa videatur.] Nõ enim morales quascumque & philosophorum veterum virtutes, noster Philosophus docet, sed Christianas, & Euangelicas, ideoque non ex Philosophorum monumentis, sed ex diuinis earum modus & forma sumenda & explicanda est. Si rursus conetur quod pars est eius muneris, fidei nostræ mysteria, & religionis arcana tueri, & eos qui contradicunt, arguere, quæso te quibus armis munitus hostem aggredietur, nisi prius ad hoc diuinæ scripturę armamentarium confugiat? vbi omnia genera armorum reperiet, tam ad defendẽdum parata, quam ad offendendum hostem elaborata, quæ quidem non sunt carnalia, sed spiritualia, vt D. Paulus ait, Adde quod vt ea quæ loquitur firma sint, & cum ad docendum, tum ad animos hominum commouendos robur ac pondus habeant, debent diuinis testimonijs comprobari. Si enim luriſperiti in suis causis, legibus citatis, agunt, & vt ille ait erubescimus sine lege loqui multo id studiosius in nostris curandum est causis, cum in re qualibet, tam copiosam & tam vtilem ex reuelatis scripturis supellectilem habeamus, vt multo magis erubescendum sit eas relinquere, quo nostra inuenta, vel humanas sententias afferamus. D. Chrisostomi verissima est sententia, Si quid dicitur absque scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem vt friuolum auersans, interdum vt probabilem recipiens; Verum vbi ex scriptura diuinæ vocis prodijt testimonium, & loquentis sermonẽ, & audientis animum confirmat.]

Greg. l. 4. Ep. 40. ad Theod.

Chr. Hom. 3. 2. ad Thess.

Scriptura Epistola Dei & speculum.

2. Mor. cap. 1.

Cor. c. 10.

In ps. 95.

Denique omnino intelligat Concionator, nullum sibi magis familiare esse debere, quam vtriusque sacri Testamenti volumen, quod quotidie præ manibus habeat necesse est. Hic enim plane liber est, qui concionantis sapientiam, & eloquentiam suggerit,

Scriptura sacra ad omnia valet.

gerit, per hunc & animi persuadentur, per hunc tria muneris nostri officia, quæ sunt, docere, mouere, ac delectare præstamus. Hic maxime valet ad arguendum, instruendum, consolandum, corrigendum, siue purgandi auditores sint, & ad primam gratiam præparandi, siue promouendi, & virtutum luminibus illustrandi, seu demum perficiendi, inde sententiæ, inde præcepta, inde exempla suppeditantur. Præclare S. Aug. Sapienter dicit homo tanto magis, vel minus, quanto in scripturis sanctis, magis minusue profecit, non dico, in ijs multum legendis; memorięque mandandis, sed bene intelligendis, sed diligenter earum sensibus indagandis, sunt enim qui eas legunt, & negligunt, legunt vt teneant, negligunt vt intelligant. Quibus longè præferendi sunt, qui verba earum minus tenent, & cor earum sui cordis oculis vident, sed vtrisque ille melior, qui & cum volet, eas dicit, & sicut oportet intelligit.] Idem etiam, Quanto, ait, minor est auri & argenti, vestisque copia, quam de Aegypto secum ille populus abstulit, in comparatione diuitiarum, quas postea Hierosolymæ consecutus est, quæ maximè in Salomone Rege ostenduntur, tanta fit cuncta scientia (quæ quidem vtilis est) collecta de libris Gentilium, si diuinarum scripturarum scientiæ comparetur. Nam quicquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si vtile est, ibi inuenitur, & cum ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inueniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.]

l. 4. de Doct. Chr.

Lib. 2. c. 42 ibidem.

Optimum autem ad imitandum in hoc studio exemplum nobis erit ex veteri testamento. Esdras eximius Sacerdos, & legis doctor, qui præparauit cor suum vt inuestigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum, & iudicium. Parauit planè per puram intentionem, inuestigauit studio, ac labore. Et notandum id, quod additur, vt faceret & doceret; Sunt enim qui hisce studijs solummodo vacant, vt parent quod alios docere possint, non seipsos, vt supra satis superque monuimus, cum egimus, non debere Oratorē Christianum esse nisi virum bonum, qui aliorum futurus est magister. Neque hic vbi de scientia & eius studio loquimur demiò pigebit obiter admonere, vt interim dū legit, ac discit, se ipsum doceat prius, quam docendo, vt alij discant, elaboret; & quicquid inuenit, quod vtile putat fore moribus aliorum, ad suum statim vsum actione ipsa conuertat. Nam hi, qui animarum suarum cura,

Contra eos qui scripturas legunt solum propter alios nō sibi.

neglecta, in id tantum incumbunt, & in hoc vnum multos studiorum, ac lectionum labores dirigunt, vt alios hortentur, ac doceant, hos ego similes esse crediderim iumentis, quæ onerata in Vrbes commeatum comportant ad nutrimentum incolarum, ipsa verò, eo non solum non vescuntur, sed ne attingunt quidem, quin potius cum aliis triticum vexerint, ipsa fœno pascuntur, vel vt mitius agamus, similes sunt pueris, nuces colligentibus solummodo ad ludendum cum socijs, nucleo neque gustato, neque aperto. Contra hos Paulus, Si tu Iudæus cognominaris, confidis te esse ducem cæcorum, eruditorem insipientium, magistrum infantium, qui ergo alium doces, te ipsum non doces? Certè Deus cum ad prædicandum mitteret Ezechielem, fili hominis, ait, comede volumen istud, ac si diceret, ait Hieron. in eum locum, Comede, & pasce, saturare, & cruda, accipe, & spargе, confortare, & labora. Et comedi, ait Propheta, & factum est in ore meo, sicut mel dulce. Vbi Hieronymus, nisi ante comederimus apertum, volumen, docere non possumus filios Israel. Nam de illorum ore prædicatio dulcis est audientibus, qui propria vita sumunt, quod per linguam proximis conferant, in eius ore scriptura suauis est ad loquendum, cui interius impressa ad viuendum fuerit. Nam sermo dulcedinem non habet, quem vita intra conscientiam remordet. Ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris ædificat, quam exercitatio sermonis.] Ex nostris verò habemus innumera sanctorum, & illustrium virorum exempla, qui vt se ad conciones pararent, huic sese studio dediderunt totos. Historia Ecclesiastica refert de Basilio magno, & Gregorio Nazianzeno eos reiectis omnibus Græcorum prophanis, hystorijs, in sacræ scripturæ libris se dumtaxat exercuisse, quorum intellectum, non suo ingenio fidentes indagabant, sed authoritate ac maiorum suorum scriptis, quæ ab ipsa Apostolorum traditione accepissent.

Rom. 2.

Hieron. in Ezech.

Niceph. Lib. 11. c. 7.

Quis modus tenendus in lectione ac studio Scripturæ sacræ. Cap. I I.

Intentio in studio scripturæ sacræ qualis.

COmmodum autem arbitror etiam hic aliquas adhibere regulas, vt è studio scripturarum emolumenti plurimum capere possimus. Primo velim vt optimè intelligas studiosus diuinorum verborum scrutator, qualis esse debeat, & quomodo affectus dum sacrorum librorum lectioni, & studio vacat,

cat, Imprimis intentio debet esse sincera, vt Deum quærat & inueniat in ipsiusmet Dei verbis, in quibus ipse se, suamque pulchritudinem nobilius manifestat, quam in omnium rerum creatarum dispositione, atque ornatu: quia in creaturis vestigia sunt tantum Dei, in scripturis autem ipsemet Deus loquendo se ipsum reuelat. Vnde & appuret quanta reuerentia, & timore habentes Deum ante nos, debeamus cum Samuele dicere. loquere Domine, quia audit seruus tuus; & quanta cum pietate scrutari sacra biblia, tamquam prætiosum thesaurum, & pharmacorum apothecam, vt cum Chrysostomo loquar tanquam literas de Cœlo ab ipso Deo datas, de melle cœli vt loquitur Augustinus melleas & diuini erga nos amoris pleniſſimas. *Hom. 10. in 1. Tim.*

Sit autem legentis intentio, non vt sciat, vel ipse sciatur, non vt efferatur, & glorietur in ea cognitione. Nam vt ait Bernar. sunt qui scire volunt, eo tantum fine, vt sciant, & turpis est curiositas, aut vt sciantur, & turpis vanitas.] non solum vt alios instruat, sed magis adhuc se ipsum, vt supra de Esdra retulimus, qui librum legis excutiebat vt faceret (& hoc primo loco) deinde vt alios edoceret; hic est verè simplex coram Domino, qui experietur illud in se ipso. Et cum simplicibus sermocinatio eius, Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Quæ simplicitas ad charitatem Dei & proximorum recta tendit intentione. Hic autem amor parit rerum diuinarum intelligentiam, plerumque enim intrat Amor, quo non potest intellectus ingredi. Solatur nos illud Christi verbum. Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego manifestabo ei me ipsum.] Curet ergo quilibet scripturarum amator inuitatus ad hoc cõuiuium, vt diuina quæ apponuntur fercula deguſtet, operam dare, vt veste hac charitatis nuptiali ornatus accedat, quo possit comprehendere cum omnibus sanctis, quę sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. *Ser. 30. in Cant. Thom. 14.*

Secundo animum oportet habere vacuũ, & liberum ab alijs rerum terrenarum, & negotiorum curis. Ideo sapiens scriptum reliquit, (sapientiam scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu sapientiam percipiet. nec malè ille dixit) Pluribus intentus, minor est ad singula sensus: Et multo verius in his, quam in alijs studijs locum habet, quod dici solet hominẽ totum requirunt. Sed multò magis ad hanc lectionem afferendus est animus, qui sit ab omni noxio affectu purgatus, ac defecatus: solent enim huiusmodi perturbationes menti tenebras *Sit animus vacuus à curis, & prauis affectibus. Eccl. 38.*

offundere. Hoc planè docet Isa. quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus, qui enim à carnis concupiscentia mentem auocant, ac sensus, hi planè sunt ab vberibus, & lacte auulsi, & idonei discipuli ad diuina concipienda mysteria. Quod si Aristoteles in Eth: iudicat, rerum moralium, non esse iuuenem idoneum auditorem, propter turbulentas commotiones multo minus erit cœlestium radiorum capax, si quis insanis cupiditatibus distrahatur, quæ vna est causa, cur tam Hæretici, quam Iudei in scripturis cœcutiant, legentes, nec intelligentes, vt fiat sacra mensa ipsis in laqueum, & retributionem, & scandalum.

Lib. 1. c. 3.

Humilitas cordis & oratio.

Prou. 11. Coll. 14. c. 10.

Rursum affectus sit deuotus, & humilis, non suo fidens ingenio, sed ad Deum authorem, ac magistrum per orationem recurrens. Certum est Spiritus Sancti axioma vbi est humilitas, ibi est sapientia: certum est quod Cass. docet festinandum esse tibi, si ad veram scripturarum scientiam peruenire desideras, vt humilitatem cordis immobilem primitus consequaris, quæ te non ad illam, quæ inflat scientiam, sed ad eam, quæ illuminat, charitatis consumatione perducat.] Cui etiam dubium est Deum his sua secreta aperire, qui humili ad eum prece cõfugiunt. Oratio sæpè à Deo impetrat, quo nec ratiocinatio, nec varia librorum peruolutatio, nec diuturna ualuit assequi consideratio, vt recte D. Iac. dicat si quis indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Socrates laudat Piterium, quod orare ante scripturarum prælectionem semper erat solitus. Rupertus Abbas a B. Virgine ingenium ad scripturas idoneum impetrauit. D. Thomas plus videtur orationibus, quam studio in Sacrarum literarum mysterijs cognoscendis profeciſſe: qui etiam ad loca difficiliora, ieiunia adhibere solitus erat; quo loco poteris recognoscere etiam ea, quæ supra de Orationis studio Concionatori necessaria diximus. Itaque qui in lectione & studio diuinarum literarum proficere ipse primum optat in se, vt hoc instrumento ad aliorum fructus percipiendos inde strenuè vtatur, legat cum reuerentia, cum simplicitate, ac sinceritate, cũ charitate & Dei, & proximorum, cum puritate animi, & a curis rerum terrenarum, & a noxijs cupiditatibus alieni, ac demum cum precum adiunctione, vt lectionem comitetur oratio, quæ intelligentiam impetret à Deo. Addamus etiam & alia.

In tripar. l. 8. c. 1.

Quar-

Quartò necesse est, vt in hac lectione Concionator sit assiduus, & curet totam perlegere Scripturam; est enim veluti imago quædam, & pictura, cuius partes partibus respondent, & vnus liber alium declarat. Neque sit contentus, semel, atque iterum legere, sed crebrius verset, & euadet se ipse in dies doctior. Est documentum Greg. est & Augustini in hæc verba: erit igitur diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, etsi nondũ intellectu, iam tamen lectione vt mandet memoriæ, vel vt omnino incognitas non habeat. Addit idem, primò inuestiganda, quæ in eis apertè posita sunt, vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi. Tum verò facta quadam familiaritate cum ipsa lingua scripturarum, ad ea quæ obscura sunt aperienda, & discutiẽda pergendum est.] Quæ Augustini regula optima est, sic enim doctrinæ ordinem tenebimus, qui a facilioribus, ad difficiliora paulatim progreditur. Et secundum hanc prudentiam laudabilis est obseruatio, quam aliqui tradunt, vt prius Euangelicorum librorum sensus eruamus, quam libros propheticos inuestigemus non solum facilioris doctrinæ causa, sed quia ex historia Euangelij facilis aditus patebit ad ea, quæ de eodem Christo Prophetæ dixerunt intelligenda, quem admodum minus fuit difficile Eunucho, post explicatam de Christo hystoriam a Philippo, prophetiam Isaiæ percipere, quam petebat. Facilius est a veritate nota coniectare promissiones, & figuras, quam ex Propheticis vocibus, & Typis diuinare Euangelij veritatem.

Totam scripturã, & crebro legat.

Greg. 2. p. past. c. 11. & 4. mor. c. 1.

Aug. 2. de Doct. Chr. c. 8. & 9.

Act. 8.

Quinto valde vtile erit, in singulis libris dum legit adhibitis aliquibus commentarijs interpretum meliorum, qui sensum literalem consectantur, colligere, ac notare in aliquo volumine per singula capita locorum difficilium explanationes iuxta sensum hystoricum, & hoc breuissimè vt possit, cum fuerit opus, ad manum esse. Etiam proderit in singulis libris, quos percurrit Indices particulares texere.

Annotanda aliqua.

Sexto rursum quicquid eximij vel ipse notauerit, vel ab alijs acceperit, reuocet ad capita, & communes locos, & notet in quem vsum profutura esse iudicet, siue ad docendum aliquod dogma siue ad cõfutandos errores, siue ad morum, & vitæ institutionem siue ad peccata redarguenda, siue ad consolandum & alia huiusmodi. E scripturis sanctis multa varietas locorum seu sententiarum colligi potest, cum ingenti, vt multi experti sunt lucro: Melito Sardensis collegit sententias morales è scripturis,

Locorum cõmuniũ vsus

pturis; & librum inscripsit sub hoc titulo, exceptorum libri sex ad Onesimum. Cyprianus ad Quirinum consimilis argumenti libros tres edidit: Primus & secundus habet ea quæ ad fidem pertinent; tertius quæ ad mores. Aliqui cum sententijs scripturæ apposuerunt Patrum expositiones. Sic Beda & quidam antiquus author nomine Defensor, in libris quos vocarunt Scintillas scripturæ sanctæ. Alij vnum tantum argumentum tractauerunt, vt est liber sub nomine Augustini, de mirabilibus sacræ scripturæ. Aliqui simul collegerunt omnes similitudines, quæ sparsæ per totam scripturam legerunt.

Meditatio Sacrarum scripturarum & modus.

Cap. I. I.

MErito (ait Chrysost.) thesauro nitidiam confertur, diuinarum scripturarum lectio. Nam sicut ex illo, quisquis vel paruum fructum capere valet, multas sibi parat diuitias, ita & in sacra scriptura, etiam in breui dictione, variam sententiarum vim, & incredibiles diuitias inuenire licet. Idcirco septimum, & vltimum præceptum Concionatori erit, non solum assidua doctorum lectione sacrarum scripturarum, arcana peruestigare, sed etiam ipsorum met Patrum exemplo, earum diligenti commentationi insistere, & vt ait Propheta, meditari Dei voluntatem, & legem die ac nocte, neque solum intellectu penetrare Spiritus sancti mentem, quasi dentibus comminuere, sed etiam voluntatis affectu, earum dulcedinem deuoti, veluti cordis palato degustare, plane qui sanctorum Patrum vel conciones, vel commentarios in sacra Biblia legit, facilè aduertere potest, eos quæ dicunt, vel scribunt non solum studio, & lectione librorum, sed magis etiam pijs meditationibus, & oratione collegisse, propterea que stylus, ac sermo, qui ex abundantia cordis, & spiritus pinguedine manat, magnam morum pietatem, & vitæ sanctimoniam redolet. Modus autem tenendus in sententiarum sacrarum meditatione, hic esse posset cum fructu.

Circumstantiæ notandæ.

Primo considerandus quis sit, qui loquitur, & ad quem sermo habetur; rursus finis ob quem ea dicuntur, & modus dicendi. Præterea quidnam sit, quod dicitur, sit ne præceptum, vel consilium, sint minæ an promissiones; an aliquid à sua creatura exigat Creator Deus. In his debet intellectus singulas circumstantias, & capita discurrendo versare. Voluntas autē

eos

eos affectus intermiscere, quibus quam ante se habet, propri sunt, & conuenientes. Secundo singulæ voces sunt attenta meditatione pensandæ, vt fiat in nobis, quod Bernardus in Canticis monet. Intellectus (ait) non remanet extra, non hæret in superficie, non instar cæci pulpat foris secta, sed profunda rimatur, prætiosissimas inde solitus veritatis exuuias tota auiditate diripere, ac tollere sibi. Itaque singula Dei verba, etsi minutiora videantur, considerauida sunt, in quibus latere mysteria, sit nobis plusquam certum. D. Chrysost. affirmat, nil temerè, ac fortuitò loqui diuinam scripturam, sed & syllaba, (addit) & apiculus reconditum habet thesaurum; imo ait Basilius otiosum verbum in scriptura ponere grādis est blasphemia. Greg. Nazian. At nos (ait) exquisitum spiritus doctrinam, vel vsque ad leuissimum apicem, & lineam transimus. Si quis, exempli gratia volt meditari sententias orationis Dominicæ, quantum ex singulis vocibus suauitatis exsuget? quātum pretiosi liquoris colliget? Eodem modo si salutationem Angelicam, seu Canticum Beatissimæ Virginis ad cognatam, prolatum excubiat, in singulis voculis, tum Intellectus multos thesauros inueniet, tum Voluntas deuotionis pinguedine repleri poterit. In Epistolis D. Pauli quam facile erit animum diuinis contemplationibus saginare, non solum ob altissima mysteria, sed etiam ob phrases ac dicendi modos, maximèque ob Seraphicum huius Apostoli spiritum, Dei secreta perfectissimè penetrantem, & nobis tanta verborum maiestate promentem. Et planè Scriptura tota, perinde ac ornatissima, & ditissima mensa est pretiosis, ac cœlestibus referta cibarijs, Spiritus sancti artificio, & manu paratis, vt eis pascatur, enutriaturque spiritus noster, & pinguescat affectus, ita vt cum regio vate canat, Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Præsertim, Christi Domini nostri verba id habent, cuius labia distillāt myrrham primam, & vt D. Petrus testatus est, verba ejus vitam æternum habent, & ipse Christus (Verba quæ ego loquor (ait) Spiritus, & vita sunt.

Verba singula considerāda. *Hom. 18. in Gen.*

Hom. 10. Hexam:

Apol. 1.

Psal. 62. Can. 5. Ioan. 6.

Tertio etiam illud adderem, Inspiciendum in sententia, quam meditaris, sintne Dei verba hominem alloquentis, an vice versa, hominis ad Deum suum, eiusdem Dei spiritu instillante prolata. In primis verbis considerandus est Deus, vt Magister, & Pater, vt legislator, Consiliarius, & Dominus, protector, & prēmiorum largitor, præbendo se ei humilem, docilem, ac obedientes aures auidum cor ad doctrinam illius

Quis nam loquatur Deus an homo.

percipiendum, promptum ad exequendum, si quid præcipiat, ad amplectendum si consulat, ad timendum si minetur, ad sperandum si promittat; Denique ad amandum tantam bonitatẽ, tantumque Deum cum omni reuerentia, & pietate colendum. In secundis oportet meditatorem eundem eius spiritum cuius sunt verba induere, Verbi gratia; in psalmis cum Dauide, modò spiritum laudandi Deum; modò grati animi, cum psalmus diuina beneficia recolit; modò contritionis, ac doloris cum veniam peccatorum exposcit, modo fiduciæ in Deum, cum in tribulatione positi, ad opem Dei efflagitandam confugimus. Et hic est modus, quem docet Cass. tenendum, vt iugi scripturarum pascuo vegetatus animus, omnes quoque psalmorum affectus in se recipiens, ita incipiat permoueri, vt eos non tãquam à Propheta compositos, sed velut à se editos, quasi orationem propriam profunda cordis compunctione depromat, vt idem fusius prosequitur. Quare pro ratione temporis, ac status, & occasionum, non est dubium aptiores nos esse magis ad vnam Scripturæ sacræ sententiam, quam aliam. Et hæc dicta sint de sacrorum librorum lectione, ac modo eis vacandi, & meditandi. Sed arbitror necessarium etiam aliqua subijcere, quæ ad inquirendum eorum sensum literalem, oratorem nostrum, iuuare possint.

Sensus Scripturæ sacræ duplex. Cap. IV.

VT ergo in hoc genere literarum, tam graui, tam sancto, tamque diuino quis proficere queat. Prima diligentia adhibenda est, vt literalem sensum assequatur, & scriptoris mentem, quantum fieri potest teneat. Hoc autem quomodo fieri possit non est huius loci, accuratius inuestigare, præsertim quia hoc argumentum complures doctissimi viri, sedulò pertractarunt. Tamen quoniam hanc in re maxima prædicatoris, quẽ instituimus, cura collocanda est, non sum arbitratus fore à proposito alienum, si vt aditum saltem aperiam, ad profundiora inuestiganda, & pleraque alia inquirenda. Tyronibus saltem regulas quasdam paucis indicarem, ad quas tamquam ad prima quædam capita, & principia totus hic labor reuocetur. Imprimis hoc veluti fundamentum ponatur, scripturas reuelatas non solum habere sensum literalem, qui & historicus dicitur, & est ille quem Spiritus sanctus auctor intendit per verba, siue in propria, siue in translata significatione sumpta, sed

etiam

etiam mysterium, qui non ex vocibus, sed ex rebus per eas significatis, eruitur. Omnino enim certum est, Deum in scripturis, & vocibus tam proprijs, quam translatis, ad significandas res, & rebus ipsis per verba significatis, ad aliquod aliud mysterium innuendum, vti. sit exemplum. In historia de serpente æneo, ad sanãdos serpentum morsus erecto, literalis sensus erit quem voces ipsæ, prima fronte inspicenti præse ferunt. Si quis autem inlligat Christum crucifixum, peccata hominum sanantem, hic erit sensus mysticus, perinde est ac si in sensu hystorico, vocibus, in mistico nos Deus nutibus alloquatur, & signis. Diximus autem sensum quidem secundum literam sumi, nonsolũ ex vocibus proprijs, sed etiam trãslatis, quia alioqui sequeretur multa scripturæ loca literali sẽsu destitui, vt quando Christus dicit, si oculus tuus scandalizat te, erue eum. Porro sensum mysticum, & spiritualem triplicem esse communis est sententia, Allegoricum, Tropologicum, & Anagogicum. Nam licet D. Hieronymus triplicem tantum faciat scripturæ sensum, scilicet Hystoricum, Tropologicum, & spiritualem; & S. Augustinus. Aetiologiam, & Allegoriam, & Analogiam ponat, non est tamen in re discrepantia: Quia Aetiologia apud Augustinum, quę reddit causam, quare scriptura aliquid dicat: & Analogia, quæ ponit concordiam vnius loci cum alio, ad primum sensum literalem, & historicum pertinent; Allegoria vero continet illos tres sensus, scilicet Allegoricum, Moralem, & Anagogicum. Hieronymi vero tertium membrum duo complectitur, Allegoricum, & Anagogicum.

Discrimen inter sensum hystoricũ & mysticum.

Sensus misticus triplex.

Epist 150. ad Helbidiũ. q. 12. Lib de Genesi ad literã c. 10.

Præter hæc veriſſimum quoque videri debet, scripturam sacram posse plures sensus literales habere, cum author sit Spiritus sanctus, qui ita verba disposuit, vt possint plures sensus parere, vt illud psalmi (ego hodiè genui te.) Exponitur à Paulo ad Hebræos de æterna generatione. Et alibi affertur ad probandam Christi Resurrectionem, sicut August. locum illum Gen. 1. in principio creauit Deus Cœlum, & Terram, docet plures habere hystoricos sensus. Sicuti etiam idem author potuit per eandem scripturam innuere, & sensum literalem per voces, & sensum mysticum per res, vt in illo, os non comminuetis ex eo, & aliquando etiam principalius mysticum, vt in multis veteris testamenti ceremonijs. Quæ fusius probare, esset egredi limites nostræ institutionis. Hoc posito debet studiosus Diuini Verbi prædicator, in sacris literis ante omnia simplicem scriptoris sacri mentem ex verbis colligere, ne si statim

Scriptura sacra plures sẽsus etiã literales aliquando recipit. *Psal. 2. l. 12. conf. c. 30. et 31. Act. 13.*

tim profunda quædam arcana perueſtigare velit; ſine fundamento ædificet, cum ille ſimplex primus ſenſus, fundamentum ſit ſenſuum cæterorum. S.Hieron. de ſe ipſo conqueritur quod
In præfat. ſuper Abdiam. inuenis Abdiam Prophetam eſſet aggreſſus exponere, in ſenſu allegorico, cuius nondum Hyſtoriam intelligebat.

Regula ad ſenſum hiſtoricum inueſtigandum. Cap. V.

VT autem quis ad hunc ſenſum intelligendum perueniat; Hæ regulæ vtiles eſſe poſſunt. Primò conſideret diligenter, vtrum voces in propria ſignificatione, an per metaphoram ſumi debeant, nam ſæpènumero non eſt ſenſus literalis, is, quē in propria ſignificatione voces faciunt. V.g. in Parabolis, non eſt ſenſus, quem cortex literæ ſonat: cuiuſmodi multa ſunt in Prophetis. In Daniele, quatuor animalium viſio. Et Hircus caprarum, non ipſum animal, ſed Alexandrum magnum ſignificat. In Canticis & in Apocal. penè omnia aliò tendunt, quam quo verba propria ſpectare videntur. Eſſet autem grauis error, & quod eſt figurate accipiendum, interpretari ex vocibus propriè ſumptis, vt errarunt Hæretici Milenarij, exponentes lo-
Cap. 20. cum Apocal. de mille annis, cum Ioannes figuratè exponi debeat, ſecundum Eccleſiæ interpretationem, & contra figura-
Tho. 10. tè accipere, quod accipiendū eſt propriè. Sicut errarunt Ariani figuratè illud exponentes. Ego, & Pater vnum ſumus, cum catholicam veritatem reddant verba propriè ſumpta, & Hęretici noſtri temporis deprauantes ſenſum illum verborum. Hoc eſt corpus meum.

Signa figuratæ locutionis. Multa ſunt autem, nec ambigua ſigna figuratæ locutionis, vt ſi aliquid dicitur quod acceptum in propria ſignificatione, impoſſibile aliquid inferret, ſicuti, cum Deo membra tribuuntur, & humani affectus: vel cum aliquid falſum ſignificaret, vt
Matt. 11. de Ioanne Baptiſta, ipſe eſt Elias: vel aliquid abſurdum, vt ego
Luc. 22. diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis: vel aliquid rectæ
Matth. 17. rationi contrarium: vt ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum.
Matth. 5. Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt, vel repugnans alijs locis
Matt. 19. ſcripturæ, vt cum dicitur Chriſtum neſcire diem Iudicij, cum
Matt. 24. alibi dicatur, omnes theſauros ſapientiæ Dei eſſe in eo; Vel Ec-
col. 2. cleſiæ declarationi contrarium, vt ipſe baptizabit vos in igne:
Matth. 3. cum ergo quid huiuſmodi ex verbis propriè ſumptis conſequitur, tunc proculdubio figurata eſt locutio. Cum vero nihil horum

rum est, propriè sumenda est significatio, præsertim vbi Eccle- *l. 3. de*
siæ accedit authoritas. Hæc est D. Augustini expressa regula. *Doct. Chr.*
Quicquid in sermone diuino, inquit, neque ad morum hone- *cap. 11.*
statem ideſt ad diligendum Deum, & Proximum, neque ad fi-
dei veritatem propriè referri potest, figuram esse cognoscas:
quod si perspicuè dicitur, non est ad aliud referendum, quasi
sit figuratè dictum, quale est illud Pauli. Tu autem thesauri-
zas tibi iram: sicut cōtra est illud Hieremiæ. Cōstitui te vt euel
las, & plantes, vt destruas & ædifices:] Et infra addit. Ser- *Cap. 15.*
uabitur in locutionibus figuratis regula huiusmodi vt tamdiu
versetur diligenti consideratione, quod legitur, donec ad re-
gulam charitatis interpretatio producatur. Si autem hoc pro-
priè sonat, non est figurata locutio, affert exemplum ex Paulo, *Rom. 1.*
Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, hoc virtutem sonat in *Hier. 1.*
propria significatione, non oportet ad figuratum aliquid con-
fugere. Subdit Paulus. Hoc enim faciens carbones congeres
super caput eius. Hoc facinus est (ait Augustinus,) secundum
sonum literæ seruare, ergo figurata est hæc locutio.] In scri-
pturis apertis, vbi præcepta docemur, non est recurrendum ad
sensus mysticos, vt eo loco Dominum Deum tuum adorabis,
& illi soli seruies, ne iuxta Comicum, vt ait Hieronymus no- *Cap. 16.*
dum in scirpo quæramus. Eodemque modo in principio Ge- *Rom. 12.*
neſis, vbi Moyses historiam creationis refert, & quid singulis
diebus factum sit, illi dies secundum propriam significationem
explicari debent, in sensu literali si quis autem per (Diem,)
Angelorum notitiam explicet, sensus erit mysticus, sicuti quā-
do dicitur Christum eiecisse septem Dæmonia de Magdalena,
ego non video, cur Dæmones veri non intelligātur in sensu pro
prio; mystice autem D. Gregorius vitia exponit. In multis pla *Homil. 33.*
cet illud Basilij. Ego vero, ait, cum fœnum audio, fœnum in- *in Euang.*
telligo. Tu hoc dictum intellige, nisi ipsamet scriptura se fi- *Homil. 9.*
guratè loqui significet. *exam.*

Secunda regula, inuestiganda est vocum significatio, quę oc- Significatio vocis inuestiganda.
currunt, quia sæpè in vocibus obscuritas latet, quod multis mo
dis contingere potest. Aliquando res per voces significatæ ip-
sæ difficiles sunt, hoc facilè percipiuntur, vt multa sunt quæ de
Deo scriptura diuina enunciat, & pleraque alia quorum diffi-
cultas ex ignoratione rerum pendet, v.g. cum agitur de fabri-
ca templi, de mensuris, de Sacerdotum ornamentis, & alijs,
quæ vel ad naturam, vel ad gratiam, vel ad actus morales spe-
ctant, vel de statu illius populi Hebræi & Christiani. Propte-

rea

rea Aries Montanus in lib. quem de arcano sermone scripsit; vel qui Ioseph. inscribitur, multa ex his quæ in scripturis habentur explanat. Rursum scribit librum de mensuris. De ornamentis Sacerdotum. De Fabricis; De statu Reipublicæ Hebreæ, benè Carolus Sigonius. Aliquando autem locus est obscurus, quia voces sunt æquiuocæ, & incertum de quo sit sermo, vt nomen Pharaonis multis competit, Herodis Antiochi, Darij, Assueri, quia plures fuerunt, vnus etiam habet plura nomina vt Gedeon dicitur, etiam Hieroboal, Idumæa, Edon, Esau Duma, eamdem rem significant, Ietro etiam idem quod Raguel, Salomon etiam Lamuel, Petrus, Simon, & Cephas, Iudas, & Thadeus, Thomas etiam Didimus, Vox peccatum, spiritus, fermentum, Regnum Cœlorum, & alia similia diuersis modis sumuntur. Nomē Apostolorum, Episcopi, Sacramenti, aliter accipiuntur in sacris literis, quam apud prophanos scriptores, Nonnunquam dubium est, sint ne voces Synonimę idem significantes necne, vt apud Paulum, obsecro primum, omnium fieri obsecrationes, postulationes, orationes, gratiarum actiones inter quas tamen sancti distinguunt, sæpè apud Hebræos habet aliam significationē, vox, quam apud Latinos. v.g. apud Hebræos, panis, omnem cibum significat. Vas omne instrumentum, fratres omnes consanguineos eiusdem generis, Verbum sumitur pro re, Non est impossibile apud Deum omne verbum; Portæ sunt loca in quibus iudicia fiebant. Iterum multæ sunt voces in scriptura, quæ in bonam, & malam partem sumi possunt; vt fermentum, lapis, mare, sagittæ, zelus, æmulatio.

Phrases & Idiotismi. Cap. VI.

TErtio notandæ sunt phrases propriæ, & idiotismi linguæ Hebreæ. Clemens Alex. huius linguæ proprietates ait esse causam obscuritatis in sacris literis.] Aug. de vera Religione habet inquit omnis lingua, sua propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda.] & alibi, multa autem in scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere diluescunt, propter quæ cognoscenda, sunt eadem genera locutionum, vbi sententiæ patent, vt etiam vbi latent, cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat.] horum ignoratio, sine dubio facit hærere lectorem, proponamus aliquot exempla; secundum idioma linguæ dicitur Deus

l. 6. Str. cap. 14. cap. 54.

2. Retr. Cap. 50.

Exempla.

Digitized by Google

Deus gloriæ, id eſt glorioſus, ſubſtantiuis loco adiectiuorum poſitis, vt filius perditionis id eſt perditus, ſpiritus ſanctificationis, id eſt ſanctificans, Mons Dei, dicitur, mons magnus. Secundum idioma ſcripturæ, dicuntur ſagittæ, filij pharetræ, filij areæ, id eſt frumentum, & paleæ, filiæ vrbis, id eſt oppidula circa vrbem, filij excuſſorũ, id eſt iuuenes, filiæ carminis, id eſt aures; Verbum geminatum auget rẽ, vt cecidit cecidit Babylon, caſtigans, caſtigauit me Dominus, veniens veniet, & non tardabit Pſ. Animã eſſe in manu noſtra, non ſignificat vt ali qui opinantur, habere libertatem arbitrij, ſed ex proprietate linguæ verſari in vitæ diſcrimine: Vnus eſt, & ſecundum non habet, id eſt, hæredem, ędificare domos, non eſt ædes conſtruere, ſed proſperare familiam, dare liberos, ſeu poſteritatem, etiam opes augere: loqui ad cor eſt conſolari aliquem: Origenes, & alij docent, in ſcriptura ſæpè poni aliquas particulas, quæ non ſunt neceſſariæ ad ſignificandum, ſed ſolum ex vſu ſermonis implent orationem, quales: Ecce, Veruntamen: quoniam: Ecce nunc benedicite Dominum pſalmo. 62. Veruntamen Deus, confringet capita inimicorum. Item pſalmo. 37. quoniam ego in flagella paratus ſum, ſic particula (&) in principio libri Machab. (&) factũ eſt poſtquã percuſſit Alex. Baruch, & hæc verba libri, quæ ſcripſit Baruch. Ezech. (&) factum eſt in tertio anno quãuis ibi Greg. myſterium notat. Subſtantiuum geminatũ, & ſecundo loco poſitũ pluraliter in caſu gignendi, ſignificat excellẽtiam, vt Sancta Sãctorum, canticum canticorũ, Cœli cœlorum vanitas vanitatum, id eſt, maxima vanitas. Ponitur aliquando antecedens ipſum, loco relatiui, vt ad Rom. qui prædeſtinatus eſt filius dei, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti id eſt, ſui ipſius. Hæc loco exempli dicta ſunt, qui in his idiotiſmis peritus fuerit multa intelliget, de quibus Arias Mõtanus opuſculum confecit, & Sanctes Pagninus, & noſter Emanuel Sa habet indicem horum ordine alphabetico deſcriptum. Petrus Garſias de idiotiſmis Euangeliorum, noſter Salmeron in ſuis prologomenis, D. Aug. ſeptem libros de locutionibus ſcripturæ, vſque ad libros, Iudicum. In fine Ann. in Biblia.

Symbola varia ſcripturæ ac Tropi. Cap. VII.

QVarto, Præcedenti regulæ finitima eſt quam adijcimus: Sunt in ſcriptura alij quidam idiotiſmi ſed ab his quos diximus diſtincti, quos oportet in ſacris literis animaduertere

circa hominum actiones, habitus, situs, gestus, & affectus corporum & animorum, qui sub quibusdam quasi symbolis propria mysteria, propriasque significationes, ex aliqua cõsuetudine inductas includunt quarum notitia lucem sit allatura studioso diuinorũ librorum lectori, neq; solum in hominibus, sed etiam in plantis, animantibus, elementis, cœlorum aspectu, huiusmodi actiones & habitus est considerare. Exẽpla quæ passim occurrunt, rem explicabunt. In corpore humano, plurimæ sunt, tam in toto ipso corpore, quam in singulis partibus. V.g. operire caput, erat damnatorum indicium, alibi est signum confusionis & pudoris, demittere caput est signum mœstitiæ, sicut extollere caput, aliquando signum lætitiæ aliquando arrogantium, sicut oculi sublimes: & erectum collum; Vngere caput signum lætitiæ, sicut faciem lauare. Christus, tu autem ait cum ieiunas, vnge caput, & faciem laua; Radere caput & barbam, signum mœroris Manus in sinu habere, est otiosorum, dexteram dare est inire societatem: pectus percutere solent pœnitentes; Totius corporis est habitus; iacere, quod est deiectum animum habere, procumbere in terram est adorare: stare orantis est, currere significat diligentiam, cadere dicitur de victis in prælio, dormire est securi, vel negligentis Vestitus hominis, & arma multa significant, scindere vestimenta, est dolentis, seu indignantis vt fecit, Iacob audita morte Ioseph, & Caiphas. In animantibus sunt etiam hi habitus, vt volatus auium signat celeritatem hominis, vel Dei, boues super campos fertilitatem, Canis vigilans sedulitatem in custodia. Colubri in agris ariditatem. Similiter in plantis, plantare vineas, signat tempus pacis, florum apparitio tempus serenum Portarum clausio signum solitudinis, lac suggere est optimis rebus frui. In elementis, & cœlo, solis obtenebratio, est signum calamitatis, etiam terræ motus: terra serotina solitudinem, mare rugiens imminens periculum. Præterea sunt etiam in hominibus notandæ portentosę quædam actiones, & habitus quoquorum scripturæ mentionem faciunt, vt Moses cinerem iecit in aerem, Iosue leuauit Clypeum contra Hai. Ezechiel vasa transmigrationis parauit, in signum futuræ captiuitatis, sic cornua Sedechiæ, Catenæ & lumbare Hieremiæ & pleraque alia de quibus doctè & copiosè videndus est Arias Montanus in suo apparatu Bibliæ Regiæ, qui planè apparatus est vere regius, & dignus, qui Regijs Biblijs præferatur.

Exempla horum.

Cap. 7. Hesther.

Can. 3.

Thren. 2.

Matth. 6.

Ezech. 5.

Gen. 37.

Matt. 26.

Ex. 9.

Ios. 8.

Ezech. 12.

Hier. 3.

Reg. 22.

Hier. 13.

Troporum animaduersio.

Quinto diligenter cognoscendi sunt, tropi & figure locutionum

dorum, facilè enim sensus effugiet, si quis non aduertat tropicum esse sermonem, August. Imprimis cauendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias, & tunc dicit habere locum illud Pauli, litera occidit, quando scilicet putat quis esse sensum literalem, sciant inquit literati modis omnibus locutionis, quos grammatici Græco nomine tropos vocant, Authores nostros vsos fuisse, copiosius, quam possunt existimare, aut credere qui nesciunt eos;] Sunt autem inter figuras pleræque, quæ habent etiam obscuritatẽ, vt est Hyperbaton apud D. Paulum ad Rom. statim, ideoque Paulus obscurus est vt docent plerique, quia hyperbatis frequenter vtitur, propter velocitatem sermonum suorum, & propter impetũ, qui in ipso est spiritus, sicut ad Gal. quid ergo? lex factorũ posita est, vsquequò, & quæ sequuntur, tolle hyperbaton, & clarius dices, quid ergo? lex factorum dispertita per Angelos, in manu mediatoris posita est, vsque dum veniat semen Dei promissum, sic ad Thess. tunc reuelabitur & cætera. Clarè sic, tunc reuelabitur ille, iniquus cuius est aduentus secũdum operationẽ Satanæ] Amphibologia vt in ps. inimici defecerunt frameæ, dubium an vox inimici sit pluralis, an sicut est singularis numeri, & alibi, ecce hæreditas Domini filij merces, vbi vox filij, est pluralis; & rursus vindica Deus, Deus tuus, vbi prima vox Deus est in casu vocandi, secunda in Nominandi, sic in Cant. Indica mihi, quem diligit anima meã, vbi cubes, non est sensus, indica mihi eum, quem diligit anima mea, sed ô dilecte quem anima mea diligit &c. Hyperbole est frequens, facilius est Camelum intrare per foramen acus, quam &c. Ironia, Gen. ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Periphrasis, quæ rem circumscribit; qui ascenditis super nitentes asinos, Hi sunt nobiles, & sedetis in iudicio, Hi sunt Senatores, & ambulatis in via, Hi sunt Plebei; Hypallage, Ciuitatem miserunt in ignem, id est ignem in Ciuitatem; Antiphrasis, Iob, si non in faciem benedixerit, id est, maledixerit. Sed figurarum exempla sacra in secunda parte proponemus.

3. *de Doctr. Christiana cap.* 10.

Cap. 29.

2. *Cor.* 3.

Psal. 9.

2. *Thess.* 2.

Psal. 126.

Psal. 44.

Cant. 1.

Matt. 19.

Gen. 3.

Iud. 5.

Tob. 1.

Alia consuetudines Scripturæ. Cap. VIII.

COgnoscendæ sunt quædam consuetudines Scripturis sacris propriæ, quas aliæ scientiæ non habent, quarum ignoratio facit, vt qui legit, ad sensum, non perueniat, sunt autem plurimæ, sed nobis satis erit vti capimus, aliquas exempli

Regulæ septē Ticonij. 3. de Doct. Christiana cap. 30.

instar afferre, cum de hoc argumento alij scripserint. Huc pertinent septem regulæ Ticonij quas D. Aug. affert, quarum prima, est de Christo Domino, & eius corpore mystico. Aliquando enim scriptura de Christo loquitur, vt est caput simul cum corpore, quod est Ecclesia, quasi sponsum decoratum corona, hoc capiti congruit, & quasi sponsam ornatam monilibus, hoc sponsæ Ecclesiæ sub Christo capite; Secunda est de corpore domini bipartito, id est Ecclesia, quæ malos, & bonos continet,

Prima de capite & membris. Isa. 61.

Aliquãdo enim scriptura de Ecclesia vniuersè loquitur, vt Paulus dicit, persequutus sum Ecclesiam Dei, aliquando autem speciatim prout bonos complectitur, vt cum dicitur gloriosa Ecclesia non habens maculam, neque rugam; Ciuitas sancta,

Secunda de corpore bipartito. 1. Cor. 15. Ephes. 2. Apoc. 21.

Vel vt complectitur malos; necesse est vt veniant scandala, Cãt. nigra sum (propter malos) sed formosa propter bonos, sicut Tabernacula Cædar (propter reprobos) sicut Pelles Salomonis (propter electos;) Tertia est de spiritu, & litera, transit enim scriptura a sensu literali, ad spiritualem, & vice versa, vt passim est videre in Psalmis; vbi cum fiat sermo de Dauide, & Salomone ad Christum se conuertit, ita vt sæpè duplex sit literalis sensus, de Dauid & de Christo. Quarta de specie, ac genere, seu de toto, & parte transitus sæpe fit ab vno ad aliud Isa: loquitur contra Babilonem, & statim vniuersaliter in omnes. Quinta de temporibus, quorum supputatio sæpe obscuritatem parit, vt

Matth. 18 Cant. 1. Tertia de spiritu & litera.

Quarta de vniuersali & particulari.

Quinta de tẽporibus. Gen. 15.

Gen. semen tuum futurum est peregrinum, 400. annis muneratæ a natiuitate Isaac, sed in Exodo dicitur fuisse tempus 430. incipit à tempore quo Abrahæ fuit dictũ, egredere de terra tua, aliquando non curat minutias temporis. Sexta est de anticipatione, & recapitulatione. Nonnunquam refert aliquid antequam fuerit, estque Anticipatio. Isa. refertur sanitas Ezechiæ, & miraculum in horologio, postea dicitur de massa ficuum: Recapitulatio est in Gen: Istæ sunt generationes Cœli, & terræ,

Sexta Anticipatio & Recapitulatio. Gen. 2.

in die quo creatæ sunt; Septima est de Diabolo, & membris eius, cum enim Diabolus sit caput impiorum, scriptura sæpè a Diabolo transit ad impios, & vice versa, Vt loquens de Rege Babilonis, conuertit se ad Diabolum, Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer? & alibi de Principe Tiri agens, statim addit de Dæmone, tu signaculum similitudinis.

Septima de Diabolo & mẽbris eius. Isa. 14. Ezech. 28.

In eamdem formã possunt addi multæ aliæ consuetudines: Solet scriptura Deo attribuere membra, & multas actiones, & affectus, qui Deo non nisi Metaphoricè conueniunt, sic habere oculos dicitur, aures, manus, dormire, vigilare, irasci, pœnitere,

Consuetudines aliæ sacrorum librorum. De Deo.

Digitized by Google

sitere, lachrimari. Cum tribuitur Deo aliquid, quod in nobis culpam significat, non actiuè sed priuatiuè sumitur, ex qua priuatione culpa nostra sequitur. Apud Isa. quare errare fecisti nos à vijs tuis & in Exod. ego indurabo cor Pharaonis, Augustinus moris est scripturæ Deo tribuere, quod in nobis facit Gen. Nunc cognoui id est cognoscere te feci, Ad Gal. misit spiritum. filij sui clamantem, id est, clamare facientem, iterũ Spiritus sanctus postulat pro nobis, id est postulare facit. Item de Christo loquitur, secundum duplicem naturam, aliqua enim conueniunt vt Deo, aliqua vt homini, ratione primi, Pau: qui cũ sit splendor gloriæ &c. ratione secundi, exinaniuit semetipsum &c. aliqua secundum vtrumque ei conueniunt, vt Is. generationem eius quis enarrabit, & filius meus es tu ego hodie genui te, & doctrina mea non est mea; rursum de Christo loquitur secundum duplicem aduentum, & aliquando ab vno statim transit ad alterum, in Mal. ecce mittõ angelum meum: & statim subdit de iudicio. Ioel. effundam spiritum meum, & statim ait sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus; De homine sermo est aliquando, secundum corruptam naturam, aliquando, secundum gratiam, ratione primi, Eramus natura filij iræ; ratione secũdi sumus filij Dei; si autem filij & hæredes, Ratione liberi arbitrij, dicitur conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; ratione gratiæ Conuerte nos Domine & conuertemur. De vtroque, Non ego, sed gratia Dei mecum.

Isa. 63. *Exod. 7.* *August. in psal. 3.* *Gal. 4.* *Rom. 8.* De Christo. *Heb. 1.* *Phil. 2.* *Isa. 53.* *Psal. 2.* *Ioan. 8.* *Mal. 3.* *Ioel. 2.* De homine. *Rom. 8.*

Solet scriptura sæpe vti mutatione temporis, personarum, affectuum, numeri; præsertim in propheticis libris, & in Psalmis, nam sancti, Spiritu sancto afflati vt eos agebat impetus Spiritus, modò se ad tempora conuertunt præterita, modo ad futura, & præsentia, modo ad Deum, modò ad creaturas, nunc ad vnum est sermo, nunc ad plures, sæpe in varios transferuntur affectus, amoris, doloris, timoris, ex quibus omnibus oritur illa frequens mutatio temporis, personarum, affectuum, numerorumque diligenter notanda, ad seriem, & connexionem sequentium cum præcedentibus perueſtigandam quæ plurimum valent; exemplum primi sit, Quare fremuerunt gentes, & statim postula à me, & dabo tibi gentes. Is. Primo tempore alleuiata est terra, & statim lætabuntur coram te, &c. Exempla secũdi innumera sunt in Psalmis, & Prophetis vbi modò Deus, modò Propheta loquitur; Exemplum tertij. Diligam te Domine fortitudo mea, est affectus amoris, a quò transit ad alium

1. Cor 15. *Psal. 2.* *Isa. 9.* *Psal. 17.*

Digitized by Google

laudis, & inuocationis; laudans inuocabo Dominum, & mox in affectum doloris, circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis, conturbauerunt me &c. Exemplum quarti
Psal. 108. pſ. Os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum, à quo tranſit ad alium numerum, loquuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſtatim redit ad priorem numerum, ſtatuè ſuper eum peccatorem. Signum vniuerſale, ſecundum ſcripturæ morem,
1. *Cor.* 10. non ſemper vniuerſaliter ſumitur: Pau: Omnia mihi licent, &
Ioan. 1. tamen ex Dei lege non omnia licent, ſic Ioan. illuminat omnem hominem id eſt omnis qui illuminatur à Deo lumen recipit cõtra vero, aliqua determinatè dicuntur, vbi numerus finitus,
Apoc. 20. pro infinito ponitur, pſ. mandauit in mille generationes, id eſt omnes in Apocalipſi, Ponitur numerus mille annorum pro toto tempore, quod eſt inter primum aduentum Chriſti, & ſecundum, Aliquando dicitur quidpiam futurum ſolum per minas,
Ionæ 3. vt corripiant ſe homines, ſicut Ionas clamat, adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.

Adiumenta, aliqua ad ſcripturæ intelligentiam. Cap. IX.

PRæterea vnus ſcripturæ locus optimè per alium explicatur, eſtque optimus commentarius, vt ſcriptura ſcripturam explicet; itaque diligens, & attenta lectio, ac meditatio, & collatio ſcripturarum omnium ſumma regula videri poteſt,
Primò ipſamet ſcripturæ. nam & phraſis ipſa, & ſpiritus ſit familiaris vt aſſuetis iam ſermonibus intelligentia pateat, ſic D. Petrus profert duas ſcripturas Baſi. familiare eſt (inquit) Domino, ea quæ alicubi
Act. 2. ſtrictim præcepta ſunt, per ea, quæ in alijs locis dicta ſunt manifeſtè tradere,] Aug. Conandum eſt vt ad obſcuriores locu-
Lib. 5. *de Bapt. c.* 1. tiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla V.g.
Aug. 2. *de Doct. Chr. cap.* 9. illa ſcriptura quæ ait, Pater maior me eſt explicatur ſecundum naturam humanam dici tantum, cum in alia ſecundum naturã diuinam dicatur, Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam ar-
l. 3. *de Doct. Chr. cap.* 28. bitratus eſt ſe eſſe equalem Deo; Magnopere Auguſt. hunc modum commendat exponendi locum vnum ſcripturæ per alium.
Secundò conciliatio locorum. Eadem regula vtilis eſſe poteſt cum occurrunt loca, quæ in ſpeciem videntur ſibi aduerſari, facile erit in eiſdem locis aduertere modum conciliandi, vel inuenire alium ex quo appareat, quomodo priora loca concilianda ſint. Lex iubet honorare Patrem, & matrem, Chriſtus docet, qui non odit Patrem,
Exod. 20. *Luc.* 14. & matrem, non eſt me dignus, facilè ex alio loco conciliantur.

Qui

Qui diligit Patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus, ergo amandi sunt, sed non plusquam Christus, sic Matth. in Viam gentium ne abieritis; & illud, euntes docete omnes gentes, Primum tempore Christi; Secundum autem post illud tempus, & sic conciliantur per locum Actuum; vobis primum oportebat prædicare, sed quia indignos vos reddidistis ecce conuertimur ad gentes. Eodem modo dicitur; Antequam gallus cantet, ter me negabis, quomodo sit intelligendus locus, consule D. Marcum qui ait, Antequam gallus cantet bis, ter me negabis, ergo Matth. significat antequam gallus cantet id est cantum suum absoluat, solet enim bis cantare media nocte, & mane; sic Mich. Bethleem minima es. Matth. Nequaquam minima es. Certè ex modo loquendi intelligo vtrobique significari Bethleem minimã esse secundum se, at respectu Christi fore celeberrimam.

Matt. 10. *Matt.* 10. *Matt.* 24. *Act.* 13. *Matt.* 26. *Marc.* 14. *Mich.* 5. *Matth.* 2.

Tertiò quando occurrit locus difficilis, & obscurus, considerandum est, argumentum quod ibi tractatur, Scopus eius, qui scribit, titulus libri, & narrationis, antecedentia, & consequentia circumstantiæ, causæ, considerandæ oratio, quomodo sit distinguenda, & pronuncianda, Hieron. Necesse est intelligere, cur scripserit ille Propheta, vel Apostolus, quam sententiam sua ratione firmauerint, quid proprium habeant in veteri lege Idumæi, Mohabitæ, Ammonitæ, quid Corinthij, Ephesij, Romani in nouo testamento.] August. rarissimè, & difficillimè inueniri potest ambiguitas, quantum ad libros diuinarum scripturarum spectat, quam non aut circumstantia ipsa sermonis, qua agnoscitur scripturæ intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ soluat inspectio] sicut Idem Aug. de illo Iacobi loco si quis totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus; Recolendum est, ait, vnde venerit illa sententia, quæ illam superiora peperierint, quibusque connexa dependeat, Circumstantiæ attendendæ, vt in libro Ecclesiastis. aliqua dicuntur in persona impiorum, non scriptoris. August. docet modum benè distinguendi, multum referre ad intelligentiam, & cap. 3. modum pronunciandi, quippè sæpè contraria fit propositio si cum interrogatione vel sine ea pronuncietur.

Tertiò scopus considerandus & argumentum.

Proem. in Epist. ad Ephes. *l. 3. de Doct. Chr. cap. 4.* *Ep. 29. ad Hier. initio.* *3. de Doct. Chr. c. 2.*

Quarto notitia linguarum Hebrææ præsertim, & Græcę præter Latinam; Item artium scientiarum, hystoriarum, antiquitatum, Geographiæ, rerum naturalium, & Politicarum, sæpe necessaria est ad scripturarum intelligentiam, August. contra

Quartò linguarum notitiam.

De Doctr. Chr. c. 10.

Digitized by Google

ignota signa, magnum remedium est, linguarum cognitio, homines linguæ latinæ, quos nunc instruendos, suscepimus, duabus etiam alijs ad diuinarum scripturarum cognitionem opus habent. Hebræa scilicet, & Græca, vt ad exemplaria superiora recurratur si aliquam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas] V.g. illud. Pauli. Non vos defendentes chariſſimi, in Græco est vlciſcentes, & illud Lucæ, quod supereſt, date eleemoſynam, in Græco est τὸ ἐπιλοιπον id est de his, quæ habetis.] Paulus quotidiè morior propter veſtram gloriam; dubium an ſit iuramentum, ex Græco apparet eſſe, vbi dicitur per veſtram iuro gloriam.]

Rom. 12. *Luc.* 2. 1. *Cor.* 16.

Quinto ſcientiarum cognitio. 2. *De Doct. Chr.* c. 16.

Quinto Scientias, & artes, neceſſarias eſſe, vt plurimum docet Clemens Alexan. Propheticæ ait, & Apoſtolicæ ſcripturæ, artificioſas doctrinas exigunt; de Naturalibus. Auguſt. Rerum ignorantia, inquit, facit obſcuras eſſe figuratas locutiones, cum ignoramus, vel lapidum, vel plantarū, vel aliarum rerum naturas, quæ plerunque in ſcriptura, ſimilitudinis gratia ponuntur.] Exempla paſſim occurrunt, Notitiam locorum Paleſtinæ multum ſibi profuiſſe, ad multa intelligenda, expertus eſt Diuus Hieronymus propterea Arias Montanus, & Brocardus, & Petrus Bellonius, & Petrus Garſia de his locis ſcripſerunt.

Traditio.

Sexto in explicandis Scripturis ſacris magna cura ſeruanda ſunt & in magno habēda honore antiquitas traditionum, Conciliorum authoritas, Pontificū Romanorum reſpōſa, & decreta, Eccleſiæ ſenſus, & praxis, ſacrorum Patrum conſenſus, Vulgata verſio latina, ac nemo debet eſſe audax in cudendis nouis ex ingenio ſuo interpretationibus, quæ cum his, quæ diximus, non conueniāt. De Traditione ſi quis quærat, quomodo intelligatur apud Matt. 5. vxorem non poſſe dimitti, niſi in cauſa fornicationis. Traditio ſemper in Eccleſia ſeruata exponit, non diſſolui matrimonium, nec licitum eſſe aliam ducere vxorem, ſed tantū dimitti poſſe quoad Thorū; Et illud, quos Deus coniunxit homo non ſeparet. Traditio Eccleſiaſtica habet poſſe ſeparari matrimonium ratum nondum conſummatum, ſi alter coniugum religionem aliquam profiteatur, & etiam conſummatum, ſi tam vxor, quam vir cōmuni conſenſu ad religioſam vitam tranſuolent. De Concilijs ſcimus pleraque ſcripturarum loca ab eis explicata, quorum definitionibus ſtandum eſt, cum Eccleſiam totam repræſentent, quæ eſt columna veritatis adeò vt D. Petrus cum alijs, non vereatur dicere, Viſum eſt Spiritui

Concilia.

ſancto

ſancto & nobis; De Romano Pontifice certum eſt ad eum tamquam ad ſupremum iudicem in cauſis omnibus, præſertim in ſcripturarum difficultatibus eſſe recurrendum; Senſus Eccleſiæ totius errare non poteſt, adeo vt Chriſtus dixerit, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus, Item Eccleſiæ praxis, tamquam optimus commentarius, habenda eſt. Si occurrat difficultas, vt aliquando fuit an Heretici, vel baptizati ad Hæreticis, ad Eccleſiam redeuntes ſint rebaptizandi, recurrendum ad praxim Eccleſiæ, quamuis enim de non rebaptizandis Hæreticis de ſcripturis canonicis nõ proferatur, exemplum earumdem tamen ſcripturarum etiam hac in re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ quã ipſarum ſcripturarum commendat authoritas; & hanc regulam vrget Auguſtinus valdè in libris contra Donatiſtas. De conſenſu Patrum Aug. ſenſum ſcripturæ non pro arbitrio peruertendum, aut detorquendum eſſe docet, vt ſciamus Sanctorum Patrum expoſitionem conſonam, & communem Catholicorum conſenſu tenendam eſſe qua de re agemus etiam in ſecunda parte: Vulgatam latinam noſtram verſionem agnoſcendam eſſe, vt legitimam, & defendendam, docet Conc. Tridentinum Deniquè ſi quis in ſcripturis exponẽdis nimis audeat, & non innitatur his principijs, ſed ſuo ingenio, non carebit temeritatis nota & errorum ſe periculo exponet. Hæc de ſenſu literali dicta ſint, nam de ſenſu myſtico in Secunda parte huius inſtitutionis aliquid dicam, nunc ad alia, quorum ſcientia Oratori Chriſtiano neceſſaria eſt tranſeamus.

Eccleſiæ ſenſus. *Matt.* 18.

Conſenſus patrum. *De pec. mer. & rem. c.* 6.

Studium Scholaſticæ Theologiæ. Cap. X.

THeologia quam Scholaſticam appellamus, nullo modo debet carere noſter Orator, vt ab errore non ſolum abſit, ſed abeſſe quoque ſe ſciat, ſæpe enim de Deo agere debet, & eius perfectiones explicare, de prouidentia, Iuſtitia, miſericordia, ſapientia, de varijs fidei dogmatibus, de ſacramentis, de verbo incarnato, de virtutibus & vitijs, de præceptis Dei, de legibus etiam diſſerendum eſt, quæ omnia cum in Theologia tractentur, & expendantur inde peti debet eorum cognitio; Neque ſatis eſt tutum ex cuiuſpiam ſcripto deſumere tum quia prædicare quæ non intelligas, temeritate non vacat, magnumque eſt periculum, ſi vel voculam mutes, tum quia nec eloqui, nec pronunciare, vt opus eſt, quiſque poteſt, quæ

non

Digitized by Google

non satis cognita habet. Præterea sacras scripturas, in quibus totus est Christianus Ecclesiastes, nisi ex Theologiæ decretis, fidei dogmatum explicationem luculentam perceperit, raro poterit sine erroris, vel temeritatis periculo in vulgus proferre, Igitur hac in re hæc monita mihi tenenda videntur; Primo cum aliquem locum, qui ad doctrinã spectet, tractabit, si quid dubitat, perlegat prius, quid ea de re graues Theologi sentiãt, ac modos loquendi, ac verborum, proprias notas aduertat. interroget doctos, nec quiescat donec rem omnem peruestigarit, vt possit tamquam Doctor in suggestu differere; Alioqui sciat sæpè se ridiculum fore sapientibus, nec raro offensurum cum graui sui, & aliorum iactura, Nam vel vnum verbum, non aptè, & loco prolatum, meritò, vel insciti am differentis, vel iudicij imbecillitatem arguit. Quin etiam locus aperitur delationibus, calumnijs, diffidijs, & magnis Christiani populi scãdalis. In summa me quidem authore, qui quæstionem quampiam non rectè callet, eam nequaquam attinget, nam nisi probè teneat, nunquam fere poterit ita considerate agere, etiam si aliena verba referat, quin docti animaduertant dicentis insciti am, ambitiosè scientiam ostentantis.

Difficultates Theologicæ non attingendæ ab eo qui non optimè calleat.

D. Thom. Doct. alijs præferẽda.

Secundo inter omnes Theologos, sit præcipuè affectus erga doctrinam Angelici Doctoris, tum quia est valdè copiosa, & vniuersalis, omnium rerum argumenta complectens, siue quæ ad speculationem, siue quæ ad actionem pertinent, tum quia, est valdè solida, & firma optimis innixa firmamentis, tam scripturarum, quas copiosè, & eruditè tractat, quam rationum, naturalium, & moralium, quas omnes quemadmodum etiam sententias sanctorum Patrum benè, & enucleatè proponit, ita vt diuina, & humana ferè omnia contineat, tum quia est ordinatissima, & maximè dilucida, quæque in aures populorum non difficilè instillari possit. Tertio ex hoc Theologiæ studio, præsertim D. Thomæ copiosam supellectilem sibi cõparet, quæ vsui deinde sit ad tractationes de virtutibus, & vitijs, de fidei dogmatibus, de iustitia Politica, & Christiana, de Sacramentis, de statibus hominum diuersis, & alijs rebus huiusmodi. Quæstiones tamen planè, vt vocant, speculatiuas scholis relinquat, nec nisi raro, & modicè in suggestu attingat, eas præsertim quæ vix à populo intelligi possunt, aut non sine aliquo periculo, cuiusmodi sunt de prædestinatione, de libero arbitrio, de potentia Dei absoluta &c.

Vsus Theologiæ.

Quarto modus autem proponendi populo, doctrinas ex

Scho-

Scholastica Theologia erutas, est, vt non vtatur concisis Theologiæ concertationibus, aut obscuris scholæ vocabulis, sed eas diligenter enucleatas, & ad communem quantum fas est, loquendi modum, intelligendique vsum redactas, populo exponat. Plurimum enim interest, Vtrum in Scholis ad viros eruditos, vel studiosos iuuenes disputatio habeatur, an in templo coram promiscua multitudine verba fiant: Quare oportebit ipsam sententiam referre ex aliquo V.g. D. Tho. articulo desumptam verbis dilucidis, & optimè significantibus, eam deinde suis rationibus, scripturisque confirmare oratorio more, magis ad persuadendum, quam dialecticorum, ad disputandum: stylo adhibito concionibus accommodato, subtilitate argumentorum, contortoque, ac spinoso sermone, gymnasijs relicto. Qui audierunt Concionantem Patrem Laynez, nostræ Religionis Præpositum generalem, testes sunt, eum res scholasticas tanta facilitate solitum in concionibus ad populum explanare; vt vel pueri perciperent; ego plane commendarem Concionatoribus vt aliquem D. Thomæ articulum in pulpitis tractarent, stylo tamen D. Chrysostomi, dilatando, adhibitis similibus, ac figuris varijs eloquenter, & acriter.

Lectio Sanctorum Patrum. Cap. XI.

QVi vult proficere in hac concionandi facultate, debet multum olei, & laboris ponere in euoluendis ac legendis Sanctorum Patrum voluminibus, tam Græcorum, quam Latinorum, ex quibus non solum multum eruditionis colliget, sed etiam luculentissimos hauriet thesauros, quibus instructus, ac ditatus, eruditè, ac facilè, grauiter, copiosè, & efficaciter, de quacunque re proposita agere poterit. Horum porrò vestigijs, & lucubrationibus omnino inhærere debemus multas ob causas; sunt enim in ijs quæ dicunt, ac docent admodum certi in expositione scripturarum valde fideles, in persuadendo efficaces, eorumque sermones ex vitæ sanctitate promanantes, huiusmodi sunt qui debeant, nobis proponi tamquam exēplar ad dicendum, & imitandum. Quo verò sit lectionis huius labor vtilior, hæc mihi adiumenta succurrunt, quæ etiam omnium librorum vtilium lectioni proderunt.

Modus legendi sanctos Patres cum fructu.

Primum, aio sedulum Concionatorem debere sacros libros, & Sanctorum Patrum volumina, vt cum Poëta loquar, nocturna versare manu, versare diurna, vt paret sibi opes sententiarum,

Primum documentum.

Digitized by Google

rum, rerum, exemplorum in omni genere locutionum. Neque
Cic. sit turpe nobis, vt ille dicebat librorum esse helluones, vt alij sunt cibariorum, & vt attentè non cursim, non oscitanter, nec carptim, sed cum diligentia à principio ad finem perlegamus. Atque adeò cum occurrunt aliqua vtiliora repetenda est lectio, vt sicut cibos mansos, & penè liquatos deglutimus, vt coquantur facilius; Ita inter legendum eximia, non quasi cruda, & solida, sed multa iteratione molita, & veluti confecta
Super ps. memoriæ, imitationique tradenda sunt. D. Ambr. afferens lo-
118. serm. cum Pauli, debet, ait, sacerdos complecti eum, qui secundum
18. doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, subdit quod vtique sollicitæ, atque intentæ meditationis est, non perfunctoriæ
Ad Tim. 4. lectionis, & addit quod dicitur ad Tim. attende lectioni, & doctrinæ, lectio enim frequens, nec intermissione aliqua destituta, doctrinæ munus operatur.]

Secundum. Secundo Authorum diligenter habendus est delectus nimirum optimus quisque primum, ac plurimum tenendus. illud vero hic annotauerim, Cum primum aliquod opus in manus sumitur, authoris est perlegenda vita, quod valet ad intelligenda quæ is docet, & iusto pondere æstimanda, nam occasio scribendi, Aetas qua scriptum est opus, & alia id genus cognita, lectori quasi præferunt facem, vt iam non solum videatur sibi librum euoluere, sed etiam audire disputantem: Eodemque modo pondus habent tanto maius, minusvè dicta, prout illa dispar authoritas factorum commendat; Suaserim quoque codices assumi quam optimos, & scholijs, si quę ædita in eos sunt, probatissimis illustratos, quæ pariter cum contextu legantur, cui rei vsui erit Antonij Possevini apparatus sacer, est autem hæc monitio eo necessaria magis, quod quædam in veterum scriptis occurrunt, quæ nondum eorum temporibus explicata satis, postea sancta Ecclesia declarauit, & sanxit.

Tertium documentum. Tertio in materiæ argumentique delectu, & ordine lectionis videtur mihi vtilius esse, vt prius incipiat legere eos Patres, & aliquos libros eorum, qui sacras literas explicant, quæ facilè parabunt viam ad alia opera, in quibus certæ materiæ tractãtur, quia ex scripturis solent multa, ex ijs quæ dicuntur, erui, ijsque confirmari, vt solidis argumentis. Rursum libri in quibus res morales docentur, videntur (vt plurimum) prius esse legendi, quam ij, qui dogmata, vel controuersias in Hæreticos, vel gentes disputant, quia ordo à facilioribus ad obscu-

riora

riora eſt magis ſecundum naturam. Item antea legenda volumina, in quibus loci communes. Theologici agitantur, vt plerique ſunt apud Auguſt. Hier. Greg. Bernar. Dam. & alios, quia hæ tractationes viam aperiunt ad alias, & ordo doctrinæ à communioribus vult incipiendum eſſe, in horum autem lectione id putarem obſeruandum, vt libris, qui vel ſcripturas diuinas, vel moralia tractant, magis immoretur lector, tanquam vtilioribus, & ad ſuam facultatem magis accomodatis; libros autem in quibus ſubtiliora Theologiæ diſputantur, ad otium reſeruet, & celerius percurrat.

Quarto optimum eſt, idque eſt in omni diſciplina commune præceptum, vt potius multum, quam multa legantur, itaque inhærendum eſt maximè vni ſcriptori, & ille penitus in nutrimentum, & quaſi ſuccum noſtrum trahendus. Doctrina eſt, & conſilium prudentiſſimi hac in re Senecæ, non eſſe per varios libros inconſtanter errandum; vide Epiſt. ad Lucil: mixta (inquit) lectio multorum authorum, & omnis generis voluminum habet aliquod vagum, & inſtabile, certis ingenijs immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui vbique eſt, in peregrinatione vitam agentibus, hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Nihil æquè ſanitatem impedit; quam remediorum crebra mutatio, faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ vbi varia ſunt, & diuerſa, inquinant, non alunt; & iterum lectio certa (inquit) prodeſt, varia delectat, qui quo deſtinauit peruenire vult vnam ſequatur viam, non per multas vagetur, non ire iſtud, ſed errare eſt] ſed placet magis ex Ber. audire quam ex Seneca, ad fratres de monte Dei ait Certæ lectioni certis horis vacandum eſt, fortuita enim, & varia lectio, & quaſi caſu reperta, non ædificat, ſed reddit animum inſtabilem, & leuiter admiſſa leuius recedit à memoria. Sed certis ingenijs immorandum eſt, & aſſuefaciendus animus, & de quotidiana lectione aliquid in ventrem memoriæ demittendum eſt, quod fidelius digeratur.] iuuabit etiam prudens admonitio Iſidori: Lectio (inquit) memoriæ auxilio indiget, quæ ſi fuerit naturaliter tardior, frequenti tamen meditatione acuitur, ac legendi aſſiduitate colligitur, ſæpè prolixa lectio longitudinis cauſa memoriam legentis abſtergit, quod ſi breuis ſit, ſubmoto libro ſententia retractetur in animo, tunc ſine labore legitur, & ea quæ lecta ſunt, recolendo, à memoria minimè excidunt] & addit: Acceptabilior eſt ſenſibus lectio tacita,

Quartum.

Epiſt. 2. ad Lucil.

Epiſt. 45.

Ber. ad fratres de monte Dei.

Lib. de ſum. bo. c. 14. ad finem.

quam

quam aperta, amplius enim intellectus instruitur, quando vox legentis quiescit, & sub silentio lingua mouetur, nam clarè legendo, & corpus lassatur, & vocis acumen obtunditur.]

Quintum documentum.

Quinto minquam ferè inter legendū ponendus est calamus: fluxa memoria est quicquid conseruatum vis, excipè in paratum ad hanc rem volumen ad sua quæque capita reuocato, ac tene constanter propositum; post aliquantum spatium, ingentē tibi non magno labore supellectilem comparabis. Noster Beatus Pater Ignatius vult, vt nostri, compendium aliquod colligant communium locorum contra vitia; deque remedijs eorum, de virtutibus, de præceptis &c. Sed prudentia est adhibē da, non enim omnia scribenda sunt, eximia quædam & illustria excerpantur, & ijsdem verbis si habeant quid notabile, alioqui satius erit, indicato authoris loco, rem summatim perstringere. Ad hos locos communes parandos, maximè initio vtiles sunt digressiones Chrysostomi in Epistolas Pauli, & sermones ad populum Antiochenum. S. Basilij tractatus; Augustin. in psalmos, & serm. de verbis Apost. & de verbis Do: sermones. Sancti Bernardi in Cant. & alij eiusdem sermones; Moralia B. Gregorij, ac Dialogi, hystoriæ Ecclesiasticæ, vitæ sanctorum Patrum fideliter scriptæ ab Athanasio, Hieronymo, Sulpitio, Palladio, & alijs. Potuissem hic etiam adijcere indicem, vel catalogum locorum communium, in quem redigenda sunt omnia, quæ inter legendum occurrunt, vt singula in suas classes referantur, vt commodè, cum vsus incidit inueniri possint, & methodum item assignare, secundum, quam ordinandi sunt huiusmodi tituli & conscribendum volumen: Sed hunc laborem diligenter, & copiosè executus est Laurentius à villa Vincentio, vt omnino mihi supersedēdum sit: huius authoris quatuor libros de formando Theologiæ studio, moneo studiosum Concionatorem, vt legat, multa enim inueniet cognitu digna, quæ auctor ille eruditè, piè, prudenterque pertractat.

Const. p. 4. cap. 8.

Locorum cō munium vsus.

Sexto Collationes cum alijs.

Sexto maiorem vtilitatem affert lectio meo iudicio, & experientia ipsa magistra cognoui, si quis possit cum alio socio lecta conferre, ac viciſſim quæ alter legit audire, mirum quantum eruditionis afferant hæ mutuæ collationes, etenim tum ad rem melius intelligendam, quam in silentio legimus vox ipsa lumen affert, tum etiam vt quæ alter studio, lectioneque cognouit modico labore discamus; Expediret, vt Duo inter se conuenirent, & vnus explicaret aliquem scripturæ librum, & alter alium non immorantes in singulis locis, sed literalem

dum-

dumtaxat ſenſum breuiter exponentes, ita ſperarem facilè ad peritiam diuinarum literarum quempiam breui peruenturum. A Tirone autem nihil vltra requiro, quam vt eius ſacri libri quem legit, & conatur intelligere, ex aliquo graui, probatoque commentario interpretationem petat.

Septimo ſolet iure commendari inter laudatiſſima quæque exercitia, quando in pauca contrahimus, quæ ab alijs fuſius docentur, & ſumma quædam totius tractationis capita, in cõpendium redigimus, quod cum fructu fiet, præſertim cum in genere didaſcalico grauis aliqua theſis, ab aliquo erudito doctè abſolutèque tractata, in manus noſtras venit. Denique Octauo ex lectione ſanctorum Patrum etiam ſpiritum, dicendique modum animaduertat ſingulorum, vt imitari poſſit. In Auguſtino acumen, in Hieronymo copiam ſententiarum, & candorem, vimque ſermonis, in Gregorio modeſtiam prudentiamque ad omnes morales actiones, in Leone grauitatem, in Chriſoſtomo fuſam, & aptiſſimam ad perſuadendum eloquentiam, in Bernardo dulcedinem, ex quorum omnium, aliorumque quamuis varijs dicendi generibus, tanquam viuis coloribus concionem ſuam noſter eccleſiaſtes, ſi ſcitè omnia diſpenſet, reddere illuſtrem poterit.

Septimum documentum. Compendia vtilia.

Notitia Cathechiſmi Canonum, linguarum, & Philoſophiæ. Cap. XII.

SCholaſticæ Theologiæ cognitio, quam in Concionatore paulo ante requirebamus, facilè eum inſtruet, ad alia multa pernoſcenda, quæ callere penitus debet. In his præcipuè Cathechiſmi materiæ numerantur, quę accuratè, & ſapienter cõprehenſa ſunt eo libro, qui dicitur Cathechiſmus ad parochos editus auctoritate Conc. Tridentini, qui liber debet eſſe Concionatori optimè cognitus, & loco multorum voluminum eſſe poteſt, præſertim dum pagos & oppida, euangelizando peragrat. Ea quoque quæ ad fidei dogmata aduerſus Hæreticos cõfirmanda pertinent, habere perſpecta debet, quæ in ſuis controuerſijs examinat accuratè Cardinalis Bellarminius, & alij: ſæpè autem offeretur occaſio, quam & ipſe arripere libenter debet explicandi ea, quæ ad doctrinam Chriſtianam pertinent, quia certum eſt multos eſſe in populo, qui tali eruditione opus habent: Nam quamuis parochis propriè hoc munus iniunctum ſit, & multis locis cathechiſticæ ſcholæ diebus feſtis habeantur,

tur, tamen vel illi suas partes non explent, vel ad scholas huiusmodi grandioris ætatis homines non accedunt, vt omnino etiam pars hæc laboris Prædicatori relinquatur: ad quem alioqui pertinet sicut impellere ad facienda populos, ita & scienda docere; Contra Hæreticos vero ita agendum est, vt vbi Hæreses non vigent, non tractentur controuersiæ, vt alibi monemus, multo minus Hæreticorum argumenta rudibus populis proponantur. Præterea notitiam Canonum, quæ ex decretis, & Pontificum sanctionibus constat, non solum in concionatore, sed in quolibet sacerdote, qui alios est docturus, exigunt Patres. Leo. in Epist. ignorare nunquam licuit sacerdoti, quod canonum fuit regulis definitum. Cœlestinus Papa, nulli liceat Sacerdotum Canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum possit regulis obuiare Greg: qui ea quæ Dei sunt (ait) sapiunt, à Domino sapiuntur, & qui ea quæ Dei sunt nesciunt, à Deo nesciuntur.] His cohæret quæstionum conscientiæ cognitio, & ipsa concionatori necessaria, tum quia sæpè vsus incidit, earum aliquas publicè pertractandi; tum vel maximè, vt queat priuatim respondere interrogantibus. Qui labor neque commodè potest, nec ferè debet omnino vitari, cum præcipuo quodam studio, ac pietate populus responsa prædicatoris excipiat.

Notitia Canonum.

Dist. 38. c. nulli. In past. 1. par. c. 1.

Notitia quæstionum Conscientiæ.

Linguarum notitia.

Linguarum etiam præter Latinam, Hæbraicę, & Græcę deberet saltem mediocrem habere cognitionem præsertim ad sacras scripturas, vti supra diximus intelligendas; quarum sententia ex his linguis melius percipitur, tum quia testamentum vetus Hebraica lingua maxima ex parte est conscriptum, & nouum Græca præter Matthæi Euangelium, & Epistolam ad Hebræos, quæ secundum aliquos Hæbraicè censetur scripta, neque potest negari, quin propria lingua purius quodammodo exprimantur sensa, quam in versionibus, vt aqua suauior, ac purior bibitur in fonte, quam vbi per canales excurrit. Certũ quidem est in vulgata nostra versione, eamdem sententiam omninò exprimi, sed id fit aliquando obscurius. Quare August. in obscuris locis veteris testamenti, consulendos libros Hebræos admonet, in nouo Græcos. Eamdem ob causam in Concil. Viennensi sancitum est, vt in publicis Academijs stipendia cõtribuantur, viris doctis, quæ has linguas publicè profiteantur. Tum quia multam rerum copiam colligere licebit ex ipsis verbis, ac phrasibus, & idiotismis linguæ ad explicanda diuersa mysteria, & sacramenta, vt in multis sanctorum, ac doctorum viro-

Dist. 8. Cap. vt veterum.

Digitized by Google

virorum commentarijs apparet, quæ tamen explicationes, aut animaduerſiones non ita facile in verſione ſeſe obtuliſſent. Hi autem qui ex aliorum eas ſcriptis, & obſeruationibus aſſumunt, magnũ periculum adeunt, ne rem ſatis intelligere, & explicare poſſint, & in pronũciatione peregrinarum vocum, quas ignorãt ridiculè labantur. De Oratoriæ facultatis ſcientia mox agam.

Philoſophiæ moralis peritia multum adiumenti prębebit: quæ tota cum agat de virtutibus, & vitijs, de prudentia monaſtica æconomica, politica vberem ſuppeditabit dicendi materiam, ſi tanquam adminiſtra, & famula ſeruiat Euangelio. De naturali vero Philoſophiæ, & liberalium artium vſu id moneo. Primo non eſſe abſurdum aliquando his vti ad noſtra confirmanda, & explicanda; Cum ex diuinis ſcripturis, ait Clemens Papa, integram quiſque, & firmam regulam charitatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi etiam aliquid ex eruditione communi, & liberalibus ſtudijs, quæ fortè in pueritia attigit, ad aſſertionem veri dogmatis conferat, ita tamen vt vbi vera dicerit, falſa, ac ſimulata declinet.] Aug. etiam laudandum putat Oratorem Chriſtianum, qui ſpoliare ſciat Ægyptios veſtibus, auro, argento, atque ad ornatum tabernaculi ea conferre, quibus illi ad luxum, & faſtum, nec non ad prophana falſorum Deorum fucanda, indignè abuſi ſunt.] Naz. reprehendit eos qui paruo iudicio inducti externam Philoſophiam repudiabant, & ait Non ideo execramur ſtellas & cœlum, quę aliqui ſuperſtitiosè pro Dijs coluerunt, & ijs Diuinum honorem tribuerunt; ſic neque externas doctrinas debemus reijcere, quamuis aliqui abutantur.] Secundo ſi quis multum temporis tereret in philoſophicis rebus, quæ curioſitatem ſolum nutriũt, & naturalium operum ſecreta ſcrutantur, & elementorum, plantarum, animalium, vel etiam ſi moralia afferret, tamen multas Philoſophorum Ethnicorum ſæpè inferciret ſententias, eſſet merito reprehendendus, cum ſuggeſtus non ſit locus explicandi Philoſophiam, ſed ſcripturam ſacram nec virtutes quæcunque tradendæ ſint nobis, ſed Euangelicæ. Nec mirum ſi veterum quidam Patrum in Philoſophicis rebus multi fuere, quia confutanda tunc vana erat philoſophia quæ occaſio iam non eſt, quare illis in præſentia parcè vtendum erit,

Philoſophiæ cognitio.

Diſt. 37. c. relatum.

2. de Doct. Chr. c. 40.

Orat. de laud. Baſilij.

Parcè vtendum Philoſophicis.

Digitized by Google

Hiſtoriarum & rerum politicarum peritia.
Cap. XIII.

TErtio Hiſtoriarum narratio ſupramodum ornare poteſt orationem, ſi cum delectu, ac tempeſtiue explicentur. Experimento etiam conſtat vſum exemplorum ad mores componendos habere plus virium ſæpè quam ipſas rationes, præter quam quod populus ea, & libenter audit, & memoria tenacius retinet, quam præcepta; Sed hiſtoriarum prophanarum frequens vſus non valdè conueniens eſt ſacræ Concioni, nec video ſanctos viros in ſermonibus ad populum ijs niſi parciſſimè vti; vt cum proponuntur facta quædam præclara, quæ multum ad bonos mores valeant, & poſſint malis Chriſtianis ruborem afferre. Habet tamen ſuum in loco fructum etiam talium hiſtoriarum non nulla cognitio, & varia poſſunt incidere tempora, quibus pro rerum, & auditorum ſtatu, dictionis ſumma vis ex memoria veterum annalium pendeat. Nam S. Baſilius orationem ad iuuenes totã fere ex antiquorum ſapientia Ethnicorum contexuit, vt ea potiſſimum diceret, quæ audientium ſtudijs maximè congruebant, veruntamen nos, eo parcius vtemur alienis, quo magis & noſtris, & longe melioribus abundamus. Præſto enim ſunt Eccleſiaſticarum rerum ſcriptores egregij, vt nulla ſit neceſſitas, quod ſuppetit domi, foris emendicare, In his tamen adhibenda eſt diligentia, vt ex probatiſſimis quibuſque authoribus hiſtorias ſacras petamus, vt ſunt Euſebius Pamphili cum Ruffino, Caſſiodorus, qui tripartitam congeſſit ex Theodoreto, Sozomeno, Socrate, Nicephorus, Victor Vticenſis, Beda, Sigisbertus, & alij. Rurſus adhibenda eſt prudentia ipſis narrationibus afferendis, Aliqua enim non ſunt populo proponenda; ne offendant: Aliqua non ſunt imitanda. Aliqua ſunt particularia, non vniuerſalia, quædam in certum finem facta ſunt propter aliquã occaſionem cum certis conditionibus, quæ ſi mutentur, vt ſæpè contingit, non erit probandum id, quod narratur. Inter hos autem, ſcriptores, Annales ſuos tam copioſè, & erudite conſcripſit Illuſtriſſimus, ſimul ac pijſſimus Cardinalis Baronius, vt multas Concionatori opes ſint ſuppeditaturæ, apud quem omninò videndum eſt de ſcriptoribus illis iudicium, atque cenſura, vt ſciamus quantum cuique authoritatis ſit tribuendum. Neque ſolum antiquas hiſtorias, ſed etiam recentiores afferat; experimento enim nouimus aliquam

Hiſtoriæ quales afferẽdæ.

Digitized by Google

quam narrationem ex his appositè allatam a Concionatore, magnam in animis audientium excitasse commotionem. Nam sicut veteribus inest veneratio antiquitatis, ita recentioribus inest gratia nouitatis; Curet autem, vt quæ affert sint valdè certa, habeantq; idoneum authorem, nec miracula, vel exempla narret, quorum possit esse dubia fides, & veritas.

Expectabit aliquis vt de fabulis dicam, quas etiam oratori suo notas, sæculares magistri volebant. Breuiter ita mihi videtur, Apologos quidem non esse omnino prædicatori repudiandos, extant enim etiam in sacris literis quidam, & apud sanctos Patres aliquando vsurpati; sic Naz. affert apologum de Echo contra mulieres: sic Greg. Niss. suadet Christianis ne Christi nomen factis ementiantur, ex Apologo simiæ quam pręstigiator in saltatricem exercuerat, natura occultata: quæ tamen proiectis in orchestram à spectatore quodam bellarijs, oblita saltationis, & plausuum ad ea cucurrit, & ne impedimẽto esset persona, vnguibus eam dilacerauit, atque ori detraxit; sic Theod. in Michæam, calamitatem populi Israelitici demonstrat ex fabula filiarum Syrenarum. Sunt huiusmodi Apologi accommodati multitudini erudiendæ, quales multi sunt apud Aesopum; fabulas autem poetarum numquam nisi fortè cursim interdum, atque contemptim attingendas puto. Illud certè vir doctissimus Caietanus præcipit, non esse in his sensum mysticum perquirendum, Nam cum S. Thom. docuisset, eamdem rem posse per signa diuersa significari, determinare autẽ quo signo vtendum sit, pertinere ad significantem, qui in rebus fidei est, Spiritus sanctus addit hæc grauissima verba. In respõsione ad primum Aduerte (inquit) quam præsumptuosa, iniuriosa, ac sacrilega sit eorum solertia, qui proprias, aut poetarum similitudines, tanquam spiritualium simulachra, interpretantur, scribunt, aut prædicant, vsurpant enim officium Spiritus sancti, cuius iudicio res aliquæ institutæ sunt, in figuram, aliarum, dicente Apostolo omnia in figuram contingebant illis: vilificantque sacram scripturam, dum ex tali fictione occasionem dant credendi, quod similiter humano spiritu sunt figurata ea, quæ sunt in sacris literis, quemadmodum hæc, quæ audiunt humani dexteritate ingenij coaptata, & sic multum authoritatis sacræ scripturæ figuris detrahitur.] Ita Caiet. ex his facilè est intelligere, religioso magis conatu, quam secundum scientiam; Bereorium, pium alioqui, ac doctum virum huiusmodi allegoricas interpretationes, quandoque in quibus-

De fabulis quid sentiendum.

Opusc. 1.

Caietani optima sententia.

3. p. q. 60. art. 5. ad 1.

Digitized by Google

dam vanis, atque ridiculis figmentis rimatum esse; quod idcirco solum monuerim, ne ad eas, aut similes ineptias Concionatorum aliqui per imprudentiam adhæreſcant, & tamen alioqui prædictus ſcriptor his demptis, multa in ſuis libris colligit, quæ prudentem Concionatorem iuuare poſſint.

Rerum politicarum cognitio etiam vtilis.

Poſtremò addendum eſt, rerum Ciuilium ſuæ prouinciæ, & negotiorum politicorum, contractuum, conſuetudinum, ſtatuũ diuerſorum aliquo modo peritum eſſe oportere Verbi Diuini doctorem, vt intelligat, qualis ſit, vel eſſe debeat æconomica diſciplina pætrum in filios, ac familiam, coniugum, dominorum: quis modus fori Ciuilis, ac iudiciorũ habeatur, & actionum forẽſium, debet noſſe munia magiſtratuum Eccleſiaſticorum, Iudicum, nobilium, militum, mercatorum, artificum, ruſticorum, iuuentutis, puerorum, ſenum, neque id mirum cum ſit communis quidam magiſter. Itaque cum ſæpè horum mores, ac vitia debeat corrigere, niſi veram notitiã habeat, multa dicet, quæ non debuerat, & multa quæ debuerant dici reticebit. Doctrina hæc Chriſoſtomi eſt Non ſolum (inquit) mundum, purumque ſacerdotem oportet eſſe, vt qui tali miniſterio dignus habitus ſit, ſed etiam imprimis prudentem, atque adeo multarum rerum prudentia inſtructum, ornatumque in tantum, vt ſecularia, mundanaque omnia nihilò minus noſcat quam norunt ij, qui in media hominum turba verſantur. Rurſus rerum omnium mundanarum ſecurior viuat, quam monachi ij, qui montes ipſos habitandos occuparunt, nam cum illum neceſſe ſit eorum hominum conſuetudine, & congreſſione vti, qui & vxores habent, & liberos alunt, & ſeruos poſſident, quique & diuites admodum ſunt, & publicè negotiantur & potentia pollent, certè varium eſſe conuenit, varium autem dico non ſubdolum &c. ſed magna tum libertate, tum fiducia plenum]. Proderit præterea hæc peritia Concionatori, vt iudicet quid; & quantum, & qua moderatione ſit loquendum, qua vrbanitate, ne abſurdè, ne ruſticè, ſed cum modeſtia, & fructu agat. Etiam rerum naturalium, atque adeo artificialium cognitio in Concionatore exoptanda eſt: quia ex naturis rerum, & operibus artium multæ ſolent, compatationes accommodatæ afferri, multumque venuſtatis affert orationi, ſi prudenter vtatur, interdum qui dicit, verbis, ac locutionibus in arte vſitatis, vt ſi loquatur de nautica, militari pictura, moribus quibus nautæ, milites, pictores vtuntur, dixi id habere venuſtatem, ſi fiat prudenter, & interdum, quia ſi temerè fiat ac paſ-

l.6. de Sac.

ſim

sim habet affectationem, & curiositatis leuissimæ indicium, ac ostentationem extra rationem, nam viri graues vulgariũ rerum malunt videri rudes, quam prudentes, multoque magis orationem seriam, & sacram decent voces quædam cõmunes, ac genericæ, ea tamen cognitio quam dixi repudianda nõ est, quia & in loco habebit approbationem talium vsus vocabulorum, & aptius communia vsurpare poterimus cum cognouerimus propria. Ad hanc autem Ciuilium rerum, quas diximus peritiam iuuabit experientia rerum, vel saltem communicatio cum peritioribus, vt cum de eis loquitur, non omnino appareat imperitus. Video multa me exigere ab eloquente nostro; sed rerum quas tractat grauitas, & muneris amplitudo, non potest absque hoc tanto tamque multiplici instrumento consistere. Nam quamquam nos neutiquam sophistam informamus, qui de re quacunque proposita profiteatur, se vel ex tempore in vtramque partem dicturum, instituimus tamen Euangelicum præceptorem morum, totius Christiani populi magistrum. Sacrarum literarum, & diuinorum mysteriorum enarratorem, neque eum ieiunum, & aridum, sed facundum, & audientium animos ad virtutem, & sanctitatem incitantẽ, errores redarguentem, exterminantem vitia, & alia eiusdem modi, quæ sanè qui rectè consideret etiam hoc tanto, quantum nos exigimus apparatu, tractari pro dignitate vix possunt. Nec pauciora sancti Patres exposcunt vt facilè videre erit, si quis totum hoc opus percurrere voluerit, nunc addamus quod in Conc. Colon. habetur; Nemo (ait) erit concionator absolutus, cui præter vitam exemplarem non adsint quæ sequuntur, scilicet cognitio scripturarum vtriusque Testamenti; Ingenium velox, solers, atque versatile, Eloquentia vehemens suadibilis, ac suauis, nec minus temperata, quàm copiosa, prudentia rerum, ac personarum docendarum experientia multiplex, immobilis constantia. Denique spiritus, qui si deerit reliquis donis parum profecerit; non enim vos estis qui loquimini; sed spiritus Patris vestri; Audiat item orator noster quid ei laboris & oneris imponatur ab Ecclesiastico Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit, ideſt habiet sapientiam ex veterum scriptorum lucubrationibus, vt apis quæ vndique flores ad mel conficiendum colligit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, ideſt non suo ingenio fidet in scripturarum lectione, sed enarrationes celebriũ, ac magni nominis virorum. Sequitur in versutias parabolarum

Multiplex notitia Oratori Christiano necessaria.

Cap. 8.

Explicatur locus. *Eccle. 39.*

rum simul introibit, hoc est argutias, & obscuritates reconditarum sententiarum inuestigabit diligenter, quod clarius repetit more scripturæ, fabdens occulta prouerbiorum exquiret & in occultis parabolarum conuersabitur, in medio magnatum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit, & in terram alienigenarum gentium pertransiet, significat sapientem, ex multa locorum, personarum, & negotiorum varietate experientiam captare, quæ ad sapientiam valeat plurimum, ideo cum magnatibus versatur ad exteras nationes, transit sicut 3. *Reg.* 10. Regina Saba ad audiendam Salomonis sapientiam venit. Et Moyses Aegyptiorum sapientia fuit eductus. ideo subdit Bona enim, & mala in omnibus tentabit, omnia experietur, & eo modo fiet prudens, ac sapiens. Denique subdit id in quo summa consistit. cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, à quo suscipiet, vt tanquam copiosos imbres emittat eloquia sapientiæ suæ ad irrigandas terras populorum aridas, & manifestabit disciplinam; Prudentiam autem adhibebit his rebus addiscendis, & nequaquam existimet sibi per diuersa loca otiosè vagandum, neque in his curiositatem pascendam, vt quidam faciunt, sed modestè ea inquiret & à peritioribus addiscet, quæ ad pias doctasque conciones, & veræ pietatis fructum per opportuna videantur.

De præexercitamentis quæ ad benè concionandum iuuant, ac primo de Arte lectione & Auditione.

Cap. XIV.

POst ea, quæ de officio, de virtutibus de scientia nostri Oratoris dicta sunt, placet aliqua præexercitamenta, seu progymnasmata hic adiungere, quæ possunt plurimũ adiumẽto esse ad Euãgelicam, & ecclesiasticam dictionem comparandam, quibus Christianum oratorem antequam in publicum exeat, exerceri deceat, vt autem res tota prius, quasi in tabella describatur: Assero ad bene concionandum tria omnino concurrere, præter spiritũ, ac virtutes scilicet, naturam, scientiam, idoneam, & artem. Ad artem autem confirmandam, & reuocandam in vsum multa sunt adiumenta, quæ possunt communi vno exercitationis nomine comprehendi, cuiusmodi sunt, Lectio, non quorumcunque authorum, hoc enim ad scientiam pertinet, de qua iam diximus, sed Oratorum id est Concionatorum, seu antiquorum, seu recentiorum, in quibus tanquam

Artis adiumenta.

in

in exemplari mortuo cernitur vsus artis, Auditio prædicatorū in quibus tanquam in viuo exemplari apparet expressa ars; Præterea cogitatio imitatio, scriptio, declamatio, cui adiunctus est monitor, seu institutor, & vsus ipse verè cōcionandi, denique diligentia, quæ non tam nouam exercitationem affert, quam omnia acuit, & maximè perficit. Hæc autem sunt quæ artem sequuntur, & requirunt iam cognitam: omnino enim manifestum est neminem vtiliter posse aut legere ad obseruandum præcepta, aut obseruare dum audit, aut cogitare, scribere, declamare, nisi iam artis præcepta, norit. Quare prudenter Fab. de his agit, lib. 10. sicut, & à me in calce secundæ partis potuissent, hæc ipsa tractari, post eas quæ ibi afferūtur artis præceptiones. Sed quia quē nos instituimus, iam ponimus vulgarium Rhetorum præceptis imbutū, placuit hoc loco de his pauca agere, vt pars secunda tota relinquatur obseruationibus circa artem: hic autem omnia, quæ sunt aliquomodo extrinseca arti, vbi de ipsius Concionatoris agitur persona, describamus. Igitur singillatim, quæ vniuersim delineata sunt percurramus, & quidem de Natura alibi dictum est, vbi de Vocatione, deque talento, ad concionandum necessario loquuti sumus. Nunc illud solum dico, certissimè statuendum quod & Rhetores seculares in suis ponunt institutionibus parum, aut nihil ad eloquendum profutura, quæ ex arte proponuntur subsidia, nisi adsit natura saltem mediocriter idonea. Hæc enim est quæ excoli ac perfici debet quæ si valdè repugnet, frustra niteris, quemadmodum si arenam, aut saxum, velis excolere. Verum sicut ager sumpte spontē pinguis, ac fertilis, nisi excolatur inutiles herbas profundit; at vbi cultura accesserit, optimas cultori fruges, easque vberes reddit; Ita plane artem, posita idonea natura, necessariam esse dicimus, non solum ad extirpanda vitia, sine quibus nemo nascitur, sed etiam ad perficienda ea semina, quæ sunt nobis ingenita. Primi quidem euangelicæ doctrinæ prædicatores, fere huiusce artis præceptionibus caruere; quippè ijs, quos cœlesti sapientia Spiritus sanctus imbuerat, superuacuæ erant humanæ disciplinæ. Hac tamen tempestate hæc quæ supra communem ordinem fiunt, si quis expectaret perinde faceret, atque si, quoniam Deus in solitudine Manna Hebræis de Cœlo præbuit, cum iam in Terram venissent lacte, ac melle manantem, nollet ad hæc colligenda suum laborem adiungere. Planè enim tentare Deum videretur, qui non vult contemni naturæ dona, quæ ipse dedit &

Natura Idonea.

nostram requirit industriam. Sanè multa habet secularis Rhetorica, quæ Christianis Oratoribus præclarè conueniunt, ac sanctos ipsos Patres planum est, ea egregiè præditos fuisse, & suo loco ad Dei gloriam vsos. Illud quidem fugiendum est vitium non artis, sed hominum, qui hanc artem putant consistere in verborum lenocinijs, & delectatione aurium, & quadam inani strepentium volubilitate verborum, iamque ad templa, & conciones Ecclesiasticas ea detulerunt, quæ potius leuissimorum sunt Poetarum: & quæ prophanorum etiam oratorum cordati, & graues vel in rostris, & foro, & causis Ciuilibus reprehendunt. Cæterum hoc prauo vsu vitato, non possumus nos in hac institutione, non aliqua etiam multa accipere ab his dicendi magistris, & ad nostras accommodare conciones, ea tamen conditione, vt nemo scrupulosè credat solidum Concionatorem Rhetoricæ humanæ præceptionibus alligatum esse, sed magis Dei Spiritum debere sequi ducem, præsertim cum eiusdem artis præceptum sit, teste Fabio illas præceptiones non esse vti leges immutabili necessitate cõstitutas, quasi semper eodem modo sit texenda oratio. Duo enim hæc ars (eodem authore) docet aduertenda, & quid deceat, & quid expediat, sæpè autem expedire docet, vt muteretur, & varietur pro temporis, ac loci vsu, orationis figura. Itaque placet vt futurus concionator, non solum adolescens artis oratoriæ præceptionibus diligenter animum adiungat, sed etiam præcepta ad vsum conferat, vt aliquam in dicendo prudentiam, & copiã acquirat suo tempore concionibus sacris ad populos valde vtilem futuram, & vt ancillam eloquentiæ diuinæ, Christoque ministraturam. Quæ autem propriè ad sacram hanc facultatem pertinent, cum alij tradidere, tum nos cum diuina gratia pro nostra tenuitate toto hoc labore persequimur; & huic vni rei tota secunda pars peculiari nomine deseruiet; sed quod ad eas exercitationes pertinet, quæ artem in vsum reuocant, de quibus nunc agimus, illud Oratori nostro aptissimè cõuenit, quod de suo Cicero asserit. Quoniam inquit dicendi facultas non debet esse ieiuna, atque nuda, sed aspersa, atque distincta multarum rerum iucunda quadam varietate. Est boni Oratoris multa auribus accepisse, multa audisse, multa animo, & cogitatione, multa etiam legendo percurrisse, explicat hæc Tullius, aptissimo simili, subacto, inquit, ingenio mihi est opus, vt agro non solum arato, sed nouato, & iterato, quo meliores fructus possit, & grandiores edere. Subactionem hanc, quam Cicero exigit,

Ars quantum necessaria.

2. de Orat.

gie, multa exercitationum genera comprehendit: huiusmodi sunt quas supra nos attulimus, legere, audire, imitari, cogitare, scribere, declamare, ex his quasi fontibus facundiam hauriat necesse est, ne sit ieiunus, & aridus.

Et quidem de lectione in generali sufficiunt ea, quę supra cum de studio, ac lectione Sanctorum Patrum ageremus, dicta sunt, vnum tamen hic addere libet de legendis nominatim concionibus, quarum multa non desunt volumina, tum apud Sanctos Patres, & alios antiquos Doctores, tum nostrorum temporum, vel impressione vulgata, vel scripto mandata. In his inquam legendis magnus debet adhiberi delectus: Quidam enim eas conciones manibus terunt, earumque lectione delectantur, quæ composito stylo, ac numerosis periodis, & selectorum verborum copia abundant, denique quæ delectationem magis quam fructum habent. Alij verò in eorum concionibus legendis libenter occupantur, qui toti sunt in docendo, & multiplici doctrinarum apparatu, ac varietate sententiarum, orationem implent, neque tamen ad motum nisi valdè parum aut persuasionem feruntur. Ego eas libentius arbitror exemplaria, quæ in motu magis quàm in delectatione, doctrinave excellunt, & quæ ad mores Christianos imprimendos, ac suadendum aliquid, semper tendunt, in quarum lectione concitatio quædam, & feruor eminet, etiamnum in chartis mortuis viuit, ac spirat. harum ego lectionem arbitror nobis assuescentibus vim quandam addituram ad similia cogitanda, & dicenda, sicut illæ, quæ vel inani quadam eloquentia fluunt, vel aridam doctrinarum congeriem continent, non valdè ad animarum conuersiones, & Christianos mores formandos vtiles sunt, & si crebrius euoluantur de suo aliquid in nobis relinquent.

Lectio concionum.

Quales conciones legendæ.

Verum quid de ijs dicemus, qui in scribendis aliorum concionibus multum temporis, ac operis ponunt? & vndecunque possunt, etiam ex remotissimis locis curant eas sibi transmitti conciones ibi habitas, totumque studium, ac curam in eo collocant, vt ingentem horum scriptorum cumulum sibi coaceruent, ac deinde ex varijs diuersarum concionum coagmentatis fragmentis suas componunt, & habent? Certè non video, quomodo iure possint reprehendi, qui aliorum vtiles labores, & optima opera, si quæ inuenerint norent, & apud se conferunt, vt aliorum diligentia in hac facultate proficiant: sed vt totum ingenium, & ætatem in exscribendis aliorum declamationibus, & tractatibus accumulandis infumant, tam parum autem

De his qui scribendis aliorum concionibus occupantur.

autem operæ in euoluendis sanctorum Patrum lucubrationibus egregijs, & in diligenti meditatione sacrarum scripturarum, & in conatu per seſe aliquid depromendi neminem arbitror qui iudicio polleat probaturum.

Auditio bonorum Concionatorum.

Secundo auditio eruditorum virorum, qui sacras scripturas in scholis, aut in templis explicant, & bonorum Concionatorum affert magnum doctrinæ, laborisque compendium; breui enim consequimur, quod longo temporis spatio, longoue vsu, esset discendum, breuique hora percipimus, quæ is, qui disserit multis diebus elaborauit, sunt audiendi viri docti, & prudentes, senes, probatique concionatores, qui ad cor loquuntur, & habent in dicendo vim, ex quibus eodem tempore multa discuntur. N.B. Pater Ignatius in constitutionibus vult à nostris hos concionatores audiri, quo rectam probatamque dicendi viam addiscant. Est verissima Augustini sententia si ex consuetudine loquentium fiunt homines loquentes, cur ex consuetudine eloquentium non fiant eloquentes.] Eloquentes autem vocat, qui & efficaciter ad persuadendum, & sapienter dicunt.]

4. de Doct. Chr. c. 3.

De Imitatione & modo imitandi. Cap. XV.

SEd tam lectio, quam auditio ad Imitationem dirigitur, & imitatione perficitur, quæ ad bonam eloquentiam comparandam strenuè viam aperit. Audi Aug. Is (ait) qui non solum sapienter, sed etiam eloquenter vult dicere ad legendos vel audiendos, & exercitatione, imitandos eloquentes, eum multo libentius quam magistris artis Rhetoricæ vacare præcipio, si tamen hi qui leguntur, & audiuntur non solum eloquenter, sed sapienter dixisse, vel dicere veraci prædicatione laudantur: qui enim eloquenter dicunt, suauiter, qui sapienter, salubriter audiuntur: sicut autem sæpè sumenda sunt, & amara salubria, ita semper vitanda est pernicioſa dulcedo, sed salubri suauitate, vel suaui salubritate quid melius?] Hæc Aug. quæ & ille vidit, qui dixit Omne tulit punctum, qui miſcuit vti le dulci, & idē Aug. Si (inquit) acutum, & feruens adsit ingenium, fęlicius adhęret eloquentia legentibus, & audientibus eloquentes, quam eloquentiæ præcepta sectantibus.] Cum enim tria sint, quæ Rhetores pręcipiunt eloquentiæ studioso, ars, imitatio, exercitatio, facilè crediderim imitationem præcipuum locum obtinere. Sed duo hac in parte seruāda esse Ci-

l. 4. de Doctr. Christ. cap. 5.

l. 4. c. 3. de Doct. Chr.

2. de Orat.

pruden-

Digitized by Google

prudenter docet, vbi agens contra quemdam, qui dupliciter in imitatione peccauit hæc ponit, Nec deligere sciuit, cuius potissimum similis esset, & in ipso quem delegerat imitari etiã vitia voluit, & subdit, qui autem ita faciet, vt oportet, primum inuigilet necesse est in deligendo, deinde quem probauit, in eo quæ maximè excellunt, ea diligentissimè persequatur.] Itaque primum est, vt curet bonos Concionatores audire, quales August. paulo ante demonstrauit, non eos qui aridè, insulsè, aut inepte loquuntur, vel eos qui quamuis ornatè, & erudite dicant, non tamen cum pietatis ardore, ac spiritu, neque cum animarum fructu dum vanam sectantur facundiam, & curiosas quæstiones, licet acutas tractent, vel varietate rerũ doctrinam ac memoriam venditant vel celeritate, ac volubilitate sermonis, diserti oratoris nomen aucupantur. Hæc planè vitia sunt reprehendenda in Oratore Christiano, non imitanda nisi ab eo, qui non Christum quærit, sed se ipsum: quemadmodum nec imitandi, qui vbique clamores edunt sine causa, qui digitis potius, quam ore loquuntur qui corpus huc illucque agitant, & iactant. Hi profecto omnes, nec imitandi, nec libenter audiendi sunt, à veræ eloquentiæ candidato; nam facilè est ex vitijs aliquid adhærere. Ego libenter eos audiam qui ex corde sensa, & verba promentes cor audientium petunt; eos qui vt ait Bern. mihi planctum non sibi plausum excitant. Qui nam imitandi.

Cum igitur Tyro noster aliquem inuenerit, qui viris bono iudicio pollentibus, & æque pijs probetur, diligenter singula notet, quæ in eo excellunt; in rerum delectu, ac dispositione, in elocutione, in voce, ac gestibus. Animadertat quæ sint ea quæ maximè moueant, quæ fructum faciant, & in se quantum fas erit exprimat. Notet rationem, ac modum dicendi cum affectu, & efficacia, pronunciationem familiarem in loquendo, prudentiam, & in arguendis peccatis vim, stylum Ecclesiasticum grauem, ac simplicem, actionem moderatam, genera dicendi varia suo loco & tempore vsurpata, modum in exclamationibus, & clamore cum opus est vehementi. Artem applicandi ad particulares populi mores quæ dicuntur, & huiusmodi alia. Quæ imitanda.

Secundo adhibenda est magna prudentia, vt imitemur ea, quæ sit nobis facilè assequi, non enim quod vni est optimum, alijs item erit, nam consideranda est natura cuiusque ingenium, vires, facultas. Quint: rectè docet; Errorem esse sese totum in alios transferre, Ars & imitatio, naturam cuiusque perfi- Imitatio debet sequi naturam suam. *l. 10. c. 2.*

perficere debent, repugnante natura frustra imitaberis, & cum vitio, quem assequi non potes, Consule vires ait idem Fab. in onere suscipiendo, non natura nobis, sed nos naturæ debemus parere: quæ vero bona sunt, & nostris viribus, & facultati consentanea, non solum imitari debemus, sed etiam eadem augere, & ad perfectiora, Dei ope, ac diligentia nostra aspirare, & possumus & debemus. Pusilli est ingenij, aliorum opera esse contentum, ac nimis timida imitatio est, quæ nihil audet sine authore. Videmus pictores, cum exẽplar aliquod sibi proponunt addere de suo, & ad meliora niti etiam in ipsa imitatione. In omni etiam arte, quotidiè res nouæ inueniuntur, & ad maiora semper fit progressus. Illud præterea vehementer moneo, vitandas etiam quorundam inceptias, qui se planè ridiculos faciunt, dum insignis cuiuspiam viri, volunt omnia ad viuum tanquam simiæ & sono vocis, & gestu, aliisque modis referre, vt populus hæc facilè intelligens, quæ in authore probat, contemnat, rideatque in histrione.

Imitatio per ficienda.

De his qui aliorum conciones recitant.

Ad calcem horum adijcio, quid iudicandum sit de his, qui non tam imitantur, quam aliorum conciones, vel ex magna parte, vel totas assumunt, & tamquam suas à suggestu pronunciant. Certe non deberent adeo animum despondere, vt more quorundam inopum faciant, quibus, cum nihil sint domi habeant, diebus festis non licet prodire in publicum, nisi vestibus commodatò acceptis, quas si Domini repetant, maneat quisquis ille est, vt implumis auis; & moueat cornicula risum furtiuis nudata coloribus. Neque tamen hac in re ita sim rigidus, vt aliquid non concedam, sunt enim aliqui satis à Deo, & natura, ad agendum cum efficacia, & vtilitate, coram multitudine instructi, quibus tamen ea deest ingenij facultas, vt per sese valeant excogitare, quæ dicant vel disponere vt decet, his licebit aliorum peritorum opera, & lucubrationibus vti, modò si non ingenio, iudicio tamen satis valeant, his concedit D. Augustus. vt ab alijs sumant sapienter, & eloquenter conscriptum, memoriæque mandent, & ad populum proferant, si eam personam gerunt, non improbè faciunt, sic enim ait, Multi prædicatores veritatis fiunt, quod profectò vtile est, multi magistri, si vnius veri magistri imitatores facti id ipsum dicant omnes. [Nec deterrendi sunt ij per illud Hierem. per quem Deus arguit eos, qui furantur verba vnusquisque à proximo suo, qui enim furantur alienum furantur; verbum autem Dei non est alienum ab eis. Illi verè dicuntur furari Dei verbum, qui boni videri

De Doctr. Christ. lib. 4. c. 29.

Cap. 23.

videri volunt, loquendo quæ Dei sunt, cum ipsi mali sint, sed hoc loco duplicem cautelam velim adhiberi. Primo, vt neque se socordiæ dedant, omittentes studium sanctorum Patrum, & scripturæ, atque vtilium librorum, ex quibus nemo est tam infelicis ingenij, quin multa possit colligere, quæ autem quisque proprio studio consequitur ea maiori efficacia proferre solet, quam aliena. Secundo qui aliena concione vtitur, ita eam perfectè contempletur, & possideat, vt tanquam suam, & e suo natam ingenio ad alios referat, ac videatur author potius quam actor.

De Cogitatione ac scriptione. Cap. XVI.

QVarto loco occurrit Cogitatio, quæ non est aliud, quam mentis commentatio, cum secum animus versat, vel quę legit, & audiuit, vel quæ ipse noua suo ingenio cudit. Qui multum *in studijs*, & concionibus volunt proficere, multi sint in commentatione, hæc est enim veluti calor naturalis stomachi, cibum in aliti naturam conuertens. Habet & peculiarem commoditatem cogitatio, quæ exercitationibus alijs non adest; Nam lectioni auditionique, & scriptioni, non semper locus, aut tempus suppetit. Cogitatio vbique, ac semper in promptu est in ipsis noctis tenebris, cum intermissus est somnus exerceri potest. Inter negotia & actus diurnos inuenit sibi aliquid vacui, nec excluditur à mensa, & ambulatione in qua sæpè etiam incitatur. Nec pauci more Peripatetico ideſt inter deambulationes multa commentantur egregiè, & hoc modo paraturi cõcionem, & inueniunt, & inuenta disponunt, elocutionemque, & verba adhibent, vt nihil præter manum desit. Freti etiam quidam memoria scribere non curant, sed nisi memoria excellat, magnus est cogitandi labor; Nam memoriam multum scriptio adiuuat, & ipsam item cogitationem, cui multum adimenti consuetudo dabit. Non enim statim ad hanc vim cogitandi quiuis poterit peruenire: Primo calamus exercendus, tum assumendus cogitationis vsus moderatè initio, vt pauca primum animo complectamur, deinde augenda paulatim, eoque nonnullos peruenisse docet Cic. vt quæ cogitauerint, ad verbum in agendo retulerint. Id autem neque concionatoribus nouis audendum est, neque ijs qui memoriæ felicitate non gaudent.

Scriptio quã tum iuuet.

Scriptionem, inter ea quæ ad rectè dicendum viam aperiunt maxi-

Cic. 1. de Orat. maximè laudat Craſſus, vbi etiam triplicem eius vtilitatem explicat, & ſtylum vocat effectorem optimum, & dicendi magiſtrum. Sunt autem hac in re tria Oratorum, ſeu Concionatorum genera. Aliqui ex tempore dicere contendunt; Nonnulli, quæ dicturi ſunt, prius cogitant apud ſe, & tacita commentatione mentis inueniunt, diſponunt, elocutione veſtiunt, etiamſi nihil ſcripto mandent. Alij præterea ſcriptionem adhibent, & calami induſtriam. Primum genus meritò à viris grauibus reprehenditur, & Fabio videtur, id eſſe in multis peruerſa ambitio, vt eruditi alijs videantur, quod ex improuiſo dicere poſſint, qui (vt verbis vtar eiuſdem) dum ſtultis eruditi videri volunt, ſtulti eruditis videntur.] Et planè magnum eſſe diſcrimen inter eos Oratores, qui ex tempore loquuntur, & eos, qui prius calamo diligenter exornant, quæ dicturi ſunt, ſatis patet, ſicut Terra (ait Fabius) altè defoſſa generandis, alendisque ſeminibus fœcundior eſt, ſic quæ prius adhibito ſcribendi labore, elaborata ſunt, in auditore ad optimam frugem excreſcunt; Quidam etſi non ſcribunt, cogitant tamen diù, multumque antequam dicant, ſed placet hic Craſſi iudicium in medium afferre. Quantum (inquit) ſubitam orationem, ac fortuitam, cogitatio, & commentatio vincit, tantum commentationem aſſidua ſcriptio, ac diligens ſuperabit. Habet autem inter cæteras vtilitates, quas eo loco Tullius refert, ſcriptio & hanc, vt habeat paratas opes, quaſi in quodam ſanctiore ærario reconditas, quas ad vſus quoque ſubitos, cum res exigat, proferre queat. Nam ſæpè incidunt tempora, cum opus ſit concionem habere extemporaneam, nec vllum adſit cogitandi, nedum ſcribendi ſpatium, tunc non cogetur imparatus dicere, qui depromere e ſuo codice quidpiam poſsit, quod antea per otium ſepoſuerit.

Quint. lib. 10. c. 7.

1. de Orat.

Scribendi modus.

Quantum verò ad ſcribendi modum, ac diligentiam pertinet optimum illud præceptum ipſorum Rhetorum erit, vt initio nimirum aſſueſcant Tyrones in hac facultate cum aliqua mora, & ſolicitudine id præſtare, ac fugiendam eſſe intelligant celeritatem, quam vſus deinde afferet, nam citò ſcribendo nō fit, vt benè ſcribatur: benè autem ſcribendo fiet, vt cito. Duplex etiam notari poteſt in hac re quorundam vitium. Vnum eorum, quibus omnia ſua placent, quodque ſtatim occurrit id ſtatim probant. eorum alterum, quibus nihil placet rerum ſuarum, nec eſt facilè dicere, vtros credamus validius peccare illoſne, an hos? ſcriptionem primam debet ſequi, ac perficere

Duplex vitiū in ſcribendo.

cere ſeuerius adhibita emendatione iudicium : ſemper enim ſecundæ cogitationes meliores:Hæc autem emendatio non eſſet continuò adhibenda, ſed expectandum aliquantum temporis ſpatium,dum ſcriptionis calor, & impetus deferueat,vt ad recognitionem tanquam ad alienum opus mentè tranquilla ſe referat. Nam ſi ſtatim recolantur,periculum eſt, ne tanquã recentes fætus nobis blandiantur. In emendatione emineat animus, totumque, ac partes ſingulas circumſpiciat: adijciat quædam vbi opus eſt, nonnulla detrahat, alia mutet, confuſa digerat, attollat humilia,tumida exacuat, diſſoluta cõponat. Quibus etiam in rebus ſcriptio ſit exercenda Rhetores prudẽter oſtendunt, non deerunt Tyroni noſtro, vbi ſe exercere voluerit variæ materiæ in diuerſis concionum generibus, de quibus inferius agemus. Non deerunt theſes, & hypotheſes, non ſententiæ, locique communes, amplificationes ad perſuadendum, & varios animorum motus ciendos.

An ſcribenda ad verbum concio. Cap. XVII.

CEterum de concionibus ipſis quas publicè quisque habiturus eſt,dubitaui perſæpe vtile ne eſſet Tyronibus totas ad verbum, vti habendæ ſunt, ſcribere. Nam quamuis Rhetores hoc in dubium minimè vocent quin etiam maximè hoc præceptum ſcribendi commendent, vt dictum eſt, tamen dubitandi rationem peculiarem, vſus magiſter rerum omnium optimus fecit: Animaduerti enim quoſdam ex his qui diligenter ſcriberent, quicquid erant dicturi maximo artificio, & nitore verborum orationem numeroſam pertexere, & figuris illuminare, cum hæc pro ſuggeſtu proferrent,frigidos videri, & aridos, præſertim quod ita pronunciarent vt ſcripſerant, ob id enim operosè ſtylũ exercent,alioqui quorſum ille labor? grauẽ ipſemet Concionatorem audiui, qui dum inueheretur in vitia ita præſcriptis verbis, atque compoſitis vtebatur, vt palam quiuis intelligeret opus elaboratum, ac factum, Id autem non frigidam modo reddebat obiurgationem, ſed penitus eneruatam, & inutilem, dum populus magis verba quam res attenderet, quid autem abſurdius quam dum animi negotium agitur, ludere, & dum ſuã peccatori turpitudinem velis ingerere, tuum oſtentare ingenium? cum debes ferire cor, auriculas demulcere? inferius autem apertè oſtendemus cõcionatoris orationem non magna egere compoſitione, nec exquiſito nitore ver-

In eos qui ad verbum recitant quæ ſcripſerunt.

verborum; Alios etiam comperi ex recentioribus, qui vbi aliquam rerum quasi syluam collegerunt, ex his orationem ita componunt, prout in buccam venit, & quia non sunt ad benè scribendum exercitati, currente calamo implent pagellas, & copiosè quidem, sed verbosè multa scribunt, sine proprietate verborum, sine rerum delectu, rebus vulgaribus, & contritis confarcientes conciones quas vt ingenij sobolem propriam diligunt, nec lima deinde perpoliunt, sed easdem cum tempus recurrit ad populum habent, cum tamen eæ sint quæ facilè ostẽdant, nec a perito, nec ab accurato scriptore confectas. Ipse vero vsum scribendi; quem tot viri graues commendant, non reprehendo, verum consulerem, vt qui solent nimis compositè, scribere, abstineant ab hoc inani, & superuacuo labore, cum etiam teste Arist. cum Cicerone, hic ornatus artificiosus tollat vim rebus ad persuadendũ, alios vero parum exercitatos in scribendo monerem, vt ne assuescant principio maximè singula ad verbum scribere, quæ dicturi sunt, ne interdum si quod verbum ex membrana non succurrat, hærere, & interstistere cogantur, & minuatur vis agendi, & calor affectus, dum attentionem dinidunt, & ad memoriam se singularum alligant vocularum.

In scribenda cõcione prudẽtia qualis.

Non igitur totam authore me concionem vernacula scribẽt lingua, sed solum grauiorem aliquem locum, amplificationes, aut descriptiones graues, neque vt totidem verbis mox agant, sed vt pro rei grauitate facilius elocutio apta præstò sit, Reliqua vero vel latinè, vel vt libitum fuerit summatim excipiant, præcipua capita, testimonia sacræ scripturæ, exempla, argumẽta, & similia horum notantes; Vtrisque verò id suaserim, vt in scribenda; seu componenda concione, ne industriam collocent in exacto stylo, in artificiosa compositione, & exquisita verborum inuentione, ac phrasibus, sed magis in proprietate verborum, rem quam volumus exprimentium cum emphasi, in scripturarum vtili expositione, & accommodatione ad mores, in affectibus excitandis, in efficaci amplificatione, in arguendis peccatis cum grauitate, & prudentia; Denique vt summam inuentionis seu rerum, seu verborum referant ad quidpiam nominatim persuadendum, ad vitium aliquod extirpandum, ad conuersionem improbi alicuius, ad bonos in virtute roborandos.

Non eædem semper Conciones repetendæ.

Ad eandem scriptionem etiam hoc consilium pertinet, vt ne noster Orator easdem semper cõciones, quas semel composuit, decantet, sed eo animum adijciat, vt aliquid noui producat,

Nec

Digitized by Google

Nec deerit vnquam materia, si vt par est studijs & lectioni librorum bonorum sit addictus, nam quæ sæpè repetita sunt frigescunt in corde, & ore dicentis, quæ de nouo inuenta, nouo animi feruore enunciantur. Præterea ipse Concionator quotidiano vsu edoctus, fit se ipso magis idoneus, ac semper in dies meliora, & vtiliora dicet, nisi se inerti otio tradens, velit etiã veteranus primis rudimentorum præludijs esse contentus: sit ergo diligens, & solers in legendis idoneis libris antiquis potissimum, verum ex ijs quoque, qui de nouo eduntur, in quibus sæpè multa tractantur, quæ nostris temporibus egregiè quadrant, poterit commodè suum locupletare thesaurum.

De vsu Declamationum. Cap. XVIII.

CVm scriptione iungendus est vsus declamationum, est autem Declamatio verarum causarum imitatio quædam, inter domesticos parietes, adhibita actione, ac voce, sicut fieri deberet in publicis actionibus. Harum vsus apud Græcos fuit antiquissimus, vt ex Platone cognoscimus, apud Romanos fere non extitit ante tempora Ciceronis, sed ex eo tempore viguit. Inter Christianos legimus D. Marcum in Ecclesia Alexandrina instituisse Academiam, in qua sese exercerent, vt fierent apti ad animarum salutem tractandam, sicut etiam tẽporibus Bas. Nazian. August. Nostris temporibus loco declamationum sunt, quæ priuatim habentur, conciones exercitationis causa, sub vno aliquo monitore. Quod genus exercitationis meo iudicio maximè futuro Concionatori necessarium, vt fiat vtiliter hæc poterunt obseruari.

Declamandi modus qualis esse debeat. Primo.

Primum varia argumenta tractentur, vt per omnia concionum genera exercitatio eat, modò proponatur laudatio, vt est inuenire apud Hieronymum: Chrisost. Nazian. Basil. Modò Adhortatio, nunc Consolatio in aduersis, nonnunquam communis aliquis locus, vt de prouidentia Dei, de vita actiua, & contemplatiua, aliquando explicanda figura aliqua veteris testamenti, & applicanda nouo, & alia id genus; Posset sæpè cõcionaturo assignari aliqua ex Euangelio, vel alio scripturæ loco sententia, quæ tractetur.

Omnia genera concionũ tractanda.

Secundo. Obseruãdus modus qui in publico.

Secundo in priuatis hisce concionibus ea ratio dicendi obseruanda est, quã obseruare oportebit in publico, cũ enim ideo fiant huiusmodi declamationes, vt sic assuescamus ijs modis quos ad populos habere necesse sit, imitatio adhibenda est eo-

Digitized by Google

rum, quæ publica requirit concio. Reprehendenda vitia populi, explicanda ea, quæ ad populi doctrinam, & cathechismum pertinent, excitandi varij affectus, & præsertim odium peccatorum, accomodanda sunt vniuersalia ad particulares mores; notanda morum deprauatio, exclamandum contra peccantes, & alia imitanda, quæ vera actio postulat.

Tertio. Dicant ad persuadédũ.

Tertio vt dicant ad persuadendũ aliquid, cum ad hoc maximè vsus declamandi inseruire debeat, exerceant triplex orationis munus. doceant aliquid, mouendis insistant affectibus. tum vehementibus, tum sedatis, & simul sit modus dicendi cum aliqua delectatione; In his exerceant varias vocum inflexiones, & (vt inter nostros vocare solemus) Tonos, & vocis varietate vtantur: Quæ dicunt, serio, & cum quadam efficacia pronũcient non frigidè, non lentè, non acceleratè, nõ quasi reddant memoriter orationem latinam, vt sæpè audiui; scripturas non multas afferant, sed examinent, & ex eis argumẽta sumant ad persuadendum, & materiam ad motum: vtantur breuissimo exordio, & epilogo ad amplificationem accommodato.

Quarto. Præscribẽdus aliquãdo certus liber.

Quarto Meo iudicio esset commodum vt qui exercendis iuuenibus in hisce declamationibus, præest, si minus semper saltem sæpè si non omnibus, saltem aliquibus præscribat librũ, in quo materia concionis esset ex parte disposita, vt non multum temporis in inuentione rerum, ac dispositione ponendum sit, sed occupentur magis qui sunt declamaturi in formanda concione, & affectibus varianda, & earum vsu rerum quas in proposito authore habent: Nec est difficilè inuenire varios sermones sanctorum vel aliorum, qui varias communes sententias & scripturas tractant, ea tamen est adhibenda conditio, vt declamator non ijsdem omninò verbis, & sententijs affigatur, sed maturè pro arbitrio, & adijcere possit & si quid melius venerit in mentem, afferre. Hoc autem adiumentum videtur mihi afferre triplicem vtilitatem. Primo qui exercentur fere assuescunt vtiliora, & meliora, dicere, quam inuenire ipsi possint, siue ob temporis breuitatem, siue ob tyrocinium operis. Deinde minus temporis in paranda declamatione insumunt, quod tempus disciplinarum, quibus plerique vacant, studijs parum opportunè detrahi solet. Postremo quod mihi videtur ad rem maximè pertinere, melius declamabunt. Nam vsu compertum est inter agendum hos, qui cum difficultate concionem parant, laborare in verbis, & rebus etiam, scripturis memoria retinendis, quippè quibus multum abstulerit temporis occupatio

Digitized by Google

patio conquirendi res, ac mentem solicitudo, & cura defatigarit: ex quo fit, vt nequeant expedite pronunciare, non dominari voci, non obtinere in dicendo libertatem, non excitare affectus, dum totum ingenium idque fessum occupant; ne desit eis materia, ne memoria fluctuet, ne hæreant inter dicendum, quæ difficultas ex parte abesset si facilius potuissent declamationem comparare.

Admonitor aliquis præficiendus.

Quinto vt hæ priuatę cõciones cum fructu instituantur, oportet præfici virum iudicio acrem, & in hac facultate quantum fieri potest peritum, præsertim vt cæteri habeant ei fidem, seque admoneri facilè ab eo patiantur, isque non defungendi muneris causa, sed seriò hoc magisterium exequatur. Semper adsit cum declamatur, & singula diligenter aduertat, non solum si quid in doctrina erratum sit, sed etiam in rerum inuentione, argumentorum vi, num certum quidpiam fuerit dicenti propositum, ad quod persuadendum, veluti ad scopum tota eius dictio ferretur, quæ fuerit forma, & ordo; An aliquem affectum suo loco excitauerit, an vsus sit amplificationibus ad res suo loco commendandas, an pronunciatio, & vox sit familiaris, an loquatur ex animo, & cum pondere, an cum feruore spiritus: Rursum in prudentia quam consideratus in verbis, ac rebus, quam grauis in actione, & gestibus fuerit; Hæc, & talia obseruabit accuratus præfectus, & prudenter, vt cuiusq; facultas feret, (qua non omnes omnia possunt) monebit. Ac videretur vtile, vt monitus, post aliquod tempus nouam concionem haberet, in qua conaretur notata in priore vitia emẽdare. Sexto inter declamatores, qui propediem sunt in publi cum prodituri, essent frequentius exercendi. Rara enim declamatio bis, terue in anno parere consuetudinem, corrigere vitia, inducere, & confirmare quæ recta sunt nequit. Quod si frequens adhiberetur domi exercitatio, & liberalis, & seria commonitio, non interdum, (quod fit) etiam mulierculæ vitia viderent.

De Admonitore vel Institutore. Cap. XIX.

Quamnecessarius admonitor.

DE monitore hæc præterea dixerim, si in artibus ac muneribus cęteris planè in hoc maximè, & vtile, & necessariũ esse credimus ducem, ac monitorem. Multa sunt hic, & grauia, quæ peritorum iudicio, & prudentum consilio indigent, cum nemo possit esse sui bonus Iudex, suum enim cuique pul-

Digitized by Google

chrum, & hæc tota facultas ad alienas sit fingenda, & accommodanda voluntates, vt ad Dei gloriam fructus, qui ex ea speratur, existat. Qui ergo Prædicatoris Euangelici obituri sunt munus, antequam luci se, arenæque committant, habeãt aliquem integrum, & candidum virum iudicio, & vsu, si fieri potest, in hac facultate præstantem, à quo in omnibus, quæ ei videbuntur, admoneantur, corriganturque fideliter. Si in nobis (inquit Tullius) vsus non sit, ei nos tradamus imbuendos, qno duce peruenire possimus ad ea quę ipse vsu didicit.] Quãtam vim habeat hæc institutio, in adolescentibus apparet, ac pueris, quos videmus in scholis, cum aliquid sunt dicturi, vel prosa, vel carmine, quamuis initio maximè essent absurdi, aliquandiù tamen exercitatos eò perduci, vt cum decoro, ac venustate pronuncient. Quidni etiam in Concionatore id locum habiturum speremus? cui quamuis ætas fortè non ita tractabilis, tamen iudicij tantò plus adest.

Cic. 2. de Orat.

Etiam in publicis concionibus habendus ad monitor.

Addo etiam, vt non in priuatis modò exercitationibus, sed etiam vbi iam in publicum suggestum prodijt, Admonitorem habeat, cui confidat, à quo sapienter, ac sincerè moneatur, si quid in ipso sit, quod vel aures, vel oculos auditorum offendat, quem ipse sua sponte adeat, ostendatque sibi quicquid ab eo acceperit fore gratissimum, & amanter cum actione gratiarum, quod notarit excipiat. D. Chrysostomus gratias agit cuidam, à quò monitus fuerat, quod eius exordia prolixa essent: Eximius ille Ecclesiæ Doctor Augustinus, non minus humilitate præstans, quàm sapientia de se dicit: Ego adsum; senex à iuuene Episcopo, ego Episcopus tot annorum à Collega nondum anniculo paratus sum discere. Et addit: Nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis à paruulis, si quid est vtilitatis, vel salutis, inquirere negligat.] Egregia item sunt Augustini eiusdem verba lib. 1. de Trinit. cap. 2. & 3. nec pigebit me, (ait) sicubi hęsito, quærere, nec pudebit, sicubi erro, discere. proinde quisquis hæc legit, vbi pariter certus est, pergat mecum, vbi pariter hæsitat, quęrat mecum, vbi errorem suum agnoscit, redeat ad me, vbi meum, reuocet me] Et planè magna correctione dignus est, qui correctionem non amat, nec magna spes de eius emendatione potest haberi, qui amicum correctorem non diligit. Nulla ars sine magistro, ac duce addiscitur. Imo solent in alijs artibus gloriari homines, quod nobiles magistros nacti sint, & tamen aliqui putant se natos Concionatores, cum etiam quidam

Homil. de fer. repreh. initio.

Epist. 75. ad Episcopum Auxilium.

Habetur 24. q. 3. c. si habes.

Digitized by Google

dam dixerit. Poeta nascitur, Orator fit. Quod D. Hieronymus de intelligentia scripturarum ait aptissimè in Concionatores quadrat, sine monitore securos, cum tamen certum sit in qualibet arte neminem sine prævio, ac monstrante semitam posse ingredi. De ipsa Declamatione hactenus; Ipse autem Vsus verè concionandi in publicis templis, & Experientia sicut in omni arte necessaria est, nemo enim repentè fit summus: & maximè in oratoria facultate; Aliter enim noui Concionatores, sicut & medici, Aliter ijdem, postquam longa exercitatione edocti sunt exequuntur id munus, modò in omnibus diligentiam voluerint adhibere, quam vltimo loco inter exercitationes supra nominaui.

Epist. ad Paulinū.

Vsus Concionandi.

Denique cum hactenus de paranda rerum scientia, & exercitamentis ad benè dicendum actum sit, placet adijcere saluberrima quædam præcepta, quæ Egregius & verè Angelicus Doctor Thomas roganti cuidam, vt modum doceret, in studiorum progressu, seruandum, quo ad perfectionem scientiæ perueniret, præscripsit, & videntur mihi breuia quædam, certissimaque decreta similia præstantissimi medici Aphorismis. Hęc est inquit monitio mea, & instructio tua. Tardiloquum te esse iubeo: Conscientiæ puritatem amplectere: Orationi vacare non desinas: Cellam frequenter diligas, si vis ad cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe: Nihil quærere penitus de factis aliorum; Nemini te multum familiarem ostendas; quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis à studio materiam subministrat; Discursus super omnia fugias: Sanctorum, & bonorum imitari vestigia, non omittas; Non respicias à quo audias, sed quicquid boni dicatur, memoriæ commenda: Ea quæ legis, & audis, fac vt intelligas: De dubijs te certifices, & quicquid poteris in armariolo mentis reponere satagè: Altiora te, ne quęsieris; Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris, quod affectas.

D. Thomæ consilia ad scientiam acquirendam.

D. Thom. in op.

Exemplar Concionatorum Paulus, & erga eũ Deuotio. Cap. XX.

SIt hæc postrema huius primæ partis obseruatio, eamque veluti regium signum notet, & imprimat. Omnium ornamentorum, quæ Christiano Oratori necessaria numerauimus, in aliqua perfectissima imagine proponamus exemplum. Quem autem nisi Doctorem gentium eligamus, qui est electus à Deo, vt Christi nomen coram gentibus, & Regibus, &

filijs Israel deferret ? In hoc, tanquam in absolutissima forma, habent omnes Diuini verbi præcones, quæ imitentur, cum præstantissimas virtutes, tum eruditam, facundamq. sapientiam, quæ duo in Concionatore diximus, hactenus requiri. Atque hæc cum primis in Paulo eminere, ea de causa, docebo, vt me, atque omnes huic muneri addictos excitem, ad aliquē pietatis affectum, in hunc mirabilem, & cœlestem virum, cuius ope adiutus, meritò sperare quis possit in bonum se, & vtilem populo Dei ad salutem æternam ministrum euasurum. Hanc sui profectus causam D. Chrysostomus profitetur, Neque enim nos, inquit, quæ scimus ab ingenij bonitate, atque acumine scimus, sed, quod illi nos viro impensè affecti, ab illius lectione nunquam discedimus; siquidem qui amant, ante omnes, eorum facta norunt, quos amant.] Multas quidem supra virtutes recensuimus, quibus Christianus Orator insigniri debet; quarum veluti radicem, amorem Christi ponimus in Concionatore, hic autem vsque adeò eminet in Paulo, vt commodè transferri posse videatur in eum illud Bernardi, qui contemplatus in Christo, præsertim Cruci affixo, diuinæ in nos charitatis ardorem, in hæc verba prorupit. Quid amore violentius? de Deo triumphat amor; planè si Paulum intueamur, & incendium illud immensum amoris Christi, quo totus ardebat, inspiciamus, de eo quoque optimè pronunciari potest, de Paulo Christi amor triumphat. nec verebor ipsum Paulum, Trophæum amoris Christi appellare. Non enim amor, quem erga Christum Paulus habuit, solum eius cor possedit: nec modò regnauit in eius pectore, sed planè de toto Paulo triumphauit; eumque veluti suæ victoriæ glorioſum trophæum, ac spectaculum per totum prope orbem circumtulit. Magnum est quod possederit, amplum quod regnarit, singulare, quod etiam tanquam ad suam ostentandam vim, & gloriam triumpharit.

In præfat. epist. ad Rom. initio.

Ser. 64. in Cant.

Amor Christi possedit Pauli cor.

Tunc primum profectò possedit, cùm ab ipsomet Christo, quæ est magna Pauli gloria, vocatus prope Damascum, & prostratus, totum ei cor suum tradidit: Vix audierat, Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris; cùm & ipse succlamauit: Domine quid me vis facere? sensit tunc se adeo Christi amore, tanquam aurea catena vinciri, vt iam nullo alio magis titulo gloriari posset, quam eo, quo postea vsus est. Paulus vinctus Iesu Christi. Fuerat aliquando spirans minarum, & cædis contra Christi Ecclesiam, sed vbi sanctissimi nominis Iesu suaui-

Act. 9.

Eph. 3.

ſuauitas, tanquam balſamum cor eius perfudit, cœpit per omnes gentes illius odorem ita afflare, ac ſpirare, vt dicere non dubitarit, Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Parum dixi Paulum ab amore Chriſti poſſeſſum, niſi etiam in eo regnaſſe intelligamus. Nam ſi heroicas, ac planè diuinas actiones, quas in euangelio promulgando exercuit, innumerabilesque, & grauiſſimas conſideremus ærumnas, quas pertulit, vna Chriſti imperante, & vrgente charitate, non ne hanc rectè dicemus in Paulo tamquam in affluentiſſimo regno ſeſe iactaſſe & magnificum quemdam in eo dominatum exercuiſſe? Quis Pauli amorem erga Chriſtum, & Eccleſiam in tot præclaris obeundis facinoribus, explicet, dum ad Chriſti nomen propagandum latè omnes peragraret terras, & omnibus ſe debitorẽ profiteretur Græcis, & Barbaris, Sapientibus, & inſipientibus? Quaſi vniuerſum mundum genuiſſet, ſic currebat, ſic omnes in Regnum Dei feſtinabat inducere, docendo, pollicendo, orando, terrendo, tanta prudentia, & modeſtia, vt omnibus morem gereret, & omnibus omnia fieret, vt omnes Chriſto lucrifaceret. En tibi Atlantem, non fabuloſum illum, ſed verè de Cœlo demiſſum, totum Terrarum orbem humero ſuſtinentem. Ecce tibi diuinum Proteum in figuras omnes ſeſe quodammodo vertentem. Sanè de Paulo congruentius prædicatur, quod de ſole dicitur. Vas admirabile opus Excelſi, magnus Dominus, qui fecit illum, & in ſermonibus illius feſtinauit iter. Admirabile plane vas, per quod Deus, vt per inſtrumentum, tam multa fecerit, & tanta celeritate. Atque illud in primis mirum eſt quod tantas, tamque arduas res, inter pericula, moleſtias, atque hominum ſæuientium minas, & iniurias perpetrauerit, adeò vt mortales omnes in Paulum conſpiraſſe viderentur, & tamen per Paulum conuertebantur ad Deum, & per illum, quem volebant modis omnibus perditum, ſalutem æternam conſequebantur. Cogita, inquit, Chriſoſt. prius pelagi ſæuientis furorem, & tunc demum vim gubernatoris intelliges, totum hoc amori Pauli in Chriſtum debetur, qui regnum in eo ſuum per has expeditiones, & illuſtria facta exercebat. Sed non minor erat in tam multis tempeſtatibus conſtantia mentis, & inuictus in rebus aduerſis tolerandis animi vigor. Nullum mare ita ſæuis fluctibus agitatur, vt aſſiduis quatiebatur ærumnis pectus Apoſtoli. Nec tamen imaginem habeo, qua mihi verius proponam incurſantes aſſiduè, ac vndique in eu, calamitates, quam immane aliquod fretum, quod perpetuò vr-

Amor Chriſti in Pauli pectore regnauit.

Primo. In Actionibus hæreticis patratis.

Rom. 1.

Eccl. 43.

In aduerſis Conſtantia.

2. Cor. 7. geant, & conuoluant procellæ. Foris pugnæ, intus timores, angoresque interdum adeò graues; vt ipsemet, cui illud erat
2. Cor. 1. animi robur, dicat, grauati sumus supra modum, ita vt tæde-
2. Cor. 11. ret nos etiam viuere. Instantia quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum; Exteriora quis numeret famem, nuditatem, cathenas, carceres, bestias, iniurias, pericula fluminum, latronum, falsorum fratrum, maris, mortis etiam, cum dicat, quotidiè
1. Cor. 15. morior propter vestram gloriam. Audi ipsum. vsque in hanc
1. Cor. 4. horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus. Sed aspicè tot inter procellas, ac fluctus scopulum eminentem, ac firmum, Maledicimur & benedicimus; blasphemamur & obsecramus; persecutionem pati-
2. Cor. 7. mur & sustinemus, parum est hoc, superabundo (inquit) gaudio in omni tribulatione; tanquam vas nimirum plenum quod
Rom. 5. vndique effluit. Sed & hoc parum est: adijciat igitur. Gloriamur in tribulatione; imo adhuc inuitat amicos, vt sibi gratulentur, ac si ad magnam esset dignitatem, aut felicitatem euectus. Si immolor super sacrificium fidei vestræ, in hoc gau-
Ad Philip. 1. deo, & congratulor omnibus vobis, id ipsum & vos congratulamini mihi. Totum hoc ardentissimo Pauli amori adscribi debet, quo erga Christum, & propter eum in totam Ecclesiam ferebatur, implebatur, ardebat. Qui ita planè in eius corpore, animoque regnabat, vt stimularet eum perpetuo ad multa agenda præclarè, ad grauissimas tolerandas ærumnas inflammaret.

Amor Christi de Paulo triumphat. Quid autem dico regnabat? verius omnino dixerim Christi amorem ita de Paulo triumphasse, vt ipsum totum planè absorbuerit, & transformarit in eum, nihil vt aliud in Paulo videri possit, & dignosci, quam Christus. Circumspice Christianæ orator oculis mentis totum Paulum, liquido cognosces quònam omnes eius cogitationes, desideria, verba, omnia denique studia spectauerint, videbis nusquam, nisi recta in Christum tetendisse, cuius amore ardentissimo flagrabat. Ipsum interroga, & ex ipso responsum accipe. Dic oro te Beatissime Paule, quæ sunt illæ tuæ multæ literæ, quibus vel ad insaniam adduci putabaris; Quidnam illud est in quo scientiæ, & sapientiæ tuæ summa sita est? Respondet profectò. Non iudicaui me
1. Cor. 2. scire aliquid nisi Christum. Quid est inter omnia bona quod
Philip. 3. plurimi æstimas? dicet. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini nostri, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitratus sum vt ster-

cora,

cora, vt Christum lucrifaciam. Dic Paule qua in re maximè gloriaris? audies. Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: Quæ species est tuæ voluntati ad amandum maximè proposita? Quis (inquit) nos separabit à charitate Christi, Tribulatio, an angustia, an fames? & si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum sit anathema. Quænam sunt pectoris tui ardentissima vota? desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Pro cuius amore libenter, & cruciari optas, & mori? Non solum alligari, sed etiam mori, paratus sum propter nomen Iesu. Et quisnam est qui in te loquitur? An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Quænam est tuarum Concionum materia? Nos prædicamus Christum, Crucifixum. Cum quonam libenter versaris? Christo confixus sum Cruci. Qua in re, tua vitæ solatia collocasti? sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Quæ signa, & cuiusnam rei defers in tuo corpore? Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. Qualis, & quænam est vita tua? Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus. & Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Videsne quanta cum gloria de Paulo triumphat amor Christi? audisne quam mirifice effulgeat in Paulo concionatorum omnium exemplari absolutissimo hæc virtus?

Gal. 6. *Rom.* 8. *Philip.* 1. *Act.* 4. 2. *Cor.* 13. 1. *Cor.* 1. *Gal.* 2. 2. *Cor.* 1. *Gal.* 2. *Phil.* 1.

Hinc iam facilè quiuis etiam me tacente intelliget quales in eo cæterę Christiani Oratoris laudes extiterint. Planè longe melius de hoc electionis vase dicentur illa verba Eccl. quã de Onia Sacerdote, tanquam vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Aurcum planè vas ob fulgentissimam sapientiam, & charitatem; solidum ob summam, & præstantissimam eius animi firmitatem, atque constantiam, vt merito dicat Chrisost. Quidnam aliquis illam Pauli animam vocet, aureamne, an adamantinam? Certè vtrumque; Ornatum autem omni lapide pretioso cæterarum virtutũ videlicet ornamentis à diuina manu elaboratum, vt iure cum eodẽ Chrif. Pauli animum, Paradisum vocemus omnium deliciarũ. Quis igitur cogitatione, nedum oratione consequi possit ex illo Christi amore, quantus manarit Orationis spiritus, quantus contemplationis ardor cum dicat orabo spiritu, orabo & mente, & iterum. Mẽte excedimus Deo, ex quibus excessibus quantam consolationũ copiam perceperit, ipse solus nouit qui expertus est. Quanta in proximos, & fratres charitas tãquam e fonte redundauerit, Cum dicat, eò quod habeam vos in corde, & in vinculis meis: testis

Eccl. 50.

Pauli aliæ virtutes ex Christi amore natæ.

1. *Cor.* 14. 2. *Cor.* 5. 1. *ad Philip.*

teſtis mihi eſt Deus quomodo cupiam omnes vos in viſceribus
Ieſu Chriſti, Et iterum fratres mei chariſſimi, & amantiſſimi
1. *Theſſ.* 2. gaudium meum & corona mea. Et deſiderantes vos, cupidè
volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium ſed etiam
2. *Cor.* 12. viſcera noſtra quoniã chariſſimi facti eſtis nobis. & Non quæro
quæ veſtra ſunt, ſed vos, Ego libenter impendam, & ſuperim-
pendar ipſe pro animabus veſtris. Quanta vitæ, ac morum
2. *ad Tim.* probitas; cum dicat. Tu autem aſſequutus es meam doctri-
3. nam, inſtitutionem, propoſitum, fidẽ, longanimitatem, dilectio-
1. *Cor.* 11. nem patientiã & ad Cor. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego
Philip. 4. Chriſti; & ad Philip. ſicut audiſtis & vidiſtis in me, Quod audie-
bant a Paulo, hoc planè videbant in Paulo. Nam cum prædi-
catio a vita diſcrepat, doctrina ſe ipſam deſtruit. Qualis con-
ſuetudo eius eſſet, teſtatur ipſe ad Theſſ. Vos Teſtes eſtis, &
1. *Theſſ.* 2. Deus quã ſanctè & iuſtè, & ſine querela vobis, qui credidiſtis
fuimus, qualiter vnum quemque veſtrum (ſicut Pater filios)
deprecantes vos & conſolantes teſtificati ſumus vt ambularetis
1. *Cor.* 9. dignè Deo: Quanta ſolicitudo ne quempiam offenderet?
2. *Cor.* 1. omnia ſuſtinemus (inquio) ne quod offendiculum demus Euan-
gelio Dei. Quanta morum ſimplicitas, & candor? gloria no-
ſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplici-
tate cordis, & ſinceritate Dei, non in ſapientia carnali, ſed in
1. *Cor.* 1. gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo. Quanta puritas in-
tentionis? non ſumus vt plurimi adulterantes verbum Dei, ſed
1. *Theſſ.* 2. ex ſinceritate, ſicut ex Deo coram Deo loquimur in Chriſto,
& ad Theſſ. neque aliquando fuimus in ſermone adulationis,
ſicut ſcitis neque in occaſione auaritiæ. Deus teſtis eſt. Neque
quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab
alijs. Quanta in eo animi demiſſio? cum ſe indignum nomine
Apoſtolorum exiſtimet, & omnium ſanctorum ſe minimum ap-
1. *Tim.* 6. pellet, & abortiuum, & perſecutorem Eccleſiæ accuſet? quan-
2. *Cor.* 6. ta alacritas in paupertate ſpiritus? habentes alimenta, & qui-
bus tegamur, his contenti ſumus, ſicut egentes, multos autem
locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.
Adeoque, vt etiam ſuis manibus laborarit ad victum ſui, &
ſuorum. Quanta ſui corporis afflictatio? cum ſcribat, Semper
mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt &
2. *Cor.* 4. vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Et, ego autem ſic
curro non quaſi in incertum; ſic pugno non quaſi aerem verbe-
1. *Cor.* 9. rans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo; ne
cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Quanta pruden-
tia?

Digitized by Google

tia? dum ſe accommodare ad captum omnium ſtudet? facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Et quanta libertas in prædicando Dei verbo? Quanta induſtria dum modò laudat, modò arguit, aliquando obſecrat, nonnunquam conſolatur, interdum minatur, & terret? Ad Cor. quid vultis in virga veniam ad vos? & iterum, Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti. Rogo autem vos ne præſens audeam pro ea confidentia, qua exiſtimor audere. & infra. Quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales, & præſentes in facto. 1. *Cor.* 9. 1. *Theſſ.* 2. 1. *Cor.* 9. 1. *Cor.* 4. 2. *Cor.* 10.

De Sapientia Pauli & eloquentia.

Sed præter virtutes abſolutiſſimi Concionatoris, etiam in Paulo eſt, quod admiremur ſapientiſſimam quamdam eloquentiam, & ſanè diuinam ad perſuadendum efficaciſſimam, quod ſecundo loco poſueram; quam & paucis expediam; ne forte quis exiſtimet eloquentiam Paulo defuiſſe. Sed animaduertè duplicem eſſe eloquentiam; altera in verborum maximè nitore ſita eſt, in ornatu, & fuco ſermonis ad aurium potius oblectamentum, quam ad animi motum comparata, quam ſophiſticam melius loquentiam, quam eloquentiam dixeris. Altera quæ in ſententiarum pondere poſita eſt, vt perſuadendo animos bonis moribus imbuat. Sed habet Spiritus ſanctus ſuam diuinam Rhetoricam, & eloquentiam longè præſtantiorem, in qua Diuum Paulum excelluiſſe adeo dicimus, vt nihil ſupra addi poſſit, neque ſapientius, neque vehementius illa eloquentia, qua eius Epiſtolæ ſcribuntur, & qua loquebatur tanta efficacia, vt meritò Auguſtinus, vt ferunt, optarit Paulum prædicantẽ audire, & Lycaonij (vt eſt in Act.) eum Mercurium appellarint, tanquam eloquentiæ Deum; & eo diſputante tremefactus ſit Præſes Romanus. Et planè tria erãt in Pauli eloquentia, quæ admirationem facerent. Primo quia erat omnino ſpiritualis, quam à Spiritu ſancto dictante acceperat, ſicut ipſe teſtatur. Nos autem, inquit, non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes; hoc eſt ſpiritualibus, ac diuinis miſteriis ſpiritualem etiam eloquẽtiam eiuſdem Spiritus ſancti ope accommodando. Secundo erat Diui Pauli eloquentia non emendicata, non affectata, ſed nata ex vberrimo ſapientiæ fonte, quem in eius pectore Deus procreauerat, quæ quanta eſſet quis dicat, cum repens fuerit vſque ad tertium Cœlum, vt diſceret, *Act.* 24.

Duplex eloquentia.

Eloquentia Pauli admiranda tribus titulis.

1. *Cor.* 2.

discceret, quæ nec licet homini loqui, & ea quæ postea docuit non ab homine, neque per homines, vt ipse testatur, acceperit; sed Deum ipsum habuerit Doctorem. Quin in Paulo affirmat maiorem fuisse Chrisostomus sapientiam, fonte illo Paradisi, qui in quatuor diuisus flumina omnia suis aquis irrigabat. Tertio erat Pauli eloquentia efficax, & ad persuadendum potens; quod euentus docet cum tanta in toto terrarum orbe patrauerit. Chris. probat Paulum eloquentiæ suæ vi, antequam miracula ederet Iudæos, qui Damascum colebant confudisse, Græcos supplantasse, & sola eloquentia per id tẽpus victoriam reportasse aduersus eos qui Antiochiæ Iudaismum sequi cæpissent, eloquentiæ auxilio pugnasse. Areopagitã vna cum vxore, ob vim eloquẽtiæ, illius audita cõcione secutum eum fuisse. Cum Epicureis, cum Stoicis disputationes habuisse. In vrbe Thessalonica, Epheso, Corintho, Roma ipsa acriter, & eloquenter disputantem multos, ad Christum adduxisse. Quod autem Paulum Lycaones Mercurium esse vellent, id non quidem a signis, sed ab eloquentia profectum; & addit Chris. Cum igitur Paulum constet, tum ante miraculorum editionem, tum in medijs ipsis miraculis magnam adhibuisse eloquentiam, qua fronte sustinebunt idiotam illum iudicare, cuius magna fuit apud omnes qua disputantis, qua concionantis admiratio?] D. Augustinus admiratur Pauli eloquentiam in eius epistolis maiorem, quam in oratoribus secularibus, exemplum affert illud. Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, & quæ sequuntur. Hic (ait Augustinus) si quis imperite peritus, artis eloquentium præcepta, Apostolum sequutum fuisse contendat, non ne à Christianis doctis, indoctisque ridebitur? & tamen eloquentissima loquitur secundum eloquentiæ præcepta, vt Augustinus ibidem probat, & subdit. Sicut ergo Apostolum præcepta eloquentium sequutum non dicimus; ita quod eius sapientiam sequuta sit eloquentia non negamus.] affert etiam exemplum aliud cum cogeretur se laudare, hanc sibi velut insipientiam tribuens, quam sapienter, quam eloquẽter dicit? Quanta sapientia (ait Augustinus) hæc sint à Paulo dicta, vigilantes vident, quanto vero eloquentiæ concurrerint flumine, etiam qui stertit, aduertit, sed in re clarissima quid moror? Hęc à me de Diuo Paulo dicta sunt non tam vt in eius Encomia digrederer, quam vt eum omnibus, qui concionandi

L. 4. de fac.

4. de doct. christiana cap. 7.

Rom. 5.

2. Cor. 11.

munus

munus profitentur ad imitandum proponerem, vt eum Patronum habeant, vt ad eius opem confugiant, vt epistolas illius lectione assidua terant; vt in singulis ferè concionibus libenter aliquam ex eius sententijs aptè depromant, atque perpendant.

Addam etiam his appendicem, vt post Diuum Paulum, eligat sibi quisque aliquem ex sanctis Patribus patronum, pro peculiari cuiusque studio, & librorum eius continuo vsu lectionē frequentet. Ego planè sequutus commune consilium omnium in hac parte rectè sentientium, consulerem Diui Chrisostomi Conciones, & commentaria libenter, & crebrò euolnenda, tum ob grauitatem rerum moralium, quas ad populum tractat, tum ob aureum eloquentiæ flumen varium, graue, populare ad persuadendum efficax, & imprimis frugiferum. Placet etiam, vt quis peculiari pietate feratur in Diuum Gregorium, cuius doctrina est grauibus sententijs referta, ad mores hominum valdè accomodata, stylus Ecclesiasticus, atque optimè moratus, redolens eximiam omnium virtutum sanctitatem, etiamsi vsus Allegoriarū, quas frequens tractat in libros Ezechielis, & Regum non sit tam vtilis in concionibus popularibus, sicut est in scriptione, si crebro fiat. Adderem tertio loco Diuum Bernardum, & eius opera, quæ maxime pietatem, & sanctimoniam viri redolent, & absolutissimas eius virtutes, præter suauissimam eloquentiam, quam ore fundit, vt apis melliflua, & sententias quas ex plenitudine cordis eructat, sapientissimè digestas, & ipsiusmet scripturæ vocibus expressas. Ex his tribus Chrisostomus maximè mouet, docendo, & delectando, Gregorius mirum in modum docet delectando, & mouendo. Bernardus spiritualiter delectat mouendo, & docendo. Forte mihi aliquis hoc loco obijciat illa verba, quæ in principio statim cuiusdam Dialogi apud Platonem leguntur. Vnus, duo, tres, & quartus vbi est? Augustinum dicet aliquis videris oblitus. Noui admirabilem in omni genere sanctissimi huius viri sapientiam, quam doctè, & fortiter nostræ religionis dogmata explicet, atque confirmet, quam validè refutet Hæreticos, quam prudenter, & copiosè edoceat populum, quantam vbique sanctitatem; & amorem cælestium rerum, instillet. Noui præterea tam multos quibus Christi Ecclesia abundat Apostolicos viros, Basilios, Nazianzenos, Hieronymos, Ambrosios, Cyprianos, & alios tum veteres tum, etiam recentiores, qui & colantur, & legantur omninò dignissimos

Eligendus aliquis ex Sanctis Patribus in Patronū. *D. Chrisost.*

S. Greg.

D. Bernardus.

D. Augustin.

Digitized by Google

simos esse, verum non omnium seriem instituimus pertexere, vt sua cuique pietas suadebit, ita sibi, ex beatissimo illo senatu, patronum adsciscat. Quis vero si horum temporum in concionando vitia, & torporem intueatur, non merito debeat leuissimam eloquendi quorumdam curiositatem, ambitionis spiritum, se ipsos magis quam Christum prædicantium, humanarum rerum cupiditatem, spiritualium charismatum, zeli, & verarum virtutum inopiam, quis inquam si hos cum illis sanctissimis viris, & grauissimis conferat, non rubore suffundatur, & in lacrymas erumpens cum Hieremia exclamet. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, abscissi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Vtinam hanc Verbi Dei iacturam, & bonorum prædicatorum inopiam respiciant ij, quorum ad munus hoc pertinet, & nos Concionatores tales aliquando simus, quales nos, & diuina electio exigit, & tanti muneris ratio exposcit, & animarum æterna salus à nobis iure suo postulat vt possimus lætabundi aliquando canere cum Regio Vate. Docebo iniquos vias tuas & impij ad te conuertentur, & simus de numero eorum, qui ad hoc opus diuinissimum missi, euntes cum lachrymis, ac precibus multis ad Deum fusis & laborum pro Christo tolerantia, mittunt semina sua, venientes autem reportant plenos manipulos exultantes, sicut exultant messores in copiosa messe, & victores capta præda. Hactenus de persona Concionatoris, quæ venerunt in mentem attulimus, deinceps de ipsius Concionatoris opere, quod est ipsa concio acturi.

Finis Libri Tertij.

Digitized by Google

SECVNDA PARS CONCIO,

De Eloquentia, fine, officijs, ac materia, Concionum.

LIBER QVARTVS.

Esse aliquam Eloquentiam bonam, & Sacris concionibus adhibendam.

CAPVT PRIMVM.

HAec altera institutionis pars, quia versatur in opere concionatoris formando, vt videamus, quale id, quoque modo debeat, ac possit effici, solnenda principio videtur quæstio multum iactata, num sequenda sacro oratori eloquentia sit, & quæ eloquentiæ forma seruanda. Sunt enim, qui penitus nomen hoc oderunt, ac fugiunt, alij ex altera parte supra modum requirunt. Ponendum igitur primum est, Eloquentiam sine dubio aliquam esse, quæ digna laude sit, nam cum in Actis dicitur Apollo vir eloquens, planum est in laudem eius id exprimi, & causa cur Deus addiderit comitem Mosi Aaronem, eloquentia significatur: Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit, ipse loquetur pro te ad Populum, & erit os tuum.] Non igitur, quæuis eloquentia fugienda est, cum & ipsum nomen, sacræ literæ quodammodo sacrum fecerint, Et ne forte quis cauilletur, & dicat de eloquentia peculiari mentionem fieri, in diuinis codicibus.

Aliqua eloquentia bona est. *Act.* 19. *Exod.* 4.

Ponendum secundo est, cum eloquentia, vt communiter accipitur, sit quædam vis loquendi benè, & aptè ad persuadendū, posse hanc vim esse, vel innatam, ac planè naturalem, vel studio, ac disciplina acquisitam, vel infusam à Deo. Vnde potest, quasi triplex

Triplex eloquentia Naturæ, Artis, & infusa.

triplex eloquentia distingui. Nam esse multos, qui non institutione, aut extraordinario Dei munere, sed naturali quadam facilitate, & habitu ingenij, melius quam alij loquantur, & affluentius, & efficaciùs, quos vulgus naturaliter eloquentes appellat, euidens est. Certum est etiam virtutem aliquam loquendi, accómodatè ad audientium persuasionem, & posse, & solere infundi, quin adeò hæc videtur, proprie gratiæ esse sermonum. Neque item, potest esse dubium, quin vtrumque hoc genus eloquentiæ suapte natura bonum sit. Reliquum igitur est tertium ideſt eloquentia doctrina, & studio comparata, quam item bonam esse, nemo poterit non fateri, si rem satis intelligat, Nam si bona est eloquentia, cum a Deo infunditur, vel cum ingeneratur a natura, ex eo, quod, eadem, industria, & labore quæratur, non apparet vnde efficiatur mala. Ars quippe à natura orta est, & ad naturam ipsam perficiendam inuenta. Atqui eloquentia artificiosa inde orta est, quod homines cum viderẽt alios alijs melius loqui, obseruarunt causas huius differẽtię & rẽ intensius contẽplati inuenerunt, quænã ea esset, quæ in homine naturaliter eloquente magis placerent, & probarẽtur auditoribus, ac demum collecta ex ijs obseruationibus atque dispositа in ordinem, præcepta, Artem vocarunt. Ex quo fit, vt qui ad benè loquendum, obseruationum illarum vtitur adiumento, inde supplens quod natura nõ dederat, & quod dederat perficiens, eloquentia acquisita dicatur vti, atque artificiosa, quæ hactenus quidẽ considerata, non potest non esse bona, ac laudabilis. Nã si obseruationes, ex quibus aliæ confectæ sunt artes, ac disciplinæ, vt Agricultura, Architectura Grammatica, Dialectica, & cæterę huiusmodi bonæ sunt, non video cur possit reprehendi obseruatio, quæ ad benè loquendum iuuet, cum loquutio in homine tam præcipua, & generalis, tamque cum ratione coniuncta, actio sit. Denique id apertè docet Aug. cum ait, Sunt etiam quædam præcepta vberioris disputationis, quæ iam eloquentia nominatur, quæ nihilominus vera sunt, quamuis eis etiam possint falsa persuaderi, sed quia & vera esse possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea malè vtentium peruersitas, nam neque, hoc ab hominibus institutum est, vt veritatis expressio cõciliet auditorem, aut vt facilè quod intendit insinuet breuis, & aperta narratio, & veritas eius sine fastidio teneat intentos, & cæterę huiusmodi obseruationes, quæ siue in falsis, siue in veris causis veræ sunt, tamen in quantum vel sciri, vel credi aliquid faciunt, aut ad expetendum, fugien-

Ars eloquentiæ non potest esse mala ex se.

2. *de Doct. Chr. c. 36.*

fugiendumvè animos mouent, inuentæ potius, quod ita se habeant, quam vt ita se haberent institutæ] quæ ferè eam rationem explicant, quam nos attulimus, si naturalis eloquentia mala non est, neque esse artificiosam, quæ ex illa conflatur, naturaliter enim inesse docet obseruationibus certis certam vim, non ex hominum instituto.

Sed fortasse de hoc quispiam dubitabit, an hisce obseruationibus, & adminiculis ab humana industria in ordinem, & artem redactis vti in explicandis rebus diuinis liceat, ac verbis ad populum, de religione faciendis; nam posset videri iniuria irrogari verbo diuino, tanquam per se satis non posset auditorum corda penetrare, cum tamen sit omni gladio ancipiti penetrabilius, Et Christus Dominus Apostolis dixit; Cum steteritis ante Reges, & Præsides nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, Et S. Paulus diserte affirmat, se missum ad euangelizandum, non in sapientia verbi, ne euacuetur Crux Christi. De sancto Francisco accepimus, cum aliquando concionem, accuratius præparasset, nunquam minus e sententia concionatum, & sanctum Hieronymum sectantem eloquentiam Tullianam, diuinitus vapulasse; Denique nonnulli, quod sacros libros, Rhetoricis exornare coloribus, voluerint diuino supplicio, etiam in hac vita, grauiter percussi narrantur; Quibus addi possunt testimonia multa Sanctorum Patrum, quibus eloquentiam damnant, quorum aliqua nos etiam infra adducemus. Hæc igitur cum ita sint, oritur Controuersia, num verbo Dei aliquis ex eloquentia debeat, aut rectè possit ornatus accedere. Et sanè hæc, quæ attulimus argumenta planè euincunt, aliquam esse eloquentiam, quæ adhibenda non sit.

Verum si per eloquentiam, id intelligamus, quod hactenus posuimus, nempè vim dicendi benè, appositèque ad persuadendum, obseruando in hac re illas vias, & rationes, quæ possunt adiumento esse ad finem concionatoris propositum, idest ad gloriam Dei, & salutem animarum, procul dubio statuendum est, non modo posse in sacris rebus adhiberi, sed in illis maximè adhibendam. Nam si maledictus est, qui facit opus Dei negligenter, & prædicatio diuini verbi tam præstans opus Dei est, num hoc in opere laudabilis negligentia est? vel diligentia, & cura vituperabilis? Præmeditari quæcunque dicturus sis quoque modo rem iustam, priuatim amico persuadeas, laus prudentiæ ducitur, & ad populum de rebus diuinis disse-

Ars Rhetorica potest esse vtilis sacris cõcionibus. *Eccl.* 48.

Digitized by Google

Eccl. 21. rendum erit, temere? quid autem est, quod dicitur, labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur, nisi adhibendam ab eo, qui loqui prudenter velit, stateram ideſt, diligentem præmeditationem, ac penſiculationem verborum etiam ſingulorum? loco autem ſtateræ, præſtò ſunt monita ac præcepta artis, quæ ſapientes ex ſapientibus collegere. Et ſanè cum certum ſit præcepta eloquentiæ, aliquid omnino adiumenti afferre ad id efficiendum, ſermone, *4. de Doct. Chr. initio.* quod volumus, diuine S. Auguſt. oſtendit abſurdum, ac planè ſtultum eſſe dicere, cum ad falſa ſuadenda, multi adhibeāt præcepta Rhetoricæ; aduerſus mendacium, in defenſionibus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem?] quem locum, quia fusè ſanctus ille Doctor exequitur, rogo lectorem vt conſulat, & addit paulo poſt diſertè, qui & ſapienter, & eloquenter poſſit dicere, eum perfectum eſſe Doctorem.] Ex quo ſatis nobis conſtat, in ſacris quoque dictionibus, locum, & quidem admodum fructuosè, habere eloquentiam. Videat etiam ſi cui libet egregias laudes, quibus Nazianzenus patris ad filium, eloquentiã *In carmine Nicob.* effert. Idem in oratione alia profitetur ingenuè, amplexum *Orat. de Affectata Conſtant. Cathedr.* ſe, eruditionem minimè mutam, non aridam, neque humi reptantem, Adde, quod cum duo præcipuè ſint, quibus homines moueantur ad fidem ſuaſori præbendam, eloquentia, & miracula, placuit Deo poſt prima tẽpora, de quibus mox agemus, conſequutis temporibus per elequentiam, (quæ via magis or- *Chriſ. lib. de Sacerd.* dinaria eſt) ſuam adminiſtrare Eccleſiam, eòque Chriſ. planè iam neceſſariam Epiſcopo affirmat ſingularem dicendi vim, cum præſtante coniunctam fortitudine, vt exequi opus prædicationis ſyncerè, & conſtanter poſſit, idque eo magis iam neceſſarium exiſtimat, quo miraculorum propè nullum veſtigium eſt reliquum.] Sed antequam ad obiecta reſpondeamus, de ſacrorum librorum, ac primo de Sancti Pauli eloquentia, de qua alia aliorum ſententia eſt pauca dicamus.

De Eloquentia Sancti Pauli, & ſacrarum literarum. Cap. II.

ETiam ſi de eloquentia D. Pauli in fine primæ partis aliqua dixerimus non erit moleſtum rurſus hic vbi de eloquentia ſacra agimus, pauca opportunè adijcere. D. Chriſoſt. con- *l. 4. de Sacerd.* queritur ex Apoſtoli locis de epiſtola ad Corinth. prima, quoſdam ſuæ ignauiæ quæſiuiſſe integumentum dicens, Hoc ipſum

(in-

Digitized by Google

(inquam) hoc ipsum certe est, quod plerosque perdidit, remissioresq; ad veræ doctrinæ studium reddidit. Etenim cum non possent, apostolicæ mentis altitudinem, neque verborum sensum capere, totius ætatis tempus consumpserunt in somnolentia, atque oscitantia.] Deinde addit, S. Paulo, minus necessariam fuisse eloquentiam, quod virtute signorum abundabat, Nunc autem cum ne vestigium quidem, vt loquitur, eius virtutis relictum sit, necessariam omnino vim esse dicendi. Eadem presse, vt solet Nazianzenus docet. Dum promptum ait esse plerisque, qui doctrina, & facundia careant inscitiæ suæ, fidei nomen obtendere, quod se quoque probaturum fuisse, si illi sermonis, doctrinæque loco, signorum & miraculorũ vim haberent] Ex quibus id, quod modo dicebamus apparet, duo præcipua quibus res diuinæ persuadeantur, præsidia esse, virtutem miraculorum, atque sermonum, & illam extraordinariam magis, hanc valdè communi prouidentiæ, naturæque hominum conuenientem. Cum igitur S. Paulus ita miraculorum facultate polleret, per quam magis diuina testificatio eluceret, non multum sermonum gratia indigebat, fusè tamen demonstrat Chrisost. etiam si virtus signorum adsit, necessariam vim esse dicendi, eamque in Paulo præstantem fuisse, & per eam antequam miracula ederet, præclarè ipsum multa fecisse.

lib. 4. de sacerd.

Orat. sup. citata.

D. Pauli eloquentia.

Et planè si eloquentia est copiosè loquens sapientia, quis neget eloquentiam Sancti Pauli summam fuisse? quid enim eo copiosius? quid sapientius? quippè loquebatur sapientiam inter perfectos. Deinde cum eloquentiæ vis ponatur ab Aristot. in Enthimemate id est in argumento, quod fidem auditori faciat, nihil est fortius eloquẽtia S. Pauli, nihil artificiosius: quid quæso prudentius, & artificio quodam diuino instructius? quam habita in Areopago Athenis oratio? quam aptè, propriè, ac iucundè, ab ara ignoto dicata Deo, sumit exordium? quam sapienter ab ipsis quoque græcorũ poetis testimonia profert? porrò oratio, quam coram Agrippa in sui defensionem habuit, tanta arte, ac sapientia plena est, vt vix quicquam inter omnes oratores, mea sententia possit simile reperiri, vt non mirandum sit, si tanquam extra se abreptus voce magna Festus clamarit, Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt, Quo etiam loco, iure admiratur S. Chrisost. illam vocem, quam Agrippæ qui dixerat, in modico suades me Christianum fieri, respondit Apostolus, opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed & omnes, qui audiunt hodiè fieri tales,

2. Rhet.

Act. 17.

Actor. 26.

Hom. 52. in Act. 26.

les, qualis ego sum, exceptis vinculis his: Miratur inquam, Chrysostomus, cùm sua illa vincula tanti faceret Paulus, & tantum charitate proximorum arderet, cur ea exceperit. Nimirum quod per illam prudentiam, qua fiebat omnibus omnia, videbat hanc significationem vrbanitatis aptiorem hoc loco esse, ad conciliandam sibi auditoris beneuolentiã, & Christum Dominum insinuandum, vt deinde ad perfectionem quoque, & vinculorum desiderium, cuius initio capaces non erãt, suo tempore promouerentur. De eius epistolis vulgaris, iam est sancti Hieronymi sententia, cum ait, Paulum Apostolum, proferam; quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua: Legite epistolas eius, maximè ad Roman. ad Gal. ad Ephes. in quibus, totus in certamine positus est, & videbitis eum, in testimonijs, quæ de veteri testamento assumit quam artifex, quam prudens, quam dissimulator sit, eius quod agit, Videntur quidem verba simplicia, & quasi innocẽtis hominis, ac rusticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit insidias, sed quocunque respexeris, fulmina sunt. Hæret in causa, capit omne quod tetigerit, tergum vertit, vt superet, fugam simulat vt occidat.] Sanctus autem Chris. præter Encomia præclarissima, quibus Apostolum, & epistolas ornat, in epistolis ipsis singularum rerum, atque adeo vocum momenta, ordinem, gradus, ac progressiones, adeo subtiliter expendit, vt ad perfectissimum artis Rhetoricæ genus ediscendum, abundè sint futuri eius commentarij, si obseruentur, quę ille de diuina Apostoli prudentia, & arte animaduertit, vnde & idẽ Paulus Christi Rhetor, merito ab eodem Chrisostomo nominatur. hom. 6. de pœnit. Quia tamen vulgus, maximè vim eloquentiæ, solet in eloquutione ponere, & in numeroso contextu, & periodorum cõpræhensionibus, quæ commata & mẽbra distinguant, fatendum, id genus ab Apostolo neglectum potius quam ignoratum. Nam & Aristot. eloquutionem esse rem leuem testatur, & artificium Rhetoricum in hac re solet maximè imminuere, & fidem eleuare dicentis. Et alioqui pectori mysterijs diuinis pleno, & redũdanti, quæ in cælo hausta, ideſt ex fonte ipso, non licebat homini loqui, superuacuum erat, & planè difficile, æstum illum, & impetum cohibere; Ita autem decurrit, ac rapitur, vt diuinum quiddam spiret, sublime, magnificum, maius humano, admirationem simul & venerationem. pietatem animis lectorum effundens. Quid pluribus opus est, cum ipse Apostolus, quod Corinthij dicebant,

In Apol. ad Pammach.

Homil. de laud. Pauli.

3. Lib. de Arte Rhetor. c. 10.

Epistо-

Digitized by Google

Epistolæ quidem graues sunt. non diffiteatur, qui tamen & si addit sermo contemptibilis, ideo dicit, quia non adhibebat delitias floſculorum, quos Corinthij videntur ſectati fuiſſe, non ideo quod verborum curam aſpernaretur, Quinimo teſte Hier. cum eſſet doctiſſimus, & ſcientiam haberet ſanctarum ſcripturarum, & ſermonis, diuerſarumque linguarum idioma poſſideret, quia tamen diuinorum ſenſuum maieſtatem, digno non poterat, Græci eloquij explicare ſermone, habebat Titum interpretem, ſicut & B. Petrus Marcum, & addit ideo contriſtatum Troade, non inuento Tito, quod prædicationis ſuæ in præſentiarum fiſtulam, organumque per quod Chriſto caneret, non inuenerat.] Maneat igitur id, quod robur, & ſpiritus eloquentiæ eſt, fuiſſe in Diuo Paulo eminentiſſimum, neque ſic loquutũ tamquam temerè verba funderet, ſed vt prudenter excogitaret, quemadmodum poſſet, Chriſti doctrinam auditoribus quam aptisſimè proponere. *Epiſt. 11. ad Hebd.*

Eloquentia maxima eſt in ſacris libris.

Quid verò dicemus de alijs ſacris libris? Nonne in ijs eloquentia & quidem perfectiſſima eſt? S. Ambr. Negant (inquit) plerique, noſtros ſecundum artem ſcripſiſſe, nec nos obnitimur, non enim ſecundum artem ſcripſerunt, ſed ſecundum gratiam, quæ ſuper omnem artem eſt, ſcripſerunt enim, quæ ſpiritus ijs loqui dabat; ſed tamen ij, qui de arte ſcripſerunt de eorum ſcriptis, artem inuenerunt, & condiderunt commenta artis, & magiſteria.] En igitur ex Ambroſij ſententia, non modo eloquentia eſt in ſacris libris, ſed & exemplar, & forma, & fons eloquentiæ etiam ſæcularis. Dyoniſius, longinus Ehtnicus Rhetor, qui de ſublimi genere dicendi, libellum non malum ſcripſit, laudat initium Geneſeos, & ſacrum hiſtoricum, loquutum pro maieſtate Dei affirmat, cum ſimplici ſermone refert, dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, & ſimilia, conueniebat enim de Deo loquenti res maximas, paucis efferre. De Iſaia notum eſt, ſancti Hieronymi elogium, cum ait, Ac primum de Iſaia ſciendum, quod in ſermone ſuo diſertus ſit, quippè vir nobilis, ac vrbanæ eloquentiæ, nec habens quicquam in eloquio ruſticitatis, vnde accidit, vt præcæteris florem ſermonis eius tranſlatio non potuerit conſeruare.] In Eccleſiaſtico adhibitam fuiſſe ornati ſermonis curam, ſatis ex ipſo prologo apparet, cùm dicitur: Hortor itaque venire vos cum beneuolentia, & attentiori ſtudio, lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur ſequentes imaginem ſapientiæ, deficere in verborum compoſitione, nam deficiunt verba *l. 8. Ep. 63.*

Præfatione in tranſlationẽ Iſaiæ.

Digitized by Google

Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam; vbi apparet, si quid desideretur in eloquentia, non referri causam in curam, sed in ipsam linguæ proprietatem, quæ in alienis linguis, vim natiuam conseruare non possit. Et scriptor Machabæorum, ita vltimum caput concludit. Et si quidem benè, & vt historiæ competit, hoc & ipse velim, si autem minus dignè, concedendum est mihi, sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem vti delectabile, ita legentibus, si semper exactus sit, sermo non erit gratus, & profitetur adhibitam a se curam, vt volentibus quidem legere, esset animi oblectatio, studiosis vero vt facilius possint, memoriæ commendare, omnibus autem legentibus vtilitas conferatur, & addit. Sicut qui præparant conuiuium, & quærunt aliorum voluntati parere, propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus; Itaque tantum abest, vt stylum neglexerit sacer author, vt etiam plenum vigiliarum, ac sudoris assumptum sibi, negotium dicat, vt placeret, & narrationem accommodaret ad legentium voluptatem, sicut ij, qui diligenter conuiuium instruunt nimirum, non vt id faceret, quod coquinariæ Rhetoricæ tribuit Plato, vt mox dicemus, sed vt per delectationem tanto magis prodesset. Rectè enim Augustinus sicut (ait) sæpè sumenda sunt, & amara salubria, ita semper vitanda pernicioſa dulcedo, quanto enim magis, illic appetitur suauitas, tanto fœlicius salubritas prodest.] Et planè inesse vim oratoriam in sacris literis, superuacaneum est, post ipsum Augustinum, velle docere cum tantus Doctor, vel in ipso Prophetarum, maximè rudi Amos, etiam in obseruatione periodorum, commatum membrorum inesse fusè demonstret. His positis facile est, obiecta diluere, sed planius tota res illustrabitur, si de Rhetorica sæculari, nouo quasi sumpto principio, pauca interseramus.

2. Mach. 15.

2. Mach. cap. 2.

In Gorgia.

Li. 4. Doct. Chr. c. 2.

Esse aliquam falsam Rhetoricam. Cap. III.

SCiendum est apud ipsos quoque Ethnicorum nonnullos, Rhetoricæ nomen malè audiuisse, & ea est causa, quia vt mors, & vita in manu est linguæ, & gladius idē, potest ferire hostem, acciuem, noxium & innocentem. Ita præcepta Rhetoricæ quemadmodum loquitur S. Augustinus in medio posita sunt, quæ ad persuadenda, seu recta, seu falsa valeant plurimum. Nazianz. dicendi facultas, vt probis (inquit) & honestis virtu-

Prima Orat. in Iulianum.

Digitized by Google

virtutis instrumentum, atque armatura est; Ita improbis; & flagitiosis, vitij stimulus efficitur.] Sicut igitur laudes plurimæ congeruntur in linguam, & in eandem vituperationes plurimæ, ita possunt in eloquentiam eadem conuenire. Non quod vitium in ipsa sit, sed quia ex abutentis crimine redundat in eam, tanquam in instrumentum infamia, quemadmodũ & aurum, cum per se bonum sit, vitæque humanæ ac liberalitatis instrumentum, per quamdam tamen communicationem, ex hominum prauitate, cuius instrumentum & occasio est, solet valdè vituperari. Cum igitur multi ad maxima rerum publicarum damna, abusi eloquentia sint, inde factum est, vt velut res noxia, ab ijs, qui segregare subtiliter nesciebant bonum à malo, Rhetorica condemnaretur, & à sapientibus quoq; eijceretur e ciuitatibus rectè institutis; Auxere inuidiam Rhetores quidam, qui palam profitebantur, docere se, quemadmodum in iudicijs causa ex peiore melior fieret, quod erat palam iustitiæ bellum indicere, ijdemque, vt Plato loquitur, profitebantur se vi orationis efficere, vt parua esse magna, & magna vicissim parua, vetera noua, & nouissima vetera viderentur; Auxere in eam odium magis ij, quos appellarunt antiqui sophistas, auidum pecuniæ genus, glorioſum, ac iactabundum, qui profitebantur, de re quacunque se in vtramuis partem dicturos ex tempore quos Plato sæpè ac vehementer exagitat. Et quia (vt ipse docet) idem est sophista ac Rhetor, vel propinquum aliquid, atque simile, inde factum est, vt sophistarum quoque infamia in Rhetores redundaret.

Abusi sunt plerique Rhetorica.

In Phædro.

In Gorgia.

Veruntamen laudibus veræ eloquentiæ nihil hæc debent officere: Nam omnium sapientum sententia, distinguendæ sunt duæ Rhetoricæ, Altera vera & laudabilis, altera adulterina, ac iure vituperabilis, Expressas hasce volunt apud Homerum in Vlysse ac Tersite, quorum ille sapienter, & ex pectore orationem fundere dicebatur, & tanquam iucundum quemdam ninium sensim, & absque strepitu labentium imbrem, Hic temerè, & impudenter, magnoque cum strepitu, litigabat potius, quam dicebat, Itaque Iulius candidus (vt loquitur Plinius) non inuenuste solebat dicere, aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam, nam eloquẽtia vix vni aut alteri, Imo si Marco Ant. credimus nemini, Hæc vero, quam candidus loquentiam appellat, multis atque etiam impudentissimo cuique maximè contingit.] De hoc genere dixit Eupolis Poeta Græcus, & eũ imitatus Salustius loquax magis, quam facundum, & alio lo-

Rhetorica duplex bona & mala.

Lib. 5. Ep. 20.

co, idem Saluſtius ſatis loquentiæ ſapientiæ parum.] Quos homines priſci Romani non Oratores, ſed Locutuleios, & Blateones, & Linguaces dixerunt, vt author eſt Gellius. Ariſt. diſertè docet, ſicut Dialecticæ deprauatio ſophiſtica eſt, & cauillatrix peritia, ita habere ſuum malum eloquentiam, quæ deprauetur; Quamquam hæc eius prauitas apud Ariſt. videatur, eo loco, nomine ſuo carere; Vnde ſcilicet factum eſt, vt cum laus ſua Dialecticæ permanſerit, quamuis Sophiſta poneretur in vitio, Rhetorica propè infamiam ſubierit etiam vera, quia eodem ac falſa nomine appellabatur. Et ſanè diligenter eſt obſeruandum, vt in natura, ſic in diſciplinis, & artibus, vitia quædam eſſe vicina, in quæ, res, de ſuo demotæ ſtatu degenerant, triticum ex malignitate ſoli, corrumpi dicunt in auenam, & lolium; vinum ſatis eſt notum vitiari in acetum, in rebus humanis, monarchia in tyrannidem, Ariſtocratia in Oligarchiam, Popularis dominatus, in tenuiorum potentiam modica inclinatione tranſeunt. Et fortitudinem (inquit Cic.) audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, Et illam diſputandi prudentiam concertatio, captatioque verborum, & hanc oratoriam vim, inanis quædam profluentia loquendi.]

Gell. l. 1. cap. 5.

In Partit.

In Gorgia. Sed omnium optimè, ac fuſiſſimè Plato in hunc fermè modum diſputat. Ad corpus rectè habendum duas eſſe artes, Gymnaſticam, & Medicinam, quarum prior ſanum corpus reſpicit, altera ægrotum ſpectat, vt valetudini reddat, duas item, proportione his reſpondere ad animi rectam conſtitutionem, facultatem legalem, quæ dat præcepta rectè viuendi, & Iudiciariam, quæ perſequens delicta, tamquam morbos animi curat, atque ita; quod corpori eſt medicina, hoc animo eſſe Iudiciariam, quodque eſt corpori Gymnaſtica, hoc legalem eſſe animo. porro hiſce quatuor veris, & honeſtis artibus, quatuor eſſe perſimiles illiberales peritias, quas ad vnicum adulationis caput reuocat, quia ſolum valent ad gratiam quamdam profeſſoribus ſuis conciliandam, legali, reſpondere dicit ſophiſticam, Iudiciariæ falſam Rhetoricam, quæ duæ ad animum pertinent, earum vero quæ pertinent ad corpus, Agoniſticæ imitationem, eſſe fucatoriam quamdam, & mangonicam ſolertiam, quæ non verè bonam habitudinem, ſed apparentem ſolum quamdam oculis ſpeciem inducat, Medicinæ vero docet, reſpondere, induſtriam coquinariam; Deinde comparans inter ſeſe falſas haſce artes, & illis animi, illas corporis opponens, cum Rhetoricam veram hic, & clarius in phædro ſtatuat,

Quatuor facultates comparantur inter ſe. A Platone.

Digitized by Google

tuat, doceatque esse medicinam: falsam dicit esse Coquinariam facultatem. Nam quemadmodum, id solum studet coquus, qua ratione palatum mulceat, & oblectet, non autem quomodo conseruet valetudinem, vel restituat, neque rationes eius efficiendæ nouit, neque ad eam suum opus accommodat, ita Rhetoricam, quæ debuit esse medicina animi, dum solum occupatur in efficienda inani voluptate, coquinariam fieri. Talia cum sint, facile apparet, quod à Sanctis reprehendatur eloquentiæ genus, id nimirum, quod ad decipiendum adhibetur, vel quo falsa per artis lenocinium suadentur, Deinde id, quod assumitur ad inanem ostentationem ingenij atque iactantiam, tertio, quod nõ ad vtilitatem veram auditorum refertur, sed ad futilẽ solum prurientiũ aurium titillationẽ, eòq; nil nisi ludicrũ quasi tinnitũ cymbali habet. Prætorea id, in quo solo is qui verba facit repositã habet suã vim, spemq; omnẽ persuadendi cõfidens, sua arte se effecturũ, vt res perinde videantur, vt ipsi libitũ fuerit. Ideo sanctus Paulus negat, prædicationẽ suam esse in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, non quod temerè loqueretur, & sua industria, quam Sanctus spiritus dirigebat, non excogitaret, quemadmodum posset, Christi doctrinam auditoribus, quam aptissimè proponere; Sed quia in rebus, & cogitandis, & dicendis, non respiciebat humi affixam hominum sapiẽtiam, cui Crux Christi stultitia erat, neque per sese persuasibilia populo loquebatur, idest inania, & placentia, magnificam adhibens adulantium pompam verborum, vt ij faciebant, qui suæ ostentationi, vel auditorum delectationi famulabantur; sed nunquam Euangelium Christi erubescebat, quamuis mundi sapientibus stultitia videretur, nunquam quæ sua essent quærebat, quia volebat totam Christi Cruci laudem, totam vtilitatem auditoribus cedere. Interim tamen ille, quo vtebatur, loquendi modus erat aptissimus, atque adeo eloquentia perfecta, primum quia, quo oratio erat simplicior tanto aberat lõgius à suspicione fallaciæ, cum persuasum sit omnibus, Veritatis simplicem esse sermonem, Deinde quia volebat tunc Deus certiore quadam via fundari Ecclesiam, magnis nempè, manifestisque miraculis, vt nulla vnquam suboriri posset suspicio, sapientiæ aut eloquentiæ humanę viribus esse fundatam. Volebat igitur, sanctus Paulus, virtutem apparere, Crucis Christi, dum ea, quamuis tantùm abhorreret à communi hominũ sensu, tamen fidem inueniret, eamque fidem esse non in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Et hanc ob causam D. Chrisost. repre-

Quæ nã Eloquentia reprehendãtur à Sanctis.

1. Cor. 2.

Contẽtio de Eloquentia Pauli, & Platonis.

Digitized by Google

reprehendit quemdam Christianum, qui cum Ethnico altercabatur, contendens eloquentem S. Paulum, magis, quam Platonem fuisse; & ait contrarias vtrumque egisse partes, ac deberet, Debuisse enim Ethnicum ostendere, sanctum Paulum fuisse eloquentissimum, vt inde concluderet, religionem Christianam humana proseminatam industria: Christianum vero vltro concedere sancto Paulo eloquentiam defuisse, vt tanto certius concluderet diuinum opus, fuisse, mundi ad Christum conuersionem, Cum philosophi illi Græciæ, quorum admirabilis, & doctrinæ, & eloquentiæ copia fuit, adeo paucos ad suas, pellicere, sectas potuerint. Hæc tamen omnia neutiquam obstant, quo minus sanctus Paulus adhiberet industriam, in tractandis hominum animis, quam conuenientissimè fieri posset, cum ob id, omnibus, omnia fieret, & congruentissimum rei, locoque dicendi genus afferret, in quo perfectæ facundiæ sita vis est,

Explicatur locus Matth. 10. nolite cogitare.

Nec vero Christus Dominus, cum dixit Apostolis, ne cogitarent, quomodo, aut quid loquerentur ante Reges & Præsides, iussit esse socordes, ac stupidos, sed noluit sollicitudine angi, noluit desperare, suam considerantes insciticiam, noluit demum sibi confidere, sua diligentia nixos, nã siquis intelligat vetuisse eos præmeditari sapienter, quia dixit, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, eodem modo intelligere posset, prohibitam agriculturam, & omnem aliam rei domesticæ curam, quia item Dominus dixit, nolite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis, hæc enim omnia gentes inquirunt, pater autem vester scit, quia his omnibus indigetis, quamquam hic locus non magis potest afferri contra eloquentiam, quam contra omnem prudentem cogitationem, si sonus verborum dumtaxat consideretur, quo nihil dici potest absurdius, Nam vt optimè docet S. Augustinus Paulus Apostolus ad Timotheum, & Titum scribens, non solum tradidit eis quid, sed etiam quomodo, vnumquodque personarũ genus deberent instituere iubens eos in his esse, & meditari. S. autem Petrus non tantum prædicatoribus, sed vniuersis fidelibus loquitur, cum dicit, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem reddere de ea, quæ in vobis est spe. Voluit ergo Dominus Apostolos fiduciam in Deo reponere. Et ad id, famulum quoque suum Franciscum, quem per Apostolica deducebat vestigia, erudire voluit, cum fecit, vt minus aptè loqueretur, cum se accuratius præparauerat. Et qui puniti diuinitus narrantur, quod vellent sacris libris cultum elegantiorem inducere, non odio eloquẽtiæ

4. de Doct. Chr. c. 10.

tiæ puniti sunt, cum ea, (vt diximus) in sacris libris, & perfectissima sit. Sed quia Deus, qui nouit, quod genus dicendi, rei cuique conueniat noluit illam à Sancto spiritu eloquutionem, elegantiam deformari, quia illa aptissima est, & adeo conseruanda, vt nec puncta, nec apices vacare mysterijs. S. Hieronymus dicat, & fortasse ijdem fastu aliquo inflati, falsæque eloquentiæ corrupti specie, sapientissimam diuini verbi eloquentiam, quia non agnoscebant aspernabantur, & propterea volebant complecti elegantius, quia existimabant, posse aptius se inuenire dicendi genus, quam ipsi sacri authores adhibuissent. Nam alioquin si paraphrasim, elaboratam, humili, piaque mente voluissent conficere, vt rudiorum quoque oculis, sapientissima Eloquentia appareret, non videntur, condemnandi fuisse, cum id impunè, imo cum laude videamus à multis, & prosa, & carmine factitatum. *In ps. 90.*

Quænam sit vera, & falsa Eloquentia. Cap. IV.

HActenus tria docuimus, esse aliquam Eloquentiam bonam, esse aliquam malam, Itemque sacris etiam rebus, quæ bona est, posse laudabiliter adhiberi. Quæ tria planè apud mediocriter eruditos nihil dubitationis, aut difficultatis habebant, In eo labor est, vt vera eloquentia distinguatur à falsa, certæque assignentur notæ, vnde possit vtraque dignosci, ac mala vitari, postremò ex bonæ eloquentiæ formis, quænam maximè sacris concionibus debeatur: quæ vt pro nostra tenuitate, quam clarissimè exponantur, Animaduertendum est Artem vt Ar: docet esse habitum, cum recta ratione factiuum, cõtrarium vero artis habitũ factiuum eum falsa ratione, Itaq; vbi ratio recta non adest, nec adest ars. Recta autẽ ratio præcipuè spectatur ex fine cuiusq; artis, quo proposito talis materia deligenda est, eique certa, inducenda forma ea ratione ac modo, quemadmodum ars ipsa præscribit, Itaque fieri potest, vt ars ipsa destruatur, vel ratione finis, vel materiæ, vel formæ in materiam inducendæ. Ædificandi ars habet pro fine habitationem commodam ad hunc consequendum, necesse est artifex legat aptam materiam, & mente concipiat idoneam formam, quam secundum artis præcepta, ædificationem faciendo, materiæ imponat, si ex charta domus fiat, quamuis tectum, parietes, & cætera distinguantur, non erit verè domus, quia deest apta materia, si colligas cæmenta & ligna, & in vnum cumulum temere aggeras, neque item erit domus quia forma desideratur, ædifi- *6. Eth. c. 4.*

Ars tria attendit finem Materiã, formam.

Digitized by Google

ædificant & pueri casas, & pictores coloribus exprimunt, neutri tamen fabri sunt, quia non spectant habitationem commodam, nec quicquam idoneum ad eam efficiendam adhibent. Venefici etiam ac magi solent interdum pulcherrimas figurare ædes, aulis, cænationibus, cubiculis magnificè, & artificiosè distinctas, qui tamen ludificatores sunt, non ædificatores, quia non ad vsum solida tecta, sed inanem speciem ad oculorum ludibria fabricantur. His positis eadem ratione, de eloquentia philosophandum est, sunt in ea, Res quasi materia, sunt verba, & compositio quasi forma, & est finis, qui præscribit qualia esse debent, & verba, & res.

Finis autē qui nam sit generatim eloquentię, non multum ad nos refert, satis est, si recte intelligatur, quis sit finis eloquentiæ nostræ, qui non potest esse alius, quam finis ipsius prædicatoris, hoc est gloria Dei, & salus animarum, quod tum fit, cum auditores prędicatoris voce & eloquentiæ vsu, tamquam per instrumentum præcipui agentis Dei, meliores efficiuntur. Hoc posito fine duo consequuntur; primum fieri interdum posse, vt genus eloquentiæ maneat, non tamen hæc peculiaris eloquētiæ species, de qua nos agimus, atque ita possit aliquis verè nominari Orator, qui tamen verè prædicator non sit, tales fuerunt Ethnici oratores, tales qui hodièque vel in senatu aliquo, aut foro causas ciuiles tractant; tales denique esse possunt, etiā qui vulgo sibi prædicatorum nomen ascribunt, si habitu vtantur, non cum recta ratione, sed cum praua factiuo, Deinde, sequitur, vtrum quis prædicator sit necne, itemque bonus, an malus, censendum ex materia orationis ac forma, respectu propositi finis, nam si vel materia prædicationi, apta non sit, vel in ea formam, ad consequendum, finem, minus idoneam efficiat, is, qui dicit, sacer Orator esse non poterit. Hoc permagni interest intelligere, sunt enim interdum nonnulli, qui magni prædicatores, vt habeantur prorsus a recta aberrant via, tantumque abest, vt magni, vt ne prædicatores quidem dici mereantur.

Ex fine dijudicanda Eloquentia.

Ex omnibus autem his, tria euidenter manifesta capita fiunt, vnde potest eloquentia christiana vitiari, Primum est finis, secundum materia, tertium forma oratoris. Ex fine tunc destruetur eloquentia, cum non ad efficiendos meliores auditores refertur, quod dupliciter potest intelligi. Primum si ipsa dictio nō referatur quidem a concionatore, ad auditorum profectum, sed ad lucrum, seu inanem gloriam, & ostentationem ingenij.

Ex tribus vitiatur eloquētia sacra.

& elo-

Digitized by Google

& eloquentiæ. Verum quia non posset lucrum vel alia cõsequi, nisi etiam aptè ad profectum auditorum diceret, accommodet etiam ad hoc opus, dictionem suam, hoc siquis consequi posset; peruersissimè ille quidem faceret, tamen fortasse cuipiam videretur, quantum ad eloquentiam spectat, nomen obtinere Christiani Oratoris, quod dixerim vt naturam facultatis ostẽdam, non quod titulus ille inanis peruerso concionatori quicquam, nisi fortè ad maiorem condemnationem conferat. Quãquam satis à nobis in prima parte demonstratum est vix fieri posse, vt qui bonus non est, bene ea, de qua loquimur eloquentia, dicat, ac prorsus sacrum prædicatoris nomen, non nisi in viro bono debere consistere, quæcunque enim eloquentia manere fingatur, nomen hoc tamen, & munus cum adeo sacrum sit, nunquam nisi virtute prædito dabitur. Deinde potest ex corrupto fine opus dicentis vitiari, si scilicet ita lucrum, inanem gloriam, aut aliquid huiusmodi spectet, vt ne materiam quidẽ, aut formam, ad auditorum profectum accõmodatam orationi suæ adhibeat, Et tunc qui id faciat, planè etiam prædicatoris nomen amittit, solumque est sophista, vel vt ait Plato, Coquinarius Rhetor. Ex eodem hoc capite, Hæretici omnes declamatores excluduntur, qui præterquam quod nihil aliud, quam priuatum emolumentum spectant, etiam tum cum sibi videntur, auditorum profectum spectare, reuera non ad profectum eorum, sed ad maius exitium concionantur. Ex materia multa possunt vitia oriri; primum si scandalosa sit, si abhorrens à captu multitudinis, si nimium sublimis, atque subtilis, si prophana, si leuis, de quibus alibi dicemus. Ex forma possunt oriri vitia, tum in dispositione, modoque tractationis, tum in elocutione de quibus item singulis infra præcipietur. Hic solum generatim paulo fusius explicare satis erit, quænam eloquentiæ forma, oratori Christiano maximè conueniat. In Gorgia.

Quæ maximè, Eloquentia Christiano Oratori conueniat. Cap. V.

SVmmum in sacri concionatoris officio negotium est, videre quo eloquentiæ genere vti debeat; Nihil enim tam facile depranatur, nihil difficilius ab authore ipso cognoscitur, nam in sua causa ferè omnes mali sunt iudices, Et in hoc genere, eo peiores, quod vitia ipsa delectant; Eloquentiam vero etiam Germanam, & in alijs causis laudabilem, non tamen promi-

Digitized by Google

promiſcuè, ac temerè locum habere in ſacris, ſed in his certas quaſdam poſtulare notas ſuas, ac proprias, facilius eſt vniuersè pronuntiare, quam eas aſſignare notas, atque diſtinguere. Omnes præcipiunt, & facilè quiuis intelligit, modum ac formam eloquentiæ cuiuſuis metiendam ex fine, eoque eſſe præſtantiorem, quo aptius ad finem perducat. Sed hoc ipſum habet difficultatẽ, nam vt agamus de bonis viris, quales æquum eſt, exiſtimare ſacros concionatores, ſi interrogemus ſingulos, quare hac potius, quam illa dicendi ratione vtantur, Reſpondebunt quia hanc ad finem ſibi propoſitum, aptiſſimam iudicant, Et tamen haud raro euenit, vt multi fallantur, parumq; accommodata ad ſalutem animarum dictione vtantur, Neceſſe eſt igitur, regulas certas præſcribere, vnde poſſint, hi, quoque errorem ſuum agnoſcere.

Proponũtur obiectiones pro nimis ornata Eloquẽtia. *l. de Dialectica prin. cap. 7.*

Sed ante omnia expendendæ ſunt, rationes eorum, qui nimiũ conſectantur ornatum. Obijciet enim aliquis Sancti Auguſtini authoritatem, qui ita loquitur, Quamuis nec diſputationem deceat ineptam, nec eloquentiam oporteat eſſe mendacem, tamen & in illa ſæpè, atque adeo penè ſemper, audiendi delitias diſcendi cupido, contemnit, & in hac, imperitior multitudo, quod ornatè dicitur, etiam verè dici arbitratur.] Vnde apparet ornatæ orationis magnam eſſe, apud multitudinem, vim, cum omninò etiam falſa, per illum ornatum perſuadeantur, Deinde obijciet ex dialogo de oratoribus, ſeu Quintiliani, ſeu Taciti, ſeu alterius, ſententiam Apri, qui cum dixiſſet accommodandam temporibus eloquentiam & iam ſplẽdorem quoque poeticum, ab Oratoribus exigi, ſubijcit, Neque ideo minus efficaces ſunt orationes noſtræ, quia ad aures iudicantium cum voluptate perueniunt, Quid enim (ait) ſi infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi cęmento, & informibus tegulis, extruuntur, ſed marmore nitent, & auro radiantur. cui loco, poteſt illud addi, quemadmodum aurum, & gemmæ maieſtatem augent templorum, cultuſque diuini, ita flores eloquentiæ, ac lumina, maximè adhibenda eſſe religioſis ſermonibus, Nec modò nihil detrahere ex grauitate illorum, ſed etiam plurimum maieſtatis adijcere, nam etiam in veſtibus ſacris, & apparatu omni ſacerdotali, opes barbaricæ, colores exquiſiti, opera phrygiorum cum laude, fructuq; ſpectantur. Quid? in cantu, muſicisq; inſtrumentis, quantum ineſt venuſtatis ſimul & vtilitatis, ad alliciendos in templa homines, animoſque ipſos, dum aures dulci modulatione tenentur,

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

tur, blandis tamquã insidijs ad diuina afficiendos? Igitur multorum Christianorum, cum tantum sit, rerum salutarium fastidium, quæ maior seu prudentia, seu charitas esse poterit, quam quemadmodum ille ait, oras poculi dulci melle contingere, vt dulcedine illa illecti, potionem salubrem exhauriant? Denique Sancti Patres, qui maximè laudantur, non solida modò, sed etiam culta, & florida eloquentia ita excelluere, vt ætatibus suis, ne ex prophanis quidem Oratoribus, facilè haberent quẽquam superiorem. Libanius Ethnicus homo, idemque sophista sui temporis ornatissimus, Sanctum Basilium ob eloquentiam Atticam, admirabilem vocat, & sibi non rarò anteponit. Nazianzeni eloquentia non solum culta, sed ad poeticam accedit, An Chrisostomus aureum illud nomen, nisi aureo eloquentiæ flumine consequutus est? Quid apud Latinos Chrisologus, persimilis cognomenti titulo cohonestatus? Quid sanctus Ambrosius re, & nomine Orator, cuius eloquentiam, vti olim Platonis, apum in ore eius mellificio præmonstratam accepimus? Augustinum, Hæreticus Cresconius, audet eo nomine, vocare apud populum in inuidiam, quod nimis eloquentia polleret. D. Hieronymus quãquam se verberatum ab Angelo dicat, & alibi frondescentem sermonem affirmet in sacris literis interpretandis minimè adhibendum, tamen aliter stylo suo videtur docere. Nam de Cypriano quid attinet dicere, qui, vt ait Lactantius magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, & multa conscripsit in suo genere admiranda. Erat ingenio facili, copioso, suaui, & quæ sermonis est maxima virtus, aperto, vt discernere nequeas, vtrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Nihil est, quod abeamus per singulos cæterorum, cum de principibus constet, qui alijs omnibus pro exẽplo vel fuere, vel certè esse debuerunt; Videtur igitur quod non solum grauis, ac seria, sed etiam amœna, compta, florida, in sacris concionibus habere locum eloquentia debeat. Probabilis videtur hæc oratio, eoque facilius fidem inuenire apud multos potest, quorum fauet ingenijs; Nam qui amœniore, præditi sunt ingenio, & linguæ quadam volubilitate incitãtur, quia imperitæ multitudini profluens illa copia, & beata dicendi vena, aures iucundo sono demulcet; eoque frequentat concionem, & implet auditoribus templa egrè omninò moderari suæ naturæ, seseque intra mediocritatis fines coercere possunt, sed tamen si boni viri, vt debent sunt, eò diligentius cauere

Quarta Obiectio.

Ep. 22. ad Eust.

Lib. 5. Inst. cap. 1.

debent

debent, ne corrupto dicendi genere vsi, quo flexibiliorem habent ad eloquentiam indolem, tanto grauius puniantur, quanto plura accepere talenta, si ea inani cum sonitu in auras effuderint. Quantum enim animarum, cum diuina gratia, possent ad virtutem conuertere, si illam suam facultatem temperare vellent, illam affluentiam inhibere, immodicos illos resecare flosculos, totumque neruum orationis ad motum animorum, virtutemque suadendam intendere. Ne igitur suo ipsi labore pœnas sibi à Deo accersant, totque animas solido fructu sustentandas foliorum inanitate pascant, & sanguinis Christi pretiũ eorum causa propemodum pereat, accuratè ideo enitendum est, vt quam planissimè tota res illustretur, quidque rationes allatæ momenti habeant, palam fiat.

Eloquentia concionũ debet esse grauis. 4. *de Doct. Chr. c.6.*

Ac primum statuendum est, eloquẽtiam sacri concionatoris debere grauitatem quamdam sacram præferre ac maiestatem. Primum quia vis maxima eloquentiæ in eo consistit, vt personæ congruat loquentis. Et quidem sanctus Augustinus, ne eloquentiam quidem appellandam dicit, quæ personæ loquentis minus conueniat;] Persona autem quam concionator sustinet, grauissima est, nimirum sacri Doctoris, Deique legati, per cuius os loquatur, & (vt Pau. ait,) Deus ipse exhortetur. Deinde quia mores concionatoris multum valent ad populum permouendum, genus autem eloquentię, morum formam comitari solet, ita vt tamquam prouerbio vsurpatũ sit ab omnibus, speculum imo faciem animi, orationem esse. Igitur si oratione graui vtatur, tales etiam ostendet sibi mores inesse talem animum, & hinc rursum authoritas & pondus in eius dicta permanabit. Præterea res ipsæ, de quibus agitur, grauissimæ sunt eloquentia autem est quædam quasi vestis, quæ tum maxime decet; cum ei cõuenit, qui ea vestitur, & hoc est, quod & sancti viri, & prophani scriptores aiunt, Matronæ similem eloquentiam esse debere, non meretrici, ideſt, quæ rebus grauibus conuenientem cultum attribuat, maturum quiddam, & graue præ-
2. *Cor. 5.* ferens, non meretricium fucum, & adulterinum candorem, debet quidem, vt res tractantur, magis minusve lętæ ac tristes, ipsa quoque eloquẽtia quasi exhilarari, magis & contrahi, neque eadem orationis seueritate de Christi Domini luce in transfiguratione, qua de eiusdem in Cruce morte dicẽdum est. Ad hæc oratio suaui quadam grauitate tẽperata, & rebus apta multo magis persuadet ex eo capite, quod non distrahit mentem, ad ingenium oratoris cogitandum, vel suspiciendam eius

elo-

Digitized by Google

eloquutionem ſed ipſas res ita proponit, vt in eas tantum animi figatur obtutus, illæ inſideant menti, illæ cor penetrent.

Idem oſtendamus authoritate etiam Ethnicorum ſapientũ, quæ hac in re multum debet valere, cum agatur de vi perſuadendi, eaque facultate, quam ij callebant maximè & profitebantur. Certum autem eſſe debet, Oratoris Chriſtiani eloquentiam, proportione quadam ei reſpondere, quæ apud antiquos eorum erat philoſophorum, qui virtutem ſe docere profitebantur, ipſi enim hóc ſibi negotij aſſumebant, vt populum, ſed maximè ſectatores ſuos facerent meliores, quod ex philoſophorum vitis, actis, itemque ſcriptis manifeſtius eſt, quam vt probari pluribus debeat. Et illud Tertulliani ſatis oſtendit, quo Philoſophi vitam deſcribit lib. de pallio, quamuis obſcurè loquitur vt ſolet, Soleo (ait) de qualibet margine, vel ara medicinas moribus dicere, adigo cauterem ambitioni, immergo æquè ſcalpellum acerbitati: præcidam gulam. Dabo catharticum impuritati Scauri, has purulẽtias ciuitatis, quis eliciet, & exuaporabit, niſi ſermo palliatus ideſt philoſophicus? Ex philoſophis planè, Socrates is, qui maximè philoſophiam conatns eſt, ad mores hominum traducere, vel paruiſecit, ſtudium cultioris eloquentiæ, vel diſſimulauit; ſic enim in ea oratione, quàm pro ſe habuit à Platone loquẽs, inducitur, Vos (inquit) à me audituri eſtis veritatem, & non tamen per Deos immortales, ò Viri Athenienſes, orationem compoſitam, electis verbis, & nominibus, vt faciunt, qui horum ſtudioſi ſunt, neque aliquo ornamento fucatam, ſed audietis vulgaribus, ciuilibuſque verbis loquentem. Credo enim iuſta eſſe, quæ dico. Non enim profectò iudices; huic ætati conuenire videtur velut adoleſcentulo fictis ad vos ingredi verbis.] Hæc ſi quis velit, apud Chryſ. inueniet. Itaque (ait Chr.) philoſophis quidem eloquentia indigna eſt, & viris prorſus, ludentium vero adoleſcentulorum certamen, & gloria, quod ipſis quoque philoſophis videtur, nec philoſophis quibuslibet, ſed illi (Platonem intelligit), qui omnes facilè in ea arte ſuperauit. Denique magiſtrum (ideſt Socratem) ea re ornari non permittit, eiuſmodi ornatum, & turpem eſſe, & indignum philoſopho exiſtimans.] Et tamen ex ijs, ille Philoſophus fuit, qui non receſſere à communi ſocietate, ſed maximè ad hominum mores excolendos incubuit. Planius autem, quæ dicendi forma deceat, Philoſophum Seneca docet his verbis. Non mehercule ieiuna eſſe & arida volo, quæ de rebus

Teſtimonia Ethnicorum.

Tertul. lib. de pallio.

Socratis iudicium.

Plato in Apolog.

3 Lib. aduerſus Vitup. vitæ Monaſt.

Senecæ iudicium.

Epiſt. 75.

Digitized by Google

tam magnis dicentur, neque enim philosophia ingenio renunciat, multum tamen operæ impendi verbis non oportet, Hæc sit propositi nostri summa, quod sentimus loquamur, quod loquimur, sentiamus, concordet sermo cum vita, Ille promissum suum impleuit, qui, & cum videas illum, & cum audias, idem est. Videbimus qualis sit, quantus sit. Vnus sit. Non delectēt verba nostra, sed prosint. Si tamen contingere eloquentia, non solicito potest, aut si parata est, aut paruo constat adsit, & res pulcherrimas prosequatur, talis vt res potius, quam se ostendat. Aliæ artes ad ingenium totæ pertinent, hic animi negotium agitur. Non quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem, sed si ita contingit, vt idem ille, qui sanare potest cōptè de his, quæ facienda sunt, differat, boni consulet, Non tamen erit, quare gratuletur sibi, quod inciderit in medicum etiam disertum, hoc enim idem est, ac si peritus gubernator etiam formosus sit. Quid aures meas scalpis? quid oblectas? Aliud agitur, vrendus, secandus, abstinendus sum, Ad hæc adhibitus es, curare debes morbum veterem, grauem, publicum. Tantum negotij habes, quantum in pestilentia medicus, circa verba occupatus es?] Et alibi Nimis anxium esse te circa verba, & compositionem, mi Lucili nolo, habeo maiora, quæ cures, quære quod scribas, non quemadmodum, & hoc ipsum, non vt scribas, sed vt sentias, vt illa, quæ senseris, magis applices tibi, & veluti signes. Cuiuscunque orationem, videris solicitam, & politam; Scito animum quoque, non minus esse pusillis occupatum, Magnus ille, remissius loquitur, & securius, quæcunque dicit, plus habent fiduciæ quam curæ. Nosti complures iuuenes, barba, & coma nitidos, de capsula totos, nihil ab illis speraueris forte, nihil solidum. Oratio vultus animi est, si circumtonsa est, & fucata, & manufacta, ostendit illum quoque non esse syncerum, & habere aliquid fracti, non est ornamentum virile concinnitas.] Musonius apud Gellium, de philosophi eloquentia in hunc modum iudicabat, Cum philosophus (ait) hortatur, monet, suadet, obiurgat aliudvè quid disciplinarum differit, Tum qui audiunt, si de summo, & soluto pectore, obuias vulgatasque laudes effutiunt, si clamitant, etiamsi gestiunt, si vocum eius festiuitatibus; si modulis verborum, si quibusdam quasi frequentamentis orationis mouentur, exagitantur, & gestiunt, tum scias, & qui dicit, & qui audit, frustra esse, neque illic philosophum loqui, sed tibicinem canere, Animus (inquit) audientis philosophum, si quæ dicuntur,

Epist. 115.

Musonij iudicium. *Noct. Attic.* 4, 5, c. 1.

Oprima sententia.

Digitized by Google

cuntur, vtilia, & salubria sunt, quæque & errorum, atque vitiorum medicinas ferunt, laxamentum, atque otium, prolixè, profusèque laudandi non habet, quisquis ille est, qui audiuit, nisi ille est planè perditus, inter ipsam philosophi orationem, & perhorrescat, necesse est, & pudeat tacitus, & pœniteat, & gaudeat, & admiretur, varios adeo vultus, disparilesque sensus gerat, perinde vt eum, conscientiamque eius affecerit, vtrarumque animi partium, aut syncerarum, aut ægrarum, philosophi pertractatio.] Præterea dicebat, magnam laudem non abesse ab admiratione, admirationem autem, quæ maxima est, non parere verba, sed silentium. Idcirco (ait poetarum sapientissimus) auditores illos, Vlyssi, labores suos illustrissimè narranti, vbi loquendi finis factus, non exultare, nec strepere, nec vociferari facit, sed conticuisse vniuersos ait, quasi attonitos, & obstupidos delinimētis aurium, ad origines vsque vocis permanantibus.] Quid autem mirum est, si hæc sunt, de Philosophorum dictione sententia, cum hæc de ipsis Oratoribus, author dialogi, de hac re apud Tacitum sic loquatur; Cæterum, si omisso optimo illo, & perfectissimo genere eloquentiæ, eligenda sit forma dicendi, Malim Hercule, Caij Gracchi impetum, aut Lucij Crassi maturitatem, quam calamistros Maecenatis, aut tinnitus Gallionis, aueo melius oratorem, vel hirta toga induere, quam fucatis, & meretricijs vestibus infignire. Neque enim oratorius iste, imo herclè ne virilis quidem cultus, quo plerique temporum nostrorum actores ita vtuntur, vt lasciuia verborum, & leuitate sententiarum, & licentia compositionis, histrionales modos exprimant.] Omitto hic plura ex Antiquis afferre, Quintiliano præsertim, & Tullio, solum adijciam, quæ Marcus Antonius Muretus magna vir & dicendi facultate, & iudicandi prudentia in Epist. 40. Senecæ annotat. Tale (inquit) disputandi genus, circulatoribus magis, quam philosophis conuenire. Huius ipsius vitij exempla, vel maximè illustria notaui in quibusdam maximarum rerum ad populum interpretibus, quarum Oratio, quæ nō compta, & calamistrata, sed grauitatis, maiestatis, ac sanctimoniæ plena esse deberet, tota papauere ac sesamo sparsa est, & ex mellitis verborum, contexta globulis, ita vt ad eos, non tamquam ad vitæ magistros, aut vitiorum correctores, sed tanquā ad comœdos, & histriones eatur, stant illi, & cum frontem bis, terue perfricuerint, barbamque permulserint hiante & mirificum aliquid expectante plebe (plebis autem nomine, etiam

Iudicium Antonij Muretti.

In Ep. 40. Senecæ.

quoſdam ex optimè veſtitis comprehendo) laxant habenas linguæ, & ſimiliter cadentia, ſimiliterque definentia coaceruantes, paria paribus, contraria contrarijs opponentes, multa etiam ſemel ſuo ordine dicta, ſurſum, deorſum, aut alias variato ordine repetentes, eaque in re, memoriam pueriliter oſtẽtantes, atque hæc, ſaltatricularum in morem, geſticulatorijs, neque vnquam quietis manibus adiuuantes, argutè multa, quibus riſum excutiant dicunt, numquam interim aut ſibi, aut auditoribus reſpirandi facultate permiſſa. Quibus omnibus rebus admirationem imperitis, cordatis, & intelligentibus nauſeam, ac ſtomachum commouent.]

Sanctorum Patrum, de hac re iudicium ac ſententia. Cap. VI.

Addamus his ſanctorum, & veterum quoque Patrum, ex noſtris ſententias. Clemens Alexandrinus. Meum autem (inquit) eſt probabile, vt exiſtimo, inſtitutum verbo quidem & rationi conuenienter viuere, ea autem quæ ſignificantur intelligere, eloquentiam autem nunquam magnifacientem contentum eſſe, ſi ſignificetur id quod intelligitur: Quo autem nomine ſignificetur id quod volo exponere, nihil mihi curæ eſt. Opem enim ferre, vt ſeruentur ij, qui ſeruari cupiunt, puto eſſe optimum, non autem dictiunculas tanquam quædam ornamenta componere. Et ſi caueris (inquit, Pythagoreus in Platonis Politico) ne ſis de nominibus nimium ſolicitus, prudentia locupletior apparebis in ſenectute. Et rurſus inuenies in Theeteto, Nominum autem & verborum facilitas, & non nimis accurata examinatio, vt plurimum non eſt ſordida & illiberalis, ſed eius potius contrarium. Eſt autem nonnunquam etiam acceſſoria. Hæc quam fieri poteſt breuiſsimè ſcriptura enunciauit dicens, ne multum verſeris in verbis. Dictio enim eſt tanquam veſtis in corpore, res autem ſunt carnes, & nerui. Non oportet ergo maiorem veſtis, quam ſalutis corporis curã gerere. Non ſolum enim frugalis vitæ ratio, ſed etiam à ſuperuacaneo cultu, ornatuque aliena oratio exercenda eſt ei, qui veram vitam elegit. Siquidem delicias vt doloſas, & luxurioſas repudiamus: ſcilicet vnguentum, & purpuram veteres Lacedæmonij, doloſas quidem veſtes, & doloſas vnctiones rectè reputantes, & nominantes: quoniam nec honeſtus eſt ille cibi apparatus, qui plura habet condimenta, quam ea quæ nu-

Li. 1. Strom:

Digitized by Google

nutriunt: nec est bellus vrbanusvè orationis vsus, qui Auditores magis potest delectare, quam iuuare. Hæc Alexandrinus Clemens, tam multa vt solet, breui complexus, vt hac vna eius authoritate, argumenta, ac testimonia e sacris, & prophanis multa contineantur. Arnobius cum respondet accusantibus Christianos, quod in eorum sacris libris, vel barbarismi essent, vel solæcismi, Pompa ista sermonis (inquit) & oratio missa per regulas, concionibus, litibus, foro, iudicijsque seruetur, deturque illis, qui voluptatum delinimenta quærentes, omne suum studium, verborum in lumina contulerunt; cum de rebus agitur, ab ostentatione semotis, quid dicatur spectandum est, non quali cum amænitate dicatur, nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus vtilitates, maximè cum sciamus etiam quosdam sapientiæ deditos, non tantum abiecisse sermonis cultum; verum etiam, cum possent ornatius, atque vberius loqui, triuialem studio humilitatē sequutos, ne corrumperent *scilicet* grauitatis rigorem; & sophistica se potius ostentatione iactarēt. Enimuero dissoluti est pectoris in rebus serijs quærere voluptatē, & cum malè se habētibus atque ęgris, sonos auribus infundere dulciores, nō medicinā vulneribus admouere] Chr: Neque vero (inquit) eum sermonē laudauerim, qui fastu tumidus, externæ peritiæ iactantiā sequitur; sed qui virtutis, ac succi habeat plurimum, qui sensibus grauis sit, & sapientia plenus, Nō ergo apparatu illi opus est, & pompa dicēdi, sed intelligētia ac viribus ad id, quod sentit eloquendū idoneis] Et iterū, hac re dicit subuerti Ecclesias, quod auditores velint audire sermonem, non qui cōpungat, sed qui oblectet, & tinnulo stre pitu, & verborum compositione, tamquam cytharædis, & canoribus operam darent, & prauo populi studio prædicatores obsequantur] de quibus subdit flosculos verborum, & compositionem, & harmoniam curiosius sectamur, vt canamus, non vt prosimus, vt simus, in admiratione, non vt doceamus, vt delectemus, non vt compungamus, vt plausu, & laudibus obtentis abeamus, non vt mores componamus.] S. Naz. aib] primam sapientiam esse pro nihilo ducere eam sapientiam, quæ in verbis, & dictionum argutijs, ac fucatis, & superuacaneis disputationibus sita est, & fuit quoddam tempus (inquit) cum res nostrę florerēt, cum nimirum superflua hæc, & verborum lepore atque arte facta, tractandæ Theologiæ ratio, ad diuinas caulas ne aditum quidem haberet.] In oratione de se conqueritur, Christianam pietatem, simplicem prius, artisque expertem,

Arnobius Lib. 1. contra Gētes.

S. Chrisost. Homil. 15. ad Tim.

Hom. 30. in Act. Ap.

S. Naziā. Orat. de plaga grādinis.

Orat. de S. Athan. De Affect. Cath. Constant.

Digitized by Google

fucatam, & genus quoddam politices effectum à foro ad ſancta tranſlatam, a Theatris ad abdita ſacra, vt ſi audacius loqui liceat (inquit) duæ iam ſcenæ ſint, hoc diſcrimine inter ſe diſtinctæ, quod illa omnibus pateat (ideſt prophana) hæc quibuſdã, Illa rideatur, hæc honore floreat, Illa denique Theatrica, hæc ſpiritualis nominetur.] S. Hieron. Iam enim, in Eccleſia, iſta quæruntur, omiſſaque Apoſtolicorum ſimplicitate ac puritate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad auditoria conuenitur, vt plauſus circumſtantium ſuſcitentur, vt Oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quaſi quædã meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quam fauorem populi quæſitura, & in modum pſalterij, & tibiæ dulce canentis ſenſus demulceat audientium, vt verè illud Prophetæ Ezechielis noſtris temporibus poſſit aptari, dicente Domino ad eum, Et factus eſt eis quaſi vox cytharæ ſuauè canentis, & benè compoſitæ, & audiunt verba tua, & non faciunt ea] Idem Hieron. qualem à ſacro doctore eloquẽtiam requirat, in hunc modum exponit. Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur, lachrymæ auditorum, laudes tuæ ſint. Nolo te declamatorem eſſe, & rabulam, garrulumque ſine ratione, ſed myſteriorum peritum, & ſacramentorum Dei tui eruditiſſimum. Verba voluere, & celeritate dicendi, apud imperitum vulgus, admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt.] Sanctum Auguſtinum audiamus, In populo autem graui (ait) de quo dictum eſt in populo graui laudabo te, nec illa ſuauitas delectabilis eſt, qua non quidem iniqua diliguntur, ſed exigua & fragilia bona, ſpumeo verborum ambitu, ornantur, quaſi nec magna, nec ſtabilia, decenter, & grauiter ornarentur. Eſt tale aliquid in Epiſtola Beati Cypriani, quod ideo puto, vel accidiſſe, vel conſultò factum eſſe, vt ſciretur a poſteris quam linguam doctrinæ Chriſtianæ ſanitas, ab iſta redundantia reuocarit, & ad eloquentiam grauiorem, modeſtioremque reſtrinxerit, qualis in eius cõſequentibus literis ſecurè amatur, religioſè appetitur, ſed difficillimè impletur. Quod autem hic S. Auguſt. de Cypriani refert profectu, idem Arnobius quoque (ſi tamen eius ſunt cõmentarij) in pſalmos) videtur ex Chriſtiana diſciplina lucrum feciſſe, vt luxuriantem, in libris contra gentes facundiam, plurimum caſtigaret. Itemque vir eloquentiſſimus Paulinus, poſt pietatem Chriſtianam, toto pectore acceptam, cum poeticam tum oratoriã dicendi vim etiam ante, grauem & modeſtam, vltro ad ſimplicitatem ſummiſit Sanctus Hegeſippus.

S. Hieron. In proem. l. 3. in Ep. ad Galatas.

Ez. c. 33.

Ep. 2. de vita Cleric. ad Nepot.

S. Auguſt. 4. de Doct. Chr. c. 14.

S. Paulin.

pus. Apostolorum vicinus temporibus, dicitur, ecclesiasticam historiam, simplici stylo scripsisse, vt quorum vitam, sectabatur, dicēdi quoque exprimeret charactere. Et planè hic fuit semper in sancta Ecclesia sēsus, vt Christianorū sermo, nescio quid potius neglectum, quam comptum nimis referret, vt hae quoq; in re a seculi vanitate, ac leuitate, longius abesset; Nam quemadmodum paupertatem, Humilitatem, & contemptionem rerum terrenarum a Christo sciebant prædicatam, & curas hominum omnes ad cælestia sublatas, ita intelligebant, cum saeculi pompis, quibus renunciabant in baptismo, etiam sermonis pompae renuntiandum. Videmus hodieque id fieri, vt lepores dicendi, venustatesque, a viris, qui se penitus Deo tradiderunt, vel reiecentur omnino, vel maxima ex parte coerceantur, vt quae ad solidum fructum nihil adiumenti, impedimenti plurimum afferant. Ex his, & prophanorum, & sacrorum authorum testimonijs, manifestum fit, genus eloquentiae valdè exquisitum, vbique, sed præcipuè in rebus philosophicis, & grauibus reprehendi, vnde facilè concluditur, quantū debeat a rebus sacris abesse. Ambr. item, Quod (inquit) luxuriat in flore sermonis, tenuatur & hebetatur in fructu. Adijciat vltimo loco, suam hac de re sententiam D. Prosper Sententiarum ait, viuacitatem, sermo ex industria cultus eneruat, & totam vim dictorum, splendor elaboratus euacuat; Necesse non est, recentiorum proferre testimonia, ideoque vnius ero authoritate cōtentus. Nam vir grauissimus, & valdè pius Ludouicus Blosius, eota de re ita censuit; Sanè (inquit) talem me esse profiteor, qui aliquid facundè dicere, neque posse si vellem, neque velle, si possem, pietati admodum amica est simplicitas, sitque, nescio quo pacto, vt verba exculta, cor plerumque non tam pectatum, quam demulceant] & post aliquid addit nimius eloquentiae amor, mentes eorum, qui minus affecti sunt, facillimè a Deo, ac pietate auocat, & in præcipitium philaphtiae superbiae, & cenodoxiae pertractas, velut atheas reddit.

S. Hegesippus.

S. Ambros.
S. Prosper lib. de Vita Contem: ad finem.
Ludouicus Blosius, Initio operum suorum.

Respondetur ijs, qui ornatum insignem in sacro Oratore probant. Cap. VII.

RAtiones vero in contrariam partem allatae, iam satis opinor, explicatae sunt, tot grauissimorum hominum sententijs, vel certè ipso authoritatis pondere, vt ita dicam, obtritae, tamen, vt aliquid propriè de ijs dicamus. Primum statuendum est quod ante diximus, neque eloquentiam, neque eius or-

Digitized by Google

namenta recusari a nobis, dummodò & dicentis personæ, quę Deum refert, & rebus de quibus dicit, conueniant, sed solum reprehendi, quod vel in sententiarum, vel in verborum genere, sit nimis laciniosum, floridum, ac leue, Error enim est maximus, existimare, quia populo facilè imponit circulator quispiam, fuco, & vana pictura sermonis, licere eodem modo agere quodammodo circulatorem in suggestu. Nobis enim non venditandæ sunt merces, non laborandum vt simpliciorum mentibus, fucum faciamus, Non denique Iudex iratus, insidiosè captandus, non tenenda suauitate orationis, strepens & vaga cõcio, sed fidelis populus cohortandus ad sancta. Est certè magnopere obseruandum, discrimen sacrarum, prophanarumque concionum: Ad prophanas, siue iudicia tractentur, siue deliberationes per pauci confluunt, quorum res interest, plerique causa voluptatis. Qui vero ad sacrum Oratorem conueniunt, tamquam ad rem suam conueniunt, causa hic agitur singulorum, & causa capitalis. Quorsum igitur hic Calamistri? quorsum laciniæ ac phaleræ orationis, flosculiq; inanes, vbi paruli petunt panem, & non est qui frangat? vbi de salute quisque periclitatur æterna? Miserandi sunt sanè mortales, plerisque, in rebus, & in hac maximè, qui laudant eos concionatores à quibus, nil nisi leuissimam voluptatem reportant. Nam si in ipsorum causa graui apud Iudices, eo pacto loqui patronum suum audirent, quomodo id ferrent? quam vellent, cum non tam iucundè, quam acriter, ac verè dicere? Et tamen cum animæ, non corporis causas agat concionator, plaudunt alia omnia potius, quam causam ipsam agenti. Hæc planè, si Concionator, quemadmodum vera sunt, ita seriò apud se reputet, videbit, quam absurdum sit aures scalpere, vbi cordi lataliter ægrotanti, facienda est medicina. Deinde falsum est, quia res sacræ præstantissimæ sunt, ideo rhetoricis ornamentis quibuslibet induendas esse, nam ista compta, & benè pexa oratio, exquisitæ istæ munditiæ, nitidæque gẽmulæ vocularum, non sunt prætiosa lumina veræ facundiæ, sunt friuola quædam, & ludicra quasi crepundia, quæ speciem habent, non corpus, inania quædam acroamata, Adhibe germana ponderosa, seria ornamenta, non veto. Talia Sancti Patres adhibuere, de quibus paulo post dicam. Nam quod de sacris vestibus, Musica atque adeo de templis ex Apro, supra attulimus, partim simile est, partim toto cœlo dissimile. Nimirum quemadmodum eloquentiam sacram, dicimus seriam, & grauem esse debere, Itæ philoso-

Respondetur ad Aprum de sacris vestibus Musica & templis.

loſophamur de muſica ſacra, nimirum quantum in genere muſicæ ſitum eſt, ad animos variè fingendos, itaut non ſine cauſa, quidam antiquorum ſapientum, ex commutatione Muſicæ, ſtatum commutari Ciuitatum affirmẽt, & quaſdam ob eam rem, mutatas, in exemplum adducant: ſicut ergo non decet leues eſſe, prophanosq; & quiddam petulans, ſapientes muſicæ ſacræ modos, Ita ſobrium ac ſanũ eſſe debet Chriſtiani oratoris eloquium, vt populus quemadmodum Cyprianus loquitur audiat non diſerta, ſed fortia. Nec valdè abſimilis eſt ratio picturæ, in qua ſacris præſertim in locis, nihil prophani eſſe deberet admixtum. Quid enim magis dedecet, quam cum oculos in ſacram tabulam, conijcis, vt pietatem accendas, incurrere in formoſulam mulierculam, vel in terga nuda, toroſaq; bracchia robuſti lictoris? Nihil ibi decet, ſpectari non ſanctum, Nihil quod oculos animumque auocet, ab eo, quod ſpectandum, colendumque proponitur. Nec tamen idcirco, parerga pictoribus interdicimus, & picturæ genus, ſtrigoſum, ac triſte præcipimus, ſed vt grauia adhibeat ornamenta, quæque ei, quod præcipuè pingitur, & cauſæ ob quam pingitur, inſeruiant, non autem aduerſentur, talisq; etiam, proportione, eſſe debet orationis cultus, vt tota dictio ad propoſitum finem accommodetur, atque eloquutio conſentiat, aptèque ſubſeruiat rebus. *Hier. ep. 2. ad nepot.*

Diſſimilis vero templorum, & ſacræ ſupellectilis, magna, ex parte, ratio eſt, & ex parte ſimilis. Quippè & ſuam quamdam formam habent hæc, à populari ſecretam, & à prophana diſtinctam; quamuis enim, prætioſiſſima quæque, maximè diuino cultui debeantur, quia hoc modo oſtendimus, quanti à nobis fiat Deus ipſe, & à quo omnia habemus, optima conſecramus, tamen certus eſt modus, ſacrarum veſtium, certa figura ſacrarum ædium, quas ſiquis ad prophanam ſpeciem, quamuis fortè curioſiorem vellet redigere, nemo pateretur. Ita ſua debet eſſe dictioni ſacræ nota, quæ à prophana diſtet, non declamatoria ſubtilitas, non poeticus nitor, nec ſophiſtica oſtentatio, & alia, id genus prophana ornamenta ingeri in eam debent: Deinde templorum magnificentiæ, ſplendorique ſacrarum veſtium, ille eſt propoſitus finis, vt maieſtate quadã, animos populi imbuat, & ad æterni numinis comprehendendam, mente præſtantiam, iuuet. Qui finis, vt palam fit experimento, optimè ex earum rerum pretio, artificioque exiſtit. Sed contra planè, ſumptuoſiore oratoris gaza, videmus accidere. Non enim qui eã ditiorem ex populi æſtimatione adhibet,

bet, plures ad virtutem adducit, ſed potius pauciores, Vnde manifeſtum fit, talem apparatum, fini, qui ſacro oratori propoſitus eſt, vtilem aptumque non eſſe. Quod ſi talem adhibeas, verborum, ſententiarumque ſuo loco magnificentiam, vt audientes veneratione Dei impleas, & infinitam eius maieſtatē, efficacius eis repreſentes, iſtud ſine dubio, laudabile, veræque ac ſanctæ eloquentiæ opus eſt. Nam & ipſa templa, quorum ſplendorem, ornatumque miramur videmus, quanta mole conſiſtant, quam firmis, ſeu pilis, ſeu columnis nitantur. Sed error in eo eſt, quod orationi non adduntur ornamenta, ſed ex eis tota componitur, Id ſolum habet, quod acceſſio tēplis eſt, At firmitatem ſententiarum, grauitatem affectuum, pondus argumentorum non habet. Præterea habet illud proprium oratio, vt quoniam valdè coniuncta eſt cum dicente, ſimul ipſius mores exprimat, ſimulque auditorum mentes rapiat ad cogitandum, & iudicandum de ipſo oratore, quod in templis, ſacrarumque veſtium ornatu non fit, Non enim cum videt populus Sacerdotem pulcherrimē veſtitum inde delectari eum, pōpa veſtium arbitratur, nec leuiculum ex eo indicat, itemque in ornatu templi, quamuis feratur ſæpè cogitatio ſpectantis, in conditoris quoque magnificentiā, nihil tamen offenditur, quia magnificentia virtus eſt. Et quamuis hic quoque poſsit habere locum vanagloria & oſtentatio, tamen pōpulus in meliorem partem interpretatur, quia non tam certum hoc indicium animi, vt oratio, nec tam ſæpè euenit, vt oſtentatio quæratur in ædificatione templi, quam ſæpè vſu venit, vt quæratur in tali dicendi genere. Itaque cum templum pōpulus magnificum ſpectat, ſi de authore cogitat, laudat quod in honorem Dei impendium magnificè fecerit. In oratione autem cum quid hilarius auditur, mens noſtra ſtatim tranſuolat ad cogitādum ipſum oratoris ingenium. Et quia vt ſæpè dictum eſt, oratio eſt index animi, facilè de animo ipſo iudicium fert, leuemque & curioſum potius, quam accuratum pronunciat. Denique ornatus in templis, ac veſtibus ſacris, ſi ſolum ornatus eſt, non prophanis leuitatibus (vt de muſica & tabulis pictis dixi) corruptus, nequaquam pietati, & ſuæ quaſi ſignificationi officit, ſed magis prodeſſe ſolet, At Oratio officit ſententiæ, cum ſplendidior eſt, & comptior, motui verò animorum, qui veritate maximè ſuſcitatur, & candore verborum ſimpliciori, vehementer repugnat.

Qua-

Qualis sit Eloquentia Sanctorum Patrum. *Cap. VIII.*

VErum difficile fortasse videbitur respondere, de Sanctorum Patrum exemplis, re autem ipsa nihil facilius; nam quid ipsi de sphmeo dicendi genere, de pompa orationis, de lenocinijs, & calamistris Rhetoricorum censuerint, satis expositum est supra. Deinde obseruanda sunt duo. Primum, quę fuerit eloquentia eorum temporum, quibus patres extiterũt, deinde nos habere eorũ scripsa, non audire voces ad populum fuere Patres ij, quorum eloquentia celebratur eo tempore, cum in sæculo (vt ipsi loquuntur) adest inter Ethnicos florebat eloquẽtia planè corrupta, quæ corruptio non in eo est, quod magis barbare tũ oratores loquerentur quã veteres, quãquam & hoc verũ est, sed in eo, quod a prisca seueritate, vi, veritateque actionis delapsi erant, ad sententiolarum ineptias, & vocularum flosculos, & compositionis cincinnos. Denique ab animis auditorum, orationem ad aures transtulerant. Quippè, cum perijssent, verę eloquentiæ præmia, & iam locus propè tantum panegiricis relictus esset, omnem curam non ad victoriam causæ, quam rarò veram tractabant, sed ad ostentationem ingenij conferebant, & illa veterum oratorum vera in foro, siue in iuria, dimicatio, ad inania declamatorum in scholis simulacra redierat, in quo ludicro multi consenescebant. Qualis autem esset declamantium cura ex Seneca cernitur Qui (ait) declamationem parat, scribit non vt vincat, sed vt placeat, omnia itaque lenocinia conquirit, argumentationes, quia molestæ sunt, & minimum habent floris, relinquit, sententijs, explicationibusque audientes delinire contentus est, cupit eum se approbare, non causam.] Sequitur autem hoc vsque in forum declamatores, vitium, vt necessaria deserant, dum speciosa sectantur.] Ego de meo adderem verbis Senecæ, etiam nunc vsque ad templa, vt fluctuosa, taceant, dum inania prædicant. Plinius etiam de forensi ipso genere dicendi, pudet (inquit) referre, quæ, quam fracta pronunciatione dicantur, quibus quã teneris clamoribus excipiantur, plausus tantum, ac potius sola Cymbala, & tympana, illis cantibus desunt.] Hæc igitur eloquentiæ effigies, potius quam facies; cum eo tempore superesset, & ab eisdem magistris Christiani Ethnicique, declamãdi præceptis imbuerentur, inde factum est, vt nonnihil, ex colore

Lib. 9. controuers. in proem.

Li. 2. ep. 4.

eius

eius eloquentiæ, quæ tum florebat, ipsis quoque adhæresceret, Neque enim negari potest quin in sancto Hieronymo, Ambrosio, Chrisologo, Nazianzeno, declamatorium quiddam interdum appareat, quod tamen ex disciplina puerilis ætatis haustum ipsi maximè temperarunt, Non ita licet animaduertere in Sancto Augustino cuius eloquentia, quid castius, quid simplicius, quid ad ea quæ ipse tractat accomodatius, atque etiam validius fingi potest? Nam quod Hæreticus Cresconius conatus sit, eam tamquam fallacem vocare in inuidiam, id ostendit efficacem, non affectatam fuisse, quod Hæretico dolebat. Nec in Chrisostomo quicquam licet declamatorium obseruare & si quid interdum venustius affert, mira prudentia ad vtilitatem concionis accomodat, Basilius vero quamuis attica eloquentia nulli cædat veterum, ea tamen elegantia est verè Attica, ideſt succi plena, grauis, sancta de quo Nazian. Quis porrò (inquit) dictionem habuit animi sensa melius interpretantem, ita ut neutro, multorum instar claudicaret, nempè vel mente sermonis expertè, vel sermone mentis inope?] & mox de eius operibus, Cum Hexameron illius in manus sumo, atque in ore habeo, cum creatore coniungor, & cum martyrum encomia lego corpus aspernor, & cum ijs, qui laudibus efferuntur, animo verſor, atque ad certamen excitor. Cum orationes eas, quas de moribus, & benè viuendi ratione scripsit in manus accipio, corpore, & animo purgor, templumque Dei capax efficior, atque instrumentum musicum, a spiritu pulsatum, diuinamque gloriam & potentiam decantans, hoc reconcinnor & componor, atque in alium virum migro, diuinitusque commutor] Hæc Nazian. de Bas. dictione. Talem vtinam concionatores, omnes nanciscantur dicendi vim, quæ auditores ita afficiat, atque commutet. Dixi præterea nos non vocem sanctorum patrum audire, sed scripta legere. Plurimum autem differt stylus scriptionis a vera ad populum actione, quæ enim scribuntur, quia omni generi hominum, omnique futuro tempore comparantur, elaboratius, limatiusque scribuntur, vt styli cultura suppleat, quod deest ex viua voce, quæ ad auditorũ animos attentè, & iucundè tenendos plurimum valet, Et illi ipsi qui suas orationes vulgarunt, aliter dixere, aliter edidere, quod cum aliundè certum est, tum ex Plinio & multis alijs, qui profitetur se emendare, & limare, quæ dixerat, vt deinde in vulgus ederet; Adde quod sancti Patres, non solum Christianis, sed etiam scribebant Ethnicis, quos cum scirent

Eloquentia S. Augustini.

Eloquentia S. Basilij. Orat. funebri in laudem Basilij.

Epist. 20. *lib.* 20.

vsitata

vicata illa eius ætatis, amæniore orationis pictura delectari, eorum quoque aliquantum, sibi seruiendum gustui, existimabant, duplicem ob causam, tum vt ipsos ad legendum vel audiendum esca illa pellicerent, tum vt ostenderent Christianos, qui ob simplicitatem, ante contemnebantur, & ipsos posse si vellent comere orationem ac pingere. Lactantius quidem eloquentiæ faculeatem, si non qualis fuit Ciceroni, saltem proximam optat, vel quod (inquit) magis possent credere homines ornatæ veritati, qui etiam mendacio credunt, capti orationis ornatu, & nococinioque verborum, vel certè vt ipsi Philosophi suis armis potissimum, quibus placere sibi, & confidere solet, oppugnaretur à nobis. Ea quoque propria fuit causa Nazianzeno in poeticum stylum assurgendi, vt Iuliani Apostatæ conatibus contrairet. Quamquam illa Nazianzeni in soluta quoque oratione, poetica vis, adeo abest à leuitate, tantam & maiestatem & sanctitatem præsefert, vt non poeticum tumorem, sed ardorem Propheticum, & afflatum planè diuinum spiret. Nam qualis esset eius oratio, ipsemet describit. Nihil (inquit), molle, ac remissum, nihil numerosa concinnitate, multitudini iucundum eloquar, malam quippè gratiam amatoribus meis rependerem, hoc orationis genere vtens, verum admodum robusta, & acri ac vehementi dicendi ratione vtar, & qua ipsi meliores efficiemini, nimirum à carne ad spiritum translati, animisque in altum erecti] Obseruãdum hoc loco & illud est, in sanctorum veterum orationibus, non facilè apparere contentionem quamdam vehementẽ, si vnum excipias Chrisostomum, quæ in loco, nostris temporibus adhibenda est. Quod duplici ex causa, vt opinor, euenit, primum quia (vt dixi) non ita vt habitæ, scriptæ orationes sunt, illa enim maximè reseecantur in editione, quæ genus hoc contentionum nostrarum habent, nimis fusæ explanationes, exclamationes, eiusdemque rei crebra inculcatio, & similia. Deinde quia ferè Episcopi concionabantur, quos non decet illa adeò grauis commotio, eaque actio quæ comitatur incitatissimam orationem. Adhæc, cum (vt dixi) philosophorum veterum sermonibus, nostræ hæ cohortationes respondeant, etiam sedatum illum, ac moderatum, philosophicæ dictionis characterem imitabantur. Sanè fuisse orationem, tum differendi, tum agendi genere, familiarem, nomen ipsum, quo plerasq; suarum actionum inscripsere, significat. cum vel Homilias Græco, vel sermones latino vocabulo appellarunt. Postremò consideranda est ipsa hominum sanctitas,

Lib. 3. inst. c. 1. initio.

Eloquentia S. Nazian.

In Orat. ad Iul. Trib. exequutorem.

tas, & grauitas sententiarum, nam quamquam compositio esset interdum elaboratior, talis tamen erat vt appareret, verba seruire non dominari, quod facilè in S. Leonis maiestate intelligitur; Sanctitas vero sententiarum cum solida perspectaque dicentium sanctitate coniuncta, omnem leuitatis suspitionem longissimè remouebat. Ac profectò sic statuendum est, quo quisque ornatius dicere vult, hoc ei laborandum magis, vt sit ipse sanctior, & sanctiora dicat, vt hac opinione leuitatis suspicionem excludat. Quare ita hoc caput absoluerim, esto Sanctus, & loquere vt libet, non dubito quin quoquo modo loquaris, sis optimè loquuturus. Contra tamen euenire ossi videmus, vt qui curiosius in facienda oratione occupantur, ij minus putentur de solida virtute soliciti. Iterum igitur, repeto loquatur in te spiritus Dei, & sum certus, non defuturam eloquendi vim singularem, quæ auditores ad se rapiat, & attentissimos habeat, nam vbi ex abundantia spiritus Dei, os loquitur, verba efficacissima, copiosius & ardentius sine dubio fluunt, quam quæ stylus humanæ eloquentiæ potuerit excogitare.

Quæ Concionatores iuniores Eloquentia decrat. Cap. IX.

CVm ea, quæ hactenus de nimio oratoris ornatu differuimus, plerique vera esse concedant, quorumdam è iunioribus restat, vt discutiamus errorem, qui dictitare solent, Amœnius quoddam, & floridius dicendi genus, floremem decere ætatem. Quidam & illud addunt, indulgendum principio auribus populi, dum famam, authoritatemque colligant, quæ præsidio deinde sit, cum ad conuocandos auditores, tum ad agendum efficacius, vbi vero hæc parauerint grauius, sanctiusque dicturos. Quæ si verè considerantur, solum dicuntur ad ambitionis, & leuitatis obtentum. Sed etiam si ex animi dicantur sententia, proculdubio ex prana opinione dicuntur. Quem enim fingimus Euangelicum cõcionatorem? an imberbem aliquem, adolescentem, ex ijs, qui rudimenta in scholasticis declamationibus ponunt, vel apud priscos olim Romanos, specimen ingenij; & industriæ nunc funebribus laudationibus, nunc accusationibus dabant? satis enim in prima ostensum est parte tam graui muneri, necessariam etiam ætatis maturitatem. Nunquam igitur nostri oratoris erit, ætatis ea teneritas, vt illam floscoli, & cincinnuli, vt bellaria, & crepundia

Nõ decet iuuenem minus grauis Eloquentia.

dia decrant, sed viro (ait Seneca) captare flosculos turpe est, sed fac esse quantumuis iuuenem, an propterea quia inuenis est, Dei legatus non est, & organum Sancti Spiritus, & os Christi non est? Non crucem ipse quoque prædicat? non & gehennam, non medicum animorum agit? Hanc igitur personam, qui tantã sustinet, talia qui tractat, cuius cuius ætatis sit leuior eum decebit ornatus? Atqui nulli magis ætati necessaria est grauitas morum, si hoc munere fungitur concionandi, quam cui grauitas deest annorum, vt suppleat sensuum canities, senectutis authoritatem, eòque magis, quod cum animi index, & quasi vultus oratio sit, sine dubio, vt præcipua iuuenes, in rebus cæteris decet modestia, ita in concione decebit modesta grauitas. Nam quo magis solet ætas florens leuioribus delectari, hoc studiosius debet ab eo, qui grauem personã sustinet, leuitas euitari, quia statim elucet, nec habet vlla quasi integumenta, quibus obscuretur. Itaque statim ex dictione, actione, & cæteris externis argumentis, animus ipse leuis, curiosus, breuiter, iuuenilis agnoscitur, Quod autẽ habebit pondus oratio, si leuiculum se profitetur Orator? Qui vero dictitant se, tantisper velle indulgere auribus populi, dum famam captent, & concursus faciant, hîs error, specie subtilior, re ipsa crassior, ac stultior illudit. Nam primum valdè suspecta esse debet in hac re synceritas intentionis, lubrica est cupiditas laudis, insinuat se blandissimè, & admodum familiare habet integumentum, boni publici nomen, sed minus esset timenda, cum res, quæ sit omnino per se laudabilis esset, At cum hic de quo agitur, orationis cultus per se ipse non laudetur à viris grauibus, sed vituperetur, satis apertum est, indicium nequaquam recto, prudentique affirmi consilio. Sed quæro quam veneris famam? Dices profectò viri grauis, boniq; concionatoris; Id autem si ita est, quid potest esse stultius, quam ad famam grauitatis, per lenitatem tendere? toto aberras cœlo, aliò tendis, aliò, quam iniisti, via te ducit: Ista ratione, vel nullam vnquam, vel nonnisi concionatoris, leuis, & iactabundi, & circulantis famã acquires. Hæc autem non vtilis est, sed maximè inimica fructui, Vtilis ad profectũ, authoritas est viri serij, religiosi mũdo crucifixi, ita tractantis Euangelium tãquam vt vere est, verbum Dei. sic nos existimet homo (ait Pau.) vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. Perpende, quid sit esse ministrum Christi, quid sit esse dispensatorem mysteriorum Dei, & intelliges qua via gradiendum sit, vt talem te homines existiment.

Epist. 32.

Synceritas intentionis suspecta in tali iuuene.

Non

Non enim hæc opinio, nisi ex vitæ & orationis sanctitate colligitur, Quid porrò? nonne ipsimet fatentur elegantiorem; illam dicendi, viam, minus vtilem esse, quam seriam & fortem? quid igitur minus conueniēs est, quam iuuandi animas, certam occasionem omittere ob incertam spem? Nonne quæso, homines sunt qui nunc te audiunt, a Christo redempti? Cur vt alijs quibusdam, fortasse olim prosis, hos prodis? an non hoc simile est, medico, per mortes eorum, quos curandos suscipit, medendi peritiam colligenti? Sed tamen supereſt aliquid fortasse in toto hoc genere, iuniorum concionatorum multo grauius, idque est, quod illud genus dicendi, quamuis dicant se mutaturos, falluntur, mutare enim quamuis postea velint, non queunt. Hortensius olim inter Romanos oratores habitus est leuior, nec vitium iuuentutis vlla vnquam senectus obliterauit. Patri nostro Iacobo Lainio, Cornelius Episcopus Bitūtinus, aliquando disertè affirmauit ita se assueuisse in suo dicēdi genere, vt quāquam intelligeret, debere grauius atque vtilius adhiberi, nequaquam tamen posset. In alijs omnibus obseruare hoc huiusmodi concionatoribus licet, vt commune illud, etiam in ipsos quadret prouerbium. Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Rationes autem, quare concionatores, modum dicendi corrigere non possint, apertę sunt. Primum quia iudicium deprauant paulatim, vt seria internoscere, haud satis possint, itaque quantumuis conentur seriam consectari non assequuntur, ac tum quoque cum sibi videtur grauissimè agere hærent adhuc in nugis. Deinde quia timent, ne si viam dicendi, qua hactenus placuerunt, deserant & nouam ingrediantur, non placeant. Timent etiam sermones populi, pudetque errorem corrigere, ne se fateantur erraſse; præterea quia cum omnia mutanda sint, & verba, & sententiæ & gestus quidquid adhuc coacerunarunt materiæ, quod concionum scripsere, quicquid assueuere in gestu, totū inutile est, totum abijciant, totum mutent, necesse est. In eoque labor duplex est assumendus, alter vt dedoceant ipsi, quodammodo se, & ineptijs liberent, alter vt bona conquirant, scribant, pronuncient. Id autem faciendum est, cum ætas est grauior, cum laboribus fessa, & nouorum laborum, propè impatiens, quæ tam molesta sunt, vt qui male cæperunt, necessitas penè adigat in errore perſistere. Ab initio igitur, tendendum ad optimum est, ita parabitur vera opinio, Ita aliqui interim lucrifient, ita vsus bonus, atque exercitatio erit ad meliora profectus, ita denique si ni-

Prima consuetudo vix vnquam mutatur.

ſi nihil aliud, decorum perſonæ, muneriſque grauiſſimi, perpetuo conſeruabitur.

Veram, falſamque eloquentiam ex fine, fructuque ſpectandam. Cap. X.

HIs adeo fusè diſputatis, adhuc tamen, quia nos quoque concedimus, aliquem orationis ornatum, Supereſt difficultas, Qualis tandem ornatus hic eſſe debeat, ne modum exoedat. Optima omnium regula eſt finis, vt ſupra poſuimus, is autem eſt, non frequentia concionis, non populi concurſus & plauſus, ſed fructus, ſi enim nullus aut modicus exiſtat, pro certo habeat, is qui dicit, ſe benè non dicere. Non enim loquimur, de ijs qui nihil efficiunt, quod eloquentiam non corruptam, ſed nullam habent, ſed de ijs, qui profitentur ſe copiosè, & ornatè dicere. Et quamquam non eſt in manu dicentis, cor penetrare auditoris, niſi Spiritus ſanctus aperiat, tamen ita videmus vſu venire, vt adminiculis bonæ eloquentiæ Spiritus ſanctus vtatur. Atque hoc argumentũ tanto erit certius, quanto maior eſt ad concionatorem concurſus; ſi enim auditores non fiunt meliores, apparet, eos ad audiendum, non ſpiritualis profectus, ſed curioſæ oblectationis cupiditate duci. Socrates optimè in Gorgia apud Platonem, dum quærit, an quidam apud Græcos arte dicendi celebres, verè boni oratores fuiſſent, interrogat, meliores ne ſuos ciues dicendo fecerint, Et inde non verè fuiſſe oratores colligit, quod Ciuium animis, nullum virtutis fructum attulerant. Sanctus Chriſoſt. dolebat vehemẽter, quod plauſu ipſo fructus impediretur auditorum. (vbi inquit) domum redeo, & intelligo plaudentes ſine fructu abijſſe, & ſi fructum accipere poterant, a plauſu, & laudibus perijſſe, ploro, & gemo, & lachrymor, & quaſi fruſtra omnia dixerim, ſic afficior.] Serio igitur, cupidus Deo placendi, & lucrandi animas, concionator imitetur Sãctum hunc Epiſcopum. Examinet labores, ſuos & coram Deo reputet, quam multos ſuo dicendi genere a vitijs abſtraxerit, ad religioſam vitam induxerit, ad condonandas iniurias flexerit, & alia ſancta opera pellexerit, ſi hæc rara ſunt, aut nulla reperiat, quamuis audiatur a concione frequentiſſima, tamen intelligat ſe non rectam viam tenere, & rationem, eo ſeuerius reddituram, quo ſemen diuini verbi tam exiguo cum prouentu, maiorem in agrum ſpargit. Ex hoc capite intelligimus, Sanctum

Ex fructu diiudicatur vera eloquentia non ex concurſu populi. *Greg. lib. Moral. 29 c. 13.*

Optimũ Socratis Iudicium.

Hom. 30. in Acta.

Franciſcum, Dominicum, Antoninum Paraninum, Vincentium ferrerium, Bernardinum Senenſem, & alios huius notæ viros optima vſos forma dicendi, quia ex eorum concionibus fructus ampliſſimi prouenere: Alios autem, pleroſque noſtri temporis, quos nominare opus non eſt, quamuis famam eloquentiæ maximam conſequuti ſint, quamuis ad eos audiendos, vrbes totæ concurrerent, quia tamen nulla aut perexigua, ex eorum orationibus exiſtebat vtilitas, eloqnentia vera, & Chriſtiani oratoris propria caruiſſe. Conſiderentur & ipſi Ethnicorum oratores, apparebit qui principes habeantur, haud ſanè celebritatem adeptos, quod leuiter ſolum multitudinem delectarent, ſed quod in ſententiam ſuam perducerent. Siquis es, qui Demoſthenem, qui Tullium admiraris, æmulare illorum neruos, illam vim, contentionemque dicendi, Cicero, quamuis etiam à quibuſdam ſeuerioribus Romanis aliquãdo paulo leuior haberetur, tamen ſic dicebat ſemper, maximis clamoribus, & contentione ſumma, vt totus arderet, lachrymas quidem adeò excutiebat auditoribus pro ſua voluntate, vt ſi quando vna causa à pluribus ageretur; peroratio illi relinqueretur. Quid autem eloquentia non effecit? Te (inquit Plinius) dicente, legem Agrariam, ideſt alimenta ſua abdicauerunt tribus, te ſuadente, Roſcio Theatralis authori legis ignouerunt, notataſque diſcrimine ſedes æquo animo tulerunt, te orante, proſcriptorum liberos, honores petere puduit, tuum Catalina fugit ingenium, Tu Marcum Antonium proſcripſiſti.] De Demoſthene quid dicam? Extat apud Plutarchum vita, non enim Ethnicorum mihi congerere Encomia vacat, Illud ſolum volo intelligi, eloquentiam ex fructu, effectuque ſpectandam, idque non modo noſtrorum, certum eſſe, iudicio ſapientum, ſed planè etiam Ethnicorum, quod ea quoque ratione oſtenditur, Nam cum verba, notæ ſint rerum, ac ſenſuum animi, eò meliora eſſe, neceſſe eſt, quò melius aptiusq; ad propoſitum finem ſignificant: Si ipſe voces, magis quam res eluceant, peruerſum eſt, perinde ac ſi ſeruus, quam domino conciliare ſponſam debuit, ad ſeſe pelliciat id fit, cum auditoris mens magis obtutum figit, in verba dicentis, quam in ſententias.

Exemplũ Ciceronis, ac Demoſthenis.

Nat. Hiſtoria l. 7. c. 30.

Ac proinde, optimum indicium eſt bonæ dictionis, quando ſic afficitur auditor, vt de anima ſua cogitet, non de dicentis ingenio. Verba ſunt inſtar acuum, vt hæ optimæ, quæ facillimè infiguntur, ad fila introducenda, Ita illa aptiſſima, quæ ad inſinuanda ſancta præcepta, altiſsimè in pectus deſcendunt.

Vera eloquẽtia afficit corda.

Eſt

Est igitur diligenter cauendum, vt id fiat in delectu styli oratorij, quod fit in cæteris instrumentis, prima instrumenti virtus est vtilitas, Deinde si aliquis decor accedat, non reprehenditur, modo intra fines consistat modestiæ: gladius non ille melior, qui ex prætiosiore materia conflatus sit, sed qui acutiorem ac firmiorem aciem habeat; Item calamus non ex venustate, sed ex vsu æstimatur. Quare cum finis oratoris, & elocutionis sit doctrina & motus ad virtutis disciplinam, ille erit melior sermo, ac laudabilior, qui hoc efficacius præstabit. Denique qui cum sonitu præterfluit, & nihil aut parum in auditorum animis relinquit, quantumuis dum auditur, demulceat, adulterinus est, qui multa relinquit meditanda, multa quorum tenax memoria maneat, ille est verus ac probus.

Alia nota vera sive corruptæ Eloquentiæ. Cap. XI.

INter indicia corruptæ eloquentiæ illud est primum, cum eloquutio poetica est, proque vsu vocum proprio, descriptiones, & periphrases fiunt, quæ ineptè inculcentur, potest quidem, etiam nimia breuitate, & obscuritate sententiarum, vitiari eloquentia, sed de hoc vitio minus agimus, quia nostris temporibus, non facile quempiam laborare eo videmus, In alteram vero partem, non raro peccatur, & abundant multorum conciones, huiusmodi poeticarum descriptionum, qui dicere eloquenter se putant. Affert Sanctus Augustinus exemplum huius vitij ex Epistola Sancti Cypriani, dum ait, petamus hanc sedem, dant secessum vicina secreta, vbi dum erratici, palmitum lapsus pendulis nexibus per arundines baiulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerant.] Et subijcit Augustinus non dicuntur ista nisi mirabiliter affluentissima facunditate, sed profusione nimia, grauitati displicent. Vnde nos intelligimus circumlocutiones nominum communiter vitatorum, & poeticas periphrases, quales in hoc exemplo ponuntur, a grauitate, & modestia christiana abhorrere. Illud etiam in sententijs iudicandis, est vtile eiusdem S. Augustini exemplum, qui de suarum confessionum libris loquens dixerat in quarto libro; Cum de amici morte animi mei miseriam conficerer dicens, quod anima mea, vita quodammodo facta fuerat ex duabus, & ideo forte mori metuebam, (inquit) ne totus ille moreretur, quê multum amaueram, quæ mihi quasi declamatio leuis non grauis cõfessio videtur, quamuis vtcumq;

Corrupta eloquetia est, quæ accedit ad poeticum stylum.

4. de Doct. Chr. c. 14.

Retract. lib. 2. c. 6.

temperata sit hæc ineptia; in eo, quod additum est, fortè. Sint hæc, pro norma nostro oratori, vt sententias verè agentium, a declamationum distinguat ineptijs. Pro indicio etiam non bonæ eloquentiæ habeat, cum laudatur, ab ignaris, præsertimque ab ijs, qui eodem genere dicendi libenter vtuntur, idque maximè, si & illi putentur à sapientibus leuiores.

Reprehendêdus qui delectatur leuioris Eloquentiæ libris.

Præterea quiuis poterit intelligere, qualis eloquentia sua sit, ex authoribus quibus maximè delectatur, qui si communi opinione grauium virorum eloquentia non bona vtuntur, vehementer suam quoque suspectam habeat. Ad hæc, qui cupit cognoscere, an laudabili dicendi genere vtatur, præter alia quæ dixi argumenta, diligenter expendat singula, quæ in concione dicit. Quod si ostentationem, & iactantiam irrepere sentiat, & voluntatem populo placendi, in dicendi modo, persuadeat sibi etiam eloquentiam suam vitiari; nam tota dicendi corruptela ex ijs orta est fontibus. Simplex videtur præceptum, quod mox addam, sed plenum est pondere. Considera in sententiarum genere, totaque ratione dicendi, melior ne sit talium vsus rerum, an contemptus. Nam vt in pecunia, vestium cultu, epulis, & id genus alijs, potior est contemptus talium rerum, & laudabilior apud Deum quam vsus, Ita in eloquentia quiddam est, quod laudabilius, & cum maiori meritò est contemnere, quam sequi, cura igitur, vt id sequaris, quod non fuerit melius omisisse.

Iudicio superiorum adhe rendum.

Supereſt vltima, & quidem certissima regula, ea est sententia bonorum virorum rectè iudicantium, præsertim Præsidum, & superiorum. Si fideles amici, ac prudentes, verèque Dei spiritu imbuti, iudicent idoneum dicendi genus esse, quo veteris, ac præsertim consentiat fructus auditorum, quieta sit conscientia, & alacriter in nomine Domini, opus prosequere, multoque magis, si idipsum legitimi superiores sentiant. Verum si his aliter videatur, & fructus non appareat maximus, nemo innitatur prudentiæ suæ, sciatque reum se omnium fore earum animarum, quas recta monita sequendo, Christo lucrari potuisset. Et quamquam difficile est, dicendi viam ingredi, diuersam ab ea, quam indoles & ingenium amet, tamen in re tãti momenti, præferat superiorum sententiam suæ, & speret hac summissione, & obedientia, multum se apud Deum, tum sibi, tum proximis lucraturum, tantoque vberius cœlestem assuturam opem, ex qua omnino fructus pendet animarum, nã quæcumque hominum sapientia cassa est, nisi diuina aspiret, aures

pulsat

Digitized by Google

pulsat orator, corda aperit Deus, frustra ille foris strepit, nisi intus hic persuadeat.

Illud etiam hic placet addere, ne facilè damnemus qui aliter dicunt quam, nos dicamus. formam quidem vnicam esse perfecti oratoris præstantissimam scimus, quæ accommodans, rebus orationem variat eam, nunc tenuiora summissè, nunc modica temperatè, nunc grandia grauiter efferens, docetque planè, suauiter tenet, vehementer commouet concionem: Tamen alios etiam esse, qui benè, & sapienter dicant, quamuis non eodem, quo alij, modo, dicunt, nec statim reprehendēdos, quibus eloquentia, fęlici quodam torrente fluit, si tamen fructus existat, sine quo frustra tempus teritur. Nec alios sicciores, qui tamen solent vibrare, quædam acria dicta, & quasi pugiunculos auditorum animis infigere. Quippè hominum ingenia varia sunt, non idem omnium patitur valetudo, non corporis constitutio, non firmitas vocis, aut laterum, quare idem ab omnibus exigere, ineptum esset. Sed quoniam notas veræ falsæque eloquentię tradidimus, indicemus in extrema hac prolusione, quid possit ad rectam ineundam viam, præsidio esse.

Non facile quispiam cō demnandus.

Adiumenta ad veram Eloquentiam. Cap. XII.

NOtandum principio est, oratori semper ante oculos, habendum finem, propter quem dicit, neque hunc simpliciter spectari debere, sed relatum ad certas personas, apud quas dicendum est, nam alijs locis, alię congruunt eloquentiæ formæ, verumque oratoris opus est, vt dicat aptè ad persuasionem illorum, quos alloquitur. Quare necesse est considerare, quid valeat hoc loco, hoc tēpore, in hac materia, apud hos auditores, in eoque totam vim artis Plato reponit, vt orator qui non operarius quidam futurus sit, sed verè artifex cognita natura animi humani, & voluntatis, & motuum, & rerum atque Enthimematum, quibus vnusquisque commoueri, & persuaderi possit, scienter adhibeat ea præsidia, quæ nouit valere ad id efficiendum, quod ipse intendit. Hoc pacto si quis concionem instruat, & expendat quid maximè his, & hoc tempore, & ad animæ salutem conducat, quemadmodum Medicus, medicamenta propria, cuique pro morbi, & ægroti conditione præscribit, non difficile dicendi genus verum, & efficax adhibebit. Proderit quoque multum, vt concionator excitet in se studium, quem flagrantissimum animarum, & existimet causam non

In Phædro.

Finis persuasionis & personæ considerandæ.

Zelus animarum.

modò veram, ſed grauiſſimam à ſe tractari, in qua agatur de lucro ſuo maximo, deque pretio ſanguinis Chriſti, ac de ſalute æterna audientium, Quæ quanto acrius fuerint, cogitatione comprehenſa, tanto inde eloquentia ſpontè verior, atque aptior fluet. Corrupta enim eloquentia eſt ex tribus maximè cauſis, ob ſtudium placendi auditoribus, & oſtentandi ingenij, & quia cauſarum verarum, tractatio defecit, quare corrigenda eſt hiſce tribus incommodis occurrendo quod fiet, ſi penitus remoueatur ambitionis, oſtentationis, & inanis gloriæ cupiditas, & ſolus ſpectetur finis, qui proprius eſt oratoris Chriſtiani, & exiſtimetur, cauſas, vti dixi, grauiſsimas agi. Deinde conſilium illud tamquam pro regula ſibi proponat, & vbique ſequatur præſtare, ſi declinandum in alteram partem ſit, in ſeueritatem potius declinare: Nam præterquam, quod hoc etiã, cũ defectus eſt, tolerabilior videtur, etiã minus repugnat propoſito, quia aliquos grauitas triſtior ad virtutem cõmouet, at elegantia leuior nullos, ac præterea adeò procliuis eſt in ornatum immodicum lapſus, vt niſi in alteram partem vltrò inclines, non facilè in medio poſsis conſiſtere. Tertio det operam grauitati morum, ac vitæ ſanctitati, nam ex morum forma oratio fingitur. Quarto fugiat lectionem librorum, in quibus corrupta eloquentia eſt, nam difficilè eſt admodum, vt tangenti picem non ei aliquid adhæreat. Quinto Magnifaciat obedientiam, fideliumque, ac prudentium virorum, maximèque ſuperiorum iudicia, quæ vltro exquirat, eisque ſuam ſententiã modeſtè ſubijciat, Sperans pro Dei bonitate, & conſuetæ prouidentiæ ordine, ſe plus hac ratione fructuum collecturum, quam quauis eloquentia. Tertio ſtudeat conſeruare intentionem rectam, ac delectare eatenus exiſtimet ſui muneris eſſe, quatenus maiori gloriæ Dei augendę, & omnium vtilitati magis prodeſſe poſsit. Poſtremò ſtudium præcipuum conferat in res, quas diligenter, & ſtudiosè conquirat, ſingula metiens ex captu, ac neceſſitate eorum, quos in præſentia eſt alloquuturus, ac meditatione attenta verſans quodammodo cõcoquat, in ſuccum conuertat, & affectu quodam animet, excitans in ſe motus, quos excitare in auditoribus intendit, tum non dubitet, quin eloquentia quantum eius vires ferent futura ſit optima, ea enim optima eſt quæ ſequitur res tamquam ancilla, non quæ præit, Nec vnquam vehementi affectui verba deſunt, per quæ vehementer, & acriter agatur, ad rei naturam, & negotiorum neceſſitatem peropportuna & aptiſsima, vt ſatis appa-

Ambitio honoris declinanda.

Grauitas morum.

Iudicium virorũ grauiũ.

Rerum Meditatio magis quã verborũ.

ret

tet in rusticis, & ipsis mulierculis, cum aliquam sibi factam iniuriam, ex qua vehementer doleant, eloquuntur. Hæc in genere de sacra concionum eloquentia dicta sint, sed in specie ad peculiares huius nostrę Rhetoricæ præceptiones descendamus, principium ab ipso fine sumentes.

Finis Concionatoris persuadere. Cap. XIII.

IDem omnino, qui Rhetorum plurimorum sententia, cuiuslibet oratoris est finis, auditorū scilicet persuasio, Christiano quoque ponitur Oratori: Cum enim a nobis initio dictum sit, non semel oratorem Euangelicum esse Dei instrumētum ad saluandas animas diuini verbi ministerio, satis est per se manifestum ad eum pertinere, ita Dei verbum tractare, vt inde ad Christum animas adducere queat, & parare domino plebem perfectam; quod non nisi persuadendo consequitur. Sed vtile erit quid nomine persuasionis intelligatur enucleatius explicare; Persuasio tribus omnino partibus constat. Primum est vt veritas aliqua ita proponatur, & argumentis confirmetur, vt mens auditoris assentiatur, & planè intelligat id, quod Cōcionator vel amplectendum, vel fugiendum proposuit ita se habere, vt ille demonstrauit. Secundum vt eiusdem voluntas ita verbis, & oratione confirmetur, vt penitus apud se statuat, id amplecti vel fugere, quod ratio sic esse faciendum ex concionatore cognouit. Postremò neque hoc satis est, nisi etiam ostendantur viæ, & præsidia, quibus vti debeat, ad rei executionem expedita, ac prompta. Qui enim aliquid persuadere nititur nec præsidia docet, quibus commodè id assequatur auditor, similis est medico, qui velit ægroto suadere sanitatem, nec remedia afferat. Hoc ergo imprimis persuasum esse debet ipsi Concionatori, totum esse, ac solum Concionatoris negotium scilicet persuadere. Nam in hoc maximè prophana quoque Rhetorica à Dialectica differt, sapientum iudicio. Quod hæc propositum habet, quacunque de re dicere appositè ad probandum, illa appositè ad persuadendum. Siquidem satis habet Dialecticus ita dicere, vt res, de qua agitur, appareat digna fide, Rhetori autem id satis non est, nisi etiam ad opus perficiendum permoueat, cum id demum persuadere sit, ita rem argumentis tractare ad mentem edocendam, vt simul voluntas impellatur ad opus. Igitur perpusillum quiddam assequutum se putet, qui solūmodo docuit, quia sæpè qui plura

Persuasio tria includit.

Rhetoricæ, ac Dialecticæ discrimē.

sciunt, pauciora faciunt; tota victoria, ac totum huius facultatis momentum est in motu voluntatis, & efficaci persuasione. Ac proinde nequaquam officij sui partes explet Concionator, nisi ad hunc finem spectet tota eius industria, & tendat oratio. Non est inquam (cum in hoc rei summa consistat, inculcandū est sæpius) non est concionatoris varias doctrinas afferre, quāuis morales, si temere ac nullo proposito persuasionis fine afferantur, nec prodest item temere varias scripturarum expositiones proponere, diuersasque Euangelij voces sine fructu expendere, multas Patrum sententias coaceruare; Longe enim hoc abest a vero concionatoris officio, sed huius est id quod diximus, vt semper habeat ante oculos aliquid, quod persuadeat, vt Christus Apostolos docuit, cum dixit. Ego posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: maneat dixit, non autem euanescat in plausus, & cum verborum fonitu præterfluat. Sit exemplum. Persuadere mihi est animo; Orationis assiduitatem, & continuum orandi studium, Proponam ea ex scripturis, quæ hanc veritatem roborent, deinde argumenta depromam, quibus mens perfecte veritate hac informetur, ostendam quanta sit nobilitas, & felicitas cum Deo conuiuere familiariter, in qua perfectissimi quique viri, quorum scriptura meminit, præcipui fuerunt, exponam quæ secum emolumenta afferat, curabo vt accedam voluntatis desiderium, vt amet, & amplectatur, tam sanctam consuetudinem, vt Deo rem tam gratam, sibi tam vtilem ac iucundam faciat, proponam etiam vsum, & praxim, & varias, ac multas occasiones, quibus facile fiat, vt non solum in templis, & intra cubiculum, sed etiam inter negotia, & vbique, ac semper huic diuino exercitio more sanctorum animus assuescat, hoc demum modo dicar persuasisse, vel certe ad persuadendum accomodate dixisse.

Iob. 15.

Exemplum persuasionis.

Obiectio, & dilutio.

Sed occurret nobis hoc loco aliquis. Esto requiratur istud sane cum de virtutibus & vitijs oratio instituitur, alijsque de rebus ad actionem spectantibus, quid vero fiet, si tractandum erit Mysterium sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis Christi, si fidei dogmata explicanda si in genere didascalico habenda concio? Primum aio in concionibus, quæ ad populum habentur, eligenda potius argumenta quibus tractentur, ea quæ pertinent ad mores vt conciliorum decreta, & Sanctorum dicta, exemplaque docent, atque etiam ex ipsius artis oratoriæ apparet præceptis. Cum enim oratori etiam atque etiam considerandum sit apud quos dicat, cumq; Euangelij præcones in his

Digitized by Google

his versentur causis, in quibus omnis res est illis cum populo, tota omninò popularis esse debet oratio, & vitiosa existimanda est, quæ à populari consuetudine abhorreat. Deinde affirmo etiam illa referri omninò debere ad persuasionem. Nam Dei & Christi notitia, ideo debet aperiri, vt ea percepta ad eius cultum, amorem, & obedientiam homines inducantur. Si de Beatitudine etiam agendum erit, si de pœnis inferni non sunt tractandæ quæstiones scholasticæ, quæ solam habent speculationem, sed excitandus auditor ad spem, & timorem. Et cùm fidei dogmata tractantur, simul coniungi debent, quæ ad mores pertinent. Lege Prophetarum vaticinia, perlege Pauli Epistolas, & aliorum Apostolorum, percurre omnes Sanctorum Patrum sermones ad populos, tum demum intelliges, vter operæ pretium magis faciat, qui arcana fidei dogmata subtili disputatione exponit, an contra qui eadem morato genere dicendi ad suasionem, ac dissuasionem, ad morum, & vitę institutionem accommodat. Tertio si quæ autem quæstiones sunt adeò speculatiuæ, vt vix possint ad actionem referri, eæ vel omnino attingendæ non sunt, vel leuiter admodum, nisi aut propter hæreses, aut aliũ ob causam ratio temporũ id requirat.

Omnia ad persuasionẽ ordinanda sunt.

Vbi ergo delecta sit idonea persuasioni materia, tum est videndum, vt Partitio quoque eodem spectet. Deinde etiam singularum probationum habendus delectus, atque eæ conquirendæ rationes, argumentationes, scripturæ authoritates, Patrum sententiæ, & alia huiusmodi, quæ possint lumen quidem intellectui afferre, sed magis voluntatem quo velis impellere. Eadem adhibenda in elocutionis delectu prouisio, quæ scilicet non langueat, sed habeat vim, feruorem, spiritum, ac neruos. Verba, compositio, stylus, figuræ, omnia denique tamquam media finem respicere debent; Quod faceret, non ineptus quiuis patronus in causa propria, & in qua de fortunarum suarũ summa, deque totius familiæ discrimine ageretur, id faciat Christianus orator, cui hominum salus, & Christi gloria pro ipso quod sustinet munere cordi esse debet. Ad id præstandum vtiliter, præter sanctitatem & bonam de Concionatore opinionem, duo sunt necessaria, feruor spiritus, & vera eloquentia, quam Oratores antiqui ità definiunt, vt copiosè loquentẽ sapientiam esse dicant, quæ sanè duo linguis illis igneis, quas è Cœlo die Pentecostes Apostoli receperunt, significantur. Eloquentia siue eloquens sapientia, sine charitate planè res mortua est, quam me quidem iudice, si dicas gladium in manu furiosi, non errabis; spiritus sine sapientia, & eloquentia instar

Act. 2.

fortis

fortis viri est, sed inermis. Præter hęc maximè putarem è re, esse tum Concionatoris, tum auditorum ipso dicendi initio exponere, quidnam illud sit, quod persuadere velis, vt iam tum Auditor incipiat, vel affici, vel saltem eo cogitationem dirigere, quo Concionator orationem conuertit: Quem locum habet in meditatione illud præludium, quod noster B. P. Ignatius in libro exercitiorum spiritualium vocat Petitionem eius rei, quã meditando assequi cupimus, docetque tantum habere momenti, vt ex ea pendeat meditationis fructus, eumdem arbitror planè in Concione locum habere, vt Concionator sibi populoque proponat, non solum qua de re sit dicendum, sed ad quid persuadendum, & efficiẽdum tota illa dictio referatur. Hoc ipsum & ratione, & experientia magistra didici, summi esse momenti. Sicut enim vagetur necesse est nauta, cui soluenti non certus propositus est portus, quem prius animo, quam remigio capiat, contra vero recta tendat, qui quò tendit, initio non ignorat, ita & orator & audientes celerius peruenient, quando intelligent, quo eundum sit, eòque à principio properabunt. Certè qui in incertum verba disperdunt, videntur mihi ad inanem auram rete prædicationis extendere, quod si fortè aquas rete contingat, eos cum Vgone Cardinale crediderim, non pisces, sed ranas expiscari coaxantes, qui si ea re contenti sint, citra animorum permotionem, intelligant se etiã Ethnicorum Rhetorum, & iudicio, & exemplis condemnari, nedum Sanctorum Patrum authoritate explodi.

Scopus concionis initio explicandus.

Quatuor errores contra finem persuadendi. Cap. XIV.

His ita constitutis, facilè quis intelliget, Quatuor præ cæteris errores aliquorum, qui ab his quæ dixi, hoc est à vera concionantis lege longè aberrant. Primo nullo modo placet, quod plerique faciunt, vt in tota priore concionis parte quæstio aliqua speculatiua tractetur, non ad persuadendum quidpiam accommodata, sed quæ soli seruiat menti pascẽdæ, & in posteriore, dein aliqua afferantur documenta moralia. Nam & prior pars quoad eius fieri potest, debet ad persuasionem dirigi, vt simul intellectus doceatur, & afficiatur voluntas. Si autem tota pars prior in speculationibus consumatur ad informandos mores, quod est caput rei, parum relinquitur spatij, idque solum, quo defatigati auditores nonnisi concionis finem

In tota concione persuasio locum habeat.

Digitized by Google

finem expectant. Secundò peccant contra hoc primum præceptum hi, qui in vna concione plures materias, & varias proponunt, quæ quidem licet de moribus sint, & ad persuadendum etiam singulæ accommodatæ, & ab ipso Oratore etiam cum energia proponantur, vt velit eas persuadere, tamen propter multitudinem, ac varietatem fit, vt quamuis cuncta singillatim plureant, tamen quia multa ac varia sunt, nec ad vnum aliquem scopum tendentia non facilè hæreant, nec habeat auditor, quod arripiat certum, vnde eueniat ei quod Cani, qui plures lepores persequitur, nullum præhendit. Qui vult persuadere, debet vnum aliquid vel certè pauca determinare, quæ persuadeat, & ad ea premenda argumentationes amplificandique modos adhibere, denique Animos auditorum ad aliquid certum accendere. Ita fiet vt auditor aliqua in re persuasus discedat. Tertio multò minus probatur illorum opinio, qui nisi concionem superfluè referciant multarum doctrinarum subtilitatibus, & explicatione scripturarum multiplici, ac plurimis Patrum testimonijs, nunquam sibi satisfaciunt, hoc enim finem Concionatoris planè euertit; siquidem cum is finis sit persuadendo bonos meliores vè reddere auditores, satis experimento constat, nec quæ dicuntur apta esse, nec posse tam multa populum comprehendere: tum vero id eueniat necesse est, quod Greg. ait; vt quia multa retinere non valent, simul amittant omnia. Medici sanè corporum (idem subdit) pannos infirmantibus stomachis ponunt, apto quidem medicamento, sed subtiliter liniunt, ne si repleti multo medicamine fuerint, infirmitatem stomachi non roborantes adiuuent, sed opprimentes grauent. Deinde vero aliud est alloqui viros doctos in Academijs, aliud in concione promiscuam multitudinem, illi docentur, hæc magis moueri debet, vbi reconditam affectantes doctrinam sæpè non intelliguntur. Quarto perniciosior adhuc est eorum error, qui concionem multis Rhetorum flosculis ineptè pingunt, periodosq; rotundant, verba selectissima & exquisita, vndecumque colligunt, descriptiones leuissimas, montium, auroræ, animalium poetico more conficiunt, & hac ratione historiam Euangelicam percurrunt, amplificant Pharisæorum crimina, inuehuntur in Scribas, cum interim etiam si moralia attingant nihil proficiant. Ita magno illi quidem cum artificio, sed reuera alieno, & putido, cum magno labore, sed absq; vllo fructu, oratione composita, sed cui nihil certi sit ad persuadendum propositum, Sanè declamant, & possunt dici egregij

An sit vtile varias in eadé concione materias tractare.

Multiplex doctrina potius obest.

Lib. 1. in Ezech. Homil. 11.

Concio magna ex parte ex flosculis, non persuadet.

decla-

declamatores, sed praterea nihil, & vt bæni dicam, vt quidam dixit, in magno vitio multum laborant.

Tria Concionatoris officia. Cap. XV.

AD finem persuadendi officia Oratoris assumi debent, quæ tria esse docuerunt omnes Rhetores, & eadem esse concionatoris, & certum per se est, & docet Aug. dum illã Ciceronis sententiam recipit, ita dicere debere eloquentem, vt doceat, vt delectet, vt flectat; & docere necessitatis esse, delectare suauitatis, flectere victoriæ: ac primum quidem magis esse in rebus affirmat, duo reliqua, in modo dicendi. Hæc autem tria eo tendunt (ait idem) vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur: vnde Augustinus eodem libro cap. 12. & 13. Orator (ait) debet docere, delectare, flectere; Docere propter ignaros; delectare propter plurimos fastidientes veritatem, nisi adiungatur dicendi suauitas, mouere propter duritiem. Et doctrina est omnino necessaria quia ignorata agi non possunt, Delectare vero non est necesse nisi ad attentionẽ auditoris fastidiẽtis & mouere ad tollendam duritiem cordis. Inter hæc tria præcipuum est mouere; ideò animos ad id, quod volumus flectere, hoc enim est persuadere, & victoriam consequi. Sit exẽplum Augustini, qui de se ipso, cum in Cæsarea Mauritaniæ contra graue quoddam illius loci vitium concionem haberet, egi quidem (inquit) graditer quantum valui, non tamen egisse aliquid me putaui, cum eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem; Acclamationibus quippè se doceri, ac delectari, flecti autem lacrymis indicabant: quas vbi aspexi, immanem illam consuetudinem deuictam antequam re ipsa ostenderent credidi. Moxque sermone finito ad agendas Deo gratias corda atque ora conuerti, & ecce octo vel amplius anni sunt, propitio Christo, ex quo ibi nil tale tentatum est. Primum verò locum obtinet docendi munus, sine quo duæ reliquæ partes parum omninò vel nihil prodessent, & perinde esset ac si quis ornatam mensam pararet, nec cibaria quantum satis esset, apponeret. Sit concionator vt Domini villicus impertiens victum omnibus domesticis, cum enim oratio ad persuadendum tendat, ipsum intellectum ante omnia per doctrinam illustrari necesse est, sed quid est docere? plane non est id, quod modo damnauimus ingenij sui inutiliter commõta depromere, variarum doctrinarũ copiam, sylvamque congenere, non est Philosophi-

4. de Doct. Chr. c. 12.

Exemplum Augustini. 4. de Doct. Chr. c. 24.

Docere quid sit.

ſophicas, aut etiam Theologicas ediſſerere quæſtiones vtcumque, & grauium authorum opiniones recenſere, ſed eſt Dei voluntatem ac præcepta populis aperire, fidei dogmata confirmare, virtutes earumque actiones, ac naturam explicare, vitiorum turpitudinem oſtendere, Chriſtum eiuſque myſteria declarare, ideoque & Paulus diligenter Timotheum in duabus Epiſtolis, & Titum in vna monet accuratè, qualem doctrinam populos, & quomodo docere debeant, quas tres Apoſtolicas Epiſtolas (ait Aug.) ante oculos habere debet, cui eſt in Eccleſia doctoris perſona impoſita. De modo autem docendi ſicut etiam delectandi & mouendi, quia ſuus erit diſputandi locus, ſolum hic pauca delibabo. Ad benè docendum tria concurrunt, primum, vt res, quæ docendæ ſunt, & graues & ad beneficium animarum ſint tum vtiles, tum neceſſariæ, de quo mox dicetur cum agemus de materia eligenda. Secundo vt diſtinctè ordineque tractentur, atque ad auditorum captum accomodatè, Greg. vult, vt doctor quinque attendat in docendo, quid dicturus ſit, quibus, quando, quomodo, & quantum temporis in ea doctrina ponere debeat. Tertio præcipua virtus in docendo eſt diluciditas, hic eſt enim optimus modus, quo qui diſcere deſiderat, eſt informandus ait Aug. vt qui audit verum audiat, & quod audit intelligat.] & cap. 12. qui docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum ſe exiſtimet dixiſſe, quod vult, ei, quem vult docere, quia & ſi dixit, quod ipſe intelligit, nondum illi dixiſſe putandus eſt, a quo intellectus non eſt, ſi vero intellectus eſt, quocumque modo dixerit, dixit.]

4. *de Doct. Chr. c.* 16.

Ad docendū tria concurrunt.

Hom. 11. *lib.* 1. *in Ezech.*

Auguſt. 4. *de Doct. c.* 10. *& c.* 12.

De motu, ſuo loco multa dicenda ſunt, tantum vnū hic aduerte, Mouere non eſſe impunè vociferari, & peccatores inani verborum fulmine verberare: quod licet aliquo modo videatur terrere ſimpliciores, tamen ſæpè a prudentibus irridetur, neq; ob hæc rudiores cōuertuntur; ſed illud plane eſt mouere, quod Aug. his verbis explicat, Tunc auditor mouetur cum inflectitur voluntas vt amet, quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas amplectatur, quod dolendum exaggeras doleat, cum quod lætandum prædicas gaudeat, miſereatur eorum, quos miſerandos ante oculos dicendo conſtituis, fugiat eos, quos cauendos proponis, & quidquid aliud graui eloquentia fieri poteſt ad commouendos animos auditorum, non vt ſciant, quid ſit agendum, ſed agant quod agendum eſſe ſciunt: ſi autem adhuc neſciunt, prius docendi ſunt, quam mouendi.] Ad hunc motum excitandum multa valent,

Mouere quid ſit.

Lib. 1. *c.* 12.

Defectus mouendi in multis.

Digitized by Google

lent, de quibus nos alibi. Cæterum apparet in multis hoc tempore magnum vitium hac in parte: quia paucos concionatores in hoc munere videmus excellere: Et videntur, vt illi Pharaonis Magi in quarto ſigno, ſic noſtri oratores deficere in tertio Oratoris munere. Non eſt difficile id ex ipſis concionibus, & concionatoribus animaduertere, optimum tamen argumentum eſt ab euentu; videmus enim multos peccatores ad cõciones confluere, audire, laudare, nec tamen de ſuo gradu moueri, ſed ſemper in eodem luto perſiſtere, poteſt quidem culpa etiã audientium eſſe, tamen valdè verendum eſt, ne ſit inopia ſpiritus in concionatore.

Exod. 8.

Delectare, quid ſit.

Delectare autem non eſt riſum auditoribus mouere, ridicula loqui, concionem lepore ſententiarum ac verbis ornatè, & iucundè concinnis continere, more hyſtrionum, aut circulatorum in foro canentium, ſed potius eſt ita ſuſpenſos habere audientium animos, vt ſine moleſtia, imo cum quadam ſuauitate graui, & modeſta, quæ docentur audiant, eaque allecti in quamcunque partem inflecti ſe ſinant: in quem finem duntaxat aſſumi debet delectatio. Nam verũ eſt, quod Auguſtinus docet, qui delectatione eſt affectus, facilè quo volueris ducitur, nemo flectitur, ſi moleſtè audit.] Et quidem docendi munus ad concionatorem per ſe ſpectat, delectatio vero nunquam per ſe appetenda, ſed ſuum ad finem, ideſt ad mouendum auditorem referri debet, vel ſaltem ad attentionem, ideo rectè Cicero ait. Delectare honorarium eſſe, quaſi dicat non debitum, quia non propter ſe, verum ad aliud refertur, ſolam vero in oratione delectationem exquirere appetant (inquit Auguſt.) qui lingua gloriantur, & ſe in panegiricis iactant, nos vero ad hoc vtamur, vt bona in moribus diligantur, deuitentur mala, vel vt ſtudioſius, & firmiter in bono perſeuerent.] Itaque patet delectationem ita aſſumendam eſſe, vt doctrinæ ac motui inſeruiat, vt dum auditor delectatione tenetur vtiliter perſuadeatur, eo modo, quo æger dum ciathi oras melle oblitas lambit, ſalubre pharmacum facilius haurit. Atque in hunc finem quæſita delectatio vtilis eſt, ac nequaquam fugienda. Non enim debet concionator ieiunè, ruſticè, aut inſulsè loqui. Nam ſicut natura noſtris actionibus iucunditatem aliquã, quaſi condimentum adiecit, vt ad eas exercendas alliceret, ita debet concionator adhibere hanc eſcam, vt ſic allectos homines ad id, quod vult, ſuauiter trahat. Ad rem noſtram maximè facit, quod in alium finem docet Sen. l. de Vi: beata cap. 9. Non (ait)

4. de Doct. Chriſtiana.

Cic. de opt. gen. l. 4. c. 25.

Digitized by Google

(ait) si voluptatem præstatura est virtus, ideo propter hanc petitur, non enim hanc præstat, sed & hanc, nec huic laborat, sed labor eius quamuis aliud petat, hoc quoque assequitur sicut in aruo quod segeti prosciſſum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos tantum operis insumptum est, aliud fuit serenti propositum, hoc superuenit, sic voluptas non est merces, nec causa virtutis sed accessio, nec quia delectat placet, sed quia placet delectat] Ita prudenter Seneca, quæ ad propositum nostrum quisque accommodet.

Delectatio qualis in concionibus esse debeat. Cap. XVI.

Dicamus iam aliqua enucleatius, cum hic sit opportunus locus, nec alibi fortassis opportunior occurret, quæ sit emenda, quæ fugienda Christiano Oratori delectatio. Vera & grauis meo iudicio delectatio in dicendo illa est, quæ in rerum ac sententiarum pondere sita est, maximèque dicendo conficitur, quam ob causam, etiam ipse Cicero cum volebat esse Oratorem: qui non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis exitisset. Quare studeat Christianus doctor delectationem facere per loca scripturæ aliquot eximia, & sapienter enucleata, per pulchras & illustres Metaphoras ac similitudines, per Allegorias, & Figuras, per exẽpla, per accõmodatas descriptiones rerum vtilium, per actionem decoram vocis ac gestuũ naturalem, & grauem non affectatam non nimis artificiosam, per ordinatam rerum methodum, per genus dicendi diluciduũ, afferendo etiam res aliquas nouas, vel nouo modo dictas, modo sint vtiles. Nam quæ sunt satis vulgata, & sæpius repetita non delectant. Hoc persuasum habeat, qui dicit, nunquam se incundius maioriquè cum voluptate audiri à populo, quam cum vel aliquid noui discit, vel sentit, se pio aliquo motu affici, in materia vtili, & facili. Huius rei experientia est locuples testis. Solet plurimum varietas delectare; ita docet Marcus Tullius, variare inquit ordinem, maximè oportebit, nam in omnibus rebus similitudo est satietatis mater] Et iterum tractatio varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audit, aut defatigetur similitudinis satietate. Addo ego videndũ esse, vt sit ea varietas, quæ adiumẽtum afferat motui, cui delectatio seruire debet, non autẽ impedimento sit. Multos enim sæpè audiui-

In libro qui dicitur Orator.

In quibus delectatio Oratoris Christiani sita sit.

Varietas delectat, non tamen omnis, *Lib. 2. de Inuent.* *Lib. 2. de Orat.*

ſtuimus, qui rerũ & verborũ varietate ita concionẽ diſtinguũt, vt ex varietate delectationẽ aucupentur quidem, ſed nullo planè motu, atq; fructu auditorum. hoc autẽ peruerſo rerũ ordine eſt ipſam delectationẽ ſibi finem proponere, non illã, quò oportet, referre, quod ipſum nec Cicero probare poteſt dum inepte vocat eum oratorem, qui per ſe delectationem quærit, qui placere magis, quam mouere velit. Addit etiam ibidem Marcus Craſſus, orationem ſine ſacietate delectare debere, quod ita ſit natura comparatum, vt ea, quę ſenſus noſtros maximè impellunt, ac voluptate, & delectatione accerrimè commouent, ab ijs celerrimè faſtidio quodam, & ſacietate abalienemur.

Lib. 3. de Orat.

Quæ delectatio vitanda. *4. de Doct. cap. 14.*

Quæ autem fugienda ſit concionatori delectatio, dicamus etiam authoritate Auguſtini, & Chryſoſtomi. Illius verba ſunt. Nec illa delectabilis eſt oratio, qua non quidem iniqua dicuntur, ſed exigua, & fragilia bona ſpumeo verborum ambitu ornantur, qua nec magna, atque ſtabilia decenter, & grauitèr ornarentur.] affert ibi exemplum, ex epiſtola Cypriani, cuius verba in alium finem ſupra attulimus. Addit Auguſtinus, quali modo Cyprianus nuſquam alibi vſus eſt.] Chryſoſtomi verò doctrina eſt in illud Pauli verbum, ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, vbi multis rationibus vrget, quam ſit Chriſtiano homine indignum vti facetijs. Quod ſi vbique omnibus eſt indecorum, Chriſtianis, maximè in ſuggeſtu loco tam graui, & ſorio ei, qui ipſius Chriſti perſonam ſuſtinet. Audiamus quæſo eius verba. Ludimus (ait) dilecti? vis diſcere ſanctorum conuerſationem, audi Paulum dicentem, Triennium noctes, ac dies non deſtiti, cum lacrymis monere vnumquemque veſtrum, ex multa tribulatione, & anxietate ſcripſi vobis per multas lacrymas. Et ad Rom. qui ſumus in hoc tabernaculo gemimus: per ſingulos dies. Ex hoc mundo, cupiente migrare Apoſtolo tu rides, & ludis? malorum tuorum cauſa crucifixus eſt Chriſtus, & tu rides? alapa percuſſus eſt, & tu delitiaris?] Hæc ad omnes Chriſtianos, cum Chryſoſtomus diceret, quis dubitet concionatori magis eſſe cauenda, in prædicando Euangelio, quam alijs inter familiares ſermones? Qui autem Concionatores vtuntur facetijs, ac riſum excitant, ideo faciunt, vt auditores his lenocinijs ad ſe trahant: & apparet (quæ eſt hominum multorum leuitas) aliquando id eis ad votum ſuccedere. Multi enim ad eorum conciones confluunt, non vt vitia propria corrigant, non vt mores edoceantur Chriſtianos, ſed vt iſtiuſmodi facetijs, & ridiculis narrationibus recreentur: ideoque nihil ferè

Hom. 17. in epiſt. ad Eph.

Scurrilitas omnibus vitanda.

Act. 20. 2. Cor. 2. Rom. 8.

In eos qui facetijs vtuntur.

Digitized by Google

ferè ex concione reportant, & alijs referunt, nisi aliquid lepidè dictum perinde vt hi, qui ad Comędias se conferunt, vel in foro eorum circulis intersunt, qui facetijs, & ludicris rebus, ad aurium delectationem, & risum, sua populo ludibria vendunt. Ergo idem sibi conuenire credent nostri Oratores in templis, & suggestibus corã sanctissimo Sacramento, quod histrionibus in scęna, & foro? Bone Deus, vbi nam apud sanctos Patres similia legerunt? vbi nam in diuinis literis hæc didicerũt? vereor ne illud hic locum habeat, quod Deus per Hierem: conqueritur, Stupor, & mirabilia facta sunt super terram, Prophetæ prophetabant iniqua, & Sacerdotes plausum dederunt manibus suis, & plebs mea dilexit sic, & quid faciemus in futurum? Ergo siquis fortè a me expectet, vt sicut Rhetores Ethnici de Ridiculis agunt, ita ego aliquid adijciam de ijs in hoc opere, huic ego Ambrosij verbis respondebo. Licet (inquit) interdum honesta ioca, ac suauia sint, tamen ab Ecclesiæ abhorrent regula, quoniam, quæ in scripturis Sanctis non reperimus, ea, quemadmodum vsurpare possumus? cauẽdum etiam in fabulis, ne inflectant grauitatem seuerioris propositi. Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis ait Dominus, & nos ridendi materiam requirimus? vt hic ridentes, illic fleamus, & adhuc addit non solum profusos, sed omnes etiam iocos declinandos arbitror, plenum tamen suauitatis & gratiæ sermonem esse non indecorum. sic Ambrosius ad omnes loquitur, quid ad Concionantem, diceret?

Hier. 5.

Lib. 1. de Offic. c. 23.

Genera causarum, & concionum Rhetorica Sacra.
Cap. XVIII.

SIgnificato fine, quem Christianus Orator propositum habere debet, ostensisq; eius officijs, quæ referri ad eum finem oportet, reliquum est, vt de materia, & causarum generibus eidem oratori subiectis consequenter agamus.

Quæcunque cadunt sub oratoris Christiani facultatem, sunt quibus placuit ea ad quinque capita reuocare: credenda, speranda, timenda, fugienda, agenda. Sed fortè sit, cui hæc diuisio minus placeat eo argumento, quod vel plura poterant capita, vel pauciora distingui. Addi enim poterant, toleranda, spernenda, amanda. Quippè res aduersæ, & huius vitæ calamitates non credendæ, aut sperandæ, aut timendæ, aut fugiendæ sunt, nec denum agendæ sed ferendæ. Res verò prosperæ,

ac bona externa eodem modo ſpernēda videntur, Deus, & proximus amandi ſunt, etiamſi nulla poſſit ſequi actio externa. Quod ſi inter agenda hæc numerentur, eodem modo in ea numerari poterunt, fugienda, ſperanda, & alia, habent enim ſuas actiones non internas modo, ſed etiam externas. Et ſanè cum inter agenda nihil ſit, quod ad aliquam virtutē non pertineat, cur potius fidei, ſpeique, & timoris fit mentio, quam aliarum virtutum? ſed quidquid ſit, percommodè mihi feciſſe videntur ij, qui omnia, quæ ſub oratoris Chriſtiani cognitionem cadūt, ad doctrinam fidei, & ad diſciplinam morum reuocarunt, prout Tertullianus omnia quæ habet Eccleſia ad hæc capita redūcit, & Iuſtinus Martir: Diuinæ (inquit) diſciplinæ forma in multas tribuitur partes, ſed contrahitur, vt ſummatim dicam, tum in præceptorum inſtitutionem, atque cuſtodiam, tum in diuinam cognitionem, atque venerationem.] Innocentius verò Pontifex, duplicem in Epiſcopis zelum requirit, fidei ſcilicet, ac diſciplinæ. Clemens, Fides (ait) ab Epiſcopis eſt expetenda, doctrina morum ab Epiſcopis, & Diaconis. Concilia etiam omnia ferè in hæc duo incumbunt, nempè vt fidei dogmata ſtabiliant, & morum diſciplinam reforment. Omnes præterea patres duo hæc copulant, & vnum ex alio pendere docent, voluntque vt diſciplina morum, ſit fidei cuſtos. Diſciplina (inquit Diuus Cyprianus) cuſtos eſt ſpei, retinaculum fidei, dux itineris, ſalutis fomes, & nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutum, quæ facit nos in Chriſto manere.] Et ſanè cum duæ ſint præcipuæ hominis partes intelligentia & voluntas, atque hæ tum in ſeipſis perficiendæ ſint à Chriſtiana diſciplina, tum, vt alias hominis facultates, ſenſusque & actiones externas regant, dirigendæ, optima eſt diuiſio illa, cum Doctrina fidei Intellectum, & Diſciplina morum Voluntatem præcipuè ſpectet. Hæc duo. S. Paulus per fidem, & bonam Conſcientiam intelligit, eademque finem præcepti appellat, vt intelligat orator Euangelicus, conatum ſuum ad hæc duo ſibi eſſe referendum.

Ex his igitur pro vario auditorum ſtatu diſtingui poſſunt genera cauſarum Rhetoricæ ſacræ. Nam auditores vel ſunt alieni à via ſalutis, & ad eam vocandi, vel viam ſalutis ingreſſi, promouendi perficiendique ſunt. Si alieni ſunt, vel quia peccant in diſciplinam morum, cuiuſmodi ſunt mali Chriſtiani, vel quia etiam carent fidei Orthodoxæ doctrina, cuiuſmodi ſunt infideles omnes. Non enim poteſt ineſſe, recta pietatis diſciplina, quibus abeſt integritas fidei, quæ fundamentum eſt

veræ

Tota materia poſita eſt in Doctrina fidei, & diſciplina morū. De Patiētia, & Vel: Vir. De Veritate, & recta confeſſ.

Epiſt. 5.

De Habitu Virg. initio.

2. Tim. 1.

Sufficiens diuiſio omniū concionū ad duo ſumma capita.

veræ iustitiæ. Siue autem vtrumque, siue alterum tantum his vitium insit, Clementis Alexandrini sententia, eorum institutio ad genus dicendi exhortatorium pertinet. Nam distinguens in homine, mores, actiones, passiones, & morum nomine intelligens statum peccatoris, & infidelis, Mores (inquit) sortitus est sermo exhortatorius, Pietatis dux ac Religionis: qui instar Carinæ subiectus est ad fidei ædificationem: quo quidem nos valdè exultantes, & opiniones veteres abiurantes ad salutem capessendã iuuenes alacres réddimur.] Vbi vero iactus est salutis fundamentum; errorumq; ac peccatorum grauium purgatæ sordes, reliquum est, vt ad præclara facta transitus fiat, Scriptum est enim, declina a malo, & fac bonum, & Hieremias a Deo constituitur super gẽtes, & regna, vt euellat, & destruat, ædificet, & plantet: tunc igitur alterum genus concionum, ex hoc altero auditorum genere existit, quod Præceptiuum nos possumus appellare, nam & Clemens omnibus (inquit) actionibus præest sermo, qui versatur in tradendis præceptis.] neque hæc distinguuntur ex eo, quod exhortationes non habeant locum in secundo hoc genere auditorum, sed quia propriè conueniunt, primo quidem exhortationes, secundo autem præcepta. Nam inducendi sunt prius peccatores, vt velint curari, deinde docendi sunt recta. Nota quam eleganter hæc munera Sanctus Paulus ad Timoth. distinguat, cum inquit, omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vbi duo priora membra ad fidei doctrinam pertinent, duo posteriora ad morum disciplinam. Nam quia doctrina fidei, tum recta dogmata tradit, tum refellit errores, ideirco dicitur Sacra Scriptura vtilis ad docendum, vera videlicet, & vtilis ad arguendum, nimirum falsa. Et quia disciplina morum prauas item actiones corrigit, rectasque inducit, propterea dicitur Sacra Scriptura vtilis ad corrigendum, & erudiendum in iustitia; sed redarguere errores & corrigere vitia, ad primum genus pertinent, quod exhortatorium vocauimus. Docere & erudire in Iustitia ad alterum illud præceptiuum, & hæc sufficere ad perfectam iustitiam, & ad hæc reuocari, quæcunque præterea assignari possent, satis apparet, quia Sanctus Paulus ideo subijcit vt perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus instructus. Nã enim satis esset instructus homo Dei, si quippiam ei deesset. Apparet quoque ex eo, genera Rhetoricæ sacræ non plura esse quam duo planè diuersa constituenda, quia duo tantum genera

Lib. 1. Pædagogi initio.

Ibidem.

Locus Pauli expenditur. 2. *Tim.* 3.

Duo genera Auditorum.

auditorum sunt, ideſt vel conuertendi, vel iam conuersi. Itaque consolatorium genus, quod Clemens distinguit, ab ijs diuersum costitui nequit, & id officium quod Sanctus Paulus item, Sacris literis tribuit, Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, ad eruditionem in iustitia pertinet, consolari enim siue ad ferenda aduersa fortiter, siue ad superandos perturbationum impetus, & suborientes in virtutis vsu quascumque difficultates, eius disciplinæ munus est, quæ tradit ipsas virtutes, eadem quippè eas cõseruare debet, quæ gignit, & ipsa alioqui virtus est perturbationum medicina, & moderatrix, atque in difficultatibus superandis suapte natura versatur. Verum quia aliqua præcipua monita de hoc consolationis modo tradi possunt, infra seperatim ea attingemus. Hęc autem cum ita sint, cumque omnino diuersa auditorum genera duo sint, quia tamen in Christiana Republica, Tertius quidam status perfectorum seu ad perfectionem peculiari quodam modo tendentium reperitur, & nos tertium orationum huic maximè accommodatum genus ponamus. Hoc genus significat Clemens Alexandrinus. Nam cum exposuisset tria illa sua genera, exhortatorium, præceptiuum, consolatorium, subijcit, Manifestum est autem esse alterum genus sermonis cuius institutum est docere, quod quidem est subtile, & spirituale, & accuratam tractandi rationem sequitur, & in arcanis contemplandis mysterijs versatur, id autem (inquit) in præsenti differatur] per quæ verba satis aperte videtur, Theologiam quam vocant Mstyicam intelligere.

Cap. 3. lib. 1.

Ex triplici genere vię, omnia tanſarum genera, ſumuntur. Cap. XVIII.

EX his omnibus iam efflorescit celebris illa plenissimaque diuisio, rerum omnium, quæ ad Christianam sapientiam & ad opus Euangelici Oratoris pertinent in viam Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam, ita vt omnes sermones qui in Ecclesia habentur, vel sint ad instruendum eos, qui a peccatis purgari debent, & ad gratiam Dei iustificantem inuitari, vel ad eos, qui de tenebris peccatorum egressi, lucis viam, & mandatorum ineunt & de virtute in virtutem proueheuntur, vel ad eos, qui diuina iam luce perfusi ad perfectiorem aliquem vitæ statum animum adijciunt, & arctius sese Deo per charitatem astringunt. Prima via vocari solita est Incipientium, incipiunp enim

enim a peccatis egredi, vt lumen gratiæ diuinæ aſpiciant. Secunda Progredientium, in via lucis, beneficio gratiæ Dei colluſtratæ. Tertia Perfectorum, & iam cumulatè expletorum virtutibus. Quos omnes videtur Diuus Ioānes compellare his verbis. Scribo vobis filioli, ſcribo vobis adoleſcentes, ſcribo vobis Patres. Hanc vero triplicem viam vel docent apertè, vel quantum ad ipſam rem ſatis ſignificant quicumque de vita Chriſtiana, & ſpirituali tractationem inſtituunt, ſcribunt, vel loquuntur. Inter quos copiosè Ioānes Caſſianus varijs libris, non ex ſuo (vt ipſe ait) ingenio, ſed ex Sanctorum Patrum, qui ſuo tempore vixerunt auditione collegit, quæ ad eam rem faciunt, iuxta Apoſtolorum traditionem, quorum illi ſanctiſſimi heroes veſtigijs inſiſtebant. Quos planè Caſſiani libros deberet bonus concionator ad manus ſemper habere, & diſciplinam tam nobilem, tamque vtilem ſibi primum addiſcere, vt inde idoneus fiat aliorum magiſter. Numquam enim erit bonus magiſter docendo, qui non fuerit diligens in colligenda eruditione diſcipulus.

Ioānis Caſſiani liber 12 mius.

Sedante Caſſianum, antiquiſſimus author, Apoſtolorum æqualis, & Pauli Apoſtoli præcipuè auditor Dionyſius Areopagita, volens quod ab Apoſtolis didicerat, Eccleſiæ fideliter tradere, ſcripſit librum de Eccleſiaſtica Hierarchia, in quo Chriſtiani hominis mores inſtituit, In eoque ſtatuit finem eius eſſe ſimilitudinem Dei quantum fieri poteſt per Charitatem, cum ſcriptum ſit in diuinis literis, Ego dixi Dij eſtis, ad quem finem docet triplici hac via tendendum, Purgatiua, Illuminatiua, Vnitiua; Diſtinguit etiam tres Claſſes populi, & tres miniſtrorum Dei, iuxta has tres vias. Quarum claſſium, prima cõtinebat eos, qui in prima via erant, cathecumenos, energumenos, pœnitentes, quibus præficiebantur ad erudiendum Clerici Minorum ordinum, itemque Diaconi, & Subdiaconi. Secunda erat reliquorum omnium Chriſtianorum in via Illuminatiua, qui ad ſacramenta admittebantur, quorum curam Sacerdotes gerebant. Tertia in via Vnitiua perfectorum, qui dicebantur Cultores, ac Supplices, & Monachi, qui omnia abdicabant, & voto aſtricti totos ſe Deo dicabant, quorum tunc peculiarem gerebant curam Epiſcopi, ex eaque re dicebantur Perficientes, & Perfectores: ſed quomodo hæc ſucceſſu tẽporum ſint variata, & ex qua cauſa ſiue negligentia miniſtrorum, ſiue tepore populorum non eſt huius loci diſſerere. Vtinam id aduertant Prælati omnes, & quod onus ſuſceperint intelligant, mei vero

Dion. Areopagitæ liber de Eccl. Hierar. diuiditur.

Ioan. 10. *Pſal.* 81.

instituti est concionatorem admonere, vt quoniam eius munus est, sacrum quoddã, & hierarchicum ministerium, tria hęc munia persuadeat sibi esse diligenter præstanda, quæ Angelicis spiritibus esse propria idem Dionysius, quem omnes Theologi sequuntur, ibidem docet, ponens in Cęlesti Hierarchia exẽplaria horum; in nostra vero Ecclesia Imagines. Est profecto quilibet Sacerdos Angelus Domini exercituum, vt per Malachiã Deus pronunciat, & maximè Concionator ad hæc tria Capita, concionum partes, & materias dirigere debet, ita vt primo à peccatis populum Christianum studeat abducere, & perpetuũ bellum suscipiat contra peccatores & peccata, & quibuscunq; machinis expugnare contendat. Secundo eos, qui exercitati in hac prima via per Dei gratiam, & misericordiam, & sacramẽtorum frequentiam purgati viuunt, debet in via Illuminatiua promouere ad virtutum officia, & ad omnem progressum dirigere. Tertio etiam ad vitæ perfectioris statum, quæ est via vnitiua, homines perducere, vt sic fiant ipsi concionatores, duces populo Dei, & Mosen imitentur, dicentes, Ibimus viam trium dierum, vt sacrificemus Domino Deo nostro in deserto. Planè non deerunt toto anno variæ occasiones, quibus diuersa argumẽta pertractent, vt omnibus, etiã progredientibus, & cõsummatis escam idoneam præbeant. Quod vt facilius fiat in vnaquaque via proprias sententias, & suam multiplicem assignabo materiam, sed prius maioris gratia claritatis sequenti obseruatione in assignatis iam causarum generibus, etiam quasi species distinguam.

Cõcionator hanc Triplicem viã debet bene docere.

Magis distincta causarum Rheterica sacra diuisio, & quomodo conueniant cum generibus prophana Rhetorica.
Cap. XIX.

EX his, quæ hactenus diximus, tria constituta sunt sacrarum genera concionum, quæ quis prohibet receptis triũ viarum vocabulis appellare, Purgatiuum, Illuminatiuum, Perfectiuum? Et primum quidem à duobus reliquis, vt diximus, planè diuersum est genus, quia auditori mutanda vita est, duobus vero posterioribus inter se, quamquam non tanta, tamen est magna distinctio. Auditores vero in genere Purgatiuo sunt in duplici genere Fideles, & Infideles. Hi cum & rationem erroribus, & vitam praua religione inquinatam habeant, ante omnia purgandi sunt ab erroribus ea literarum sacrarum vi, quæ

Tria genera nostrarũ causarum distinguuntur.

Digitized by Google

quæ vt Sanctus Paulus dixit vtilis est ad redarguendum; fideles non ab errore infidelitatis, sed ab Ignorantia sæpe purgandi sunt, siue necessaria saluti misteria ignorent, siue per inscitiam in superstitiosam quampiam opinionem inciderint, atque hæc pars, quæ ad intellectum propriè purgandum pertinet, vocetur sanè Refutatoria. Quæ autem in purgandis vitijs versatur, eam Reprehensoriam nominemus. At in via Illuminatiua, & Perfectiua, quæ ad intellectum pertinet, Doctrinalis (Græci Discalcalicon genus hoc vocant) Quæ ad voluntatem Præceptiua nominari potest: in vtraque enim via, suæ distinguendæ sunt perfectiones, quæ ad cognitionem, & ad actionem spectet. Nam quamquam sæpè cum magna doctrina, exiguam sanctitatem, & non raro sanctitatem eximiam, cum modica doctrina cernimus, tamen dubium esse non debet, quin alia Illuminatiuæ alia Perfectiuæ viæ, misteria sacra respondeant, neque diuersas necesse est his attribuere orationum formas, cum eodem modo tractentur, & inter se magis gradu, quam genere distinguantur. Nec vero iam difficile est videre, quemadmodũ Rhetoricæ huius diuinæ causæ cum secularibus conueniant. Cuius quidem genera Aristoteles tria esse, ex auditorum triplici varietate ostendit. Nam auditor, ad quem velut ad finem refertur oratio, aut Spectator est, (inquit) aut Iudicator: si Iudicator, aut rerum præteritarum, aut futurarum. De futuris Iudicat Concio, vnde oritur genus Deliberatiuum, de præteritis iudex, vnde Iudiciale genus existit. Si autem non iudicat, sed solum spectat, vel non de re iudicat, sed de facultate dicentis, oritur genus Demonstratiuum, in quo facultatem suam ostentat Orator.

1. Tim. 3.

1. Rhet. cap. 3.

Hinc igitur Aristoteles efficit, tres duntaxat esse formas eloquentiæ sæcularis, vel tria genera causarũ eius, quæ si pressè accipienda sunt eloquentia nostra commune cum ijs perparum, aut nihil habebit. Nam genus Exornatiuum nequaquam illud est apud nos, in quo populi negotium non aliud sit, quam velut in theatro sedere, & Oratorem quasi histrionem spectare, vt inanem inde referat voluptatem, neque laudatori nostro, id est propositum, vt iactet se, & facultatem, ingeniumq; suum ostentare velit. Neque sunt nobis vera Iudicia, in quibus suffragio iudicum sit ferenda sententia de præteritis factis, quãquam posse fieri, non negarim. vt apud Populum Orator etiam noster aliquando innocentiam cuiuspiam defendat, sed id, quod perraro contingit, non potest formam ei, speciemque tribuere.

Discrimẽ inter nostra, Causarũ genera & prophanæ Rhetoricæ.

Digitized by Google

Neque demum ea deliberationis forma à Christiano concionatore tractatur, quæ apud sæculares oratores: quia liberum est eis in suis deliberationibus suadere idem, atque dissuadere, excipere, ac reijcere, quippè cum de rebus deliberetur, quarũ incertus est exitus. Quod autem plurimum tractat suasor noster, & ex suo, ad eum spectat officio, certum definitumque est, nec cuiquam rectè sentienti fas est contradicere. Quo loco magnum notandum est, inter sacram prophanamque Rhetoricam discrimen. Hæc enim dicitur ab Aristotele facultas, quo ille nomine solam dicendi artem, ac Dialecticam, nominat, ob eã, vt videtur causam, quod vtramque contradicentium partem probare possint solæ hæ duæ facultates, nam quia rationibus non alligantur veris, sed verisimilibus, & probabilibus contentæ sunt, rationes autem verisimiles, ac probabiles ibi sunt, vbi nõ est euidens veritas, sed ferè pro vtraque parte sunt, ideo Rhetorica, & Dialectica in vtramque partem de suis thematibus disputant. At vero Orator sacer, quamquam res non per se euidentes, tamen certissimas tractat, vt quæ diuina fide nitantur: & sequitur non speciem veri, sed ipsammet veritatem: idque habet propositum, vt re ipsa bonos efficiat auditores, propterea neque disputare in vtramque partem de suis pronunciatis, neque rationes, quas falsas sciat, pro veris afferre potest. Inde etiam est, vt id, quod suadet, omnino bonum sit (quantum quidem ad vim eius officij spectat.) Non enim fas est illi quippiam suadere, quod vtile sit, idemque non sit honestum, quod tamen Aristotelico Rhetori conceditur. Neque nostræ doctrinæ ea vis inest, vt possit pro Iustitia, & contra Iustitiam dicere, quod fecisse Romæ Carneades fertur, neque laudare idem, atque vituperare, quod prophanæ eloquentiæ est vsitatum. Maneat igitur si religiosius rationes spectandæ sunt, ex quibus formas Rhetoricæ suæ distinxit Aristoteles, cum earum nulla, aut nullum, aut perexiguum, Rhetoricam nostram propriè habere commercium: si tamen velimus aliquo modo ad ea genera accommodare nostra, equidem sic dixerim. Refutatorium maximè referendum ad iudiciale, quæ enim in suis refutationibus præcepta tenent patroni, eadem proportione, vsui nobis sunt in patrocinio veritatis, & euersione errorum, eademque via & ratione tractanda. Reprehensiones ac præceptiones ad deliberationem spectant. Ostendit enim concionator peccata, quæ exagitat fugienda esse, & ad mutandam vitam hortatur, ac locos suasionum tractat, vtilitate maximè proponenda.

Quomodo causę nostræ cum Rhetorica sæculari conuenire possint.

Quam-

Digitized by Google

Quamobrem Clemens Alexandrinus vtramque hanc partem generis purgatiui, vt ſupra retulimus nomine vno ſermonis exhortatorij comprehendit, laudationes vero, quæ fiunt à noſtris concionatoribus, haud obſcurè ad genus referuntur exornatiuum, quia quamuis propoſito diſſentiant, tamen in laudandi vſu non abſimilem viam ſectantur. Eadem videntur ad vitam Perfectiuam pertinere, cuius eſt maximè proprium honeſtate moueri, deinde etiam ad Illuminatiuam, ad genus ſcilicet Præceptiuum, quia præcipiendi genus pulcherrimum ac potentiſſimum eſt laudatio & exemplum. Ad genus deliberatiuum non eſt dubium, cuncta ferè referri poſſe. Omnia autem vnum ſub conſpectum ſubiecta ponet figura. *Cap. 3. l. 1.*

Exhortationes ad omnes vias pertinent.

- **Ad viam purgatiuam.**
  - Refutationes. → Purgando intellectui. → Quibus Seruiunt affectus graues.
  - Reprehenſiones. → Purgandis moribus. → Seruiũt affectus. Temperati.
- **Ad viam illuminatiuam.**
  - Orationes dogmaticæ. → Illuſtrãdo intellectui.
  - Præceptiones morales. → Ornãdis moribus.
- **Adiumenta ad Illuminandum & rationem & mores.**
  - Commonitiones.
  - Conſolationes.
  - Laudationes.
- **Ad Viam vnitiuam.**
  - Omnia pertinent, quæ ad Illuminatiuam, ſed in excellentiori genere, & huic maximè propriæ ſunt Deſcriptiones rerum altiſſimarum, & laudationes.
  - Quibus ſeruiunt affectus lenes.

Genera quæſtionum, ac res, quæ Concionibus tractari debent circa fidem, ac mores. Cap. XX.

POſt genera cauſarum aſſignata, & ſpecies earum diſtinctas, placet adhuc & arbitror vtile futurum, magis ad particularia concionum argumenta deſcendere, & ſumma quædã omnium concionum, & rerum capita enumerare, vt quaſi vnico aſpectu ante ſe habeat Eccleſiaſtes, totam rerum ſyluam, vel potius campum, in quo ſuam induſtriam, & culturam debeat adhibere. Sed quia omnis Concio, vt quælibet oratio ad quæſtionem aliquam reuocatur; Intelligamus primum, quæſtionum diuerſa eſſe genera. Aliqua enim ad ſolam cognitionem ſpectant, vt an Deus vbique ſit, aliqua finem habent, actionem, vt an ſacræ imagines ſint adorandæ, Aliæ ſunt theſes, quę ſunt vniuerſales, vt an ſit bonum renuntiare omnibus ſuis facultatibus, & paupertatis tenere conſilium, aliæ hypotheſes ideſt particulares, vt an licuerit Petro Chriſtum gladio defendere, Aliquæ ſunt præterea quæſtiones abſolutæ ſit ne Charitas vir- Quæſtionum multiplex genus.

virtus, Aliquæ comparatæ sit ne Charitas maior alijs virtutibus, Denique nonnullæ sunt simplices, de Fide, de Prouidentia, de Purgatorio; nonnullæ complexæ. An Christus sit verus Dei filius. Hæc autem dialectici & Rhetores docent, sed nostro Concionatori non parum conducit scire genus ipsum quæstionis ab initio, tum vt intelligat eas quæstiones sibi magis tractandas, quæ ad actionem vergunt, quam quæ ad solam cognitionem: & has quando tractat debere etiam ad mores conuertere aliquo modo, vt concio popularis sit, non autem scholastica disputatio, & quando tractat theses, debere etiam hypothesim aliquam attingere, tum etiam vt nouerit alios sibi locos in alijs quæstionibus quærendos esse. Nam quæstiones vniuersales, & speculatiuæ magis naturam rei declarant, & sectantur ordinem naturæ, & doctrinæ: Particulares ex Circunstantijs multa sumunt, & magis ad promouendos animos referuntur.

Quæstionis genus statim intelligẽdũ.

Cum ergo superius prima diuisione omnia reuocauerimus ad fidei dogmata, & morum disciplinam, dicamus fidei misteria sæpe concionatori esse pro suggestu explicanda populis, est enim eorum declaratio valde vtilis, sicut ignoratio in magnũ cedit damnum, ac detrimentum, nec pauci sunt qui eorum insciti laborant. Primum autem fundamentum omnium, quæ fides docet, est ipsum Dei Verbum, ipsa Scriptura reuelata, ipsum testamentum à Deo in diuinis chartis exaratum, & vetus, & nouum. Cuius maiestatem ac dignitatem debet Concionator auditoribus sæpius commendare, vt omnes intelligant, qua religione, quo cultu, & honore, hos sanctos codices debeant versare, quo in pretio habere omnes eius sententias, atque adeo verba eius singula, & minimos apices, cùm talia verba sint, quæ non ex humani ingenij arescentibus riuulis, sed ex altissimo illo atque inexhausto Diuinitatis fonte tracta & hausta, ab ipso Dei spiritu dictata, atque prolata sint. Deinde præcipua fidei misteria sunt ea, quæ ad Diuinitatis articulos, & quæ ad Christi Domini humanitatis sacramẽta pertinent. Circa prima agere sæpe poterit de Deo, & ad eius cognitionem & amorem frequenter auditores accẽdere. In Deo Vnitas essentiæ consideratur, & Trinitas personarum, vbi docenda sunt, quæ non solum ad misterij faciunt fidem, sed ad reuerentiam & honorem, vt semper iubilemus cum Angelis canentes sacrosanctum Trisagium. Dei attributa item celebranda, & perfectiones, quod sit Deus æternus, omnipotens, vbique præsens, & omnia replens, infinitus, actus purus, immensus. Eiusdem prædi-

Fidei quæ sint misteria. Verbum Dei.

Diuinitatis misteria.

Dei attributa.

Digitized by Google

prædicanda prouidentia, Iuſtitia, Miſericordia, Loquendum de varijs titulis, quibus obſtringimur Deum ſuper omnia diligere, de Charitate eius in nos, continuaque beneficentia, & maximis atque innumerabilibus beneficijs, vt ad gratitudinẽ, animi erigantur. Explicandum in loco, vt ſit cauſa efficiens, omnium quę exiſtunt, vbi proponitur conſideranda vniuerſitas rerum creatarum, viſibilium, & inuiſibilium, quarum Deum eſſe ex nihilo Creatorem & effectorem credimus. Inter quæ. Primo loco ſunt Angeli, qui naturæ dignitate, multitudine, ordine, felicitate, excellunt, qui etiam hominum cuſtodiam gerunt: ſunt etiam Dæmones ob peccatum Cælo eiecti, hominumque perpetui hoſtes, atque expugnatores. Inde homines ex anima & corpore conſtituti. Vbi ex vna parte de hominis dignitate, de animę pulchritudine, immortalitate, ac reliquis donis, ex altera de corporis miſerijs, & morte multa dici poſſunt. Multa etiam de conſequente mortem, iudicio particulari, & vniuerſali, & alijs, quæ mortem conſequuntur. Eſt enim mors velut pons quidam, ſiue ad æternam felicitatem, ſiue ad æternam perpetuamque calamitatem. Quæ ſi ſæpe atque vti decet in memoriam peccantibus reuocentur, fiet vt quaſi quodam fræno timoris iniecto coerceantur. Habet hic locum, & primi hominis lapſus & poſteritatis vniuerſæ cum eo; Poſtremo ſunt cæteræ creaturæ rationis expertes, quæ a diuo Ambroſio, Baſilio, & alijs Patribus in opere ſex dierum conſiderantur. Ex quibus Dei gloriam ac laudes (vt ſcriptura ac præſertim liber pſalmorum, & eccleſiaſticus faciunt) colligere, Philoſophus Chriſtianus, ac prædicare populo debet. Neque ſolum eſt Deus cauſa efficiens omnium rerum, verum etiam finis, ad ſuæ gloriæ per eas manifeſtationem, Creaturę vero intellectualis etiam per claram ſui viſionem.

Angeli.

Homo.

Opera ſex dierum. In libris Hexameron.

De Chriſto autem & eius humanitatis miſterijs habet Concionator ampliſſimos, quos magno cum fructu peragret campos. Debet enim velut præcipuum omnium concionum ſcopũ ſibi Chriſtum ponere, deque eius maieſtate ſæpe loqui, vt intelligant omnes ex ipſo, & in ipſo, & per ipſum omnia nobis bona donata eſſe, neque eſſe aliud nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, in quo eſt anima pleniſſima omni gratiarum genere, omnique ſapientia, & corpus diuinitatis organum, noſtręque redemptionis inſtrumentum: vt de Chriſto Domino dici poſſit illud eccleſiaſtici primo, Altitudinem Cæli (ideſt diuinitatis) pro-

Chriſtus.

Digitized by Google

profundum abyſſi (ideſt animæ) & latitudinem terræ (ideſt ſacratiſſimæ carnis), quis dimenſus eſt? Eius autem miſteria ſunt Prædeſtinatio altiſſima, a qua omnium ſanctorum & prædeſtinatio, & merita dependent. Incarnatio, Natiuitas. Vita, predicatio, miracula, mors, reſurrectio, aſcenſio, regnum eius, quod eſt Eccleſia, quæ & corpus eius eſt, cuius ipſe eſt caput, quæ in terra militat, in Cælo triumphat, in Purgatorio præparatur ad gloriam.

Eccleſia. De Eccleſia multa ſunt, quę fides docet, nam eius proprietates proponit, ſcilicet eſſe vnam, ſanctam, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam: Notas veræ Eccleſiæ, & falſæ diſtinguit, eius diuerſas hierarchias, & ſtatus miniſtrorum vſque ad ſupremum Hierarcham, & Antiſtitem refert, Claues, & poteſtatem eſſe in Eccleſia remittendi peccata, quantum ad culparum abſolutionem, & pœnarum per Indulgentias relaxationem tenet. Hæc & alia fidei dogmata ad prædicandum habet Chriſtianus orator, ex quibus colliget ea, quæ maximè auditoribus conducere iudicabit: eaque ita tractabit, vt inſtruat mentem, ad Dei practicam notitiam, laudem, gratiarum actionem, & amorem.

Morum diſciplina quid cõtineat. Venio ad ea, quæ morum diſciplinam continent, & in triplicem viam, quam ſupra ex antiquiſſima traditione propoſui, diuiduntur, vt ſingulis vijs, quæ ſint earum propria aſſignemus.

Gratia Dei. Sed illud his tribus vijs commune eſt, ac præcipuum, vt ante omnia quiſque intelligat Dei gratiam præ cæteris omnibus rebus maximè neceſſariã eſſe, Gratia ipſa eſt totius itineris Dux, ipſa lux, & comes: ipſa eſt, quæ viam monſtrat quæ vires præbet, quæ purgat, & præuenit, quæ excitat peccatorem, iuſtificat impium. Gratia comitatur pœnitentem, promouet, illuminat, virtutes inſerit. gratia per Charitatem perficit, denique quicquid boni poteſt in homine reperiri, à Dei gratia per Chriſti merita, in illũ deſcendit, & manat. Et hæc eſt præcipua materia, quã concionator debet amplificare, vt gratiæ diuinæ neceſſitatẽ, & excellẽtiam agnoſcãt omnes, eã impetrare ſummis precibus cõtendant, & ad eã ſe præparent, ei tribuant quicquid boni habẽt, vſurpẽtq; illud Apoſtoli gratia Dei ſum id, quod ſum,

1. Cor. 15. Etiã ad omnes vias ſpectat, vt quisq; cognoſcat, quiſnã ſit totius

Finis & ſcopus vitæ Chriſtianæ. vitæ ſpiritualis, ac trium viarum finis, quis ſcopus, quæ inſtrumẽta. Hæc enim in omni arte ſunt neceſſario præcognoſcẽda quæ explicare non eſt huius loci; legat, qui volet apud Caſſianum, primam eius collationem, quæ eſt Abbatis Moſis, & intelligat, aliquando reuocanda hæc eſſe in memoriam auditorum,

Digitized by Google

rorum, ne in vijs præmonstratis aberrent. Iam vero in via purgatiua hæc propriè occurrunt argumenta. Primum de peccato vniuersè, eiusque turpitudine, & grauitate, de quo ecclesiastes zelo spiritus Dei inflammatus sæpe debet loqui, atque ita, vt auditores solo peccati mortiferi audito nomine exhorreant, ac reformident. Describet sæpe miserandum peccatoris statum, dum gratia Dei est orbatus, & eæno deformatus mortalis noxæ: mala item quæ peccatum, & animam desertam a Deo, sub Diaboli tyrannide degentem consequuntur. Secundo de peccatis in specie, multa sunt, quæ doceri possùt, quorum sunt septem tanquam duces, capitalia, vitia, singula item in suas species distributa, & quasi filias, vt loquar cum D. Greg. quæ concionatori debent esse perspecta, cũ eius præcipuum munus in arguendis peccatis situm sit. Annumerabo ea, quia horum monstrorum horrenda facies, si bene depingatur, magnum potest in animis auditorum odium, detestationẽque scelerum concitare, & illud hac in re videtur optimum, si nobis locorum communium syluam comparemus, vt in diuersis concionibus, ex occasione, modo vnam speciem, modo aliam insectemur. Porrò superbia has gignit filias, Inobedientiam, Iactantiam, Hypocrisim, Contentionem, Pertinaciam, Discordiam, Curiositatem, Auaritia, Proditionem, Fraudem, Fallaciam, Periurium, Inquietudinem, Violentiam, Inhumanitatem, & Cordis duritiam. Luxuria: Mentis cæcitatem, Inconsiderationem, Inconstantiam, Præcipitationem, Amorem sui, Odium Dei, Vehemens desiderium huius vitæ, mortis, ac futuri iudicij Horrorem, felicitatis æternę Desperationem. Inuidia, Odium, Susurrationem, Detractionem, Exultationem in rebus aduersis aliorum, & in prosperis Aegritudinem. Gula Lætitiam, Multiloquium, Scurrilitatem, Spurcitiem, sensus, & intellectus Hebetudinem. Ira, Rixas, Tumorem mentis, Contumelias, Clamorem, Indignationem, & Blasphemias. Accidia, Malitiam, Rancorem, Pusillanimitatem, Desperationem, Torporem ad necessaria, & Euagationem mentis circa res illicitas. Vides quot, quantisque peccatorum sentibus hic Mundus sit expurgandus, vides quantus hæc in via, quæ prima est, sese offerat spatiandi campus, pariter & commoditas; quid ergo sentiendum de illis concionatoribus, qui campum a spinis purgare negligunt, sed super eas sementem Euangelij sine vlla spe fructus iaciunt?

In via Purgatiua. Peccatum.

Li. 31. Moral. c. 17.

Peccatorum species variæ.

Alia Peccatorũ genera.

Tertio agendum de peccatis etiam alienis, quorum homines

nes socij sunt, ac participes, iubendo consilium dando, consentiendo, approbando, tacendo, applaudendo, non obstando, non manifestando, participando. Ab his liberari Dauid orabat, cum diceret, ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Docendus est itaque populus grauiter delinquere, qui alieni peccati fit particeps, grauiterque à Deo puniri. Agendum de peccatis in Spiritum sanctum, quæ sunt, Præsumptio de misericordia Dei, Desperatio, cognitæ veritatis Impugnatio, fraternæ Charitatis Inuidentia, Obstinatio, & Impœnitentia. Agendum de quatuor peccatis, quæ clamare dicuntur in Cœlum quæ sunt: Homicidium voluntarium, Peccatum quod merito dicitur nefandum, Oppressio pauperum, Merces operariorum interuersa. Quarto de gratia iustificante, multa possunt afferri ad remissionem peccatorum necessaria, per quam peccator de statu gehennæ ad statum filiorum Dei transit, fitque membrum Dei viuum, deque eius natura, effectibus, causis, ac dignitate multa præclare dici possunt. Quinto post hæc in eadem via agendum est de pœnitentia, quæ est vnicum, & potentissimum ad peccata curanda remedium, estque hic locus satis à Prophetis, & Sanctis Apostolis vsurpatus. Quæ pœnitentia primum à Deo, & eius gratia per multos actus internos perficitur in peccatore, qui sunt cognitio peccati, timor gehennæ, Dolor culpæ Spes veniæ, aliquis Amor in Deum, Propositum emendationis: deinde etiam per actus externos, qui sunt tum confessionis, tum satisfactionis, vt sunt pœnitentiæ, & aliæ corporis afflictationes, Eleemosinæ item, & Orationes ad veniam peccatorum impetrandam eademque deflenda. Sexto ad hanc viam pertinet, vt concionator agat de Tentationibus carnis, mundi, ac dœmonum, quæ occurrunt hominibus, ne hanc viam ingrediantur, vel ne conuersionem ad Deum inchoatam, deinceps continuent. Solet enim astutissimus Satan iter hoc difficultatibus vndecumque maximis intercludere, vt miseri homines desperato progressu ad pristina vitia relabantur. Modo eos conscientiæ nimis angustæ sub specie religionis, terrore angit, modo nimis liberæ laxæq; perdita quadam confidentia dissoluit, contra quæ, debet concionator confirmare suos auditores, varia remedia proponere, ac astuti hostis versutias, & stratagemata detegere, ad fiduciam in Deum excitare, Christi Redemptoris cruciatus, ac mortem, eiusque virtutem sanguinis inculcare. Septimo docendi sunt de prauis habitibus extirpandis, & quod non statim infusa gratia

Iustificatio.

Pœnitentia.

Tentationes.

Habitus prauj.

gratia iustificante pereunt, sed remanent ad pugnam. De victoria passionum animi, bonoque illarum regimine, & totius hominis tam interioris quam exterioris, mortificatione, & omnium malorum radice, qui est Amor proprius, & fomes corruptæ naturæ.

Quæ ad viam illuminativam & unitivam pertinent.

Cap. XXXI.

IN via vero illuminativa, ad quam progredientium in via spirituali status refertur, de ipso progressu aliquando agi potest, ad quem Christiani omnes aspirare debemus. De exstirpandis peccatis venialibus, quæ progressui maximo impedimento sunt, deque remedijs ipsorum, quæ sunt præter sacramenta, sacramentalia, & plerique actus boni. De Tepiditatis vitio, & eius remedijs illud expellendi. Ad hanc ipsam viam pertinet omnium Christianarum virtutum splendor, vt cāpus amplissimus, isque pulcherrimus Christianæ facundiæ pateat. De pulchritudine enim Honesti in communi, & prærogatiuis hominis iusti, de natura virtutum, de actionibus earum, de gradibus, de effectibus, de signis, quæ multa sunt, quæ magna cum utilitate tractantur. Deinde ad singulas descendendo, diuinus ille ternarius, Fides, Spes, Charitas, quam graues, & insignes, quam dulces considerationes subministrat? Siquis fidei nostræ argumenta, quæ eius credibilitatem euidentem demonstrant, recte proponat auditoribus, magna eos consolatione perfundet, quā materiam multi iam tractant, & quidem Magister Aquila in libello, Audi filia, vt in omnibus, ita in hoc argumento tractando est admirabilis: optimus quoque eius discipulus Ludouicus Granatensis in symbolo fidei, & in ordine nostro Franciscus Arias in libro de Imitatione Beatæ Virginis, passim, in primo volumine de Imitatione Christi, & nuper Marsilius Ficinus in egregio quodam opusculo. Sæpè etiam opus est spei ancoram iacere, fiduciam in Deum excitare, præmia sperandæ proponere. Dulcissima vero est materia Charitatis in Deum, & in proximum, eoque erudienda frequentius, ac præsertim amor inter homines mutuus commendandus, qui etiam ad inimicos se extendat. Sequitur deinde quatuor virtutum, quas vulgo Cardinales vocamus nobilissimus Chorus, quorum naturam quatenus sunt acquisitæ etiam ipsa explicat philosophia, & alias his respondentes superioris ordinis à Deo infundi ad

Peccatum veniale.

Tepiditas.

Virtutes.

Fides, Spes, Charitas.

Virtutes Cardinales.

actus

actus excellentiores eliciendos optimis rationibus D. Thomas
Prudentia. ostendit. Prudentiæ plures sunt actus, consilium, iudicium, præceptio. Ad hanc reducuntur, quæ de discretione spirituum, erudite plerique grauissimi Doctores scripserunt. Ad hanc, Electio tum Status, tum aliorum bonorum in tota vita spectat. Iustitia multiplex est, Commutatiua, Distributiua, Punitiua. Ad
Iustitia. Iustitiam item tanquam præcipuæ partes referuntur, Religio, & cultus, qui Deo debetur, cuius actus præ cæteris est Oratio & deuotio sæpè pro concione laudanda. Pietas erga parentes, & patriam; Obedientia, quæ Prælatis ac superioribus debetur. Huc consideratio de statibus referri potest, vt nimirum omnes sibi inuicem reddant quod debent, subditis Prælati, parentes filijs, viri vxoribus, vxores viris, Domini famulis, famuli dominis. quæ autem præcepta his statibus danda sint ea in tertia hu
Temperantia. ius operis parte insinuabo. Temperantia consistit in Abstinentia, Sobrietate, Continentia, & Castitate tam virginum, quam viduarum, & coniugatorum, in Mansuetudine, Modestia, in externis actibus, in habitu & cultu, Humilitate, & Simplicitate. Fortitudo habet Patientiam, Magnanimitatem, & Con-
Fortitudo. stantiam in aduersis. Præterea cum virtutibus possunt coniungi opera Misericordiæ tam spiritualia, quam corporalia, septē Spiritus sancti Dona, duodecim fructus eiusdem Spiritus, octo Beatitudines, item omnes piæ, sanctæque Inspirationes, aut cogitationes, quas varijs modis Deus in mentem iniicit, quibusque hominem instruit. Itemque Consolationum & Desolationum tota ratio in hac via considerari potest, quæ est suauis materia, & planè digna, quæ à spirituali viro non ignoretur.
Leges. Ad eamdem viam illuminatiuam pertinet omnium, legum obseruantia, inter quas Prima est lex Naturalis diuina scripta in cordibus, cuius sunt decem præcepta Decalogi, quæ sæpe po
Lex naturalis Decalogi. pulo in memoriam reuocanda sunt. Exempli gratia. In primo doceat Orator diuinus, quemadmodum sit adorandus Deus contra omnem Superstitionem ac Magiam, & simul quomodo sancti colendi, & Beata Virgo, & Sacræ Imagines. In secundo de Iure iurando differat, de voto, & ita de alijs: Existimo autem multum conducere, si in aliquibus actionibus doceat quādo committitur peccatum mortale, quando veniale, quando etiam nullum, Hoc enim in aliquibus materijs si bene, ac distinctè proponatur, mirum in modum, & doctis, & indoctis placet, & multum iuuat ad mouendos homines, vt studiosè conseruare gratiam diuinam conentur, cuius rei nonnulli ex anti-

quis

Digitized by Google

quis Concionatoribus experientia duce teſtes eſſe poſſunt. Aliqui enim homines falsò putant omnia eſſe peccata mortalia, præque deſperatione habenas omnes cupiditatibus remittũt. Secunda lex eſt, Euangelica, quæ maiorem perfectionem à nobis exigit, quam illa vetus à Iudæis: & hoc præſtat omnibus legibus, quod non ſolum præcipit, ſed gratiam, & vires confert contra omne peccatum, & ad omnes virtutes, & adhoc ipſum ſacramenta continet, quæ non ſolum ſigna quædam ſunt, quibus erudiamur; ſed ipſam quoque efficiunt gratiam. Materia autem Sacramentorum maximè pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ debet ſæpiſſimè à Concionatore verſari, vt ad horum frequentiam ac ſtudium omnes inducat. Simul enim diſciplina morũ & ſacramentorum vſus iungi debent. Imo Dionyſius Areopagita ex ritibus ſacramentorum ac functionibus, triplicem viarum diſciplinam explicat. Quare omnem concionator moueat lapidem, omnem adhibeat diligentiam, vt eò perducat auditores, vt ad Sacramentum confeſsionis ſingulis hebdomadis accedant. Continet præterea Euangelium quàm plurima, quæ doctor Euangelicus explicare debet, Chriſti opera, virtutes, facta, miracula, parabolas, ſermones, dogmata, præcepta, conſilia, virtutum omnium actiones, vitiorum turpitudinem, denique omnes mores, omnem Chriſtiano viro dignam perfectionem. Quare non eſt ſine iniuria Euangelij, cum quis fonte dimiſſo, vnde aqua limpidiſsima hauriri poteſt ad philoſophiæ lacunas, & ad proprij ingenij commenta, ideſt ad ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, ſæpe ſe conuertit. Tertia eſt lex Eccleſiæ cuius ſunt quinque præcepta. Quarta eſt tam canonica, quam Ciuilis, cui etiam obedientia debetur, dicente Paulo, poteſtatibus ſublimioribus omnis anima ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Denique in via vnitiua agendum de coniunctione animę cum Deo per charitatem perfectam, de conſilijs Euangelicis præſertim Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, de Contemplatione, & eius gradibus, de Myſtica Theologia, de gradibus diuini amoris, de perfecta ſui conformatione cum diuina voluntate, ſed aliqua ex his non facile omnibus vulganda, quod multi non ſint capaces, ita monet Timotheum Dionyſius Areopagita, vt quædam occulta in vulgus non propalet, ne margaritas proijciat ante porcos: intelligit Dionyſius per hæc occultiora, multa, quæ altiſsimum quendam contemplationis gradum, multa quę ad excellentem cum Deo, & perfectiſsimam vnionem pertinent, quæ myſtica

Lex Euangelica.

Sacramenta.

1. *De Hierarch. Eccl. p.* 3. *cap.* 6.

Præcepta Eccleſiæ.

Rom. 13.

In via vnitiua quæ materiæ.

Lib. de Ceſt: Hierarch. c. 2. *in fine.*

Digitized by Google

Theologia docet & hanc tanquam reconditum thesaurum Timotheo commendat, & asserit hæc ab Episcopis non plebi, sed monachis fuisse communicata. Vides ne diuinarum rerum præ eo quanta seges parata concionatoribus sit, & quam necessaria horum notitia populo Christiano? vt mirandum sit valde aliquos quæstionibus curiosis & inutilibus, ac vana quadam verborum eloquentia conciones suas contexere, & ornare, rebus adeo grauibus, & necessarijs ad salutem, omissis. Vix profecto suo muneri satisfaciunt nisi locos communes, ex argumentis, quæ diximus, paratos & instructos habeant eosq; pro ratione temporum, ac personarum, sæpe, & accurate pertractent.

Finis Libri Quarti.

DE

Digitized by Google

DE INVENTIONE ARGVMENTORVM

Ex locis.

LIBER QVINTVS.

Materiæ Selectio.

CAPVT PRIMVM.

HActenus nostra hæc institutio Eloquentiæ sacræ formam, finem, & officia Christiani oratoris considerauit, materiam etiam huius facultatis multiplicem, & causarum genera varia, in quibus eum pro suo munere versari oportet proposuit. Agendum iam est de quinque partibus, quibus tota dicendi continetur facultas, Inuentione, Dispositione, Eloquutione, Memoria, Pronunciatione, non vt Rhetorum hic præcepta retractemus, sed vt nostrum Oratorẽ ijs de rebus admoneamus, quas ad conciones sacras, siue necessarias, siue etiam vtiles fore iudicamus. Itaque lectorem hic ego alloquar verbis Augustini, siquis (ait) credat Rhetorica me daturum præcepta, vt à me non expectet admoneo, non quòd nihil habeant vtilitatis, sed si quid habent seorsum discendum est, si cui autem fortasse bono vino etiam hæc vacat discere non autem à me, vel in hoc opere requirendum.] Atque vt ordiamur ab Inuentione. In primis Materiæ & argumenti delectus habendus est. Hæc enim est prima inuentionis industria ex August. qui negotium Oratoris in duobus consistere docet. primum vt doctrinam eligere, deinde vt eam sufficienter dicere sciat, sicut quilibet artifex primo materiam operi accommodatam inuenire, lignum vel metallum, tum eam artificiosè expolire debet. Quis dubitat nõ omnem doctrinam populo predicandam, sed eligendam accurate. Qua in re parum fælices esse aliquos

4. de Doct. Chr. c. 1.

Delectus materiæ habendus.

1 de Doct. Chr. c. 1.

Aliqui parũ fælices in eligenda materia.

Digitized by Google

animaduerto, qui eas materias proponunt, quæ vel non valde tempori conueniant, & euangelio, vel parum vtiles populo futuræ sint, vel sint steriles, & aridæ, in quibus eloquutio in mouendis affectibus non possit, vt opus est, vires suas exercere, vel difficiles, nec ad captum populi accomodatæ, vel exiles, & parui momenti, vel speculatiuæ in quibus vix appareat, quid persuaderi, qui motus excitari possint. Omnino verum est, *Lib. 3. c. 3.* quod Quint: docuit his verbis. Ego nec inueniſſe quidem credo eum qui non iudicauit, nec enim contraria, communia, stulta, inueniſſe dicitur quisquam, sed non vitasse.] Prima igitur & summa diligentia in materia deligenda poni debet, quæ etiam illud emolumenti affert, quod ille Poeta canit: cui lecta potenter erit res, nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Verbum diuinum est prædicandum.

Illud igitur primum, tamquam certissimum statuamus intelligendum oratori nostro, sibi non esse liberum, quæcumque ipse voluerit prædicare, sed adigi ex officio ad Dei verbum enunciandum, sicut nec legato fas est alia referre, quam quæ in mandatis accepit. Oratorem autem Christianum pro Christo legatione fungi initio diximus, quare nec nisi diuinum ver- *Hier. 26.* bum ab ipsomet Deo acceptum eloqui debet. Audi Deum ad Hieremiam verba facientem, sta, inquit, in atrio domus Domini, & loqueris ad omnes Ciuitates Iuda (quidnam?) vniuersos sermones, quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos, noli subtrahere verbum, si forte audiant, & conuertantur vnus- *Hier. 1.* quisque a via sua mala, & prius dixerat. Tu ergo accinge lumbos tuos & surge, & loquere ad eos omnia quę ego præci- *Cap. 3.* pio tibi. Ezechieli item dicitur: fili hominis omnes sermones meos, quos ego loquar ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi, & vade ingredere ad filios populi, & loqueris ad eos.

Verbi Dei dignitas.

Hoc autem verbum Dei debet prædicari, quia vt diximus ex Paulo, scriptura sacra ad omnia vtilis est, vt perfectus sit homo Dei, & instructus, & continet Doctrinam omnium rerum ad salutem necessariarũ, quod si cum doctrinis philosophorum con- *Hier. 23.* feratur, merito dicere possumus, cum Hieremia, Quid paleis *Psal. 116.* ad triticum? & cum Dauide, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua, hoc, inquam, est verbum Dei, quod multis nominibus præcellit omnem humanam doctrinam, Vnde *Heb. 4.* a Paulo dicitur sermo Dei viuus, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & alibi dicitur sermo iustitiæ, quia docet Chri- *Heb. 5.* stianam, ac perfectam iustitiam, & rursus dicitur verbum *2. Tim. 2.* veritatis docens verissimam scientiam, in qua nihil possit

subesse

Digitized by Google

ſitheſſe falſi, & ſepe dicitur verbum vitæ iuxta illud Diui Petri: Verba vitæ æternæ habes, & ad Coloſſ. agnitio veritatis Dei, *Ioan. 6.* iterum Doctrina, quæ eſt ſecundum pietatem, & ad Tit. Agnitio veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt in ſpem vitæ æternæ. *Col. 1.* *1. Tim. 6.* Denique doctrina quæ eſt ſecundum Euangelium gloriæ beati *Tit. 1.* Dei. S. Hieron. & habetur diſt. 36. cap. ſiquis vult, dat exemplum Moyſi, qui erat indeſinenter in tabernaculo Domini, aut Populum docebat. Hæc ait ſunt duo Pontificis opera, vt aut a Deo diſcat legendo ſcripturas ſacras, & ſæpius meditando, aut populum doceat, ſed illa doceat, quæ a Deo ipſe didicerit non ex proprio corde, aut humano ſenſu.]

Secundo illud apud neminem reuocari poteſt in dubium, res quæ ſeligendæ ſunt, eas debere eſſe ex quibus auditores plurimum vtilitatis percepturi eſſe videantur, cuiuſmodi ſunt, quæ doctrinas morales continent, & ad vitæ Chriſtianæ inſtitututionem faciunt. Neque enim laudandi ſunt, qui licet pulcherrima afferant pro concione, tamen ſunt huiuſmodi, vt peccata non corrigant, mores non inſtituant, fructum non pariant. Non autem ita fieri debere, & ratio, & authoritas, & exemplum perſuadent. Ratio quidem, quia cum finis concionatoris, & fructus concionum ſit, perſuadendo, bonos & meliores reddere auditores, quis in dubium trahat, hoc moralia præſtare multo melius, quam ſpeculatiua? Quare non videtur valde fructum & ſalutem curare animarum, qui in his magis, quam in illis immoratur. Authoritas eſt ſcripturæ vtriuſque teſtamenti, quæ paſſim hoc præcipit, vt alibi pluribus oſtendimus. interim illud Pauli hoc loco valde ad rem facit, vult enim, vt ſit ſermo *Tit. 2.* ſanus, & verbum ſanum, nempe quemadmodum dicuntur fructus ſani, qui corporibus ſanitatem conferunt. Sicut autem medici a multis fructibus præcipiunt abſtinendum, præſertim ægrotantibus, quod inſalubres ſint, ita cauendum eſt medicis animarum, ne ijs, quos curãdos ſuſcepérunt parũ ſalubria proponant, cuiuſmodi ſunt omnes quæſtiones inutiles, & curioſæ. Euntes, inquit, Chriſtus docete omnes gentes, ſeruare omnia *Mat. 28.* quæcumq; mandaui vobis, ergo mandata Dei ſunt inculcãda, ſine quibus nemo vitam æternam conſequi poteſt: nam dominus idem rogãti legiſperito, quid faciendo vitam æternam poſſeſſurus eſſet, poſt præcepta commemorata ſubdidit. Hoc fac, & viues. Cum ergo Concionatores in eum finem ſuggeſtum aſcendant, vt populum doceant viam cæli, omnino ſuo muneri deſunt, niſi mandatis Dei vrgendis frequenter inſiſtant, apud

Materiæ vtiles ſeligẽdæ.

Præcepta Dei.

Luc. 10.

Digitized by Google

Luc. 24. Luc. dicitur . oportebat prædicari in nomine eius pœnitentiã,
Pœnitentia. & remissionem peccatorum, ergo ad dolorem, & pœnitentiam,
Marc. 16. & peccati detestationem, & spem remissionis, inducendi sunt
sæpe homines. Apud D. Marcũ euntes prędicate Euangelium
Euangelium. omni Creaturæ, ergo materia concionum præcipua ex euange-
licis verbis, & historijs desumi debet, quæ virtutibus inferen-
dis, peccatis euellendis, & detestandis deseruiunt, ex quo ma-
ior fructus reportari solet, quam si quis contortas, & aculeatas
ingenij sui conclusiunculas excogitet, ac eleganter, vt sibi vi-
detur proferat, Euangelio, vel prætermisso, vel cursim explí-
cato, vel summis (vt dicitur) labijs delibato. Atqui videtur
hoc loco dignum, & opportunum consilium, vt historias euan-
gelicas, vel parabolas, atque adeo verba Euangelij crebro in
Concionibus referamus populo. In hunc enim finem hæc Ec-
clesia legit, & facile oblinioni mandarentur, nisi Concionato-
res sæpe commemorarent, nec possunt, non magnam ex se ha-
Sess. 5. *c.* 2. bere vim, vtpotè a Dei filio prolata. Denique Concilium
Materia Tridentinum optat, vt prędicemus vitia, & virtutes, præmia,
Ex Cõcil. & pœnas, quod etiam B. Frãciscus suos admonebat religiosos.
Trid. His igitur vtilibus sacer Orator insistat, nec multa in vna con-
cione coaceruet, sed optima seligat, ac studiose confirmet. Quo-
niam vero iam satis dictum est, quæ præcipua esse debeant Cõ-
cionum argumenta, nunc aliqua, quæ relinquenda potius, quã
in concione enarranda sunt breuiter indicemus, plenius hac
de re in tertia parte loquuturi.

Quales materiæ non videantur in concionibus popularibus examinandæ. Cap. II.

NOn videtur tẽpus terẽdum in quęstionibus philosophicis,
seu multis philosophorũ sentẽtijs afferendis. Theologicæ
vero, quæ sunt difficilia leuiter delibanda, vel omnino prętер-
Orat. 1. *de* eunda. Recte Nazianzenus de quibus (inquit) disputandum?
Theol. & quomodo? de his solum, ad quæ humani ingenij acies per-
tingere potest. Et quatenus conditio auditoris & facultas qui-
verit assequi, ne vt intensior vox auribus, vt alimentum immo-
dicum corpori, vt onera paulo grauiora subeuntibus, vt de-
nique terræ crebriores pluuiæ nocent, ita sanè, & auditores
quæstionibus altioribus, & quasi solidioribus degrauari, pres-
sique damni aliquid accipiant] & ad finem orationis. De his
argumentis Theologicis disputationem salubriter ait moueri,
in qui-

Digitized by Google

in quibus scopum ferire est vtile, aberrare vero non adeo perniciosum.] Auguſt. item, ſunt quædam, quæ ſua vi non intelligantur, quomodolibet, & quantumlibet, quamuis pleniſſima ducentis verſentur eloquio, quæ in populi audientiam, vel raro ſi aliquid vrget, vel nunquam omnino committenda ſunt. Cuius modi ſunt quæſtiones, de prædeſtinatione, ac reprobatione, de libero arbitrio, de præſcientia Dei niſi ea ſit auditorum capacitas & fructus etiam ſperari poſſit valde probabilis: Ea item, quæ apud Theologos ſunt dubia, & controuerſa. Etiam illud prudenter hic aduertendum eſt, vbi inter Doctores opinionum varietas eſt, non eſſe ad extrema adhærescendum, ſed media incedendum via, & opinionem amplectendam, quæ communior & tutior videatur. Nec operæ pretium eſt, varias Doctorum ſententias pro ſuggeſtu referre, ſatis ſuperque eſt, ſi ea quæ ſunt certa, populus percipere, & retinere valeat; Relinquatur ſcholis examen diuerſarum opinionum inter Theologos. Ex his enim ſæpe inter ipſos Auditores, nonnunquam etiam inter Concionatores, lites, & contentiones ſine fructu oriuntur: periculum etiam eſt ne populus ſenſim res quoque certiſſimas in dubium reuocandas iudicet. Paulus ad Timoth. & Tit. monet, ne in Eccleſia detur locus doctrinæ, quæ non eſt ſecundum pietatem, & abſtinendum ab inepţis quæſtionibus, & contentionibus, quæ ſunt inutiles, & ſupervacaneæ, & quæ diſſidium magis mouent, quam ædificationem. Vbi Hæretici non ſunt, etiam ſi confutationes optimæ præſto ſint, non niſi admodum parcè, & in re clariſſima, Opiniones eorum multoque minus rationes, vix etiam nomina memorentur. Vbi vero verſantur hæretici acriter confutandi ſunt, ſed cum quadam commiſeratione, quod à Dæmone decepti ſint, afferendo tamen firmas rationes, & efficaces ad arguendum. In alijs autem locis mentione hæreſis prætermiſſa, melius eſt contrariam veritatem docere; Apocrypha nunquam. Nam vt ait Hieron. Multa his admixta ſunt vitioſa, nec eorum ſunt, quorum titulis prænotantur. Fabuloſa vix vnquam aſſumenda, nec ſine magno iudicio, habita ratione decori. Itaque ſit hæc inter præcipuas concionatoris curas, vt diu, vt attente cogitet qua de re ſibi agendum putet, & cum ei vtilis, & accommodata materia occurrit, quam credit huiuſmodi eſſe, vt moribus auditorum poſſit profuturam maturè cogitet, quid in ea præcipuè ſumendum ſit, quid relinquendum. Nam etiam in hoc aliquos infelices eſſe, potuimus aduertere, dum potiorà tacent, & quæ mi-

Lib. 4. de Doct. c. 9.

Cõtrouerſiæ doctorũ diſſimulandæ.

Contra hæreticos vbi agendum ſit.

Epiſt. 7. ad Letam.

In ſingulis materijs aliqua tacenda.

nus sunt vtilia afferunt. Et fortasse non minor est adhibenda diligentia in excludendis rebus, quæ non valdè ad vtilitatem faciunt, quam in conquirendis ijs, quæ vim habent ad persuadendum, ne horam dicendi debitam fructuosis: inutilia occupent.

Duplex modus tractandi res morales per decreta, & præcepta. Cap. III.

Addam hoc loco obseruationem meo iudicio notatu dignissimam, Res ipsas morales, quas morum disciplina, vti diximus, continet, tractari à Concionatore posse dupliciter, vel vt de ijs agat, secundum theoricam tractationem explicando naturas rerum, principia, causas, effectus, ac proprietates, vel vt simplicem ac nudam praxim rerum agendarum, cæteris omissis ostendat. Sicut inter Medicos, quidam dicuntur theorici, qui in Cathedris docent, vel scriptis voluminibus agunt de morborum causis, de humoribus, de partibus similiaribus, & alijs huiusmodi, ex suis principijs de natura rerum philosophantes. Alij vero dicuntur Empyrici, ac practici, qui solum adhibent varijs morbis varia remedia. Cæterum sicut præterea inter medicos sunt nonnulli, qui in vtroque munere præstant, ac theoricam praximque coniungunt. Ita concionatores vtramque callere facultatem, vtramque exercere oportet, primo philosophari ex suis principijs, de natura virtutum, ac vitiorum, de affectibus animorum, de proprietatibus remediorum, vt hoc modo persuadeant quod proponunt. Deinde etiã ad singula descendere, sua cuique morborum animi, medicamenta præscribere, & certas ad virtutũ adeptionem vias ostendere, vt ex theorica, vsus actioque nascatur. Ita videmus apud Cassianum facere multos vitæ spiritualis egregios magistros. Ita diuum Chrysostomum libro de Prouidentia, de causa peccati; quod nemo lædatur nisi à seipso, & alios plerosque sanctorum. Affine huic doctrinæ est, quod Marcus Tullius docet his verbis. Omnis de officio duplex est quæstio, vnum genus est, quod pertinet ad finem bonorum, alterum, quod positum est in præceptis, quibus in omnes partes vsus vitæ cõformari possit. Verum hæc fusius, duabus eruditis Epistolis tractat Seneca, in quibus probat duo esse rerum genera, quæ in philosophia traduntur, Dogmata, seu decreta, ita enim ipsè vocat, & præterea præcepta. Decreta sunt, sentẽtiæ quędam ratæ ac firmæ

1. *Lib. de Offic.*

Epist. 94. & 95.

mæ quibus de virtute, de fine bonorum, de ſapientia de moribus in genere iudicamus, quæ ad totam bene viuendi rationẽ pertinent, & non ad hanc, vel ad illam vitæ partem diriguntur, ſed vniuersè hominis animam informant. V.g. beatam vitam in ſola virtute conſiſtere: Sapientem ſemper quietum eſſe, neque eorum, quæ extra ſe ſunt, aut adeptione lætari aut amiſſione torqueri; Præcepta vero ſunt, quæ ad ſingulas vitæ partes benè ordinandas ſpectant, & particulares actiones informant, vt quid quiſque iuxta ſuum officium, præſtare debeat intelligat. Exempli cauſa quomodo vir cum vxore gerere ſe debeat, ciuis cum ciue, quid debemus Deo, quid proximis, quid nobis. Probat vero Seneca in priore epiſtola præter decreta magnam eſſe præceptorum vtilitatem, atque adeo neceſſitatem admonitionum, vbi ad obiectiones egregiè reſpondet, quæ contra hanc partem præceptiuã proponuntur. In poſteriore non ſatis eſſe docet ad confirmandam ſapientiam has particulares præceptiones, ſed illam quoque partem requiri, quæ vniuersè de virtute, de bono, dogmata affert. Hæc enim docet ſubmouere, ea quæ in præceptis obſtare poſſunt, vt ſunt praui animorum affectus, ira, libido, timor, quæ niſi per decreta temperentur, præcepta non proſunt. Deinde licet ex præceptis quis faciat, quod oportet, tamen (ait Seneca) non faciet aſſiduè, non faciet æqualiter: neſcit enim quare faciat. Aliqua vel exercitatione vel caſu exibunt recta, ſed non erit in mente regula, ad quam exigantur, cui credat, recta eſſe, quæ facit. Non promittet ſe talem in perpetuum, qui caſu bonus eſt: præſtabunt tibi fortaſſe præcepta, vt quod oportet facias, non præſtabunt: vt quemadmodum oportet, faciet quod oportet, monitus concedo, ſed id parum eſt, quoniam quidem non in facto laus eſt; ſed in eo, vt quemadmodum fiat.] & multa alia, quæ qui volet, apud eum legat, ex quibus intelligi poteſt noſtro philoſopho & Oratori, vtramque partem diligenter eſſe tenendam in concionibus, vt & decreta, & præcepta afferat. Illa ex ſuis principijs diſputabit, & vniuerſalia quædam axiomata, Chriſtianæ religionis ſtabiliet in omnium cordibus, & euellet, quas Satan & mundus inſeuere prauas opiniones. Hæc ſingillatim præcepta præſcribet.

Neceſſitas Præceptorũ.

Decretorum neceſſitas.

Exempla primi generis ſunt, felicitatem noſtram non eſſe in hac vita, ſed in cælo, beatos eſſe pauperes, beatos mites, beatos qui lugent, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiã, & cæteros quos Chriſtus beatos pronunciat, non autem quos vulgus

Exempla vtriuſq; modi.

vulgus opinatur. Diligendos inimicos. Difficile esse diuitem intrare in Regnum Cœlorum. Qui non tollit Crucem, & sequitur non esse Christo dignum. Non posse hominem Deo, & Mammonæ seruire, tum alia ex his deprompta. Mortem malam esse, quam peruersa vita præcedit: Pœnitentiam post peccatum esse omnino necessariam ad culpæ remissionem, neque esse prorogandam, Diuites esse dispensatores bonorum Dei: Neminem lædi nisi à seipso. Omnia bona præcipuè ex Dei gratia pendere. Gloriam soli Deo esse dandam, & alia id genus.

Secundi generis exempla in promptu sunt passim in libris sacris, multiq; pij extant libelli, ac multorum manibus, & lectione teruntur, qui quoniã institutum non habent, virtutum, ac vitiorum naturas exequi, neque causas & principia eorum, quę afferuntur exquirere, simplici rerum propositione, ac præceptione contenti sunt. Sed nostrum oratorem iam diximus, ad vtrumque debere esse paratum, vt vtroque modo Christi gregem instruat, & maximi esse momenti cognoscas speculationem ad praxim reuocare.

Argumenta ex locis topicis, & exempla sumenda.
Cap. IV.

Tria sunt quæ faciunt persuasionẽ. *Cap. 1. lib. 2. Rhet.*

POst inuentum, & selectum Concionis totius argumentum, oportebit ea quærere, quæ pro loco, ac tempore accommodata videbuntur ad ipsum finem persuasionis. Est autem celebris illa diuisio apud Aristotelem, Tria esse quæ id præstare possint; primum argumenta, & probationes ex ipsa natura rei, quam persuadere velimus erutas, quæ intellectum & rationem demonstrationibus, vel probabilibus argumentis instruant. Secundo animorum & affectuum commotiones in ipsis auditoribus excitatas, quibus ipsa voluntas sæpe trahitur, & inclinatur. Tertio opinionem bonam, quæ habeatur de ipso Oratore, & mores eius tales, vt ei fidem faciant, quo etiam multum valet orationis qualitas, quę dicentis mores significet, vnde morata oratio dicitur. De his ergo nobis deinceps est disserendum.

Secundus igitur labor Inuentionis est, vt ad id quod suadendum intendimus: argumenta afferamus, quæ vim habeant ad conuincendum intellectum, vt credat ita prorsus esse, sicut nos dicimus. Quia enim finis Oratoris est (vt iam diximus) persuadere voluntati, vt aliquid amplectatur, aut fugiat, voluntas

Digitized by Google

tas autem nonnisi intellectu prius illustrato, cedit dicenti, debet argumentis efficacibus intellectui demonstrari quod persuadere volumus, vt appareat si quidem amplectendum sit, quàm sit honestum, quàm iucundum, quàm vtile, quàm necessarium, quàm facile, quàm consentaneum, quàm decorum; contraque si quid fugiendum proponatur; idque varijs argumentorum generibus comprobare oportet. Propterea debet Concionator optimè callere locos non solùm Theologicos, quos diuina Scriptura, & Theologi docent, sed etiam eos, qui apud Rhetores, & Dialecticos Topici vocantur. Ex locis enim tanquam sedibus argumentorum, omnis probatio sumitur.

Incipiamus igitur à Topicis, quorum vsus est apud sacras etiam literas maximus. Hi apud Rhetores, & Dialecticos in duo genera diuiduntur. Aliqui sunt artificiosi (insitos vocat Cicero) quod insint in ipsa re, de qua agitur, & adiumento artis inde argumenta ducantur; Alij sunt artis expertes, & extrinseci, à testimonijs & authoritate, siue diuina, siue humana petiti. Priores illi distingui sic possunt. Primum aliqui significant rem ipsam de qua agitur, vt sunt definitio vel descriptio, etymologia nominis vel Notatio. Deinde nonnulli aliquid immunt, vel rei connexum, vel circunstans. Ad rei connexa pertinent Coniugata, Partes, Totum, Causæ, Effectus, Antecedentia, Consequentia, Circunstant rem, quæ vocantur Adiuncta, siue Circumstantiæ locorum, personarum, temporum, ac rerum, quæ sunt triplices prægredientes, comitantes, & subsequentes. Tertio alij significant aliquid disiunctum, quod duobus modis contingit, vel vt sit illud Consentaneum rei vel Dissentaneum, Primi generis sunt: Similia, Maiora, Minora, Paria; Secundi, Dissimilia, Opposita, Repugnantia, quorum locorum expositionem videre quis poterit apud Aristotelem, Ciceronem, Fabium, Agricolam, alioſque; quoniam nos nec Rhetorem hoc loco, nec Dialecticum agimus Placet tamen solum exemplis sacris rem illustrare, quod crediderim vtilius fore Oratori Christiano, quàm si in messem alienam manum ac falcem mittamus. Primus locus est à Definitione, seu Descriptione, cuius exemplum sit ad Heb. vbi probat Paulus Christum esse nostrum Pontificem, quia conuenit ei definitio Pontificis. Est enim Pontifex qui ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ ad Deum sunt, vt possit interedere, & offerre dona, & victimas pro peccatis. Iob. Homo natus

In libro qui dicit Orator.

Loci Topici duplices.

A Definitione. *Heb. 5.* *Rom. 5.* *Iob 14.*

natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſe-
Iac. 4. rijs; En hominis deſcriptio, ex qua concluſio ſubditur: Et di-
Orat. con- gnum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos? Iac. Quæ
tra Auaros 1. eſt vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens. Baſ. Quis eſt auarus? Qui eo quod ſufficit non eſt contentus, Quis eſt proditor? qui quæ ſingulorum ſunt ſibi propria facit, Vt autem multarũ
Serm. 1. de rerum indigens ſis, inſatiabilis habendi cupiditas efficit. Leo;
Ieiunio. Proximi nomine non ij tantum intelligendi ſunt, qui nobis amicitia & propinquitate coniuncti ſunt, ſed omnes prorſus homines cnm quibus natura nobis communis eſt, ſiue illi hoſtes ſiue
Ab Etym. ſocij ſint, ſiue liberi, ſiue ſerui] ergo omnes hi dlligendi. Ab
Gen. 27. Etymologia nominis vel notatione Gen. meritò vocatum eſt nomẽ eius Iacob, ſupplãtauit enim me en altera vice. Sic Paulus
Lib. 2. c. 8. ex nomine Abrahæ, & ex promiſſione Dei, qua conſtitutus eſt
de Abra- pater multarum gentium, oſtendit gentes etiam ſine circumci-
bam. ſione filios eſſe Abrahæ; ſic Ambroſ. docet diuitias afferre ſollicitudines quibus diuites ſuffocantur, & dilacerantur, ac diſtrahuntur, & diuiduntur, quod inde probat, quod diuitiæ ita dictæ ſunt, quia mentem diuidant, atque in diuerſum ſcindant,
Epiſt. ad nec ſinant eam incorruptam eſſe & integram.] Ita etiam
Nepot. 2. Hieronimus hortatur Clericos ad eam vitæ ſanctimoniam, vt ſint de ſorte Domini, vel ipſorum ſors ſit dominus, quia hoc
Ad He- ſignificat nomen Clerici. Idem alibi, Interpetrare vocabulum
liod. Mo- monachi, Quid facis in turba qui ſolus es? id eſt qui monachus
nachum. ſecundum nomen & ſtatum es? ſimile eſt cum argumentamur
Epiſt. 1. ex aliquo accidente nominis vt Paulus ex illo loco Benedicen-
Gal. 4. tur in ſemine tuo omnes gentes, intelligi vult Chriſtum quia dicit in ſemine, non in ſeminibus. Denique circa nomina propria quorum conſideratio ad hunc locum refertur commodè illa poſſunt attendi. Primum in ſacris literis ſæpe a Deo ipſo eſſe impoſita, quod poteſt rei magnũ addere momentum. Secundo per ſe aliquid etiam ſignificari in hebraica lingua. Tertio Patres ex his ſæpe argumenta ſumpſiſſe. Quarto etiam in
Lib. 2. ſanctorum nominibus prudenter aliquid inueniri vt Greg. Fuit
Dial. c. 1. vir vita venerabilis gratia benedictus, & nomine, quemque Diabolus ex odio maledictum aliquando, non benedictum inclamabat.

A partium diſtributione. A partium diſtributione. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in
Pſal. 138. infernum ades, ſi ſumpſero pennas meas &cæt. Ex hoc vult
Rom. 8. concludere Deum eſſe vbiq. Paul. Quis nos ſeparabit à charitate

tate Dei, tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas id est nihil, & Ioan. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, quare nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Nazian. Cuncta ei obtuli qui me in sortem suam elegit, & seruauit, facultates, claritatem, vires corporis, & literas ipsas. A genere ad speciē si dicas diligendos esse inimicos ex eo quod sint proximi nostri, & Iac. Hortatur ad visitandos pupillos, & viduas, quia hæc est munda religio, sic suadebo patientiam, quia est species fortitudinis, & summa virtus. Sic probabo Sacramentum Matrimonij ex se conferre gratiam, quia est Sacramentum nouæ legis, sic Idola gentium sunt sine motu sine sensu, ergo nō habent auditum. A specie ad genus dispersit dedit pauperibus; ergo iustitia eius manet in seculum seculi, sic: Necessaria est Christiano patientia, ergo & fortitudo.

In Apolog.
A genere.
1. *Iac.*
A specie.
Psal. 91.

Sequuntur alij loci Topici. Cap. V.

A Causa, & primo finali. Quid mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum quasi dicat, Tu finis meus, ergo ad te debeo tendere, Paul: Vis non timere potestatem, bonum fac & habebis laudem, Dei enim minister est, si malum feceris, time non enim sine causa gladium portat, vindex in malum. August. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te, quasi diceret, non igitur quærenda in caducis est requies. Secundo exemplum Causæ materialis. Dan. vlt. Bel est intrinsecus Luteus, & forinsecus æneus ergo non potest comedere. Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Item Nunquid resina non est in Galaad, & medicus non est ibi? quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Est argumentum à materia, & efficiente causa. Bas. Exultas ob diuitias, ob maiorum nobilitatē te iactas, ob pulchritudinem corporis, attende tibi quia mortalis, quia terra es, & in terram ibis. Tertio Exemplum formæ in Gen. Quicunque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis eius, ratio datur, ad imaginem enim Dei factus est homo. ad Rom: qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Bernardus O Anima insignita Dei imagine decorata similitudine, quid tibi cum carne? Quarto exemplum causæ efficientis; Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me: hinc infert,

A Causa finali.
Psal. 172.
Rom. 13.
Lib. 1. *cōf.* *cap.* 1.
A causa Materiali.
Ps. 102.
Hier. 8.
In Serm: Attende tibi.
A forma.
Genes. 9.
Rom. 8.
Cap. 3. *me* *dit.*
Ps. 118.
Ab efficiēte.

Digitized by Google

Deut. 32. fert, da mihi intellectum vt discam mandata tua: in Deut. Generatio praua atq; peruersa hæccine reddis Domino Deo tuo, nunquid non ipse est Pater tuus qui fecit & creauit te? Nazian. quidquid factum est præter peccatũ à Deo esse, luculenter probat, ergo bonum est, licet nobis secus videatur. In exẽplis iam positis argumenta à causa ad effectum tendunt. Rursum argumenta sumuntur ab effectu ad causam, exemplum ab effectu finis. Paul. nemo sibi viuit aut sibi moritur, ergo siue viuimus, siue morimur domini sumus. Exemplum ab effectu materiæ, facta est generatio rei vnius, ergo alia interijt. Exemplum ab effectu formæ, Tabernaculum Mosis habuit aureum Candelabrum, ergo tale fuit exemplar ei monstratum. Ab effectu ad efficientem causam cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis? Item non accipias personam, nec munera, quia excęcant oculos sapientum. Ioan. Ego sum pastor bonus, bonus pastor dat animam suam pro ouibus. Tob. Eleemosina à morte liberat. Ab antecedentibus, si filij, & hæredes. Item sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, & Ioannes, Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Psal. Non est Deus in cõspectu eius, ex quo infert inquinatæ sunt viæ illius in omni tẽpore. Bas. Contingit, vt effodiens thesaurum, etiam cor tuum effodias, quia vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. A consequentibus Matth. Beati pauperes, quare? quia ipsorum est Regnum Cœlorum, hoc enim sequitur ad paupertatem spiritus. Item signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, linguis loquentur nouis. & Ioan. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

Orat. de plaga grãdinis.

Rom. 14.

Exod. 25.

1. *Cor.* 3.

Deut. 16.

Ab antecedẽtibus.

Rom. 8.

Ioan. 8.

Psal. 10.

Contra diuites Serm. secundo.

A Consequẽtibus.

Matth. 5.

Marc. 16.

Ioan. 8.

Aliquando fit argumentum (vt vocant) à destructione consequentis, vt si Christus non resurrexit, ergo inanis est fides nostra, sed hoc non potest esse quia Christus resurrexit. Sic à Circunstantijs, adiuncta vocat Cicero, quæ cohærent cum re non tamen necessariò, quorum aliquæ præcurrunt, vt origo, parentes, genus, & nobilitas; quædam comitantur, locus, tempus, occasio, socij, dignitas, officium; aliæ sequuntur, vt laus, infamia, Exemplum primi, Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne inuicem consumamini. Facto Vespere dicitis cras serenum erit, rubicundum est enim Cœlum, mane dicitis hodie tempestas erit, rutilat enim criste Cęlum. Exemplum secundi Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis quia Angeli

1. *Cor.* 15.

Ab adiũctis.

In Topic.

Exod. 32.

Gal. 5.

Matt. 16.

Matt. 19.

Digitized by Google

geli eorum semper vident faciem Patris. Exemplum Tertij *Eccl. 5.*
Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in die;
subito enim veniet ira illius. Bas. Ieiunantis color gravitate Serm. secundo de Ieiunio.
plenus, non in impudentem ruborem efflorescens, sed pallore
modesto ornatu placido Hieron. Sive comedo, sive bibo, sive
dormio semper insonat in auribus meis Surgite mortui, venite
ad iudicium.

A similibus. Sunt autem similia, quæ eadem habent quali- A similibus.
tates vel saltem proportionem, vt mens, & oculus, serenitas
aeris, vel maris cum tranquillitate animi, Exempla sunt pas- *Prou. 11.*
sim: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, & fa-
tua, &c. Vita nostra est quasi fœnum, flos agri, fumus, vmbra,
Eleemosina est vt semen Bas. Sicut turbines, ac procellæ debi- Orat. secunda contra diuites.
les naues, ita pravæ vxorum affectiones, coniugum animas de-
mergunt. Quis autem habens seruum arantem, aut pascentē, *Luc. 17.*
qui regresso de agro dicat illi statim transi, & recumbe, & non
dicat ei, para quod cœnem, & præcinge te & ministra mihi, do-
nec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes,
numquid gratias habet seruo illi, quia fecit quę ei imperauerat,
non puto, sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vo-
bis, dicite serui inutiles sumus. Ad hunc locum referuntur
Exempla, Parabolæ, Apologi, sic, exemplo Aaron probat Pau- Exempla parabolæ Apologi.
lus Christum vocatum esse a Deo, vt Pontifex fieret, & Pet. Si-
cut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cuius estis *Heb. 5.*
filiæ benefacientes, sic in Actis, argumentatur Gamaliel. Ante *1. Pet. 3.*
hos enim dies extitit Theodas dicens se esse aliquem, cui con- *Act. 5.*
sensit numerus virorum & c. post hunc extitit Iudas Galileus
in diebus professionis, & auertit populū post se, & ipse perijt;
Exemplum Secundi Paulus per parabolam figuli probat Deum *Rom. 9.*
non posse accusari in Reprobatione. An non habet potestatem
figulus ex eadem massa &c. Et rursus ex ramis olivæ & olea- *Rom. 11.*
stri ostendit gentiles pro Iudæis asciros, Et item ex ædificio & *1. Cor. 3.*
agricultura sumit parabolam. Exemplum Tertij De arboribus *In lib. Iud.*
quæ voluerunt sibi Regem eligere, & ad Corint. de membris *9.*
corporis. A maiori ad minus. Si ego Dominus & magister *1. Cor. 12.*
veher laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pe- A maiori.
des, & non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, *Ioan. 13.*
& vos persequentur: ad Rom. qui proprio filio suo nō pepercit, *Rom. 8.*
quomodo non cum illo omnia nobis donauit? & Petr. si iustus *1. Pet. 4.*
vix saluabitur, impius, & peccator, vbi apparebit? Hieron. ad *Ep. ad Heliod. 1.*
Heliod. Filius hominis non habet vbi caput reclinet, & tu am-

plas

plas domos, & ingentia terrarum ſpatia metiris. Aliquando
Matth. 9. eſt argumentum à maiori ad minus ſed ad hominem ſic Chri-
A minori. ſtus vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem di-
Deut. 31. mittendi peccata, ait paralytico, ſurge & ambula. A minori
ad maius, Deut. Ego ſcio contentionem tuam, & ceruicem
tuam duriſſimam, adhuc viuente me contentiosè egiſtis, quan-
Matth. 6. to magis cum mortuus fuero. Item ſi fœnum agri quod hodie
eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto ma-
A Paribus. gis, &c. A paribus Vocaui & renuiſtis, extendi manum meã,
Prou. 5. & non fuit qui aſpiceret, ego quoque in interitu veſtro ridebo.
Luc. 6. Sic apud Lucam. Nolite iudicare, & non iudicabimini, dimit-
tite, & dimittemini, eadem quippè menſura remetietur & vo-
Serm. ſecũdo bis. A ſimili Baſ. ſicut infernus non dicit ſufficit, nec auarus vn
in diuites aua quam dicit: non ſatiatur oculus videndo, nec expletur auarus
ros. accipiendo. A diſſimili, & differente Filij Sanctorum ſumus, &
A ſimili, & diſſimili. non poſſumus ita coniungi, vt gentes quæ ignorant Deum. Si
Tob. 8. diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, non
Matth. 5. ne & Ethnici hoc faciunt? ſi ſalutaueritis eos tantum &cæt. Et
Matt. 10. nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem nõ poſ-
Matt. 20. ſunt occidere ſed timete eum qui &c. Principes gentium do-
minantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in-
ter eos, non ita erit inter vos, ſed quicunque voluerit inter vos
maior fieri, fiat ſicut veſter miniſter. In libro prouer. multa ſunt
Prou. 4. diſſimilia, iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, via impiorum
Ad Ruſtic. tenebroſa. Hieron. Nihil fortius Chriſtiano qui vincit Diabo-
In diuites lum nihil imbecillius qui à carne ſuperatur. Baſ. Mare nouit
Serm. ſecun- terminos ſuos, non tranſgreditur antiquam termini deſcriptio
do. nem, ſed auarus non veretur tempus, non ſtatuit terminum ſed
ignis violentiam imitatur, omnia corripit, omnia depaſcitur.

Ab oppoſi- Ab oppoſitis. Horum ſunt quinque genera, aduerſa vel con-
tis. traria, Priuatiua, Relatiua, Contradicentia Diſparata. Exem-
Matt. 12. plum primi generis: Chriſtus probat ſe eijcere Demonium in
Ioan. 10. digito Dei, ergo non in Beelzebub. Idẽ ego ſum paſtor bonus,
bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, mercenarius
autem, & qui non eſt paſtor, videt lupum venientem & fugit &
Loc. cit. dimittit oues. Hieron. Balnearum fomenta non quærat, qui ca-
lorem corporis ieiuniorum cupit frigore extinguere. Exemplũ
Secundi Nox præceſſit, dies appropinquauit, abijciamus ergo
Rom. 13. opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Item vbi abunda-
Rom. 5. uit delictum, ſuperabundauit & gratia. Exemplum Tertij Mal.
Mal. 1. Si ego pater vbi eſt honor meus? Si ego dominus vbi timor?

quia

Digitized by Google

quia filius honorat Patrem, & seruus timet Dominum. Hieron. Timere seruorum est, diligere filiorum. Exemplum quarti: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, nam caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hieron. loquens de Deo: Non tam laudandus qui te amat, quã scelus is putetur facere, qui te non amat. Exemplum quinti ex D. Petro, Redempti estis precioso Christi sanguine, ergo non auro vel argento. A repugnantibus Gal. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Sap. in maleuolam animã non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Luc. Nemo potest duobus dominis seruire. Ambr. Quod etiam omnes barbari horrere consueuerunt inter epulas, & cõuiuia consumandæ crudelitatis profertur edictum à conuiuio ad carcerem, à carcere ad conuiuium feralis flagitij circumfertur obsequium. & infert, Quid crudelitati cum delicijs, quid cum funeribus voluptati? rapitur ad pœnam Propheta, conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto.] *In 13. Io. Gal. 5. Epist. ad Flor. 1. A repugnantibus. Gal. 1. Sap. 1. Ambr. in Luc. Lib. 3. de Virg.*

Argumenta ex locis Theologicis. Cap. VI.

PRæter locos Topicos communes, Oratori Christiano cum aliis, habet nostra Theologia, & scripturæ reuelatæ quosdam alios proprios, ex quibus argumenta eruimus magis accommodata rebus sacris, quas ad populum in concionibus tractare solemus. Hos etiam aperiam; Ac primum afferam eos locos, qui argumenta continent sumpta ex testimonijs, & authoritate præsertim diuina, quos vocari diximus artis expertes, & assumptos extrinsecus.

Inter hos Primus locus est testimonij diuinarum literarum, quæ est authoritas Dei, qui cum sit summa sapientia, & bonitas summa, nec falli, nec fallere potest, & hoc genus probationum est, cui maximè omnium nostrarum concionum confirmatio innititur: Imo & fides ipsa Christianorum, apud quos plus virium habere debet sola Dei authoritas, quam omnium rationum naturalium momenta. Hæc vocat Paulus arma militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, & in captiuitatem redigentia omnem intellectum in obsequium Christi. Cum autem sciamus scripturam sacram duplicem sensum habere, mysticum, & historicũ. Primus quidem ad instituendum, ad corrigendum, ad consolandum vtilis est, non tamen ita ad docendum, & ad stabiliendum aliquod *Scripturæ testimonia. 2. Cor. 10.*

dogma de fide, ita est accōmodatus vt historicus, nisi certò cōstet, sensum illum mysticum à Spiritu sancto intentum esse; quod constare potest si consulamus doctrinam Ecclesiæ, & alios scripturæ locos, quibus interdum explicatur sensus spiritualis
1. Cor. 9. alicuius loci vt Paul. explicauit illud non alligabis os boui tri-
Deut. 25. turanti, & ad Romanos affert illud Psalmi. In omnem terram
Rom. 10. exiuit sonus eorum, quo loco, cum Dauid de Cœlis loquatur, ego inde Apostolorum prædicationem per totum orbem dilatatam probabo, quia in hunc finem à D. Paulo vsurpatur. At ex historico firmum, & certum argumentum sumitur, modo ille sensus, Ecclesiæ sensui, & interpretationi consonus sit. Hęc erit diligentia Concionatoris, vt ad demonstranda, & confirmanda quæ dicit habeat semper testimonia ex scripturis solida expressa, efficacia, ex quibus vrgeat, vim sumendo ex vocibus, & phrasibus ipsius scripturæ, & modo loquendi ex antecedentibus, & consequentibus verbis; sæpe enim ex his rebus circunstantibus argumentum sumit magnam vim ad probandum, & fidem faciendum, sed de hoc primo loco, multa inferius agemus.

Secundus locus est Traditionis quæ parem habet authoritatem cum literis sacris, vt docet Bas. dogmata aiit nostræ religionis siue scripto, siue verbo ad Ecclesiam peruenerint paris
Lib. de Spiritu sãcto. Cap. 27. sunt authoritatis, & Concil. Trident. Traditiones Ecclesiasticas pari pietatis affectu ac reuerentia cum libris sacris suscipere ac venerari debemus. & Paul. Tenete traditiones quas acce-
Sess. 4. 2. Thess. 2. pistis siue per epistolas, siue per sermonem, Et sicut tradidi vo-
1. Cor. 11. bis præcepta mea tenetis, in quæ verba ait Theophilactus. Perspicuum fit quod haud pauca, quæ literis non mandauerint tradiderint, & ipse, & reliqui Apostoli. Loquor autem præcipuè de traditionibus ab Vniuersali Ecclesia receptis, licet etiam singularum Ecclesiarum traditiones possint à Cōcionatore assumi, & habent suam probandi vim, non tamen vt rem de fide faciant, sicut vniuersales, & Apostolicæ. Siquidē Apostoli multa quæ à Christo acceperunt, ac diuini sunt iuris Ecclesiæ tradiderunt, in quibus Ecclesia liberè statuere, & vt aiunt dispensare non potest, vt quæ ad Sacramenta pertinent. Alia ipsi à se tradiderunt, vt est quadragesimale ieiunium, trina immersio in Baptis. &c. Ex his ergo noster Cōcionator argumenta sumet, quibus probet aliquid, & studeat ita proponere vt populus in magna veneratione habeat antiquas Ecclesiæ traditiones, contra nostri temporis hæreses, sic Paulus sæpe commendat: Si

Digitized by Google

quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus, (& non dicit, scripturis,) superbus est nihil sciens & languens circa quæstiones & pugnas verborum. Item si quis euangelizat præter id quod accepistis, anathema sit, & alibi argumentum sumit ex traditione, cum enim ratione naturali, & testimonio probasset fœminam non debere orare aperto capite, subdit, si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1. *Tim.* 6. *Gal.* 1. 1. *Cor.* 11.

Tertius locus est Ecclesiæ vniuersalis authoritas & consensus. Nomine Ecclesiæ intelligo vniuersum fidelium cœtum, quæ dicitur Catholica, tum ratione temporum quibus Ecclesia idem credidit, tum ratione locorum in quibus Christiana religio diffusa est, cum eadem vbique credant omnes Christiani. Etiam nomine Ecclesiæ intelliguntur omnes Prælati, & Pastores singularum Ecclesiarum, qui repræsentãt ipsam Ecclesiam; vt magistratus Ciuitatem. Ex hoc loco firmum potest duci argumentum ad probandum aliquid cum Ecclesiæ sententiam afferimus quam ipsa, vt de fide habet, ac proponit. Et innititur vis argumentorum quæ ex hoc loco desumentur, eo quod vt D. Paulus asserit, Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, cuius fides non potest deficere, Habet enim Christi promissionem, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi; & Spiritus sancti præsentiam, sicut promissum est, alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, & Petro, ac successoribus dicitur, Super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ecclesia est Corpus Christi, & sub tali capite, non potest deficere; Est sponsa Christi, adulterari non potest (ait Cyprianus) sponsa Christi incorrupta est, & pudica: & subdit: Non potest habere Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam Matrem. Ecclesiæ authoritas. 1. *Thom.* 3. *Matt.* 28. *Ioan.* 14. De simplic. præl. siue de vnitate Ecclesiæ.

Quartus locus: Summi ac Romani Pontificis authoritas, qui cum ex munere suo aliquid statuit, ac definit, siue ad fidem pertineat, siue ad mores, errare non potest, ac proinde argumenta firmissima sumimus ex hoc loco; pendet enim vis eius ex Christi verbis, qui Petro tanquam suo Vicario, & successori eius in officio dixit: Pasce oues meas, & agnos meos; &, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Orator Christianus habet in Iure Canonico multa, quibus vtatur in confirmationem eorum, quæ ad fidem, ac mores referuntur, ex Pontifi- Romani Pontificis authoritas. *Ioan.* 21.

cum Decretis, & Canonibus sacris. Et optimum esset, si colligeret ea, quæ ad praxim tendunt, ac bonum regimen animarum, quæ cum summa reuerentia Sedis Apostolicæ debet proponere, cùm ex uno articulo primatus Romanæ Ecclesiæ pendeat Christiani populi tranquillitas, & fides syncera, præsertim quòd nostris temporibus experti sumus, quàm multæ, exitiales quæ hæreses sint obortæ in omnibus ferè Religionis Catholicæ dogmatibus per vnam, quam fator zizaniorum primò loco disseminauit contra Primatum, & authoritatem Summi Pontificis.

Concilia. Quintus locus est Sacrorum Conciliorum, quorum testimonia ad corroborandas Conciones, & ornandas egregiè afferuntur. Innumera sunt quæ inde possumus excerpere, tùm ad explicanda fidei nostræ mysteria, de quibus sæpè agitur, tùm ad morum institutionem, & reformationem; de quo multa habentur Decreta Conciliorum. Loquor autem de Conciliis Generalibus legitimè congregatis, & à Sede Apostolica confirmatis. Prouincialia etiam multa habent, quæ maximè vtilia erunt, si afferantur in sua præsertim prouincia, ad mores corrigendos, sed non habent eam vim, quàm vniuersalia, nisi accesserit Apostolicæ Sedis authoritas. Vis autem argumentorum, quæ ex hoc loco ducuntur ea est; tùm quia Concilium
1. Thom. 3. repræsentat Ecclesiam, quam diximus cum Paulo esse columnam, & firmamentum veritatis; tùm quia Christus dixit: Vbi
Marc. 18. sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in me-
Act. 15. dio eorum; tùm quia adest Spiritus sanctus, vnde dicitur: Visum est spiritui sancto, & nobis.

Alij loci eiusdem generis. Cap. VIII.

Sacri Patres. SExtus locus est authoritas Sanctorum Patrum, & quidem si afferatur testimonium de re aliqua naturali, seu philosophica tantum habet momenti, quantum ratio naturalis vim habet quæ affertur; si autem sit authoritas de re spirituali, vnius aut duorum probabile reddit argumentum non omninò firmum, quod nec repudiari omninò debet, nec pro certo asseuerari; plurium etiam, vbi alij aliud docent, non facit inbitratam probationem. Si autem sit consensus penè omnium
Sess. 4. concors, non potest verti in dubium; & hoc magis si de Scripturæ sententia exponenda sit sermo; ideoque Concilium Tridentinum prohibet, ne quis contra vnanimem consensum Patrum

trum ſacram Scripturam interpretari audeat. Eccleſia enim Catholica in rebus fidei Scripturam ſic explicatam recipit, ac tenet. Multi autem ex his Sanctis Patribus fuerunt Epiſcopi, & Apoſtolis, vel eorum Diſcipulis ſucceſſerunt, & auditores fuerunt antiquiſſimæ doctrinæ, & primorum Chriſtianorum. Adde quòd eorum authoritas tacito omnium Conciliorum, & Orbis conſenſu confirmata eſt. Mitto ſolidam eruditionem, maximam in ſtudijs diligentiam, vitæ Chriſtianæ admirandam perfectionem, & integerrimam morum ſanctitatem, à quibus tamen effœta hæc noſtra ætas longè abeſt.

Obſeruatio prudens circa teſtimonia Sanctorũ Patrum.

In afferendis SS. Patrum ſententijs prudens mihi videtur obſeruatio cuiuſdam viri in noſtra Societate grauiſſimi, ea eſt vt quando affertur ſententia quæ nihil habeat ſingulare, & eximium ſed ſolum communem doctrinam, referatur quidem nomen tamquam ſancti, & grauis authoris, quia maiorem vim habet, & ſi quidem in ipſis verbis aliquid ſit, aut acutum, aut venuſtum, quod ipſam ſententiam illuſtret magis, & in memoriam audientium altius demittat, ipſa quoque verba afferãtur: ſi hæc gratia ſeu vis non inſit, ſatis erit ſententias vulgari ſermone referre, idque eſſe maximum etiam memoriæ leuamentum, & temporis lucrum. Poterit enim aliò vtilius impendi, quod fuiſſet in ediſcendis memoriter authorum verbis conſumendum. Hoc ego conſilium valde probo, & ei ſubſcribo libenter, idque hoc loco adſcripſi, quoniam expertus ſum pleroſque Concionatores in hoc plurimum laborare, vt multas authoritates latinè pronuncient, etiamſi nihil contineant niſi communia quædam: fortaſſe libenter id præſtant, vt miraculum memoriæ ſuæ faciant, & nomen eruditorum conſequantur apud indoctam plebem, & rudes homines, qui iudicant eos viros eſſe valde doctos quod lingua loquantur, quam ipſi non teneant, & obſtupeſcunt, quod memoriter tam multa pronuncientur, quorum ipſi ne minimam quidem partem poſſint complecti. Illud etiam addo, ne ſit valde ſcrupuloſus in citãdis minutis numeris cum ſæpe poſſit eſſe contentus indicaſſe authorem, & librum, præſertim cum plura loca citantur, & res non ſit eximia.

Theologi Scholaſtici.

Septimus addi poteſt locus, cum argumentum ducimus ex teſtimonio eorum doctorũ quos Scholaſticos vocamus ad quos pertinet multa quæ in ſacris literis obſcuriora ſunt vel in ſanctis Patribus examinare, ac explicare fidei dogmata, & aduerſus Cauillatores defendere, eorumque obiectionibus reſpondere, ex principijs fidei, multas concluſiones elicere, iudicium

Digitized by Google

ferre de propoſitionibus, an ſint de fide, an opinabiles, an hæreſim contineant, an errorem, an ſuſpectæ, an malè audientes. Hæretici ſolent eſſe ſcholaſticis doctoribus infenſi, neque id mirum, cum ab eorum argumentationibus meritò timere debeant: videntur planè imitari Philippi Regis Macedonum captioſum ingenium, qui cum acriter Athenienſes oppugnaret, nec poſſet in poteſtatem redigere, ſimulauit ſe pacem cum iis initurum, ſi ſex Vrbis Senatores ſibi traderent. Sed fraudem egregiè eluſit Demoſthenes, qui vnus ex Senatoribus petitus erat, propoſito in Senatu Apologo, lupos aliquando voluiſſe cum paſtoribus ouium conuenire, ac promiſiſſe nihil ſe machinaturos deinceps mali in greges, modò canes de gregum cuſtodia pellerent. Horum etiam ſententia pro ratione grauitatis ipſorum authorum, & rationum quas afferunt, probandi maiorem vel minorem vim habet, ſi verò ſit omnium doctrina concors in materia vel fidei, vel morum, non eſt fas reijcere, cum contraria omnibus doctrina, vel hæreſis ſit, vel hæreſi proxima, præſertim cum Paulus doceat Deum ex ſua ordinaria prouidentia Eccleſiæ prouidere doctores, ac paſtores in conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in virum perfectū, vt iam non ſimus paruuli, & circunferamur omni vento doctrinæ. Certum eſt igitur quod ad ſtabiliendam doctrinam hos Doctores præbet Deus, & ſi communis eorum doctrina eſſet erronea, malè Chriſti Eccleſiæ prouiſum eſſet.

Epheſ. 4.

Doctores iuris Pōtificij.

Octauo etiam argumenta ex authoritate eorum ſumimus, qui Ius Pontificium, & Canonicum explicant. Nam cum peritia Canonum, Sacerdoti qui eſt aliorum magiſter maximè neceſſaria ſit, vt Eccleſiaſticas regulas alios doceat, debet ex eorum interpretibus confirmare multa, & explicare qūemadmodum Chriſtiano populo ſeruanda ſint, Quibus aliquo modo annexa ſunt legū Ciuilium peritorum teſtimonia, qui imperiales, ac regnorum leges exponunt, quarum obſeruatio, cum populum Chriſtianum obliget, ſi quis authoritate legum Ciuilium bonos mores, ac virtutum officia prudenter, ac ſine ambitione interdum exornet non poterit eſſe ſine fructu.

Philoſophi.

Nono eadem ratione aliquando ſed parcè vt in prima parte admonui Philoſophorum, præſertim in rebus moralibus adhiberi authoritas poterit, quando fuerit Chriſtianis inſtitutis cōſentanea, vt ex Platone, Triſmegiſto, Ariſtotele, Epicteto, Seneca. Addo, his quæ alibi dixi, ſententiam vnam tantum Auguſtini;

stini; Philosophi (ait) qui vocantur, si qua forte vera, & fidei nostræ accomoda dixerunt, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrũ vindicanda, sicut enim Aegyptij non solum Idola habebant, & onera grauia quæ populus Israel detestaretur, & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro, & argento, & vestem, quam ille populus exiens de Aegipto sibi potius tanquam ad vsum meliorem, clanculo vindicauit, nõ authoritate propria, sed præcepto Dei, sic doctrinæ omnium gentilium, non solum simulata & superstitiosa figmenta, grauesq; sarcinas superuacui laboris habent quæ vnusquisque nostrum debet abominari, sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelium, & subdit, Nonne aspicimus quanto auro, & argento suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus Doctor suauissimus, & Martyr beatissimus; quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius.] Sed quam moderatè his vtendum sit diximus alibi, & planè video SS. Patres in suis ad populum exhortationibus vix Philosophorum vti authoritate. *Lib. 2. de Doct. Chr. c. 40.*

Decimo, necnon ex historicis Ecclesiasticis atque humanis argumenta multa deducuntur, quamuis non sit nisi humana authoritas, & fidem non faciant, nisi probabilem. Nam etiam fides humana debet habere locum, alioquin omnis humana disciplina periret, & ars cuius basis, fides est humana, vt in ipsis pueris videmus, qui sine aliqua fide ne ipsa quidem literarum elementa percipiunt, & omnis periret amicitia, & consociatio inter homines, nisi inuicem sibi fidem haberent. Quare grauis historicus fidem facit rebus probabilem, & magis si plures sint probati. Quod si sit omnium communis narratio, impudentiæ sit contradicere, vt si quis negaret Nicenum Concilium, factum tempore Constantini. *Historici.*

De alijs Locis Theologicis. Cap. VIII.

PRæter allatos locos habet Theologus, & Christiana philosophia & alios, quos licet aliquis fortè vel ad Topicos vel ad hos quos proximè assumptos vocaui, referat eos tamen ad maiorem doctrinæ explicationem, ac perspicuitatem placuit distinguere. *Promissiones Dei.*

Primus igitur locus est Dei Promissio, cum aliquid factum esse

esse vel futurum dicimus, quia Deus promiserat, quod argumentum habet veritatem indubitatam, quia qui promisit Deus est verax, & fidelis in omnibus verbis suis, & potens facere quod promisit. *Rom. 4.* Ita Paul. affirmat Abrahamum non hæsitasse ad Dei repromissionem quod plenissimè sciret, quia quęcunque promisit, potens est & facere. Ex hoc loco idem Apost. gentium vocationem & priuilegium supra Iudæos probat ex libro Genesis & prophetis Mal. & Osea. *Act. 2.* Sic D. Petrus in Actis defendit Apostolos non esse ebrios sed id esse mysterium quod per Ioelem Deus promiserat; Et erit in nouissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri &c. Et quidem aliquæ promissiones sunt absolutæ, aliquæ cum conditione, quæ validæ sunt si conditio impleatur. Hinc argumentamur sæpe vt iustos animemus, quia Deus promisit. *Psal. 90.* Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, & si mandata seruent, Deum nunquam defuturum.

Comminationes Dei.

Secundus est comminatio cuiusmodi multæ in scripturis habentur, sic Paul. ad Rom. fusè probat ex Dei minis Iudæorum reprobationem, & ex minis certis contra Pharaonem, quem ob suam malitiam induranit Deus, idem fore in alijs. *Rom. 9.* In hoc ipsum (ait Deus ad Pharaonem) excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam. Vnde infert Paul. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. His Dei minis vti possumus ad deterrendos peccatores, & aliquando sunt comminationes cum conditione vel aperta, vt nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis, *Isa. 38.* vel occulta, vt Dispone domui tuæ, quia morieris & non viues, & apud *Ionam* 3. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.

Reuelationes.

Tertius est Reuelatio aliqua diuina non scripta, vt indicat D. Paul. Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent, *1. Cor. 14.* quod si alij fuerit reuelatum sedenti, prior taceat. Argumenta autem ex hoc loco non habent vim faciendi fidem Catholicã, nisi reuelationes authoritate Ecclesiæ sint approbatæ, & confirmatæ, quod plane ex ipsis Pauli verbis constat, cum docet dijudicandas esse huiusmodi reuelationes in cætu: Alioquin maximè hoc sæculo periculosus est hic locus, & fundamentum planè Anabaptistarum, & multorum hæreticorum, qui in eam vesaniam deuenerunt, vt contra Patrum authoritatem exponant scripturas, cum dicant sibi à Spiritu sancto ita esse reuelatum. Etiam admonendus est Christianus Orator, vt omnino caueat reuelationes afferre ex aliquibus libris qui non habent plenam

fidem

Digitized by Google

fidem etiamsi permittantur. Si quis verò sibi aliquid reuelatũ esse diceret apertè, antequam Prælatos consuleret, posset puniri, si verò non expresè loquatur, sed aliquibus verbis occultis tale aliquid significet, merito reprehendendus est, vel vt superbus, vel vt vanus, ac leuis.

Quartus est Prædictio prophetica, aut vaticinium, ex quo loco Euangelistæ, & Christus multa probant. Matth. vt adimpleretur quod dictũ est, Ecce Virgo concipiet &c. & ex Mich. probat locum, & tu Bethleem terra Iuda &c. D. Paulus ad Rom. probat etiam si Iudæi essent reprobandi, aliquos tamen ad finem mundi conuertendos, ità probamus tàm multa contigisse Christo & Ecclesiæ ex Prophetis, vt D. August. facit in libris de Ciuitate Dei percurrendo quæ illi de Christo prædixerunt, videtur enim tota scriptura veteris testamenti quasi vna esse propositio maior, ponens futuras Messiæ conditiones, & scriptura noui testamenti, quædam propositio minor, docens in Christo conditiones eas impletas esse, quibus conclusionem subijcit fides; itaut dici possit, Audi filia quod in Prophetis dicitur de Christo, & vide in Christo ea impleta esse, & inclina per fidem aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. idest, muta mores antiqui, & veteris Adæ, & indue nouum & sic concupiscet Rex speciem tuam. Itaque multum concionatori siue ad fidem, siue ad mores proderit, si diligenter in prophetarum lectione versatus sit.

Prophetiæ. *Esa.* 7. *Matth.* 1. *Matth.* 2. *Mich.* 5. *Psal.* 44.

Quintus est figura aliqua, vel vt alij vocant typus, qui præcessit ad figurandum vel significandum aliquid futurum, & differt à vaticinio, quia hoc fit in verbis, figura in factis consistit. Figura est per quam Christus probat suam passionẽ, sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis. Paul: Petra autem erat Christus. Sic Patres ex figuris probant Christi aduentum in Carne. Curandum autem est vt figuræ sint aptæ, & benè cohæreant rebus significatis. Cæterum argumentum ex figura sumptum, magnopere vrgendum non est ad confirmanda fidei dogmata, nisi ipsa figura sit alijs scripturis confirmata.

Figuræ. *Num.* 21. *Ioan.* 3. 1. *Cor.* 10.

Sextus Allegoria, cum aliud significatur quã verba innuunt, vt illud, neminem per viam salutaueritis, quo probamus non debere distrahi à negotio spirituali, sic Paul. ex eo, Non alligabis os boui trituranti, argumentatur, prouidendum esse de temporali necessitate ei qui spiritualia administrat, sic licebit argumentari, omnis victima sale salietur, ergo & homo Deo dica-

Allegoriæ. 1. *Cor.* 9.

dicatus debet vti prudentia, & moderatione.

Parabolæ. Septimo. Parabola qua **docemus**, & probamus quod volumus, cuiusmodi in nouo testamento multæ sunt. In his D. Chrysostomi præceptum seruandũ est vt notemus quid sit quod præcipuè spectat Christus in parabola, Nam præter hoc multa adducuntur ad explendum sensum & ornatum, ex quibus argumenta duci non debent. Alioquin fœnerari, & furari liceret vt significatur in parabola Villici, & talentorum, quæ fœnori tradita sunt. Scopus autem parabolę maximè in fine solet significari, vt in parabola de veste nuptiali, multi vocati pauci electi, & in parabola de primo accubitu, qui se exaltat humiliabitur, & de Virginibus, vigilate quia nescitis diem neque horam.

Matth. 22.
Matt. 23.
Matt. 25.

Sacramenta. Octauus, Signum sacrum vel Sacramẽtum quod est ceremonia sacra externa ad aliquid efficaciter significãdum à Deo instituta, Paul. Ex Baptismo, argumentatur debere Baptizatos cũ sanctitate viuere. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Dei Patris, ita nos in nouitate vitæ ambulemus, sic possum hortari Coniuges ad fidem, & continentiam coniugalem ex Sacramento Matrimonij. Sic alios omnes ad conseruandam fidem firmiter ex Sacramento Confirmationis, ad vnionem perfectam cum Christo ex Sacramento Eucharistiæ.

Gal. 3.
Rom. 6.

Loci à Comparatis proponuntur, & rursum alij plerique. Cap. IX.

Adhuc possunt alij loci afferri inter quos aliqui communi vocabulo à Cõparatis dici possunt, & quidem aliquo modo cum loco Topico cõueniunt, qui est à similibus, vel paribus, tamen placuit distinguere, quia multa comprehendit. Solent enim in scriptura inueniri multa quæ inuicem habent aliquam proportionem, & ab vno ad aliud sæpe argumenta ducuntur, vt à persona ad personam, à tempore ad tempus, à capite ad membra, à corporali ad spirituale, à terreno ad Celeste, & è contra. Exempla rem explicabunt. A persona ad personam arguit Paulus. Deus dixit Iosuè non te deseram, neque derelinquam, sicut fui cum Moyse, ità ero tecum, ex quo Paulus infert debere nos confidere in Deo, ita vt, inquit, confidenter dicamus

Hebr. 13.

camus Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat mihi homo; Et alibi à persona Pharaonis, idem arguit futurum in alijs impijs, cuius vult miseretur, & quem vult indurat. A tempore ad tempus, Paul: probat à tempore legis veteris ad tempus Euangelij. Si in lege Mosis licebat Sacerdoti de altari viuere, ergo & in nostra. Nec tamen valere putes in omnibus argumentum; Sed in aliquibus tantum, quam multa enim in veteri lege permissa, & facta, quæ non possunt fieri in noua? A Capite ad mẽbra, id est à Christo ad fideles V.g. de Christo dicitur in Psalmis, Reges eos in virga ferrea, & tamquã vas figuli cõfringes eos, Et de Christo exponũt Apostoli, & tamẽ in Apoc. eadẽ verba accomodantur pijs. Qui vicerit vsque in finẽ dabo ipsi potestatem super gentes, & reget eos in virga ferrea & tãquam vas figuli confringentur; Neque tamẽ hoc argumentũ debet assumi in omnibus, sed vtamur in his tantum, quæ in scriptu ris vel Ecclesia vel sanctis Patribus vsurpata inuenimus, ne erre mus. A membris ad caput V.g. illa verba. Quid est homo quod memor es eius aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eũ paulominus ab Angelis &c. qui locus agit de hominis dignitate, & tamen ex eo loco Paul. probat Christum esse verum hominem, & supra homines & Angelos, eo quod quicquid dignitatis est in homine a Christo & per Christum habetur. Non tamen omnia quæ membris conueniunt, conuenire etiam capiti possunt vt patet de peccato, ignorãtia, & alijs. A Corporali ad spirituale videmus prophetas multa promitttere per Messiam bona temporalia, vt pacem, abundantiam, opes, quæ tamen Apostoli ad spiritualia trãsferebant, sic Abrahæ promittitur terra noua, & semen in quo benedicẽdæ omnes gentes. Sic possum argumentari, Deũ iustis dare spirituales, consolatoines, qui promisit Israeli terrã fluentẽ lacte & melle. A spiritualibus ad tẽporalia, argumentum fit cum probamus Deum non negare corporalia, cum spiritualia concedat. Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. A terreno ad Cæleste, sæpe scriptura sub descriptione felicitatis terrenæ, & consolationum quas Deus communicat suis in hac vita significat futuras in altera delectationes ac prẽmia. Vnde ab illis licet nobis argumentari & probare statum futuræ fælicitatis.

Rom. 9.

1. Cor. 9.

Psal. 2.

Apoc. 2.

Psal. 8.

Adhuc præter hos omnes assignatos locos abundant scripturæ multis alijs vnde innumera argumenta possunt colligi, quos non facile sit enumerare: quisque priuata scripturarum lectione, ac Sanctorum, animaduerter quam multa argumenta

Promiscua enumeratio aliorum locorum.

Digitized by Google

menta possunt sumi ex Dei Prędestinatione atque electione, ex prouidentia communi ac priuata omnium, ex attributis Dei iustitia, bonitate, & amore Dei erga nos. Huiusmodi item sunt innumeri loci, vt illustratio nominis Dei, gloria Christi, voluntas & præcepta Dei, gratia Dei, & plurima auxilia, Angelorum custodia, orationes Sanctorum pro nobis, imitatio Sanctorum, Iustorum priuilegia, quibus plena est Scriptura vtriusque Testamenti, virtutis splendor, peccati turpitudo, & damna, magnitudo præmiorum, ac pœnarum, lex vetus, & Euangelica, lex diuina & humana, consuetudo, experientia, naturæ dictamen, conscientiæ testimonium, Ecclesiæ vtilitas, proximorum ædificatio, & offensio, miracula, consolationes spiritus, remedia Sacramentorum, humanæ vitæ miseria, vanitas, ac breuitas, mors certa, & incertum eius tempus, hostium nostrorum astutia, & prœlia, mundi peruersitas, ac malignitas, & sexcenta alia, quæ studiosis sacrorum librorum arbitrio, & ingenio inuenienda relinquimus, quibus tanquam locis argumentationum, vtimur ad multa argumenta eruenda, & confirmationem eorum, quæ diximus. Hactenus de argumentis, quæ in omni genere quæstionum vsui esse possunt hæc dicta sint, sed quia diuersa Concionum genera proprias habent, & peculiares argumentorum sedes, operæ prætium erit, si hos etiam breuiter attingamus, vt sciat Orator consulere fontes, qui seruiunt exornatorio generi, suasorio, doctrinali, & agnoscat, quid sit proprium Orationis, quæ confutat aliquod dogma, quæ mores instituit, quæ corripit, quæ consolationem adhibet.

In genere exornatiuo loci. Cap. X.

INcipiamus ab exornatione, quæ tota vel præcipua est in laudibus. Genus hoc videtur maxime ad viam Vnitiuam, vt alibi significauimus, & contemplationem pertinere, honesti enim specie hæc maxime capitur, rursum ad viam illuminatiuam quia Sanctorum exempla, & laudes præcepta sunt & exhortationes aliorum. Omnes autem laudationes debent etiam ad aliquam persuasionem referri, in quibus Encomiastes proponere sibi debet. Primò admirationem gratiæ Dei, ac virtutis, & diuinæ liberalitatis in sanctos, præcipuè Christi Domini gloriam, & laudem. Secundo ipsius quem celebrat sanctitatem. Tertio imitationem, maximè ostendendo facilitatem virtu-

virtutum, Exemplo Sanctorum, qui homines erant ex eadem massa procreati sicut & nos. Solent Rhetores proponere plures locos laudum, cuiusmodi sunt parentes, maiores, patria, genus, opes, amici, honores, potentia, educatio, bona corporis valetudo, forma, robur, bona animi siue à natura, vt ingenium, memoria, facilitas, eloquētia, siue ab industria, vt scientiæ, Virtutes, prudentia, Iustitia, fortitudo, temperantia, facta dictaque egregia, mortis quoque genus, & quæ post mortem contigerunt. Sed noster Orator non his locis astringitur, & aliquos vix etiam attingere debet D. Basilij hæc est sententia; Sacra inquit Schola, præcepta Rhetorum, aut instituta nō sequitur & subdit, Encomiorum lex est ostendere Patriæ dignitatem genus, originem, educationis incunabula, nostrum vero dogma hæc tamquam superflua dimittit:] Potius nostros Sanctos celebrare solemus ex contēptu opum, dignitatum, honorum, nobilitatis, & aliarum similium rerum. Hieronymus aspernatur genus quod Heliodorus neglexerat. Marcellam laudat, quod facta sit contempta nobilitate nobilior, & potens diuitijs, euaserit paupertate insignior. Potest tamen hic locus de Nobilitate eo modo tractari, quo ab aliquibus patribus egregiè recēsetur. Nazianzenus sępe docet nobilitatem inter Christianos viritim, id est ex proprijs cuiusque meritis expendi, & æstimari debere. Multa hac de re habet in laudatione Gorgoniæ sororis, & Heronis, & oratione ad Arianos constituit verā nobilitatem in conseruanda imagine Dei, atque similitudine contra Ignobiles, qui Diabolo sese efficiunt similes. Pęclare etiam genera nobilitatis quatuor enumerat, veraque ac falsa distinguit. At Cypria: pulcherrimè laudat in Celerino Martyre nobilitatem ex cognatis martyribus, & S. Ambr. in Luc. docet e sacris libris non solum mores in ijs qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari, vt veluti (inquit) transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in ijs, quos volumus laudare præcellat.] Quæcunque igitur profana nobilitas, potius est contemnenda Christiano Oratori, quàm magnifacienda, quæ tamen ex virtute parentum ducitur, suam habere laudem meritò potest. Cæterum in laudationibus possunt multæ species Encomiorum distingui, de Deo, de mysterijs nouæ legis, de Angelis de hominibus sanctis, ac præcipuè Beatissima Virgine, de statibus, vt religioso, sacerdotali: Interdum laudamus aliquem viuum, vbi tamen cauenda omnis suspicio Vanitatis & adulationis. Egregiam laudum materiam præbent

Capita laudationes.

In Orat. in laudem Gorgonij Cæsarien sis.

In Epitaphio ad Heliod. *Epist.* 2.

In Epist. Marcellæ. *Epist.* 16.

Nobilitas qua ratione laudari possit.

Orat. in Maximum. *Epist.* 34.

Lib. 1. *in Lucā c.* 1.

virtu-

Virtutes laudamus.

virtutes, quas in sanctis præcipuè exornamus, quales, sunt Prudētia, sub qua sunt memoria, intelligentia, Prouidētia, Iustitia ad quā refertur religio in Deū, pietas in parētes, obseruātia, gratia, veritas, liberalitas. Temperantia ad quam multæ species pertinent, sicut & ad fortitudinem quas quia alibi posuimus, non repetimus. Multò autem magis laudamus virtutes Christianas, vt sunt Fides, Spes Charitas, gratia, dona Spiritus sāti laudamus res gestas, & dicta egregia officia sapienter administrata ad Dei gloriam, & Christiani populi vtilitatem, laudamus Dei opera, & beneficia, & miracula. Possunt legi multæ grauissimorū virorum in hoc genere Orationes. Nazian. orationem habet de Athanasio, Basilio, de suo patre Gregorio, fratre Cæsario, sorore Gorgonia de Cypriano Basil. in S. Iulittam, de Barlaam, de Mamante Chris. de Iob Elia, Machabæis, Susanna. Hieronymus multorum habet in suis scriptis Encomia, Paulam celebrat Marcellam, Bonosum, Fabiolam, Lucinum. Scripturæ etiam sacræ plene sunt laudibus iustorum, quorum priuilegia passim inuenies. Dauid hinc incipit Beatus Vir qui non abijt in Concilio impiorum, Eccl. laudemus viros gloriosos in generationibus suis. In primo Mach. laudes Machabæi fortissimi. Prou. vltimo Mulierem fortem quis inueniet, procul, & de vltimis finibus prętium eius. Christus laudauit in terra multos, dedita opera Ioannem Baptistam, cæpit Iesus dicere ad Turbas de Ioanne, Item Magdalenam peccatricem in cęna Pharisæi. Passim laudes Dei in sacris literis est reperire ex attributis eius multis, & maximis, & ab effectis, quę sunt opera eius. Non solum personæ laudantur sed etiam actiones & res gestæ quod est præcipuum caput ad laudandas personas. Chrisost. hospitalitatem Abrahæ, patientiam Iob extollit.

Psal. 1. *Eccl.* 44. 1. *Mach.* 8 *Luc.* 7. & 14. *Eccl.* 43. 44.

Loci ad laudandum aliquod opus Virtutis.

Loci vnde aliquod factum potest amplificari sunt, honestum, vtile, iucundum, pium, item quæ rem circumstant, sicut si Christi cruciatus velim exaggerare, considerabo quis sit qui patitur, pro quibus, quam acerba, vbi & quando, neque solum personas, earumque virtutes exornamus, sed alia item multa. Tertullianus, & Cyprianus laudes patientiæ scribunt. Chrisost. laudes Eleemosynæ, quod sit omnium artium quæstuosissima. Hieron. Ambros. & August. tractant laudes Virginitatis. Idem Hieron. & Basil. vitam solitariam celebrant.

Ad Demetriadem. Ad Heliod. Epist. ad Nazian.

Digitized by Google

Genus Suasorium, & adhortatorium. Cap. XI.

IN genere Suasorio quod est deliberatiuum, & Adhortatorio quod ei proximè adiungitur solet esse magna pars Concionum nostrarum, quales sunt Conciones Christi ad pœnitentiam, ad charitatem, ad contemptum rerum terrenarum, Vide Nazianz. Basil. Cyprian. Omnes loci huius generis reducuntur ad duo Capita scilicet Verum & Bonum, sunt enim hæc duo obiecta, illud intellectus qui prius informari debet, hoc voluntatis, quæ post intellectum est alliciendo. Ad probandum aliquid esse verum, faciunt loci Theologici plurimi superius allati, & maximè testimonia sacræ scripturæ Cõciliorum, Sanctorum Patrum, naturæ dictamen, & lex ipsa Conscientiæ nostræ, quæ pluris est quam mille testes, lex humana, consuetudo, experientia, sensus ipsi, qui sæpe de rebus optimè iudicant. Ad secundum Caput pertinet Honestum, & cum hoc pium, æquum, vtile, iucundum, laudabile, necessarium possibile, facile. Sub honesto sunt omnes virtutes cum suis speciebus, & simul omnia quæ cum virtute sunt coniuncta, eamque consequuntur. Sicut enim Echo ad vocem resilit, ita ad virtutem quasi Echo respondet pax, tranquillitas mẽtis, & tuta Conscientia, ac præterea honor, fama, & gloria, & huiusmodi alia bona vt Cicero dicit, incorrupta vox benè iudicantium de excellente virtute, virtuti resonat tanquam imago (id est Echo.) Cum honesto itidem intellige iustum, & æquum sub quo sunt pacta, merita, officia, quæ homines debemus Deo, & hominibus. Sub iucundo est lætum, suaue, gratulatorium. Necessarium est sine quo salui, & tuti esse non possumus vt si horter ad patientiam, tribulationum, quia oportet nos per has introire in Regnum Dei; etiam putatur necessarium sine quo priuamur maximis cõmodis; Quod enim est maximè vtile pro necessario habetur. Quod autem res fieri possit, probatur ex causis efficientibus, & adiuuantibus quas si ostendamus suppetere, rem facti facilem concludemus, vt si velim persuadere bellum contra vitia, indicabo omnia præsto esse. Præter hos locos sunt alij magis proprij, ac Theologici. V.g. si ostendam esse ad Dei gloriam, eam esse Dei voluntatem, ac præceptum, habere promissionem Dei, præmia, ac mercedem, & contra non facientes minas Dei, Ecclesiæ beneficium, esse spem boni successus, Dei auxilium non defuturum, & id genus alia, si autem aliquid dissuademus contraria his quæ diximus afferenda sunt.

De cura Pup. suscip. De non differendo Bapt. De seruanda Vid. & Virg. Capita suasorij sunt verum, & honestum.

Virtus vt Echo.

3. *Tusc.*

Iustum, & Aequum.

Necessarium & Vtile.

Loci Theologici.

Genus Didascalium. Cap. XII.

IN genere Didascalio, siue docenda sit quæstio simplex de prouidentia, de fide, de purgatorio, de visione Dei, siue sit composita, vt an fides iustum faciat hominem, An Castitas præferēda matrimonio, possunt esse vsui omnes loci Topici in quibus natura rei explicatur, & quæ ei sunt adiuncta, vt causæ, & effectus, & contraria, & similia, quorum nos supra exempla attulimus ex sacris literis. Sic Christ. de stella quæ Magis apparuit proponit quæstionem an fuerit vera stella, vt alix, & probat partem negantem & vtitur locis à definitione, diuisione, situ, coniunctis, fine, testimonio. Afferamus & nos exemplum aliquod, ex locis Topicis allatis, argumenta promentes. Si probandum sit mihi mortem Christiano Viro contemnendam esse, ita disputabo, Mors est dissolutio animæ & Corporis, & transitus ad Cœlestem Patriam, & peregrinationis terminus, ergo optanda. Argumentum desumptum est à definitionibus. Siue mors accidat puero, siue seni, siue in ætate virili ei qui cum voluntate Dei consentiat, non potest non feliciter cadere, appetenda igitur, est argumentum à partium enumeratione. A Coniugatis autem erit si beati mortui qui in Domino moriuntur, mors igitur in Domino appetenda. A genere omnis dissolutio quæ à Deo fit non potest non esse vtilis, ergo mors non est pertimescenda. A specie, nec violentam, nec ignominiosam mortem, nec naturalem sancti extimuerunt, ergo mors verè timenda per se non est. A simili, liberari à carcere optabile est, cur igitur ego timeam cum Deus nos è custodia in gloriæ libertatem euocat? A dissimili Præsertim cum vita hominis non pereat, vt aliarum rerum, tum enim cum homo dissolutur maximè viuit Deo anima, & corpus breui est redituru. A Contrarijs. Cum autem hæc præsens vita sit maximis ærumnis plena, mortem suauem ac expetendam dicamus necesse est. Ab adiunctis. Adest Christus Dominus piè morientibus, adest Sanctorum custodia Angelorum, præsto est rectè factorum conscientia, quare non potest esse ea mors nisi pretiosa atque adeo nullo modo pertimescenda, Ab antecedentibus & consequentibus: Hac lege nati sumus vt moriamur, & post breuis vitæ vsuram ad immortalitatem perueniamus, libenter igitur subeunda mors est, per quam & naturæ debitum soluimus, & meliorem vitam ingredimur. A repugnantibus. Corpus quod corrum-

Hom. 6. in Matth.

Ex locis Topicis.

Exemplum Mors Viro forti contemnenda.

Apoc. 14.

Sap. 9.

corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, ergo vt anima euolet libera & in vno conquiescat creatore suo, caducum ei corpus & terrena inhabitatio relinquenda est, cur ergo non sit expetenda mors quæ pro seruitute libertatem, pro labore quietem confert? A Causis, à Deo mors immittitur, pœna peccati est, æquo animo igitur perferenda. Ab effectis Mors est instar pontis, quo ab hac ærumnosa ad fælicem æternamque Vitam fit transitus, quid ni igitur alacriter subeunda est?

In hoc genere considerantur & illa quæstionum vulgata capita quatuor: An sit res, quid sit, quale sit, & propter quid sit, quorum aliquid in rebus, sæpe omnia in vna eademq; considerantur, vt si de prouidentia agam, Primo loco ostendam eam re vera dari, & nihil casu quantum ad Deum pertinet fieri. Secũdo explicabo quid sit hæc prouidentia Dei siue generalis omnium rerum, siue peculiaris hominum, inde qualitates eius & proprietates exequar, ac tandem ex Dei infinita bonitate & sapientia nasci. In hoc genere adhibenda sunt varia testimonia sacrarum literarum, quarum voces & phrases examinandæ, sententiæ confirmandæ, Patrum dicta proferenda sunt, traditionũ authoritas, & Conciliorum Summorumq; Pontificum decreta in medium afferenda, de quibus nos suo loco egimus. Non deerunt & alij plerique Theologici loci quos etiam supra attigimus, vnde ad docendum copiosa rerum seges existet. Tenenda autem est in hoc genere ea prudentia quã Sancti Patres docent: cum enim agunt in suis scriptis contra hæreticos de dogmatibus fidei, & ad doctos concionẽ habent acutè & concisè ad dialecticam normam premunt rem, & vrgent, vt est videre in multis libris apud August. Hieron. & alios. Cum vero ad populum habent sermones, lõgè aliter eas materias docẽt. Ex scripturis etiam sacris docemur ita esse ad populum tractãdas huiusmodi quæstiones, vt etiam ad mores accomodentur, sicut est videre apud prophetas, & apud D. Paulum: Sit exemplo Epistola ad Romanos in cuius primis capitibus versatur Apostolus in genere didascalico, loquens de Iustificatione per Fidem operantem ex Charitate sine operibus legis, agit de Iudæorum reprobatione, & vocatione gentium vsque ad Caput duodecimum, tamen passim admiscet morales admonitiones, & ad extremum conuertit penè se totum à genere didascalico ad instituendos mores, ac suasorium genus à capite duodecimo, vsque ad finem Epistolæ.

Quatuor Capita in quæstione.

Exemplum de prouidentia Dei.

Quæ prudentia Oratori seruãda cum docet.

Digitized by Google

Genus Reprehensorium. Cap. XIII.

HOc genus ad suasiones, vel dehortationes partim spectat, partim verò ad vituperationes vitiorum, ac personarũ, quæ correctione indiget, refertur; qui enim reprehendit dehortatur ab ijs rebus quas vituperat & contrarium suadere nititur, ficut ait Clemens Alexan. Orationi suasoriæ, adiunctum est genus exhortatorium, & consolatorium, ita etiam laudatorio vituperatorium, & exprobratorium. Est autem Reprehensio ex eodem Clem. Alexan. velut quædam Chirurgia affectionum animæ, quas sectione dividentem oportet coarguere, & addit medicamentorum potioni, aut applicationi similem esse insimulationem, quæ resolvit affectiones quę iam occalluerunt, impudicæque ac libidinosæ vitæ sordes expugnat, fastusq; ac superbiæ carnis, quæ excreuerunt exæquat. Vnde satis patet has orationes quæ in reprehensionibus versantur, ad viam purgatiuam tendere, quare idem Clem: hanc artem abstersoriam vocat, & affert illud Ioan. vbi Deus comparatur agricolæ qui palmitem fructum facientem purgat, vt fructum plus afferat, syluescit enim Vitis, nisi putetur. Est autem idem scopus reprehensionis, cum peccata arguit qui & speculi, cum deformẽ ostendit, & medici qui febrem annunciat vt remedium peropportunè adhibeatur, siue his in quos fertur oratio siue certè alijs, Nam Nazian. duabus orationibus, & Chryſ. de Babyla Martyre contra Iulianum graues inuectiuas scripserunt, non tam vt ipsum à perfidia reuocarent, quã vt Christianos consolarentur à tam crudelis & impijssimi Apostatæ tyrannide liberatos. Quam verò sit proprium Concionatoris munus in hac Chirurgiæ facultate (vt Clem. vocat) & arte abstersoria versari nõ est difficile agnoscere tum ex ipsius Dei præcepto quod sæpius in sacra scriptura repetitũ inculcatur, tum ex ipsis Prophetarum, & Apostolorum exemplis atque adeo Sanctorũ Patrum ad populum habitis concionibus. Planè si de præcepto Dei loquamur, cui, nisi publico Verbi Dei præconi, Deus illud insonat? Isa. Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum, & illud. Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietem in gyro. Ideoque conqueritur Deus per Hieremiam Prophetæ tui viderunt

Pedag. lib. primo c. 8. *Ibidem.*

Munus Concionatoris peccata reprehendere. *Thren. 2.* *Isa. 58.*

derunt tibi falſa, neque aperiebant tibi iniquitates, vt te ad pœnitentiam prouocarent. D.Paul. ad Timoth. teſtor, ait, coram Deo, & Chriſto Ieſu, vide quanti momenti iudicet quod ſequitur, Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Habemus, & prophetarum Apoſtolorumque exempla quæ nobis proponamus, nam omnium horum hac in re conſonant voces, vt peccata coarguant, minis peccatores deterreant, iram Dei, & pœnas in eos impendentes exaggerent. Hinc ſumit initium ſuæ prædicationis Iſaias prophetarum primus, Væ genti peccatrici, ſemini nequam, filijs ſceleratis. Ob id Hieremias, quem Deus ad prædicandum elegerat ſtatim docetur, Ecce dedi te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, vt diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Hoc eſt planè myſterium libri, quem Ezechiel accepit, & deuorauit; in quo ſcriptæ ſunt, Carmen, Lamentationes, & Væ: huc tendunt omnes Prophetarum conciones, vt corrigant, & emendent, vt ſuperuacaneum planè ſit, loca, & capita concionum annotare, quæ paſſim ad vitiorum correptionem, proſequuntur. Quid Apoſtoli? nonne ideo Spiritus ſanctus eis datus eſt, vt per eos ipſe idem Spiritus argueret mundum de peccato, & de Iudicio, & de Iuſtitia? plenæ ſunt Pauli, & aliorum epiſtolæ graui reprehenſionum acumine. A Chriſto didicerant, quem ſæpè audierant Scribarum vitia acerrimè increpantem, & multitudinis corruptos mores cum magno ſpiritu corrigentem. eodem modo Sanctorum Patrum ſermones in hunc ſcopum ſæpe feruntur, & ad genus hoc, orationes ſuas non raro dirigunt. Apud Chryſ. multas inuenies homilias, & conciones contra iurandi & peierandi conſuetudinem, contra Luxum, & ebrietatem, cõtra Iram, & ambitionem, contra Inuidiam. Bonau. ex S. Greg. Clauis ait apertionis eſt ſermo correctionis, quia increpando culpam detegit, quam ſæpe neſcit ipſe etiã qui perpetrauit Hiero: explicans illud pſalmi, Dixit vt diſperderet eos ſi non Moſes electus eius ſtetiſſet in confractione, Attende (inquit) hoc ſacerdos, perierat enim populus niſi Moyſes confregiſſet iram omnipotentis Dei, & tu cum videris populum Dei delinquentem cane tuba annuncians eis delicta eorum, ac ſta in confractione ad Deum vt auertatur furor eius ab eis.] grauius vrgent verba Pelagij ſecundi Papæ, Sit (inquit) ſemper aduerſus prauos & impios, atque ſeruorum Dei perſecutores libera vox, & oris gladio feriantur, & redarguantur, repellantur confundantur, auertantur.]

1. *Tim.* 5.

Iſa. 1.

Hier. 1.

Ezech. 2.

In phar. l. 4. *c.* 34.

Par. 2. *paſt. c.* 4.

Pſ. 105.

Epiſt. 3. *ad Epiſc. Cãpaniæ, & Italiæ.*

tur.] Lege Salvianum hac in re acerrimum in libris de providentia Dei: Ex dictis recte colligitur à Sanctis, grande periculum Sacerdotibus esse aliena peccata non arguere.

Loci pro hoc genere.

Loci vero ex quibus omnis correctio, & roborari, & amplificari potest, sunt omnes illi ex quibus argumenta ad dissuadendum sumuntur, dum ostendimus quam sit illa res turpis, & honestati opposita, & contra omne decorum, quam sit contra ius & fas diuinum humanumque, quanta secum adducat detrimenta. & animæ, & corpori, & famæ, & patrimonio, quantas secum inuoluat difficultates, quantis sit referta periculis, quam ignominiosa, quantus sequatur conscientiæ cruciatus, quanta pœna. Ex locis Theologicis quos alibi assignauimus multa colligi possunt. Sed nihil vehementius vrgere poterit peccatorem, quam si verba scripturarum contra id quod arguimus afferantur, quarum non solum sententiæ, sed singulæ voces expendantur pro rei grauitate, quibus si addantur exempla, patrum authoritas, rationum efficacia, non poterit vitiorũ reprehensio non esse efficax, & fructum reportare, præsertim si adhibeantur affectus vehementes. & pathetici habita ratione turpitudinis Et, appareat Orator ex Dei vero non affectato zelo ferri, & præseferat animarum salutem ex sincera cordis charitate; Adijcienda essent hoc loco plurima, quæ Oratoris Christiani prudentiam requirunt, qua eum in arguendis, & vitijs, & personis, vt ipsum reprehensionis medicamentum non exulceret sed sanet, vti necesse est. Sed quoniam ampla sese nimium seges offerebat, placuit in Tertiam partem reijcere, vbi de tota hac materia, & de ea quæ est oratori nostro necessaria prudentia agitur. Vnum tantummodo hic admonebo, quod ad ipsum genus causæ facit de qua agimus, raro contingere vt integra concio tota in reprehensionibus posita sit, & tamen ex altera parte nullum ferè est genus orationis, siue sit Didascalicum, siue adhortatorium, siue laudatorium quod non admittat aliquid ex hoc genere reprehensionis. Curandum est igitur Concionatori, vt vbi in alijs generibus aliquid dixerit, à doctrina, suasione, laudatione, opportunam occasionem capiet, subijciendæ increpationis, vt ijs qui contrario laborant vitio, ruborem, & conscientiæ stimulum inijciat. Hoc enim videtur Paulus significare dum primo loco ponit ad *Timoth.* Arguere, quod est argumentis veritatem stabilirè, deinde obsecrare quod fit per motus, & affectus maximè lenes: postremo addi vult increpationes. Idipsum sedulò à sanctis patribus præsti-

Admittenda semper ex occasione reprehensio.

2. *Tim.* 4.

præſticum eſt, ac ſuis ad populum homilijs, præſertim à Chryſ. nam in Gen. vbi poſt tractatum locum, ſtatim contra auaritiã ſermonem aggreditur. Siue ergo de Euangelio fiat concio, ſiue de vitute aliqua, vel vitio, ſiuè de quacumque re, aut in quocumque genere, poſt explicatam doctrinam facillimum erit ad reprehendendum deriuare ſermonem, quamuis neque illud dixerim, omnem operam in ſola vitij reprehenſione ponendam. Imo aio, etiam contrarias ſæpe virtutes eſſe celebrandas, aliquando enim ſperari plus emolumenti poteſt ex opportuna pudicitiæ laudatione, quam ex importuna, & nimia incontinentiæ exprobratione; ad laudes enim Caſtitatis incontinens pudore ſuffundi poteſt, quæ non eſt modica reprehenſio. Quare concludant hunc locum Greg. & Iſid. Habet (inquit ille) in Sanctis prædicatoribus vtraque regula aptum doctrinæ pondus, vt & rectè facientes nutriant, & peruerſos animaduertentes abſcindant.] Hic autem his verbis vtitur. Is cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt etiamſi ſanctè viuat, & tamen perditè viuentes arguere, aut erubeſcat, aut metuat cum omnibus qui eo tacente perierunt perit, & quid ei proderit non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato? & addit. Mentior ſi non hoc dominus per Ezechielẽ prophetam ſub cuiuſdam terroris denunciatione loquitur dicens, & tu fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael &c.] Et explicat ibidẽ locum Ezechielis.

Hom. 20. in Geneſ.

4. Moral. c. 9.

Lib. 1. de Sum. bon. c. 20.

Genus conſolatorium. Cap. XIV.

GEnus orationis Cõſolatoriæ ad ſuaſorium genus, & vitam propriè illuminatiuam ſpectat, ad ſuperandas difficultates quæ in virtutibus vel acquirendis, vel conſeruandis ſeſe obiectant, & tolerandas pleraſque vitæ præſentis calamitates, quibus homines premuntur; quare intelligat Orator noſter hanc partem nec leuiter, nec rarò ſibi eſſe pertractandam, tum quia preſens vita omni calamitatum genere pleniſſimà eſt, & exilium, & lachrymarum vallis, in qua etiam virtus vndique, & acerrimè oppugnatur, tum quia oportet nos hac in re Deum imitari, qui hoc titulo mirifice gaudet, vt ſit pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, tum quoniam Sacræ paginæ refertiſſimæ ſunt ſuauiſſimis vocibus, quibus ad conſolandum excitamur, vt ad eum quodammodo finem reuocare D. Paulus viſus ſit omnia cum dixit, Quæcũque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſola-

Oratori ſæpe conſolatio vſurpanda.

Rom. 15.

Digitized by Google

tionem scripturarum spem habeamus. Ergo sciat Concionator sui esse muneris recreare laborantes, afflictos erigere, pusillanimes ad spem, & fiduciam animare, confirmare omnes, denique miseros quorum magna est copia consolari, nō solum, qui corporum calamitatibus, sed multo etiam magis qui spiritualibus premuntur angoribus, cuiusmodi sunt variæ tentationes, scrupuli, ac desolationes. Argumenta vero si genericè loquamur, ad cuiusque generis calamitosos, ex ijsdē generis suasorij, ac dissuasorij locis sumuntur. quos præter philosophorū decreta, & præcepta longe copiosius, ac perfectius, scripturarum sacrarum volumina, & sanctorum patrum fœcundissima, nobis scripta suppeditant, videlicet Primo ab honesto, vt Eleazarus senex, se ipsum consolabatur, magis fortiter mori eligens, quam simulare, se comedisse vetitos cibos, contra Dei legem: Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, vt multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum, transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi decipiantur, Honestas autem hæc inde manat, quoniam teste Iacobo, patientia opus perfectum habet, & teste Tertulliano ipsa est quæ fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesim assignat, carnem regit, spiritum seruat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, pauperem consolatur, diuitem temperat, amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene.] Secundo a iusto, sicuti cum bonus latro in cruce dicebat ad socium, & nos quidem iustè pro peccatis nostris patimur. Quare prudenter Concionator monebit reuocanda esse in memoriam varia peccata quæ quisque in Deum commisit, & iustam pro ijs à Deo inflictam punitionem patienter tolerandam. Ità se ipsum consolabatur sanctissimus Rex Dauid, cum persequente filio, fugere cogeretur, & maledictis à Semei vrgeretur, reduxit ad mentē, malum quod perpetrauit, & æquanimiter pertulit quod audiuit, & contumelioſa verba non tam conuitia, quam adiutoria credidit, quibus se purgari suique misereri posse Deum credidit. Hunc locum egregie tractat Greg. Nazian. in oratione quā habuit in plaga grandinis, eleganter enumerans pleraque illorum hominum peccata, quibus Deus indignatus, grandines è cęlo immiserat. Tertio ab ipsa rerum natura, nempè quod talia quæ vulgo mala appellantur, non sint verè mala, tum quia à Deo authore, proueniunt, à quo malum esse non potest, tum quod multa bona pariunt, & tamen certum est,

Locì pro cōsolatorio genere.

Honestum.

2. *Matt.* 6.

Iacob. 1.

Lib. de patiē tia.

Iustum.

Luc. 13.

2. *Reg.* 16.

In orat. de plaga grād.

Mala, pœnæ non sunt verè mala.

Digitized by Google

est, non posse arborem malam bonos fructus facere, tum quia etiam boni viri, Deoque charissimi ea cum lucro patiantur: imò, & Dei filius homo factus in se ipso pro cõmuni hominum salute pertulit. Basi: Morbus, paupertas, ignobilitas, mors, cæteraque id genus quę hominibus sunt tristia, non propriè malis annumeranda veniunt, propterea quod neque ea quæ istis aduersantur inter maxima bona numeramus.] Quarto, Sicut contra bona temporalia, & terrena quorum amissione sæpe turbamur, ac dolemus, non sunt vera bona, cum eis pessimi homines abundent nonnunquam, & optimi careant. Quinto hæc quę vocamus bona corporis, ac fortunæ non nisi commodato à Deo conceduntur, vt iniquum plane sit, ea repetenti Deo non alacriter reddere. Seneca quicquid (ait) est hoc quod circa nos ex aduentitio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria, referta vestibula, alieni commodatique apparatus sunt, nihil horum dono datur, collatitijs, & ad dominos redituris instrumentis scęna adornatur, alia ex his primo die, alia secundò referẽtur, mutuò accepimus, vsusfructus noster est, cuius tempus, ille arbiter muneris sui temperat.] Tertul. quod nostrum (ait) videtur, alienum est, nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cuius ipsi quoque nos. Itaque si damno affecti impatiẽtes erimus, non de nostro amissum dolentes, affines cupiditatis, deprehendemur, alienum quærimus cum alienum, amissum ægre sustinemus.] Sexto poterit optima consolationis occasio sumi, si deceamus Deum omnium calamitatum esse authorem, & in eum semper oculos conuertendos esse. Sic apertè docet Spiritus sanctus in Amos Is. Hier. Iona, Eccl. bona, & mala, vita & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt, & explicat Basil. affirmans, tanquam primum principium, id à nobis præsumi oportere, nihil nobis accidere posse Deo non volente, & omnia eum circa nos dispensare, tam modica quam magna.] Ita Iob se ipsum solatur, Dominus est, inquit, qui dedit, idemque dominus abstulit. Sic Dauid non in Semei maledicentem, sed in præcipientem Deum oculos conuertit, vt dicat. Dominus (ait) præcepit ei vt malediceret mihi. Dicitur autem Deus illi præcepisse, ratione non quidem culpæ, sed pœnæ, quia præuidẽs Deus Semei peruersitatem, illam maledictionem in bonum Dauidis ordinauit. Maximè nos Christi Verbum in quacumque afflictione recreare poterit si dicamus, Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum? Septimo a fine, ob quem diuina prouidentia huiusmodi calamitatibus, vult nos in hac vita exerceri, non

In Hexã. Hom. 2.

Bona temporalia cõmodato habemus.

Lib. de Cõsolat. ad Marciam cap. 10.

Li. de Pat. cap. 7.

Omnes pœnæ à Deo authore.

Amos. 3. Isa. 45. Hier. 18. Iona 3. Eccl. 11.

In Homil. Quod Deus non sit author malorũ.

2. Reg. 16.

Finis calamitatum.

enim potest vllo modo dubium esse, non nisi in bonum nostrum
Iudith 8. id fieri, damnatis certè, pœnæ in vindictam irrogantur, nobis
autem vt dicitur ad emendationem, non ad perditionem eue-
Gen. 45. niunt. Ita Ioseph Patriarcha seipsum, & fratres suos solaba-
tur ostendens Dei voluntatem fuisse non hominum. Hoc autē
tanquam certissimum principium apud nos esse debet, vt secu
Psal. 118. ri canamus cum Dauide: Bonū mihi quia humiliasti me. Octa-
Vtilitas multiplex. uo ab vtilitate, quæ & in bonos, & in malos existit, nam mali
hoc medicamento purgantur sæpissimè, & illuminantur Is. Ve-
Is. 24. xatio dabit intellectum: sic in Gen. dixerunt fratres Ioseph, me-
Gen. 42. rito hæc patimur quia peccauimus in fratrem nostrum, sic fi-
lius prodigus in pressura, & fame positus, ad patrem redijt.
Serm. de filio Prodigo. Audi Chrisologum, Fames reuocat quē saturitas exulem fece
rat, fames illi patrem reddidit, cui copia tulerat non sentire
genitorem. Quare, rectè Bernardus: Ego (inquit) plagis con-
scientiæ meæ nullum iudico accomodatius medicamentum
probris, & contumelijs, non est proinde quod permouear ho-
2. Confess. cap. 2. mūcio omni opprobrio dignus, & despectione. Augustus. Tu Do-
mine semper aderas misericorditer sęuiēs, & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iucunditates meas.] Virtus autem bonorum in infirmitate perficitur, & probatur vt aurum in igne. Sicut ouum aquæ salsæ supernatat, dulci vero immergitur: ita deliciarum dulcedo frequenter ad ima deijcit, tribulationum salsedo iustos ad summa eleuat, quod exēplo Dauidis, ac Salomonis patet, quorum hic delitijs dissolutus est, ille tribulationibus multis eruditus, factus est homo secundum cor
Omnes pij aduersis probantur. Dei. Nono ex eo quod omnes pios, ac iustos velit aduersa tolerare, & neminem immunē esse. Audi Paul. Omnes qui volunt pie viuere in Christo, persecutionem patientur & Heb. flagellat autem omnem filium quem recipit. Vnde infert, quod si extra disciplinam estis cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij, proinde egregie Augustus. flagellat (inquit)
Li. de Past. cap. 5. Deus omnem filium quem recipit, & tu forte exceptus eris? Si
Epist. ad Eustoch. 22. exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum] & Hieron. Quis Sanctorū sine certamine coronatus est? (& subdit,) ne in immensum volumen extendam, quęre, & in-
Lib. 1. Ep. 4. in fine. uenies, sanctos omnes aduersa perpessos, solus Salomon in delicijs perpetuo fuit, & forsitam ideo corruit.] Quare Ambros.
Auxiliū Dei in aduersis non deest. non dubitat patientiam tribulationum, vocare, matrem fidelium.] Decimo ab auxilio Dei qui non permittit nos tentari supra id quod possumus, sed facit cum tentatione prouentum

vt pos-

Digitized by Google

vt possimus sustinere, & semper adest afflictis Psal. cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Quare Dauid, securus clamat. Non timebo millia populi, quoniam tu mecum es. Mittit patrocinium Angelorum, & Sanctorum Dauid secundum multitudinem dolorum, consolationes tuæ lætificant animam meam. & Paul. Superabundo gaudio in omni tribulatione mea. Vndecimo a temporis breuitate quo durant. Id enim quod in præsenti est momẽtaneum ac leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternũ glorię pondus, operatur iɳ nobis. Hoc autem tanto magis poterit afflictum animum recreare si ei proponatur, Deum esse nostrum patrem, pastorem, medicum, defensorem, murum, scutum, refugium, vmbraculum ab æstu, vnde merito fiducia quædam filiorum nascitur, vt securi omnem sollicitudinem in eum proijciamus, quoniam ipsi cura est de nobis. Duodecimo A spe futuræ mercedis Hæb. 12. omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudij, sed mæroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, & non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam. Decimotertio multum adiumenti præbebunt, si exempla primum Christi Domini, deinde Sanctorum quædam describantur, & eorum hinc tormenta, inde patientia, & mentis tranquillitas oculis subijciatur; nam comparatione maiorum, quos plurimi pro Christo passi sunt cruciatus, nostra videbitur longe minor calamitas, vt Paul. dicebat: Nondum vsque ad sanguinem restitistis. Denique nil æque hominem in omnibus aduersis poterit consolari, quam si cordis nostri amorem in Deum conijciamus, quod aurea sententia testatur Chrysost. Nihil est inquit tam horridum, tamque tremendum quod hi qui vel morbo, aut pœnis discruciantur non superent si diuino sint amore incensi, ita vt neque ignis, neque ferrum, neque inopia, neque languor aliquis, neque mors neque aliud quidpiam huiusmodi graue, aut molestum appareat ei, qui hunc sit erga Deum amorem consequutus.] Debet autem qui aliquem consolari desiderat, non durum, non seuerum sese ostendere, sed magis cõmiseratione, & cõpassione vti, vt omnes aduertant eũ sensu publici, & priuati mali valde tangi. Ita enim facilius eius qui patitur, dolor leuitur, si sociũ sibi cõpatientẽ habeat, & quasi doloris illius partem sibi aliquam assumentẽ, præter quã quod ille amor, qui cõsolando, & cõpatiendo significatur, afflictũ animũ facilius excitat, vt argumẽtis assensum præstãs, amici, cõsolationẽ admittat.

Psal. 90.

Psal. 93.

2. *Cor. 7.*

2. *Cor. 1.*

Merces futura.

Heb. 12.

Exempla.

Heb. 12.

Charitas Dei.

In Hom. de amore Dei & tolerant. in aduers.

Qui patientẽ vult consolari, debet compati.

Genus

Genus Institutiuum. Cap. XV.

IN hoc genere versatur sermo qui in tradendis præceptis est, continens vitæ rectè agendæ institutionē, & actionum
Heb. 12. Christianarum disciplinam: eruditionem vocat Paulus & Cle-
Lib. 1. *c.* 1. mens Alexan. pędagogum his verbis. Quemadmodum enim ij quorum corpus ægrotat medico, ita quorum æger est ani-
Lib. 1. *c.* 7. mus pædagogo opus habent.] Est vero secundum ipsum pædagogia doctrina diuini cultus, & eruditio ad assequendam veritatis agnitionem, & recta institutio, vitæque agendæ ratio, quæ in cęlum deducit.] Et quamuis raro integram, & totam concionem sola præcepta occupent, quia multorum simul prę-ceptorum coaceruatio obrueret potius, quam erudiret audito rem, tamen nulla fere habenda esset concio cui non aliquid de hoc genere intermisceretur, cum in hunc maximè finem totum prædicandi munus sit ordinatum, vt institutio rectè viuendi ac vitæ spiritualis disciplina in Christiana republica perpetuo vigeat. Itaque alia genera concionum ad hoc bene diriguntur, & hoc in quolibet alio locum habet. Siquidem genus didascalicū intellectum docet, & ad praxim disponit: suasio siue adhortatio ad mores, & actiones, ad mandatorum obedientiā tendit: Exornationes item, aç laudes illustrium personarum, & rerum ab eis gestarum, institutiones sunt aliorum vt habeant quod imitentur: Oratio item Consolatoria, raro caret sua institutione, ad moderatè, & fortiter omnia ferenda. Distinguit autem Clemens quadruplicem pædagogiæ appellationem. Est
Loco citato. Quatuor con sideranda. enim (ait) pædagogia, eius qui ducitur, aç discit, & pædagogia eius qui ducit ac docet, & tertio, ipsa deductio, & institutio, & pædagogia, ea quæ docentur præcepta. Iuxta hæc
Disciplina plebi quam necessaria. quatuor à Clemente insinuata totidem mihi monenda & ad notanda circa hoc genus occurrunt. Et Primo quod pertinet ad plebem Christianam quæ ducitur, & discit, quis non aduertit quā sit in Ecclesia Dei necessaria hæc instituendi disciplina,
Lib. 12. *Abusi.* vt merito à Cypriano inter magnos abusus numeretur plebs sine disciplina. Etenim cum omnes disciplinæ humano ingenio repertæ, quæ solum vitæ huius caducæ commodis seruiunt, licet manu palpari, & oculis videri queant, tamen à quoquam sine instituentis doctrina, nequeunt comprehendi, quam ineptum est credere, vitæ spiritualis ac perfectę formam à Christo institutam quæ inuisibilis, & occulta est, & non nisi à puriſſimo

rissimo corde videtur, duce ac præceptore mõstrante viam, non indigere? proinde D. Paulus de hac bonæ vitæ institutione agens ait omnia in vobis honestè, & secundum ordinem fiant, Vbi Amb. docet honestè agere nihil aliud esse quam secundum acceptam disciplinam viuere, & ipsemet Paulus se explicat, dum adiungit secundum ordinem, & ad Coloss. Spiritu vobiscum sum gaudens, & videns ordinem vestrum: vbi Cyp. interpretatur ordinem ideſt disciplinam morum ordinatam. & ad Heb. in disciplina perseuerate, & Paulo inferius subdit, gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur, & adhuc ad Thess. denunciamus, inquit vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate; & non secundum traditionem quam accepistis à nobis. Hæ autem traditiones sunt quæ Christianæ vitæ continent institutionem necessariam. Ex quo etiam, Secundum sequitur, quod ad ipsos doctores spectat, si enim tam necessaria hominibus est hæc disciplina, vt ducantur, & discant, certè id non potest feri sine opera eorum qui ducunt, & docent. Quare facile erit Euangelico doctori agnoscere quam in hoc præcipua sui muneris parte eum oporteat strenuam, ac solertem nauare diligentiam, ne sibi ipsi, & officio quod sustinet, & Deo, & toti Ecclesiæ desit, sed pro suggestu semper Christianis moribus auditores instituat. Orator Christianus dux est qui cæteris præit, errantesque in rectum iter reuocat, & omnibus quasi viam commostrans clamat: hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad siniſtram: Magister morum est, patris familias personam agit cui ex munere incumbit non solum Christo filios generare, sed sanctis institutis formatos educare, adultos promouere. Est item medicus animarum, morborum medicamenta sunt diuina præcepta, quæ nisi applicet, merito potest Deus verbis Hier. conqueri. Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi, quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Huius autem magisterij, & cathedræ vsus, quem concionatores exercent nunquam defuit in Ecclesia ab ipsis post Christum, Apostolorum temporibus, nec vnquam defuturam speramus Dei prouidentiam in re tanti momenti, tamque necessaria. Quamobrem monendi sepe sunt, qui cathedras habent vt pro cathedræ dignitate eam doctrinam afferant, non quæ prurientes quorumdam aures titillet, sed quæ omnium corda ædificet, moresque instituat, præcepta Dei explicet, ad nor-

1. *Cor.* 14. *In* 1. *ad Cor. c.* 14.

Col. 2. *Li. de sing. Cler.*

Heb. 12.

2. *Thess.* 3.

Orator maxime debet instituere.

Hier. 8. Magisterij cathedra semper in Ecclesia.

Digitized by Google

normam diuinæ voluntatis, voluntates cunctorum dirigat & actiones. Et hoc eſt Tertium à Clemente ſignificatum circa ipſam inſtitutionem, quæ eſt Chriſti fidelium pædagogia. In quæ illud primo loco animaduerſione dignum occurrit, Inſtitutionem, vel præceptum aliquod à Concionatore Dupliciter poſſe proponi. Aliquando ſignificamus ſolummodo, & in memoriam reuocamus breuiſſimè ipſum mandatum, vt ſi gratia exempli afferam vnam ex legibus duodecim tabularũ. Ad diuos adeunto caſte, & ſi quid addendum iudicarem, ſubijcerem Ciceronis interpretationem, eam intelligi non de corporis ſolum, ſed multo magis de animæ ac mentis Caſtitate. Aliquando poteſt afferri præceptum non ita nudè, ſed additis fundamentis, & rationibus vt omnium animis firmius hæreat. Ita videmus ſæpiſſimè à ſacris ſcriptoribus factitatum. Sic Paul. pronunciat legem qua ſuperioribus etiam ſæcularibus obediendum eſt, cũ ait: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & ſtatim confirmat authoritate diuina, dicens, non eſt enim poteſtas niſi à Deo, Iterum magis corroborans docet, quam hoc ſit rationi omnino conſentaneum. Quæ autem, ait, à Deo ſunt, ordinata ſunt. Et quam ſit contrarium omnino indecens ac pœna dignum. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Ita etiam cum Chriſtus præceptum inimicos diligendi tradit, adhibet argumenta, tum ab authoritate dicentis, vt præcepti oſtendat dignitatem. Ego, ait, dico vobis, diligite inimicos veſtros &c. tum ex Dei exemplo ad cuius amorem, & obedientiam prouocamur tanquam filij, vt ſitis, ait, filij patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Rurſum à mercede. Si diligitis eos tantum qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Iterum à perfectione quam Chriſtianos decet ſupra Ethnicos maiorem habere. Si ſalutaueritis fratres veſtros tantum, quid amplius, facitis, nonne & Ethnici hoc faciunt? Iam vero qui fuſius in hoc genere præceptiuo orationem verſari voluerit, poterit argumenta varia deſumere ex locis ſuaſorij generis, vt oſtendat quam ſit obſeruatio illius præcepti, rationi omnino conſona, quam ſecundum omne ius, & fas, æquum, & bonum, quam iuſtum ſit vt Creatori creatura ſubdatur, & domino omnipotenti vilis ſeruus obediat, vt ſemper in ore habeat illud, loquere Domine quia audit ſeruus tuus. Ab authoritate ſcilicet Dei præcipientis rectè ſtabilitur mandatum: propterea in Exodo dicitur. Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, non habe-

Modus præcepta proponẽdi duplex.

In lib. de legibus. Item ſecundo de nat. Deorũ.

Exemplũ ex Paulo.

Rom. 13.

Matth. 5.

Loci pro hoc genere qui ſint.

Exod. 20.

Digitized by Google

habebis Deos alienos &c. & repetitur sæpius. Auditæ leges meas, Ego Dominus, & hæc dicit Dominus Deus exercituum, & in noua lege Christus sæpe repetit, Ego autem dico vobis nolite iurare omnino, Ego autem dico vobis, si quis viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo &c. Præterea sunt alij loci, à gloria Dei, ab ædificatione proximorum, Sic luceat lux vestra corã hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum. Ab vtili, à commodo, a Necessario, à Possibili, a facili, ab auxilio Dei, à spe præmiorum, à timore pœnarum, quæ vel obseruatores, vel transgressores sequantur. Huc pertinent, hinc pulcherrimæ, ac dulcissimæ benedictiones, inde pessimæ horrendæque maledictiones, quæ in sacris literis, præsertim verò in Deuteronomio per multa capita, vel promittuntur bonis, vel fulminantur in malos. *Matth. 5.*

Postremò circa modum proponendi ipsa præcepta, illud etiam seruari debet, vt dilucidè, non obscurè ipsius præcepti vis explicetur, vt intelligatur an obliget ad reatum culpæ mortalis, vel sit potius consilium. Nec solùm hoc, sed praxis item aperiatur in præcepti exequutione seruanda, vt si dicam honorandos esse parentes, & hanc praxim sitam esse in obedientia, reuerentia, & subsidio quod illis debetur à filijs. Tollendæ difficultates, quas Dæmon obijcere consueuit, docenda adiumenta, & remedia, quæ illius mandati exequutionem expeditiorem, ac faciliorem reddant. Optima autem ratio docendi hanc praxim, erit si cum ea institutione quæ docetur, exempla etiam Sanctorum adiungamus qui insignes, fuerunt in eo quod nos agendum fugiendumvè dicimus, sicut D. Ambros. profitetur se assumpsisse virginem imbuendam, exemplis potius, quam præceptis quia qui docet, ait, debet supra eum qui docetur, excellere, tum etiam amplius profici exemplo, quoniam nec difficile, inquit quod iam factum est existimatur, & vtile quod probatum, & Religiosum quod hæreditario quodam paternæ virtutis vsu, in nos est successione transfusum.] Quarto loco restat ex Clemente, Quarta pædagogiæ appellatio, quatenus præcepta ipsa significat: Dices, quænam sunt hæc præcepta, quæ vt materia huic generi cõcionum subijciuntur? planè amplissima est eorum materia, comprehendit enim præcepta omnia diuina, ac humana, quæ lex naturæ docet, & recta ratio, quicquid moralis philosophia habet de virtutibus, de vitijs, de viro bono, de bono ciue, quicquid ad Oeconomiam, & Ciuitatis regimen spectat, quicquid est in

Explicãda dilucide præcepta.

Initio libri secundi de Virg.

Materia huius generis institutiui.

sacris

sacris literis exaratum, in quibus vel sunt præcepta, vt rectè vocari possit liber mandatorum Dei, vel quæ adhoc ipsum referuntur. Denique omnia quæ ad tres vias Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam faciunt, quam nos materiam sacræ huius Rhetoricæ supra fecimus, ad hoc genus magis quã ad alia spectant. Quare oportet Oratorem hanc peculiariter spiritualis vitæ peritiam rectissimè, & integre callere, vt hos tres actus hierarchicos in Christianam plebem exerceat, instar Angeli superioris erga inferiores. Exempla horum præceptorum ex tota scriptura passim peti possunt & ex Patribus, ex ipso etiam Clemente Alexandrino quẽ in hoc capite sequuti sumus. Lege secundum eius librum, in quo pædagogus optimis præceptis suos pueros, id est omnes Christianos instruit, & notabis non solum pleraque horum præceptorum exẽpla, sed modum etiam proponendi, non nuda, sed adiuncta diuinæ scripturæ authoritate, ac rationibus fulciri, & contrariorum vitiorum indignitate opposita magis elucescere. Afferamus exemplum aliquod ex ipsomet Clemente, Primum præceptum ponit circa victum, vt alimentum sit ad viuendum, non ad lautitias deliciasque quęsitum, nec nimio studio comparatum, ex quo & sanitas, & iustæ vires corporis constituantur, cuius præcepti fundamentũ ponit, quia cum nostrum viuere ex duobus constituatur, scilicet sanitate ac viribus, his prodesse docet alimenti facilitatẽ, vt quod ad digestionem, & corporis leuitatem sit vtile: Vtitur authoritate Antiphanis Delij medici, qui vel vnam hanc dicebat esse morborum causam, ciborum varietatem: & hæc scripturæ locis confirmat, Ex opposito, id est crapula quæ mala nascantur, aperit. Secundum præceptum ponit circa vini vsum ex Paulo, qui Timotheo modicum vinum concedit, languenti, & ægrotanti stomacho conueniens, cum contra idem Paulus præcipiat ne vino inebriemur propter luxuriam, docetque vinum aqua multa diluendum, ex eo quod aqua, vitæ humanę sit necessaria, vinum vero modicum sit vtile, vitam autem nostram, ex eo quod necessarium sit, & ex eo quod vtile, consistere, idque etiam ad longiorem vitam conducere. Explicat quantum animæ puritati corporisque sanitati obsit immodicum vinum, præsertim florescente ætate. Eodem modo tractat per plura capita alia vitæ præcepta circa nimiam supellectilem auri argentique, circa conuiuia, & commessationes, circa mores ridiculos, vel ridendos potius, circa turpiloquium, irrisiones, & contumelias, circa Matrimonium, & alia, quæ facile qui vsuerit

l. 2. Pædag.

fit apud pædagogum legere poterit. Nos etiam in tertia parte aliquas peculiares enumerabimus actiones Christiani officij, quæ ad hoc genus institutionum referuntur, vt doceatur populus quomodo erga Deum se gerat, erga proximos, erga se ipsum.

De Concione Funebri. Cap. XVI.

HOc genus Orationis, mixtum esse solet ex genere Oratiuo ac suasorio, aliquando etiam Didascalico, nam de mortui virtutes celebrantur. Ad consanguineos, & amicos cõsolatoria exhibetur oratio, vt defuncti abscessum minus ægre ferant, ac dolorem leniant. Accedit exhortatio ad omnes auditores, vt mores eius quem laudamus præ se habeant, & imitentur. Suadentur item vt pro animabus defunctorum ad Deũ preces fundant, aliaque pia opera pro Christiana pietate offerant. Nonnunquam etiam in his, doctrinale genus locum habet ad explicandum dogma vel thesim aliquam. Et quidem encomia olim in funeribus & exequijs crebriora erant, & vsus harum funebrium orationum, frequentior quam apud nos, vt patet apud Nazianzenum in aliquot orationibus. Et Ambros. in exequijs Theodosij, & Valentiniani Imperatorum, nunc autem non videmus huiusmodi orationes ita celebrari, nisi in publicis, ac solennioribus exequijs principum, ac prælatorum, in quibus quatuor illa capita quæ iam tetigi potest sibi Orator proponere, vt & mortui virtutes aliquas insigniores, & res bene gestas, vitamque laudabiliter exactam commendet, & mœrentibus aliquot consolationis capita suggerat, & viuos ad bene recteque viuendum hortetur, & ad suffragia animabus exhibenda excitet. Poterit etiam satis commodè quod his temporibus solet esse magis in vsu, & videtur etiam habere plus grauitatis, & fructus, vt aliquod thema ex scripturis sacris assumatur, quod erudite, ac vtiliter explicetur, vel locus aliquis communis theologicus initio proponatur ad rem faciens. Gregorius Nazian. in funere patris sui, alloquens præsentem Basilium artificiosè inuitat eum in exordio, vt ipse magis eam funebrem orationem haberet, à quo libentissimè possent qui aderant audire, tria quæ in funeribus tractari possent, primum vt mortuum, prout eius meretur, virtus laudemus, non solum vt puram orationem, instar secundi cuiusdam funebris muneris, sed etiam vt vitam eius tanquam exemplar ad imitandum

alijs

Capita Orationũ funebrium.

Olim orationes funebres frequẽtiores.

Modus tenendus hoc tempore.

Digitized by Google

Capita funebris orat. ex Nazian.

alijs proponamus. Deinde vt disputatio instituatur de vita, & morte, de animæ corporisque coniunctione, ac separatione, de duobus mundis, præsenti labili, ac misero, futuroque beato, & qui nunquam effluit, adhoc scilicet vt persuadeatur hominibus, primum quidem aspernandum esse, secundo autem mundo vt nos totos addicemus, sic enim fiet, vt eorum qui è vita ante nos discesserunt absentia minus discruciemur, imo lætemur, nobis vero ad illum tanquam portum properandum esse, melioremque esse eorum conditionem qui præcesserunt, quàm nostram intelligamus. Postremò viuorum erit consolatio, si defuncti animam, apud Deum pro viuis esse sollicitã, ac preces fundere persuasum nobis sit. Ambr. in Oratione de fide resurrectionis ad sepulchrum fratris Satyri habita, hunc communem locum amplificat: Mortem bonam, non esse lugendam tum, quia communis sit, & cunctis debita, tum quia huius sæculi ærumnis nos absoluit, tum quia somni specie, vbi ab huius mũdi labore quieuerimus vigor nobis viuacior refundatur. Eius generis plures locos communes poteris inuenire, si percurras diuersas in hoc funebri genere orationes Nazianzeni, Ambrosij, Hieronymi, & aliorum ad quorum exemplar, & ipse diuersa tibi argumenta præfigere poteris, qualia sunt, de iustorum morte pretiosa, de differentia mortis bonæ, & malæ, de breuitate ac ærumnis humanæ vitæ, quod iustis optanda sit non timenda mors, de vltimo hominis fine, de duplici statu mundi præsentis, ac futuri, de omnium rerum humanarum contemptu, de vita bene ad bonam mortem instituenda, de particulari iudicio in morte, de statu animæ separatæ, de periculis vitæ præsentis, quod mortui non pereant, sed Deo viuant, de beatitudine eorum qui in Domino moriuntur, de animæ immortalitate, de bonorum operum certissima retributione, de Purgatorio, de suffragijs quibus animæ iuuari possint, de non differenda pœnitentia, in tempus morbi, Item an mortui apud Christianos lugendi, & qua moderatione. At loci ad laudationem defuncti ex demonstratiuo sumendi sunt, nec deberet esse nimia amplificatio nisi sit pro viro sanctissimo, nec oportet totam vitæ demortui historiam retexere, vt aliqui faciunt, sed virtutes illustriores, & res bene gestas aliquot summatim recensere contentus sit; qui ritè tali munere defungi voluerit.

Orat. de fide Resurr.

Theses quæ tractari possunt.

Ad consolandum mœrorem qui loci.

Ad consolandos vero mœrentium animos, & dolorem temperãdum ex Sanctis Patribus enumerabo locos aliquot, vnde peti cõmodè possit consolationis materia, si tamen prius illud mo-

nuero

nuero non debere conſolationem ita eſſe ſeueram, ac rigidam, vt moderatum dolorem, ac lachrymas, duriuſculè nimis arguat, cum id, & naturæ & Dei voluntati conforme ſit, Supra mortuum plora (inquit ſapiens) defecit enim lux eius, & ſubditur, modicum plora ſuper mortuum quoniam requieuit. Bernard. Chriſtus ait, ad tumulum Lazari, nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, inſuper & fleuit cum flentibus: fuerunt illæ lachrymæ teſtes profecto naturæ, non indices diffidentis,] Ac de ſe ipſo propter mortem Chariſsimi fratris Gerardi, loquens ait, Nec quia percuſſus ploro, arguo ferientem, ſed prouoco pietatem, verba mea dolore ſunt plena non tamen murmure.] Imo vt philoſophatur Baſilius poſſet multum ſanitati obeſſe, qui violenter lachrymas comprimeret, ſicut (inquit) flamma incluſione proprij fumi ſuffocatur, nam cum egredi nequeat flammam ſuo ambitu opprimit.] Immoderatum vero luctum, omnes patres reprehendunt ex pluribus locis ſicut enim nec comprimi, ſic nec exprimi immoderatius lachrymæ, debuerunt. Primus itaque locus, quique plurimum roboris habet eſt fides, ac ſpes quam Chriſtiana profitetur religio dicente Paulo. Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt nõ contriſtemini, ſicut, & cæteri qui ſpem non habent, & quæ ſequuntur, ex quo loco argumentatur Tertul. Credentes inquit Chriſti reſurrectionem, noſtrã quoque credimus, propter quos ille & obijt, & reſurrexit. Ergo cum conſtet de reſurrectione mortuorum vacat dolor mortis, vacat & impatiẽtia doloris.] Idem eſt Chryſoſtomi argumentum accuſans nimios eiulatus, & plangentium clamores. Quænam ait hæc inſania? nõne ridebunt gentiles? nonne fabulam putabunt noſtram religionem? Dicent nullam eſſe reſurrectionem, illuſiones eſſe omnia Chriſtianorum dogmata, & fallacias putabunt. Si crederent mortuum non eſſe mortuum, ſed ad meliorem vitam translatum, non vtique ipſum tanquam nihil eſſe deplorarent, non tantas efferrent voces incredulitatis indices, nunquam te amplius videbo.]

Ecclesiast. 22.

Serm. 26. in Cant.

Hom. 4. de gratiarum actione.

Spes futuræ vitæ.

1. Thess. 4.

Lib. de Patientia.

Hom. 61. in Ioan.

Secundus à Dei voluntate, cuius nos imperio cedere neceſſarium eſt; præſertim cum quotidie repetamus illud fiat voluntas tua. Sic conſolatur Paulam Hieron. de obitu Bleſillæ, Bonus, ait, eſt Deus & omnia quæ facit, bona ſint neceſſe eſt; mariti orbitas irrogatur, plango quod occidit, ſed quia ſic placet Domino, æquo animo ſuſtinebo, Vnicus raptus eſt filius, durum quidem, ſed tolerabile, quia ſuſtulit ille qui dederat.]

Dei volũtas.

Epist. 25.

Digitized by Google

Initio.

Eodem argumento vtitur Ambr. de obitu fratris satyri, Qui deposuit pignus recepit, nihil interest vtrum abiures depositum, an doleas restitutum. An si pecuniam neges culpa est, si hostiam negas, impietas non est? cum pecunię fænerator illudi possit naturæ author, & necessitudinis creditor, fraudari non queat? An Dominis ius est, quo voluerint transferre mancipia, Deo nō est?] Tertius ex beneficio, quod mortuis à Deo collatum est, licet enim eorum absentiam doleamus, debet tamen ipsorum felicitas nostrum lenire dolorē. Chrys. Neque enim si tu amico ad regnum vocato coronatoque lachrymeris, pectus tundas amicum esse te Coronati; quisquam credet, sed inimicum sed hostem sicut etiam in illud Pauli. Nolo vos ignorare fratres, vtitur similitudine filiæ quam in matrimonium collocatam à diuite sponso, in longinquam licet regionem ductam, si ibi in rerum omnium abundantia viuentem scires, certè non plangeres, verum dolorem absentiæ prosperitatis eius fama mitigaret.

Homil. 41. in 1. ad Corinth.

Homil. 6. & 7. in 1. Thessal. Vide Homil. 33 in 9. c. Matt. sub finem.

Quartus est locus, Doloni, ac cæteris animi affectionibus modum ponendum esse, nam insaniæ proximus est dolor inordinatus. Rectè Ambr. cur inquit mœstitiam tuam non ratio potius quam dies leniat? nā quod obliteratura est tēporum series, melius prudentia mitigabit, & Bas. Neque mulieribus ait, neq; viris, permittit decori, & honestatis ratio, vt vel luctum studio affectent, vel immodicis se conficiant lacrymis. item longe citato Lyciorum, ait, esse institutum, ac præceptum, quod viros iubeat muliebrem vestem, induere, si mœrori indulgeant, eo quod mollem, ac effœminatum in viro iudicauerint.]

Orat. de fide resurr.

Decori ratio.

Hom. 4. de Grat. actione.

Quintus sumi poterit ex eo quod mors ex necessitate omnibus sit communis, quam nulli sit concessum effugere, nec aliquo remedio ei possit occurri. Ambr. dum Faustinum consolatur in obitu germanæ. Doles (ait) quod dudum florentissima repente occiderit? verum hoc non solum nobis commune est cum hominibus, verum etiam cum Ciuitatibus, terrisque ipsis est, vbi post enumeratas, pleraſque dirutas vrbes, subdit tot igitur semirutarum vrbium cadauera terrarumque sub eodem conspectu exposita funera, non te admonent vnius, sanctæ licet, & admirabilis fœminæ decessionem consolabiliorem habendam? præsertim cum illa in perpetuum prostrata atque diruta sint, hæc autem ad tempus erepta nobis, meliorem iam vitam exigat?] Hieron. etiam ad Heliodorum, quem in mortē Nepotiani consolatur: ab exemplo argumentum sumit, Anaxago-

Mors communis.

l. 2. Ep. 8. ad Faustinum.

Epist. 2. Cic. 3. Tusc. 58.

Digitized by Google

xagoræ (inquit) semper fuit laudata sententia, cui cum mors filij nunciaretur, dixit, sciebam me genuisse mortalem. Exempla.

Sextus ab exemplis eorum qui forti animo se gesserunt. Aug. affert exemplum Dauidis, Cum adhuc paruulus filius viueret, lugebam dixit Dauid; erat enim spes longiorem vitam impetrandi, at post mortem stultum est lamentationibus animum inundare, Ego ibo ad illum, non ille reuerteretur ad me. Addit idem; qui sub lege positus erat suam suorumque tristitiam compescuit, nos qui sub gratia sumus, qua fronte mortuos nostros gentilium more plangimus?] Orig. exemplo Abrahæ argumentatur, proprium filium mactare iussus est; A te (inquit) non exigitur vt filium alliges, ipse gladium pares, ipse vnicum iugules, proposito saltem ac mente constans esto, fide fixus lætus offer filium tuum Deo ecce istud est opus Abrahę, si filij Abrahę estis, opera Abrahę facite, & nõ cum tristitia.] Seneca etiam brutorum adfert exempla, nam loquens de prædatis, amissisque catulis, ac pullis fœrę (inquit) cum vestigia Catulorum consectatæ sunt, & Syluas peruagatæ, cum ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus extinguunt. Aues cum stridore magno, inanes nidos circumfremunt, intra momentum tamen quietæ, volatus suos repetunt.]

Serm. 2. de Cõs. mort. cap. 5.

2. Reg. 12.

Hom. 8. in Genes. p. 3.

Libro de Consol. ad Martiam cap. 7.

Septimus denique ex Dei amore, quem omnium aliarum rerum amori, & liberorum, & vxoris, & amicorũ præferendum esse nobis statuamus. Matt. qui amat patrem, & matrem, pluſquam me, non est me dignus, ex quo loco argumentũ est. Chryſ. Aemulator, ait est Deus, & vult à nobis super omnes adamari, propterea, inquit, & tibi maritum abstulit: propterea, & B. Iob nihil acerbi passus est, cum intempestiuam suorũ omnium mortem audiret, eoquod Deum plus amaret, quam illos.] Optimus est hic locus, vt Concionator traducat rem suam à Consolatorio genere ad hortatorium, & persuadere conetur, vt quicquid amoris in eum qui vita defunctus est, habebant, conferant in Christum Dominum, certissimum, ac singularem omnium animarum consolatorem, præsertim si mortui exemplum, & imitatio sanctitatis afferri queat.

Amor erga Deum.

Matt. 10.

Hom. 6. in c. 4. 1. ad Thess.

Pro suffragijs defunctorum loci. Cap. XVII.

SVperest vt etiam aliquos locos annotemus, ex quibus materia sumi possit, persuadendi vt defunctorum animas, quæ in purgatorio igne purgantur suffragijs adiuuemus. Primo po-

Humanitatis laus.

teſt proponi quanta ſit laus humanitatis, & miſerationis quippe quæ ingenita ſit naturæ humanæ, per quam homines ſecernuntur à feris adeoque propria, vt inter alias virtutes humanitatis nomen habeat ſola, & merito quia propria hominum, & de hominibus bene meretur propter naturæ humanæ ſocietatem. Deinde per hanc, homines Deo ſimiles ſunt, cuius eſt, & ſua, & ſe ipſum nobis communicare, & patrem eſſe miſericordiarum. Præterea inter virtutes morales excepta religione, pręſtantiſſima eſt ratione obiecti, pręſtantiſſimũ eſt etiam opus, in mundum alterum tranſmittere beneficia, non intercludi morte commercia humanitatis noſtræ, non exſtingui, raptis morte amicis beneuolentiam. Secundò, cum tam propria ſit hominum, humanitas, & miſericordia, tamque nobilis, præcipuè erga animas purgatorij, eſt exercenda. Primo propter earum neceſſitatem, quæ ſumma eſt cum ſint in maxima inopia, nec poſſint ſibi ipſis ſubuenire, nec ad nos de de communi lege accedere, & grauiſſimis afflictentur pęnis ad ſatisfactionem, donec purgatæ in cœlum auolent. Secundo propter ipſarum merita, & dignitatem, ſunt enim omnes animæ prædeſtinatæ ab ipſa æternitate, ſunt Deo amicæ, & ornatæ gratia, atque adeo confirmatæ, & cœleſtibus præmijs deſtinatæ, ac potituræ maximo regno, & opulentiſſimo. Quo igitur animo rex aliquis in dignitate conſtitutus, ab ijs qui eum noſſent, præſertim ſi ſciret ipſum mox recuperaturum regnum omni ope ab omni miſeria educeretur; hoc eodem par eſt, nos pijs defunctorum animabus, liberalibus præſto eſſe ſubſidijs. Tertio propter beneficij magnitudinem, ſi perpendatur quanti ſit æſtimanda gloria Beatorum, ac viſio Dei, quanti facienda vel per vnam horam duntaxat. Quod igitur erit beneficium, ſi hoc tua perficias opera, vt per plures annos, erepta pœnis anima cœleſtis gloria perfruatur? Quarto propter beneficij conferendi facilitatem, cum enim dixerimus ſummum eſſe Beatitudinis prætium, tamẽ hanc poſſumus exigua, & facili opera, & exiguo vt ita dicam ſumptu noſtro, animabus illis comparare. Quinto propter beneficij etiam amplitudinem, rem enim pergratam facimus, ipſis primum animabus, deinde cœleſti Ciuitati, cuius ciues multiplicamus, & carcere liberamus, habere enim multos ciues, & omnes liberos, & diuites, & beatos ad nobilitatem pertinet ciuitatis. Sexto propter ſpem mercedis. quamuis animus vere liberalis ad benefaciendum non ſpe mercedis, ſed honeſtate ducitur exiſtimans eos non benignos, ſed auaros qui beneficia

Animæ Purgatorij dignißimæ.

Beneficij amplitudo.

Spes mercedis.

vel

Digitized by Google

vel permutant, vel fœnori locant, tamen gratus accipientis animus inuitat, lętioremque facit benignitatem. Quis autem ita gratus vt animæ iam beatæ? in quibus agnitio beneficij clariſſima, voluntas promptiſſima, facultas ad remunerandum maxima. Poſtremo quæ quis facit hæc recipiet; paucis accipito recta in cœlum datur aſcenſus ijs qui in mortuos pij ſunt dum viuunt, omnino efficiet Deus vt vbi vita diſceſſerint viuentium pietate fruantur.

De materijs in genere Refutatorio quoque modo tractanda ſint. Et primo contra Gentiles, & Mahumetanos. Cap. XVIII.

IN refutationibus occurret aliquando occaſio errores, & falſa dogmata tum gentilium, tum Iudæorum, tum demũ Hæreticorum; ſæpe confutandi, etiam qui inter Chriſtianos irrepunt errores, & inueterati abuſus expugnandi, quare cõtra hæc, arma militiæ noſtræ in promptu eſſe debent. Primo loco ſi agendum ſit contra gentiles, doctrina incipienda ab erroribus eorum confutandis, vt olim fecere patres contra eos diſſerentes, & ij primo loco errores premendi, qui euidẽtiſſimi erunt, oſtendendo, cui error vel vnus admixtus ſit, eã nec à Deo, nec rectæ rationi conſentaneam legem eſſe poſſe, vt ſi plures Deos aſſerat, ſi contra principia legis naturæ aliquid contineat ſi pugnantia loquatur. Tum tractandæ fidei Chriſtianæ argumenta, & incitamenta credendi. Poſtremo ipſa explicanda fides, initio ab ijs rebus ducto, quæ minus humanæ mentis captum excedunt, oſtendendo quam ſit ſanctitas Chriſtianę religionis, & rationi conſentanea, & ſocietati humanæ conueniens, vtilis, iucunda. Quid enim vtilius principibus, ſubditorum obedientia? quid priuatis hominibus fide, & iuſtitia cõmodius? quid omnibus æque aut iucundius, aut opportunius pace, & mutuæ lege charitatis? & hæc tamen parua ſunt præ ijs, quæ in cælo, quæ in æterna, & bonis omnibus cumulata vita bonos Chriſtianos manent. Dum hæc tractantur, interim duo hæc monita ſeruanda in vniuerſum erunt, Primum vt appareat in moribus docentis virtus, & pietas, & ſyncera in auditores Charitas, cũ modeſtia, & grauitate coniuncta, abſint maledicta, abſit contẽptio, abſint deriſiones, & amara ſcommata, cum his potius cõciliandæ beneuolentiæ, & excitandæ attentionis adhibenda præſidia, & Deo quotidianis precibus, alijsque modis cõmendan-

Modus confutandi gentiles.

dum negotium, à quo lumen omne veritatis descendit. Secundo impellendi sunt hi quorum res agitur, vt ea quæ legis naturæ sunt ac ferè vniuersali omnes lumine cognoscunt, præcepta seruent, adhortandique, vt petendo à diuina bonitate lumini insistant, per quod ea quæ rectissima & saluberrima sibi futura sint, agnoscant, & amplectantur. Ratione, ac via persimili cum Saracenis, & Mahumetanis agendum est, primo loco aliquot colligenda capita, ex quibus eorum errores manifesti fiant. Deinde afferenda etiam fundamenta, quibus nostra religio optimè innixa est, quia nostræ Religionis confirmatio alienæ sectæ confutatio erit. Illorum infamis secta his modis confutari potest. Primo Mahumetus nulla edidit miracula quibus & ipse à Deo missus probaretur, & eius doctrina à Deo esse appareret, ipsemet testatur se nullo alio miraculo, opus habere, quam quod suum Alcoranum ediderit, nec inficiatur se fuisse imperitum. Adhæc non sanctitate, non sapientia, sicut neque miraculis, sed armis vsus est, ad populos sibi subijciendos. Secundo mentitur cum dicit suum nomen in Deuteronomio, & in Euangelio olim fuisse: seque vt prophetã à Christo promissum, sed per odium, Christianos eius nomen sustulisse, quod quam sit ridiculum quis non videat? Cur enim ante aduentum Mahumeti, qui post sexcentos à Christi Natiuitate annos venit, nomen eius debuissent eradere potius quam Iudæ, aut Pilati? Et post aduentum honorassent magis, si à Christo fuisset prædictus: Præterquam quod ex antiquissimis Euangeliorum codicibus, qui extabant, nostri redargui potuissent. At mendacium quo se à Christo promissum dicit, satis se ipsum prodit, nam se promissum ait cum Dominus Apostolis Spiritum sanctum, & Spiritũ veritatis promisit. Atqui cum Apostolis Christus denunciasset, ne Hierosolimis discederent, antequam Spiritum sanctum reciperent; debuissent ad annum sexcentesimum viuere, & expectare, scimus tamen paucis post Christi Ascensionem diebus Spiritu veritatis impletos, & mox ad prædicandum Euangelium per totum terrarum Orbem dispersos. Tertio falsa loquitur, & secum apertissimè pugnat ipse. Nam in Alcorano Euangelium laudat, appellans ipsum verum, & rectum, & lucem, Christum etiam vocat verbum veritatis. Quod si ita est, ergo falsa ipse loquitur, negans Trinitatem personarum, & Christum esse filium Dei, eo argumento quod absurdum iudicet Deum Patrem, habere vxorem. Nam Christus qui per eum est Verbum veritatis, mysterium Trinitatis reuelauit, in cuius inuocatione Baptismum,

Loci ad confutandã infamem sectam Mahometti.

Mendacia Mahometti.

Digitized by Google

mum, quæ est prima porta Christiani nominis instituit, & se filium Dei sæpius ostendit. Falso itē negat, Christum esse passum, sed loco eius dicit aliud apparens corpus fuisse à Iudæis cruci affixum, Quæ fuit hæresis Manichæorum, qui docebant Christum non veram assumpsisse humanam carnem, sed apparentem, & tamen Christus ipse sæpe prædixit sese passurum, & id ipsum prædixerunt tanto ante prophetæ, ergo aut verbum veritatis falsa loquitur, quod repugnat, aut Mahumetus verbū falsitatis pronunciat, quod verum est. Et quæro si Christus est Verbum veritatis, quare non credit Christo dicenti, sine Baptismo neminem saluari posse? quare promittit post hanc vitā suis Mahometes multitudinem vxorum, cum Verbum veritatis dicat, post hanc vitam fore homines sicut Angelos Dei? Addamus huic argumento etiam Corollarium, cum Mahometani dicant in Christiana lege salutem esse, & Christianos suam legem seruantes consequuturos salutem, necesse est concedant etiam esse veritatem, nam vt cum falso dogmate vera consistat religio, & Deus eam probet, ab omni ratione alienum est, quod si veritas est in Christiana religione, necesse est sectas omnes ab hac alienas, falsas esse, & ipsam Mahumetanam superstitionem detestandam, quia sic docet Christiana religio. Quarto liber Alcorani quem ipse loco miraculorum esse dicit confusissimus est, & videtur, qui eum dictauit mentis inops fuisse, cum sine ordine, sine præceptis ad vitam instituendam sit confarcinatus, promittit paradisum post mortem, & fluuios lactis, & mellis, & pulcherrimas vxores. Vnde hæc habet cum nec miraculis, nec vlla ratione probet? & adeo rationi aduersentur, vt fælicitatem hominis non aliam quam belluarum corpori seruientium faciant? Quinto Saraceni, & Turcæ sunt homines ingenio barbari, ac rudes, non habent literarum studia, non scientiarum vsum, Princeps Turcarum est tyrannus, occidit fratres, contra omne ius naturæ, violentia regit, & cæde, ac minis. Imo per Mahometem prohibitum est eis ad disputationes, & congressus descendere, & vetuit ne defenderent legem doctrina, & argumentis, sed armis solum, eoquod suæ causæ omnino diffideret. Sexto nec mirum videri debet si eorum secta latè diffusa sit, tum quia per vim propagata est, & defensa tyrannicè, tum quia libertatem ac viuendi licentiam tradit, præsertimq; omni libidinum generi habenas laxat, ideoque inter eos maximè sparsa est nationes, quæ sunt in libidines magis effusæ. Ad nostram vero confirmandam religionem habemus omnia, o

Testimoniū Mahometanorū pro nobis: Ad hominem.

principia quæ desiderari possunt, vt aliqua Religio à Deo instituta, & ordinata comprobetur. Primo habemus tot scripturas veteris testamẽti quæ Christum describunt expresse, quas & multi Philosophi præsertim Platonici magni fecerũt. Et Mahometus probat affirmatque in eis Christum verè prædictum, & esse verè Messiam in Hæbreorum lege ac prophetis promissum. Secundo habemus testimonium decem Sybillarum de quibus Varro philosophus scripsit, earumque nomina, patrias, & tempora describit, & addit earum libros à Romanis propositos in loco sacro, & destinatos ab eis Sacerdotes, qui eos custodirent, in quibus multa prophetico spiritu, & magna de Christo prædicuntur. Tertio habemus expressum S. Ioannis Baptistæ testimonium, cuius sanctitati non solum Iudæi multum tribuebant, sed etiam ipsi Mahometani, tanquam summum prophetã eum colunt. Quarto habemus testimonium tot martyrum qui suo sanguine corroborarunt, quorum constantia non erat humana. Quinto testimonium virorum doctissimorũ, tum ex Hæbreis, tum ex philosophis gentilibus ad Christum conuersis ita vt possimus assignare multos in singulis sæculis sapientissimos, quibus omnino Mahumeti secta destituitur, cum inter Turcas, & Mauros vix possit inueniri vnus aliquis eruditus, imò profitentur armis non rationibus sua se dogmata tueri. Sexto accedit adhæc sanctitas, & puritas doctrinæ Christianæ quæ omne vitium prohibet, & omnes virtutes complectitur, & integerrima tot sanctorum vita, maximum est testimonium veritati Religionis quod à Deo sit, adeo vt ipsemet Mahumetus dixerit se à Deo, missum, vt mitiorem aliquem viuendi modum edoceret homines, quod Christiana lex esset nimis perfecta. Septimo videmus experientia per Euangelicę legis prædicationem, sublatam è mundo Idololatriam, & vnius Dei verum cultum inductum, quod magnum est argumentum illam esse à Deo. Octauum testimonium est conuersio Romani Imperij, cum esset Roma totius orbis Domina, haberetque viros, & in scientijs eximios, & in armis præstantissimos, & tamen sine armis, sine eloquentia humana, eiectis Idolis cessit Religioni Catholicæ iuxta vaticinium. Isa. licet initio Romani Imperatores summa potentia Christianos persecuti fuerint, & nil potuerint perficere. Nono victoria omniũ persecutorum, & hostium Christiani nominis, qui post adhibitam omnem artem ac vim contra fidem nostram, tamen deuicti sunt, & prostrati, vt dicere possimus illud Esd. 3. super omnia

Religionis nostræ cõfirmatio, & loci.

Vide Baron. in apparatu ad Annales Ecclesiast.

Isa. 26.

nia vincit veritas, cum Mahumeti lex non habuerit expugnatores, sed ipse potius rudes, & barbaras nationes vi & armis sibi subiecerit, & cum summa tyranide conseruarit, permittens eis libertatem vitæ laxioris. Hæc de gentilibus.

Contra Iudæos. Cap. XIX.

NOn minus cum Hebræorum, apud quos alicubi Conciones habentur, peruicacia desudandum est. Duo etiam, contra hos, armorum adhibenda sunt genera. Primo afferenda quæ nos contra ipsos habemus argumenta. Secundo dissoluendæ rationes, & argumenta quibus pertinaciam suam cum summa obstinatione fouent. Ad primum caput, præter ea quæ contra gentiles, & Mahumeti sectatores allata sunt, quæ etiam Iudæos vrgere maxime possunt, præsertim quod ipsorum scriptis sacris confirmentur, hæc faciunt. Primo vox omnium prophetarum veniisse iam Christum apertissime demonstrat, cum omnia quæ de Messia prædixerint optimè Christo conueniant, & tempus Messiæ, quia ablatum erat sceptrum Iudæ, & septuaginta hebdomades completæ Danielis, quæ duo tempora etiã secundum Rabbinorum doctrinam iam cõpleta esse ante multa sæcula facillimum est demõstrare vt non possint Hæbrei tergiuersari, & locus Bethleem, & miracula, & passio, & mors, & modus quæ tam dilucide vaticinatus est Isaias, vt non futurũ aliquid tanquam propheta, sed præteritum, tanquam Euangelista, narrare videatur. Secundo adde Ioannis Baptistæ testimonium cuius natiuitas admiranda, cuius sanctitas singularis. Tertio ex Galatino, in Talmud extat traditio quædam a Iudæis probata, Messiam in fine quarti millenarij ab orbe condito fuisse venturum, & duo priora annorum millia vocant inanitatis, in quibus nulla erat a Deo scripta lex hominibus data, duo alia vocant legis, post hæc assignant alia duo vsque ad mundi finem quæ vocant Messiæ. Iam vero negare non possunt quartum millenarium expletum esse, quo tempore nos Christiani dicimus Christum incarnatum, quare oportet necessario dicere vel Messiam venisse, vel falsam esse traditionem quam Hæbræi receperunt. Qui cum videant se in angustias redigi, adiecerunt, debuisse quidem Messiam in quarto millenario venire, sed ob peccata gentis Hæbreæ eius aduentum dilatum esse, quasi vero Deus non præsciuerit omnia ab æterno, vel ad Iudæos duntaxat saluandos promissus fuerit Messias, & nõ ad omnes gentes,

Loci contra Iudæis per lege Christiana.

Gen. 46.
Dan. 9.
Mich. 5.
Isa. 53.

Li. 4. *c.* 20.

tes, vt ſcripturæ docent: Quod ſi Hæbræi concedant propter ſua peccata non veniſſe, poſſunt etiã deſperare aliquando venturum, cum peccata propter quæ differatur, nunquam ipſis facile conijciamus abfutura vſque ad ultima mundi tempora.

Calamitas Iudæorum. Quarto magnum argumentum eſt, ex calamitatibus quas tam diu patiuntur, & ex ruina ſynagogæ, quæ erat olim Deo tamdilecta hæreditas; iam ſatis apparet à Deo derelicta, vt non ſit inter eos, poſt tot annorum ſæcula, nec prophera qui eos conſoletur vt olim, nec ſacrificium, nec Dei protectio, nec vlla terrena felicitas, vt lex illa promittebat ſuis obſeruatoribus, ſed perpetua captiuitas, in pœnam quod verum Meſſiam noluerunt admittere, imò occiderunt, imò ſanguinem illius ſuper ſe, & ſuper filios ſuos coram Pilato imprecati ſunt. Ipſimet Iudæi videntur etiam nolentes fateri, hanc eſſe malorum ſuorum cauſam, cum in libro Talmud, qui ab ipſis confectus eſt, circa Chriſti annum quadringenteſimum, diras in Chriſtianos blaſphemias euomant, cum tamen non eos Chriſtiani perſequerentur, ſed Idololatræ Romani, & nunc nos etiam pro ipſis oremus, ſed apertè ſignificant hanc ſuam in Chriſtianos rabiem, non tàm in ipſos, quàm in Chriſtum, quem Chriſtiani colunt eſſe. Aduertant Iudæi nunquam aliàs ſimilia paſſos, nam ſæpè aliàs in anguſtijs ad Deum clamantes miſericordiam impetrarunt, & liberati ſunt, nunc poſt mille, & ſexcentos annos, licèt Deum precentur, licèt Idola non colant, vt aliquando fecerunt, licèt legem mordicus defendant, ac Sabbàtha, licèt cum alienigenis matrimonia non contrahant, nil tamen opis à Deo experiuntur, argumentum eſt certum perfidiæ eorum, & derelictos à Deo, quòd Meſſiam natum obdurato corde nolint recipere.

Prædicatio Apoſtolorũ. Quintò, ex prædicatione diſcipulorum Chriſti, & eorum qui primi fueruut Chriſtianæ Religionis Prædicatores, aduertere poſſunt, eos nec deceptos eſſe, nec voluiſſe mundum decipere, nam ipſi ad fidem multis miraculis inducti ſunt. Quis credat Paulum ſummo ingenio virum, & in Hebræorum literis eruditiſſimum, maximum religionis paternæ zelatorem, & acerrimum Chriſtianæ doctrinæ hoſtem ad Chriſtum ſine miraculis adductum? Apoſtolos non credidiſſe ſine miraculis certum eſt, ſicut & alij plerique viri graues in exordio naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ, miraculis viderunt confirmari doctrinam, & ex literis ſacris hebræorum ſatis, ſuperque veritatem agnouerunt. Neque apparet vllum fundamentum quod tales magiſtri, ac prædicatores mundum voluerint arte aliqua, & fal-

& fallacijs decipere. Certe si id tentare voluissent, alia facillimè potuissent commenta quærere, quæ ad persuadendum, ac decipiendum essent magis accommodata, & nihilominus nudum Euangelium prædicarunt, hoc est res ad credendum arduas, ad operandum difficiles, non clam, vel in pagis rusticorũ, seu rudibus populis, sed statim in maximis Ciuitatibus, publicè primum Hierosolimis, vbi aderant viri in sacris literis peritissimi, in Græcia, vbi florentissimæ philosophorum academiæ vigebant. Romæ, vbi tot grauissimi Senatores, ingenio literisque pollentes, & armis potentissimi dominabantur. Deinde totum orbem, peragrantes, obiecerunt se Regibus, & Imperatoribus, & cuiuis potestati, nullum quærentes sibi temporalis emolumenti lucrum, sed omnia contemptui habentes, & confirmantes dicta miraculis: quo enim alio modo Idolorum cultores spreto antiquissimo cultu crucifixum amplexati fuissent? Et tamen perfecerunt Apostoli quod aggressi sunt, & Christiana religio disseminata, & propagata, de toto mundo triumphauit, & Idolorum cultus deperijt, & Hæbreorum cæremoniæ obliteratæ sunt. Adde adhuc, modum, quo primi prædicatores vsi sunt, fuisse simplicem, sine fuco verborum, sine persuasibilibus humanę sapientiæ verbis. Nunquam voluerunt admittere neque vllas gentilium superstitiones, neque aliquas Hæbreorũ cæremonias, quod si fecissent videbatur facillimè totus Orbis terrarum Christianam religionem illico secuturus. Sexto ex multis Hæbreorum, qui rei veritate conuicti fidem Christi susceperunt, facilè idem intelligi potest. In principio statim post Christi mortem, & recentem adhuc Christi sanguinem multi conuersi sunt, & postea semper vidimus, & videmus, ad fidem multos accedere, etiam gentes ad Christum conuersas, videntes quod ex scripturis futurum possunt aduertere, quæ, & gentium vocationem crebro prædicãt, & Hæbreorum reprobationem. Quare nihil est mirum si multi in sua perdurant obstinatione, cum id etiam prophetæ doceant, & Iudæorum cæcitatẽ futuram, & vltimis mundi tẽporibus conuertendos exprimant. Septimo Iudæi fatentur à Christo facta miracula, negãt tamen resurrexisse, miracula vero ab eo facta ideo affirmant, quod cũ esset puer in Aegypto educatus, ibi artem magicam per quam miracula ederet, perfectè didicerit, vel quod optimè sciret pronunciare nomen Dei tetragrammaton, cuius perfecta pronunciatio eam virtutem haberet. Corpus autem Christi ab eius discipulis clam sublatum, & absconditum fabulantur esse, ab ipsis au-

Conuersio multorum Hæbreorũ.

sis autem Iudæis diligenter, conquisitum, & inuentum. Quæ quis non videat ridicula esse commenta, & deliramenta, cum Christi miracula omnem ex mundo sustulerint Idololatriam, & ipsam magicam artē? Quis vnquam magus toto orbe, sublato Deorum cultu, potuit adorari? Et cur eius Apostoli, si etiam ipsi arte magica facerent miracula, Christo potius diuinos honores quærerent, quam sibimet ipsis ambirent? At Hæbrei, si Corpus Christi sublatum inuenerunt, cur quæso non publice suspenderunt, vt populus fraudem discipulorum Christi resurrectionem prædicantium aduerteret? Secundo loco dicebamus dissoluendas esse eorum rationes, & cōmenta, sed quoniam argumentum hoc ex Patribus multi tractarunt, vt Tertullianus & Iustinus, & alij, & apud Theologos scholasticos fermè omnes disputetur, cum de Christi incarnatione agunt, non video onus hoc necessario mihi assumendum esse, nam multa quæ afferunt non impleta nostris temporibus, friuola sunt, cum scripturæ secundum spiritum, & de Ecclesia noua loquantur, non de Iudæis secundum carnem, & bella Messiæ, & arma, & opes spiritualiter intelligantur, facile erit oratori inuenire, & eorum rationes, quas obijciunt nobis, & responsa Patrum, ac Theologorum. Illud ego monuerim quod proportione valere apud alios infideles potest, vbi tractatum est aliquod argumentum, & error neruosè, & populariter confutatus est, adhibitis similibus & exemplis, quæ rem ante oculos ponant, admixta etiam oratione morata, & lenibus motibus qui animos auditorum concilient, adhibendos esse motus graues, ponendam ante oculos mortem, æternitatemque eam consequentem, & supplicia nunquam finem habitura, ad quæ euitanda frustra faciant omnia nisi religionem veram sequantur. Quæ Christiana docet religio optimis argumentis ita innixa esse vt euidentiam habeant credibilitatis, vt Theologi loquuntur, & docent, & nullum sit periculum toto ea animo complecti, sed periculum euidens, & horrendum, si oblata respuantur, nullum fore locum excusationis, nullum pœnitentiæ, & alia id genus, adhibendo obtestationes, exclamationes per commiserationem, ac pauorem inpendentium pœnarum lachrimas, & quicquid ad emollienda obdurata valet pectora. Si ita agatur atque operā ponat Orator vt ad amorē alliciat auditores, ac propterea eos cum modestia atque obseruantia, & vera charitate tractet, conuitijs, & contumelijs, & omni contēptu abstinēs, sperarem diuina iuuāte gratia haud modicè profecturū,

Dissoluenda Hebræorum argumenta.

Contra

Contra Hæreticos. Cap. XX.

IN confutatione hæreticorum duo præcipuè attendenda sũt. Primum quibus maximè principijs aduersus eos Romana, & catholia fides, & Ecclesia nitatur. Secundo quis modus, & quæ prudentia tenenda cum ipsis, vt possint aliqui ad antiquã fidem reuocari. Neque est animus in priori capite immorari cum tam multa iam extent doctissimorum virorum volumina, vnde ad confutandas hæreses materia copiosissimè suppetat. Primo habes apud patrem nostrum Edmundum Campianum, qui pro Catholica religione, post multos exantlatos in Anglia labores gloriosam mortem oppetijt. In breui, sed aureo libello decem rationes quibus magnus ille Christi athleta fretus, ad certamen hæreticos Angliæ prouocat, quæ quidem non tam decem rationes mihi videntur, quam decem munitissima propugnacula, quibus catholica fides stat, & perpetuò stabit inuicta. Sunt autem Bibliorum sacrorum sacrosancta maiestas, quibus prophanandis impias, ac temerarias manus hæretici iniecerunt. Diuinorum verborum sensus, & interpretationes ab hæreticis eisdem corruptæ; & in perversissimos sensus distractæ. Ecclesiæ sanctæ, & vniuersitatis per totum orbem diffusæ, antiquissima fides. Patrum sanctissimorum authoritas. Firmamenta certissima quibus sancti Patres niuntur. Tot concilioru consensus, Antiquissima historia veritatis. Horrenda quæ hæretici docent portenta de Deo, Christo, Ecclesia, Sacramentis, & alijs fidei dogmatibus. Sophismata fallacissima eorundem. Denique innumera testimonia, Cœli, Inferni, ac totius Orbis, omniumque temporum; quæ omnia non studiosè modo, sed singulariter, & efficacissimè proposita videre qui velit, potest. Aureus est etiam Vincentij Lyrinensis libellus. Secundo pro nobis est Antiquitas eorum quæ credimus, nam gratia exempli cultum imaginum fuisse in Ecclesia ante multa sæcula, ne hæretici quidem negare possunt; cum in antiquissimis templis adhuc videantur: ad memorias Martyrum, & Reliquias eorum multa esse facta miracula quanta temeritate quis neget? Certè Augustinus refert miracula à se visa. Præterea Sanctissimi Sacramenti veritatem vna creditam, vt nunc Catholica fides docet, volumina Sanctorum Patrum Orientis, Occidentis, ac totius orbis luce clarius testantur, & clamant. Contra verò maximũ est principium ad falsitatem dignoscendã, cum aliquid nouum affertur

Edmũdi Campiani decem rationes.

Antiquitas religionis.

l. Confeß. 9. c. 7.

affertur contra id quod semper vniuersa docuit Ecclesia, siquidem zizania sunt quæ super triticum superseminantur. Audi Tertullian. reuertar (inquit) ad principalitatem veritati, & posteritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque parabolę patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatũ primo constituit, auenarum autem, sterilis fęni adulterium, ab inimico Diabolo postea superducitur, propriè enim doctrinarum distinctionem figurat, quia, & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum, & verum quod sit prius traditum, id autem extraneum, & falsum quod sit posterius immissum.] Hæc Tertull. Ego plane his subijcerem per ironiam. O patientissime Christe, qui passus es Ecclesiam tot annos destitutam, & expectasti Lutherum, & Caluinum, aliosq; huius farinæ, qui illam amplecterentur, & adderem ad eos conuersus, qui estis vos, vnde venistis, vnde vos proripuistis, vbi hactenus latuistis? Sero venistis, nimis tardè surrexistis, iam olim audiuimus quid de Christo, de Ecclesia, de Sacramentis tenere debeamus, non bona res est quod nunc noui contra antiquitatem apparetis, siquidem bonum triticum iam olim, & satum, & natum est. Audiamus & Hieronymũ: Quisquis es assertor nouorum dogmatum, quæso te vt parcas Romanis auribus, parcas fidei quę Apostolico ore laudata est cur post quadringentos annos docere nos niteris quod ante nesciuimus illam senex tenebo fidem quam puer didici.] Tertio optimum principium ad confutandas hæreses nostri temporis, est demonstrare ad regimen Ecclesiæ, concedendum necessario esse vnum visibile caput ad quod confugiendum sit in rebus ad fidem spectantibus, & cui standum in his quæ ad regimen animarum pertinent, idque esse Romanum Pontificem. Cætera omnia prona erunt, si hic primus articulus bene confirmetur. Hoc autem facile est demonstrare, tum ex tradita Sancto Petro potestate, cui totius gregis Christi cura commissa est, tum quia non est credibile Christum Ecclesiæ solum prouidisse pro tam modico tempore. Tum ex perpetua successione Romanorum Pontificum, licet toties fuerit à potentissimis Imperatoribus, & hæreticis impugnata Petri Sedes nunquam tamen expugnata semper stat. Tum ex obedientia quam omnes Sedi Apostolicæ dederunt. Quarto hæretici nullam possunt ostendere nobis authoritatem quare sit eis credendum contra antiquam fidem Christianorum, contra Patrum, & conciliorum decreta. Nam ipsi nulla habent miracula:

De præscr. hæret. c. 31.

Epist. ad Panmach. 55.

Fundamentũ contra hæreses nostri tẽporis.

Tilmãnus Brædem. bach. coll. sacrarum, Lib. 7. c. 3.

la: niſi quod Caluinus voluit quendam Brulæum Geneuę ſuſcitare, qui ex conuentione mortuum ſe fingebat, & viuum occidit. Non poſſunt oſtendere ſe à Deo miſſos immediatè, neque à Prelatis cum ſeipſos ingerant, & à ſe ipſis loquantur. Quid autem tam abſurdum, ac arrogans quam in locis ſcripturæ obſcuris ſuo iudicio niti? quid tam blaſphemum quam quod dicat hæreticus: Ita mihi loquitur Spiritus ſanctus, imò verius per me loquitur quam per Hieronymũ, & Auguſtinum? Quinto pro nobis eſt ſumma concordia doctrinæ catholicæ, & conſtantia in omnibus quæ ſemper Eccleſia credidit in omnibus Concilijs generalibus à Sede Romana approbatis, in omnium Sanctorum Patrum voluminibus, vbi dogmata fidei tractant. Cum inter hæreticos tanta diſcordia ſit & diſſenſio, vt non ſolum in diuerſis Ciuitatibus, ſed in pagis, in ſingulis domibus alter cum altero pugnet, & vnus idemque quotidie mutet ſententiam, vt non poſsit conſtare quid cras ſit crediturus. Quod magnum eſt argumentũ fore vt deficiant, ſicut tot aliæ interierunt hæreſes, cum tamen Eccleſia Romana per mille & ſexcentos annos, eadem ſemper, contra tot hoſtium grauiſsima bella ſteterit. Sexto vita eorum qui Hæreſes ſectantur arguit falſitatem doctrinæ. Nam ſcimus Lutherum ideo contra Romanum Pontificem arma blaſphemiæ conuertiſſe, quod dignitatem, quam ambitiosè cupiebat non obtinuiſſet, quam autem fuerit turpis, ac ſordidus, teſtatur libellus qui inſcribitur fęces Luthe ri. Sunt hæretici dediti crapulæ, ebrietati, pecunias beneficiorum vſurpant, libertatem carnis amant, hæc eſt cauſa tot errorum quos mordicus defendunt, & pertinaciæ quia nolunt præceptis arctari. Adde ſi lubet graue Tertulliani teſtimonium. Notata ſunt (inquit) commercia hæreticorum cum Magis cõpluribus circulatoribus, & Aſtrologis, cum philoſophis curioſitati ſcilicet deditis, quæ quidem omnia hæreditaria ſucceſſione ad huius temporis hæreticos haud dubiè peruenerunt. Et hæc obiter dicta ſint. Ad rem magis faceret ſecundum illud quod propoſui caput, circa prudentiam agendi cum hæreticis. Quod autem dicebamus in principio de gentilibus, & de Iudæis iterauimus, hic etiam locum habet. Non enim vllo modo debet Catholicus ipſos hæreticos imitari, qui ſtatim ad iniurias & ſcõmata ad irriſiones, & clamores ſeſe conuertunt, contra potius vincendum in bono malum. Ita tamen vt licet abſtinendum ſit à perſonarum iniurijs, errores certè & hæreſes ſumma vi argumentorum debent exterminari, & quanta-

De præſcr. hær. c. 43.

pote-

poterunt maiori euidentia confutari. In libris quibus catholici eorum calumnijs respondent acutè, simul & eruditè satisfaciendum est, ne ipsi sibi sapientes in sua stultitia videantur, & alij qui legunt hæreticorum scommata in Catholicos, ex nostrorum responsis, ipsorum mendacia apertissimè detegant. Qui inter hæreticos versati sunt diu, melius experientia, & Spiritus sancti vnctione modum agendi didicerunt, quam à me possint audire: solum ero contentus adijcere obseruationem non meã, sed viri pijssimi & sapientissimi ex patribus nostris decem qui cum Beato Ignatio primæ nostræ societatis fundamenta iecerunt. Is est P. Petrus Faber, qui diu inter hæreticos versatus roganti, Iacobo Laynio nostro secundo Generali quemadmodum quis hæreticis conuertendis cum fructu dare operam posset, capita hæc summa proposuit quæ à me in latinum sermonem ferè ad verbum conuersa sunt.

Modus agendi cum hæreticis ad fructum colligendum in priuatis præsertim colloquijs. Cap. XXI.

Epistola Patris Petri Fabri.

PRimò qui opem aliquam nostri temporis hæreticis afferre cupit, omnino id curare debet, vt Charitatem erga eos habeat, ac verè, & ex corde diligat, ac serio studeat omnem ex animo suo cogitationem exuere, rerum quæ illorum apud se valeant existimationem imminuere. Secundo omnino eorum animos sibi conciliet, vt ab ipsis diligatur, quod hoc modo fieri poterit, si familiariter cum eis agat, & cõmunicet in ijs rebus quæ nobis cum ipsis communes esse possunt, abstinendo interim ab omni disputatione, in qua vna pars alteram deprimere videatur, Prius enim communicandum est in his, quæ iuuare possunt amorem, quam in his quæ sententiarum diuersitatem habent. Tertiò quoniam hæc hæreticorum secta est filiorum subtractionis in perditionem, & prius bonum pietatis affectum amiserunt quam fidem, oportet eodem ad eorum conuersionē ordine vti, vt prius exordiamur ab his quæ ad pietatem, & bonam conscientiam recuperandam valent; inde transeundum ad ea quæ ad rectè credendum pertinent, contrario modo atque in Ecclesiæ primordijs Patres vtebantur, nam tunc prius fidei dogmata tradebantur, postea veniebant ad operum, quæ ex fide manabant, præceptionem. Quarto itaque qui velit adiuuare ex his aliquem, qui, & male sentit de fidei rebus & est in peruerso statu peccati mortalis, prius agendum esset cum eo

vt à

vt à ſtatu reeedat peccati, quam de errore ſermo habeatur. Nam facile eſt vt cum peccato etiam errorem abijciat. Quinto cum hæretici noſtri tẽporis magis errent circa ea quæ ſunt operabilia, quam circa dogmata ſpeculabilia, prius perſuadendi ſunt vt afficiantur ad opera. Exempli gratia ſi quis habeat hanc hæreſim, Eccleſiam non potuiſſe quemquam ſub pœna peccati mortalis adigere ad officium recitandum, vel audiendum ſacrum, huic eſſet perſuadenda Orationum deuotio, & frequentia, nam ſi adhoc bene afficiatur facilè euaneſcet hæreſis. Sexto maximè aduertẽdum eſt præcipuos hæreticorum noſtri temporis errores, qui præcipuè ſunt contra Eccleſiæ præcepta huic principio inniti, quod adeo ſe imbecilles ad eorum obſeruationem ſentiant, vt falſo iudicio decepti credant nimis arduam exequutionem eorum eſſe. quare animandi ſunt, & magno ſpiritu inducendi ad fiduciam, vt intelligant non tantam ſubeſſe rebus difficultatem quantam ſibi fingunt, vel dæmones ſuggerunt, quare ſi quis Spiritus ſancti igne incenſus ipſimet Luthero perſuadere poſſet, vt priſtinum Monachi habitum aſſumeret, & ſe ipſum Eccleſiæ ſubijceret obſequio, ſine alijs argumentis, & diſputatione omnes hæreſes abiuraret. Sexto qui cum Hæreticis poſſet non alia miſcere colloquia, quam de rectè viuendi ratione, de Virtutibus, de Oratione, de Morte, de Inferno, deque alijs huiuſmodi rebus, quæ ad vitam rectè inſtituendam etiam Ethnicorum valent, Is plus eſſet eis adiumento, quam qui multa eruditione, ac Patrum authoritate, ad eos redarguendos vteretur. Octauo Denique huiuſmodi homines, exhortationibus indigent, & admonitionibus ad mores corrigendos, ac timorem, amoremque Dei concipiendum, & bonorum operum deſiderium contrà ipſorum ariditates, diſtractiones, indeuotiones, imbecillitates, aliaſque miſerias quæ non tam in intellectu vigent, neque per prius, quam in eorum affectibus, atque adeo manibus, pedibus, corporibusq; Dominus eos Spiritus ſancti virtute, & efficacia moueat qui ſcit verbum ſcriptum exterius, non eſſe ſatis. Hæc ex P. Petro Fabro.

Finis Libri Quinti.

Digitized by Google

ALII LOCI EX CHRISTO, & Christiana nobilitate desumpti.

LIBER SEXTVS.

Proemium.

PRæter eos, quos hactenus adduximus locos, non desunt alij adhuc qui inter theologicos sunt maioris ponderis, & Christiano oratori, ac nostris concionibus maxime accommodati: hi sunt qui ex Christi mysterijs ducuntur officijs, nobilitate, sacramentis, virtutibus, exemplis, beneficijs, doctrina, denique ex supereminenti magnitudine virtutis eius, & diuitijs gloriæ, vt Paulus vocat. Ex quibus Christiana nobilitas tota ortum habet. Hic mihi, Auri fodina quædã cælestis, auri gemmarumq. affluentissima aperiri videtur, quam nobis prophetæ primum, sub occultioribus quibusdam mysterijs, ac figuris effodere cœperunt, Apostoli deinde, cæteriq. Christi discipuli, publicarunt. Ex qua peculiariter D. Paulus singulari Dei luce illustratus, & Christi ardentissimo amore flagrans, pretiosissimos protulit thesauros, quibus epistolas suas egregie locupletauit, ornauitq. & genere tam multas ad Christum eiusq. amorem adduxit. Ex eadem sancti patres, & ipsi, splendentissimas margaritas eruerunt; id est nobilissima argumenta quibus in triplici via genere, quod proposuimus, cælestibus monitis, purgarunt incipientes, progredientes animarunt, perfectos in omni genere virtutis consummarunt. Et quidem mihi non est animus neque ea sunt ingenij vires, vt hanc partem, tum modo, vt rei maiestas exigit, sed ne mediocriter quidem exequar, cui rei præstandæ nec ingens volumen sufficeret. Sed non videor sine huius nostræ institutionis iniuria me hanc tam illustrem locorum syluã, vel

Eph. 1.

Digitized by Google

vel potius cæleſtem quemdam Paradiſum, diſsimulare poſſe. Hoc ſane eſt, Chriſtianum oratorem agere, ex his locis qui ad Chriſtum pertinent, argumenta ad Chriſtianã pietatem perſuadendam afferre, Hoc inquam eſt ex proprijs (vt aiunt) loqui.

Notitia Chriſti prædicanda. Caput Primum.

SEd principio hoc tanquã certiſſimum, apud ſe ſtatuat Euangelicus Orator, quod alibi etiam ſignificauimus, nihil omnino, aut grauius, aut fructuoſius a ſe in ſuis ad populum concionibus, tractari poſſe, quam ſi Chriſti Domini noſtri notitiã, frequenter, omnium auribus, & pectoribus profundè inſerat, ex ea namque omnium ſpiritualium, chariſmatum, & virtutũ ornamenta efflorescunt. Illud etiam expertus affirmo, nihil dulcius, & cum maiori attentione ab auribus percipi, quam vbi de Chriſti dignitate, eiuſq. notitia, erudite copioseq. ac feruenter loquentem audiunt. Certa eſt Domini ſententia, Hæc eſt vita æterna (ideſt vitæ æternæ ſemen, & beatitudinis præguſtatio, quæ eſſe in hac vita poteſt) vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, Certum item omnino eſt, ad ipſius Dei Maieſtatem, potentiam, bonitatem cognoſcendam, nulla nobiliori ratione, nullo facĩliori ac breuiori compendio perueniri poſſe, quam ſi per Chriſtum hominem ad Deum aſcendamus, Qui videt me (inquit ipſe) videt eum qui miſit me Et ego ſum Via Veritas, & Vita Nemo venit ad patrẽ niſi per me Si cognouiſſetis me, & patrẽ meũ vtiq; cognouiſſetis. Ego ſum oſtium ouiũ, per me ſi quis introierit ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur & paſcua inueniet, altiſſimæ ſcilicet contemplationis, efficaciſq. ac ſuauiſſimæ cognitionis, quæ rationabilium ouium, proprium pabulum eſt. Ipſe Sanctiſſimus Chriſti præcurſor clamat. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit; Ipſe enim imago eſt Dei inuiſibilis, Ipſe factus eſt nobis ſapientia, ipſe lux mundi, Idem ipſe propterea liber vocatur. Sed ipſum audiamus doctorem gentium, qui in hac diuina ſchola tantum profecit, vnde eminentiſſimam illam ſapientiã, hauſerit profitentem: Deus (inquit) qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ, claritatis Dei, quæ eſt in facie, Chriſti Ieſu, quod perinde eſt ac ſi dicat, ille idem dominus, qui a mundi exordio, corpoream lucem, quaſi de tenebris eduxit in cordi-

Quanti referat Chriſtum aſſiduò prædicare.

Ioan. 1.

2. *Cor.* 4.

bus nostris spiritualem infudit, quod tunc arbitror, primum contigisse, cum ab ipsomet audiuit Christo Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris, cum circumfulsit eum lux de cęlo: per quam nos (ait) lucem, pulsis ignorantiæ, criminumq. tenebris, illustrati, etiam alios illuminare possimus, eundem Christum prædicantes, quem nos agnouimus, qui est lux vera, omnem hominem illuminans, ad hoc vt quisque Dei gloriam, & claritatem agnoscat, quæ in sacratissima Christi facie, tanquam suæ diuinitatis emittente radios effulget: Hoc autem dixit Apostolus quia prædixerat, Non nosmetipsos prædicamus sed Iesum Christum Dominum nostrum, quasi dicat, propterea de cęlo, lux nobis affulsit, vt ipsius Iesu Christi notitiam & gloriam, & nequaquam nosmetipsos prædicemus, Imo addit. Nos autem seruos vestros propter Iesum. Et verè serui sunt Christianorum; propter Iesum, qui Euangelicæ prædicationis ministerium, sancte & sincerè propter Iesum exercentes, ad ipsum Iesum omnia referunt, & propter Iesum omnia faciunt, & cum Paulo nihil aliud quam Iesum, videntur & scire & loqui; Vtinam hanc tam nobilem seruitutem, omnes qui pro Iesu legatione funguntur, agnoscant & seruiant. Debet autem maximè in id incumbere Christianus Orator, vt intelligat ipse primum, deinde per suas conciones populus, qualis nam sit, & in quibus rebus sita, hæc quæ Christi notitiam proponit prædicatio, Non enim arida quædam, & nuda speculatio satis est ad efficiendum, vt vocat Christus, vitam æternam, ac veram huius vitæ beatitudinem, quam in Dei suiq. notitia ipsemet constituit. Debet igitur talis esse cognitio, quæ ita intelligentiã impleat, vt ad voluntatem quoque & ad actiones ipsas permanet. Sine dubio intellectus primo loco instruendus, ac prædicationis luce illustrandus est, non solum in his quæ ad veram de Christo fidem, & cultum pertinent vt ea sincerè firmiterq. teneat, quæ nobis, Euangelicæ fides historiæ, credenda proponit, tum contra ignorantiam, tum aduersus omnes gentilium, & Hebræorum, ac Hęreticorum errores, sed etiam vt Christi dignitatem, pulchritudinem, virtutes, eiusq. præstantissimas, ac diuinas actiones intueatur, & admiretur, quæ nequaquam a plerisque Christianorum cognoscuntur, etiamsi dogmatum fidem integram seruent, propter offusam eorum mentibus caliginem, quam ex varijs rerum humanarum, quibus impliciti viuunt cupiditatibus & peccatorũ sordibus contraxerunt. In his enim etiã locũ habet, quod Paulus capite supra citato ait, si oper-

In quo sita sit hæc Christi Notitia.

Primo, Intellectus illustrandus.

si opertum est Euangelium, in his qui pereunt opertum est, in quibus Deus huius sęculi, excęcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis Euangelium gloriæ Christi qui est imago Dei. Sunt aliquę imagines, quæ licet pulcherrimæ sint, earum tamen speciem & viuos colores, perspicere oculus nequit, nisi in bono (vt aiunt) lumine, hoc est in apto quodam situ, ad lucem imagini accommodatam sit bene constitutus. Ita inter fideles sunt, qui etiamsi Christum audiant, Christum legant Christo nomen dederint, tamen nec pulcherrimam eius speciem contemplari nec eius virtutibus, eos delectari videmus, cum non sint, ea cordis puritate præparati, quam ad eam notitiam vero Christiano dignam, necessariam esse arbitramur. Hęc autem præparatio est, quam Isaias cap. 33. significat, quem locum aliqui de Messia exponunt & optime quadrat. Qui ambulat (inquit) in iustitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, qui huiusmodi fuerint de his propheta pronuntiat Regem in decore suo videbunt. Intellectus ergo, in Christo, diuinam personam, & omnes diuinitatis perfectiones, adorare debet, quem Deum esse, etiam res sensu carentes clamant, dum venti mareq. obediunt ei, dum aqua in vinum ad solum eius nutũ transit, & panis in immensum multiplicatur, dum mortui vocantis imperium audiunt, dum se ipsum a morte reuocat, & innumera huiusmodi. In anima admiretur, Gratiæ plenitudinem quæ ei sine vlla mensura est data quæ triplex est, Vnionis, Capitis, ac Personalis, sapientiæ ac scientiæ Dei vt Paulus vocat thesauros, omnium virtutum altissimã perfectionem, Gloriam item Beatæ visionis omnium Angelorum, fęlicitatem lõgè excedentem; Corpus etiam, tanquam Spiritus sancti opus & diuinitatis Organum; Actiones præterea omnes, & animi & corporis, absolutissimas, & omni ex parte, eminentissima perfectione cumulatas. Denique cum Christum speculatur intellectus, etiam vt hominem, omnem ei conuenire pulchritudinẽ aduertit quæ vnigenito patris, par sit, omnium Angelorum, & rerum creatarum monarchæ, omnium prædestinatorum capiti, & æterni Patris dilecto. Sed præterea, qui pro Christo legatione fungitur, & Christum annunciat, id magis curare debet, vt hæc notitia, non intellectum modo, sed quodammodo etiam voluntatem amplectatur, repleat perficiat Deoque coniungat;

Tertio, Notitia Christi ad actiones, & opera transeat.

Secundo, Christi Notitia, Voluntatem per Amorẽ perficiat.

iungat; sit notitia amorem pariens, nō qualemcunque sed perfectum, qualem Christus apud Ioannem, magnificè his verbis prædicat, Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, Et statim exprimens qualis hæc notitia sit, subdit, sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: Comparat hāc ouium erga suum pastorem notitiam, & pastoris ad oues, ei quam Aeternus Pater de Filio & de Patre Filius habet. O exemplar admirandum, vt sicut per hanc mutuam cognitionem, vnum sunt Pater & Filius in substantia, Ita ones à Pastore cognitæ, & Pastorem agnoscentes, per amorē voluntatis vnum fiant, quemadmodum ipsemet Christus, satis apertè docuit, cū, in eodem loco, Patrē orat vt sint vnum, sicut & nos (ait) vnum sumus, & iterum confirmans repetit, Ego charitatem quam dediſti mihi dedi eis, vt sint consumati in vnum, quæ verba, si bene explicentur, magnum amoris incendium excitabunt. Huc etiam tendunt illa verba quæ habentur in capite 8. Cant. pone me vt signaculum super cor tuum, petit sanctissimus Pastor, cuius personam, illa diuina Ecloga repræsentat, petit inquam idem Pastor & sponsus, tanquam sigillum cordi nostro imprimi, vt sicut sigillum ceræ inhæret, & cera sigillum penetrat, Ita cordi nostro, Christus perfectè coniungatur, vt dicere valeamus, Dilectus meus mihi & ego illi. Neque hoc solum hæc notitia præstat, sed Tertio loco, id etiam, quod excellentius habendum est, ad actiones Christianas, quæ sunt veri amoris indicia, transire debet, ideoque meritò eodem Canticorum capite dicitur, non modo super cor, sed & super brachium, quod ex Ioannis supra allatis verbis intelligi manifestè potest cum ait Christus, sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, sicut enim Pater Filium generans, per suum verbum omnia operatur, & Filius cum operante Patre simul operatur, & ad eum omnia reuocat, Ita ratione quadam, pastor oues cognoscit, perfecta quadam notitia, & amore, sui ipsius in eis imaginem imprimens dum gratiam, & supernaturalia dona communicat; Et nos vicissim, in perfectam virtutum ac sanctitatis eius imaginem, ipso primum operante, & nobis cum ipso cooperantibus transformamur. Siquidem Christi cognitio, quæ mentem illustrat, & eiusdem amor voluntatem accendens, magna & multa pro Christo, & cum Christo operantur, vt non ab re in eodem Canticorum textu subdatur fortis est vt mors, dilectio, dura sicut infernus, æmulatio, lampades eius lampades ignis, atque flammarum, & quæ sequuntur. Quo loco comparatur hæc lux, & amoris ardor, Morti, Sepulchro, Igni, Flammis,

Tertio, Notitia Christi ad actiones, & opera transeat.

Aquis,

Aquis, magnis Fluminibus, & adhuc ſubiungitur. Si dederit homo, omnem ſubſtantiam ſuam pro dilectione quaſi nihil deſpiciet eam; Quod in Paulo apparuit, qui vt ſtercora arbitratus eſt omnia, propter eminentem ſcientiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut & de Moſe idem Paulus Hebr. 11. teſtatur, quod maiores diuitias exiſtimarit, omni theſauro Aegyptiorum, Chriſti improperium, ſicut denique innumerabiles, Martyrum cohortes ac virginum, omnium perpeſsione acerbitatum probarunt. Modum autem quo, id efficiunt Sancti & electi Dei, eruditè admodum & ſelectis verbis ipſe, idem Paulus, totus in Chriſtum abſorptus demonſtrat, Nos autem (inquit) reuelatâ facie, gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem trāſformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. Significant hæc verba, hoc eſſe Chriſtianorum peculiare ſtudium, vt non iam per figuras vt olim, ſed ſine vllo velamine, Chriſti Domini, myſteria, tamquam in limpidiſſimo ſpeculo, & eius pulcherrimas virtutes, in tota vitæ ipſius æconomia ita contemplemur, ita nobis repreſentemus, vt ipſi nos ad hunc intuitum, in eius imaginem transformemur, hoc eſt vt exponit D. Bonau: in eadem imaginata myſteria, prōgredientes de claritate vnius myſterij ad aliam claritatem maiorem, ſemper eius notitiam, & in nobis perfectionem maiorem nanciſcētes, quod per operationem fiet Spiritus ſancti, referentes in nobis ipſis, Chriſti impreſſam imaginem, Ita vt Chriſtus ipſe, in nobis impreſſus expreſſuſque appareat, & noſtræ intellectiones, affectus, actiones non tam noſtræ quam Chriſti eſſe videantur, vt Paulus in Chriſtum transformatus dicebat, non iam ſe viuere, ſed Chriſtum in ipſo, quod eſt vt Dion: Areop: de Paulo affirmat vitam viuere amatoriam. Et hoc planè eſt in eius imaginem de claritate in claritatem transformari, quia dum nobis, Chriſtum, vel in vtero matris conceptum, vel in ſtabulo naſcentem, vel inter doctores diſputantem vel prædicantem repreſentamus, vel miracula patrantem, vel pernoctantem in orationibus, vel peccata remittentem, vel transfiguratum, vel in cœnaculo cum Apoſtolis mira facientem ac dicentem, vel in horto patrem ſupplicantem, vel in paſsione tam multa, tamque grauia patientem, eiuſque virtutes, & perfectiſsima opera ſpeculamur, & in nos transferre curamus, abſque dubio ipſum Chriſtum induimus ipſius in nobis viuam imaginem referimus. Vtinam cum eodem Paulo, & illa dicamus, In nullo confundar, hoc eſt nihil omnino, neque fames, neque iniuriæ, neque tormē-

Tract. de 7. grad. Cōtempl. gradu 7.

ta, neque persequutiones, neque Mors, nec quicquid sese obijciat, ab incepto proposito me poterit retardare, sed in omni fiducia (inquit) sicut semper ita & nunc, magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem, & tanti propositi firmitatem in Christum tanquam in causam referens subdit, mihi enim viuere Christus est & mori lucrum. Vides ne Orator Christiane, quantæ in hac Christi notitia opes, tanquã thesaurus diuinus in agro absconditus, lateant? quas sine magno damno populis occultare non possis, nec sine magno fructu depromere? vt omnes in hoc thesauro & inuento gaudeant, & communicato ditescant. Illud autem certum est, tum hæc & iucundissima tibi & saluberrima populo fore, cum verè dicere poteris: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, nam signum eam imprimit formam, quam in se habet: & anulus per eam vim quam ipse à magnete recepit, alterũ anulum trahit.

Christum esse Caput omnium Christianorum.

Caput I.

PRincipium Sumamus ex eo loco quo Christum esse caput omnium Christianorum, nosque eius membra, & corpus fatemur. Sitque hic locus tanquam cæterorum locorum exemplar, ad explicandum modum, varia, ex locis variis argumenta eruendi, nam idem in aliis repetere, longum esset. Ex hoc igitur loco pulcherrima ducuntur argumenta, primo erga Deum & Christum, Deinde erga nos, postremo erga proximos. Erga Christum, & Deum in hunc modum. Si caput est Christus, nos membra, ergo plus Christum facere debemus, quam nos ipsos, sicut membra ad capitis defensionem se ipsa periculo obijciunt, & totum corpus, id maximè curat, vt caput saluum sit, sic & nos Christi gloriam tueri, vel sanguine debemus & nihil isto habere pretiosius. Si est caput ergo ex illo pendere debent membra, inde regi, inde trahere vitam, inde vim ad omnes actiones, quod ipse Dominus similitudine palmitum declarauit, qui nisi manserint in vite, ferre fructum non possunt, atque adeo, maximè curandum est, vt connexio cum capite conseruetur, quam argumentationem explicat Augustinus in illa verba, Ego sum vitis, vos palmites, & sine me nihil potestis facere. Siue parum (inquit) siue multum, sine illo fieri non potest, siue quo nihil fieri potest. Et infra vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis, si in vite non est,

Primo, Ex hoc loco multa colligimus. Erga Deum.

Tract. 81. in Ioan.

est, in igne erit, vt ergo in igne non sit in vite sit.] Erga nos huiusmodi ducuntur argumenta. Si caput nostrum est Christus, nos autem eius membra, quantus noster est honor? Quomodo igitur me ipsum tractabo vt sim dignum tāti capitis membrum? Caput nostrum in cœlo est, illuc sequantur & membra quid ergo ad huc affectus nostri in terra hærent? Caput nostrum Christus est, Non decet sub capite spinis coronato, & crucifixo, membrum esse delicatum. Caput nostrum Christus est, membra ergo mea, non mea, sed Christi sunt; ergo vt Paulus argumentatur, Tollens membra Christi, faciam membra meretricis? Eodemque modo in alijs omnibus, & virtutibus, & vitijs argumentabor. Erga proximos dicam hoc modo. Caput est Christus, nos membra, Ergo non inuidere inuicem, non calumniari, non odisse debemus sed adiuuare, ac fouere, vt membra sibi inuicem præsto sunt: Proximum meum intuebor vt partem mei, gaudebo eius bono tanquam meo, tristabor malo, non secus ac meum aliquod membrum doleret. Præterea proximum quemque aspiciam, vt Christi membrum, & amabo, & venerabor, & prout potero excolam, pascam, ornabo, & sanctificabo. Hæc argumenta maximi sunt momenti. & quidem S. Chrisost. magis (inquit) deberet nos ad pietatē mouere. quod simus Christi membra quam gehenna, & alibi grauissimis verbis hoc argumentum vrget, contra eum qui proximum suum auersatur. Quid quæso dicis (inquit) auersaris hominem fidelem, quem Christus cum adhuc infidelis esset non est auersatus? quid dico non est auersatus? ita quippe illum, adhuc inimicum ac turpem dilexit, vt mortuus etiam pro illo sit. Deinde ipse quidem illum adeo fortiter, ac talem dilexit, tu vero formosum iam, & admiratione dignum, membrumque Christi, imo dominicum corpus factum, dic quæso contemnis, & auersaris? non obseruas quid dicas? non sentis quid temere audeas? Caput habet ipsum Christum, & mensam, & vestimentum, & vitam, & lumen, & sponsam, nam omnia illi Christus est, & audes dicere, auersor illum? compesce ac cohibe infamiam istam, agnosce fratrem.] Ex hoc loco, sæpe etiam D. Paulus argumēta colligit, demus exempla veritatem ait facientes, in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum, per omnem iunctu-ram subministrationis, secundum operationem, in mensuram vnius cuiusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate. Significat vnum quodque membrum,

Erga nos. 1. *Cor.* 6.

Erga proximos.

Hom. 27. *in Ep. ad Rom. in fine.*

Eph. 4.

ex hoc

ex hoc capite, debere recipere & influxum, & operationem, & augmentum, & coniunctionem ad alia membra, vt sic totum corpus, compactum, & connexum virtute huius capitis crescat. Ex hoc etiam infert Hoc igitur dico & testificor, vt non amplius ambuletis sicut & gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, & subdit. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in illo edocti estis, quasi dicat, cum sub tali tantoque capite, omnes Christiani viuamus, nequaquam vt gentes, quæ Deum, & Christum ignorant viuere debemus, sed vitam nouam ducere oportet, longè ab omnium gentium vitijs remotam. Similia repetit ad Colos. Rursum ad Rom. ex eadem similitudine membrorum, & corporis sub vno capite, hortatur singula membra, vt ministerij sui partes, diligenter seruent, sic enim totum corpus rectè habet cum à capite directionem, & influxus recipientes singulæ partes, quæ muneris sui sunt rectè exequuntur. Sicut ait in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra, non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem, alter alterius membra, Ex quo etiam loco subijcit, quomodo secundum diuersas, quas à Christo quisque donationes accepit, strenuè illas exercere oporteat, Et iterum hortatur, vt omnes eo statu, ac ministerio contenti sint, ad quem à Deo sunt destinati, quia singula membra corpori necessaria sunt, & debent sibi inuicem obsequi.

Cap. 2. *Cap.* 12. 1. *Cor.* 12.

Argumẽtaex hoc loco pro triplici via.

Rursum ostendamus, ex eodem loco argumenta deduci posse pro triplici via instruenda, quam nos, oratoris nostri, materiam esse supra diximus, In via purgatiua dicam Caput est Christus, ergo debet corpori caput superstare, non membra capiti, ne fiat monstrum, Cur ergo peccator caput tuum Christum, subijcis, cur conculcas? Caput est Christus ergo noli ei aduersari, quis vnquam vidit membra, aduersus caput rebellantia? Caput est Christus, ergo ipsum defende vel periculo tuo, ne tu pereas, oppositu tuo, intentam Christo plagam auerte, hoc est potius tu mortem excipe, quam pecces, vel peccare quempiam sinas; membrum es Christi, num ergo membrum Christi trades diabolo? num vendes auaritia, vt Iudas Christum, ita tu Christi membrum? num coinquinabis sordibus, membrum es sub Christo capite, ergo tua sorte contentus esto, quicquid sis, siue pes, siue manus, siue aliud, hoc maximum est, quod es. In via illuminatiua caput habes Christũ, obsequere,

In via purgatiua.

In via Illuminatiua.

Chri-

Digitized by Google

Christi membrum es, mouere te eius membrum, manus Christi quicquid tãgebat, sanabat, sic tu sis omnibus tuis, & actionibus, & cogitationibus, & verbis mihi & alijs salutaris. Membrum es Christi, orna virtutibus, pasce orationibus, & Sacramentis, reuerere, sanctifica, custodi etiam à puluere, hoc est à maculis, vel leuissimis. In via vnitiua, Caput Christus, nos membra; O charitas, coniunctio maior esse non potest. Vir & mulier duo in carne vna, hic est prorsus vna caro. Caput Christus nos membra. Pater, & Filius vna caro in duobus, quia Filius est portio Patris, hic vna caro, in vno corpore. Caput Christus, Nos membra, o honor planè admirabilis! Ille vnigenitus altissimi, Thesaurus ille thesaurorum sapientiæ, & scientiæ, ac diuitiarum Dei, meum est caput. Caput Christus nos membra. O dulcedo, qui liquor qui cibus, quæ suauitas ex hoc capite manabit? Quæ securitas, quæ tranquillitas, quæ requies sub hoc capite, in membris? Spectanda sunt autem, in huiusmodi comparationibus, non solum similia, sed & dissimilia ex quibus etiam argumentorum copia, & varietas extat. Caput nostrum est Christus, verum non vt alia capita sunt membris, ita nobis caput est Christus: pulchro corpori sæpe caput deforme cõtingit, sano infirmum, nec pro suo nutu, possunt membra, caput sibi imponere formosum, aut sanũ, aut sapiens. Sane si in vniuscuiusque corporis esset potestate, formare sibi caput, quale, cumque posset optare, quale rogo optaret? atqui nunquam, quispiam tam formosum, tam sapiens, tam validum, tale denique posset expetere, aut ne cogitatione sibi fingere quale nobis est Christus. Præterea ex eodem loco habes, in omni exhortatione, vnde argumenta elicias copiosè. Si vis ad pacem hortari, membra eiusdem corporis, consentire debent, num cõtra membra Christi pugnabis, in Christi membrum? Si ad Misericordiam, quod facis tuo membro, facis membro Christi, pasce vesti, Non credis Christo dicenti quodcunque fecisti mihi fecisti? non audis clamantem Christum e cœlo, Saule Saule quid me persequeris? si ad pudicitiam, membrum Christi coinquinabis tradens impudicitiæ? Si ad mansuetudinem, qualem, quæso te, esse decet, qui Christi, ideft agni mansuetissimi membrum es? Si ad progressum in virtutibus, Orna Christi membrum, & perduc ad suam perfectionem, ædifica Corpus Christi ex tua parte, fac quam pulcherrimum, quam perfectissimum, Si ad laborem, & fugam delitiarum: Corpus Christi crucifixum est, Tu vero si Christi es membrum: non ne cum Paulo dices, Christo

In via vnitiua.

In omni genere Cõcionum.

sto cōfixus sum cruci? si ad patientiam in rebus aduersis, quid mirum si aduersa pateris probas plane, te membrum esse Christi, qui positus fuit in signum cui a multis contradicebatur, ergo & tu Christi membrum, pro tua parte adimpleas in carne tua quę desunt passionum Christi in corpore eius, audi Augustinū Apostolus Paulus prædicat dicens si fuerimus socij passionum, erimus, & consolationum, & Dominus in Euangelio. Si mundus vos odit scitote quia me priorem vobis odio habuit recusat esse in corpore qui odium mundi non vult sustinere cū capite.] Eadem ratione hic locus vtilis omnino est ad omnes amplificationes in singulis causarum generibus. In genere consolatorio lege epistolam primam Paulini Episcopi Nolani ad Aprum in qua eum Christi exemplo consolatur, & animat quod dignus sit, vt in eo Christus patiatur, Merito (ait) gloriaris, venerandissime frater, & in exultatione dicis, hinc te ipsum tibi credere quod Christianus sis, quia te odisse ceperint, qui diligebant, & despicere qui timebant. Et subdit ab initio sæculorum Christus in omnibus suis patitur, Ipse est enim initium, & finis, qui in lege velatur, in Euangelio reuelatur, mirabilis semper, & patiens, & triumphans in Sanctis suis Dominus, In Abel occisus à fratre, in Noe irrisus à filio, in Abraam peregrinatus, in Isaac oblatus, in Iacob famulatus, In Ioseph venditus; In Mose expositus, In Prophetis lapidatus, & secatus, in Apostolis terra mariq; iactatus, & multis beatorum Martyrum crucibus frequenter occisus. Ipse in te patitur opprobria, & ipsum in te odit hic mundus.] In genere Didascalico seu exornatiuo scribit librum D. Cyprianus in quo eodem modo, Christum in Martyre, pati docet, & ab eo, Martyris fortitudinem inuictam, pendere, prædurantibus (inquit) licet costis, resultans vngula, recurrat in vulnus, & euntibus flagris cum anulsa corporis parte, rediens habena ducatur, stat immobilis tamen, pœnis suis fortior, hoc solum secum ipse conuoluens, quod in illa crudelitate carnificū, plus pro quo patitur, Christus quam ipse patiatur.] Et vt inferius loquitur velut socio Christi cruore decoratus. Huc facit hystoria de Beato Petro cuius meminit Ambr. cui ex vrbe egredienti, occurrit Christus vrbem ingrediens, & interroganti Petro, domine quo venis, responsum à Christo est venio iterum crucifigi. Intellexit plane Petrus, ad suam crucem diuinum pertinere responsum, & subdit Ambrosius, intellexit ergo Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in seruulo, Itaque sponte remeauit, interro-

Serm. 47. de Sanctis initio.

Ad Aprū epist. 1.

De laude Martirij cirea proem.

Tom. 4. l. 5. ep. de B. Petro.

terrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus per crucem suam honorificauit Dominum Iesum. Videtis igitur ait Ambrosius quod in seruulis suis pati velit Christus. Hæc à me in hoc primo loco dicta sint, gratia exempli vt eadem ratione ex alijs qui sequuntur locis argumenta elicia-mus. Huic autem primo loco est proximus ille titulus qui à Beato Paulo, Christo tribuitur vt dicatur secundus Adam respectu primi, sed sicut magna est distantia inter primum, & secundum Adamum; Ita argumentatur Paulus, multum debere inter filios primi, & secundi Adæ differre, sicut in Adam inquit, omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, factus est primus Adam in animam viuentem, Nouissimus in spiritum viuificantem, primus Adam de terra terrenus, Secundus Adam de cœlo cœlestis. Ex quo sic argumentatur, Qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales, & cœlestes. Et iterum ex his præmissis rectè sequelam infert, Ergo sicut portauimus imaginem terreni, portemus & cœlestis, & alibi renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deũ creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. *1. Cor. 15.* *Eph. 4.*

Dignitas, & nobilitas Christi. Cap. III.

SI suprema Christi Domini dignitas, & inæstimabilis præstantia, populis cum ea quæ decet, maiestate proponatur, magnam vim habebit oratio, & præclaros ad omne bonum motus in Christianorum pectoribus excitabit. Sumamus exempla præsertim ex D. Paulo, in Epistola ad Hebræos; multa initio de Christi nobilitate ponit, ex quo argumenta varia ducit. multiphariam (ait) olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portans omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis; Et alia dicit, quibus illum hominem Deum merito præfert omnibus Angelis, eo quod ipse sit verus filius, Angeli vero solum ministri, qui eum adorent. Ex his ergo rectè argumentatur, quam teneamur eius legi cum omni subiectione atque integritate parere; propterea inquit abundantius oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustã mercedem *Hebr. 12.*

Christi nobilitas magnus stimulus.

cedem retributionis, quomodo nos effugiemus si tantam negle
xerimus salutem. Deinde cum in 3. cap. ostendisset, Christum
tanto Moyse esse digniorem, quanto dominus seruo præstat, ex
Cap. 4. his ad Dei timorem hortatur, Timeamus ergo (ait) ne forte,
relicta pollicitatione introeundi, existimetur aliquis ex vobis
deesse, etenim & nobis nunciatum est, quemadmodum & il-
Ibidem. lis; mox etiam hortatur ad fidem subdens, Festinemus ergo in-
gredi in illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredu-
Ibidem. litatis exemplum; Ad spem etiam, ac fiduciam in Christo col-
locandam, Habentes ergo (inquit) Pontificem magnum qui pe
netrauit cœlos Iesum filium Dei, teneamus confessionem. Et
adhuc ad Orationem; Adeamus ergo cum fiducia ad thronum
gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus
Cap. 1. in auxilio opportuno. Ad Coloss. præmittit quid ab eis maxi-
mè optet, quæ est quasi conclusio, Non cessamus (inquit) pro
vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione volun-
tatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambule-
tis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructi-
ficantes, & crescentes in scientia Dei. Vt hoc imprimat propo-
nit Christi dignitatem, vt quasi ex præmissis quod intendit in-
ferat dicens, Gratias agentes Deo, & patri qui dignos nos fe-
cit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de po
testate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suę,
qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ,
quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra; Et
ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & his alia adiun
git. Ex quibus argumentum efficax assumens rursum vrget
eos, Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in
operibus malis, nũc autem recõciliauit in corpore carnis eius,
per mortem exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irrepre-
hensibiles coram ipso, si tamen permanetis in fide fundati, &
Cap. 3. stabiles, & immobiles à spe Euangelij quod audistis. Ad Phi-
lipp. docet suo exemplo omnia contemnenda propter Christi
maiestatem. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum pro-
pter Christum detrimenta, veruntamen existimo omnia detri-
mentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domi-
ni mei, propter quem omnia detrimentum feci, vt Christum
1. Ioan. 1. lucrifaciam. D. Ioan. statim eamdem dignitatẽ proponit Ec-
clesiæ dicens, Quod fuit ab initio, quod audiuimus, & vidimus
oculis nostris, & perspeximus & manus nostræ cõtrectauerunt
de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus & testamur,
& an-

Digitized by Google

& annunciamus vobis, ſed quorſum hæc? Vt & vos (inquit) ſocietatem habeatis nobiſcum, & Societas noſtra ſit cum Patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto; & hæc ſcripimus vobis vt gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum. Ex hoc iterum colligit, ſi dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum illo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & iuſtus vt remittat peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate, & addit Filioli hæc *Cap. 2.*
ſcribo vobis vt non peccetis, Ipſe etiã æternus Pater vt mundũ *Matth. 3.*
totum ad filij ſui amorem, & obedientiam trahat, de cœlo clamat, Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ergo ipſum audite. Optimum argumentum, nam ſi eſt filius, & dilectus Deo Patri, cur non ſit & nobis? Si Pater ait, Hic eſt filius meus dilectus, cur non & ego dicam, hic eſt pater meus dilectus, dominus meus, amicus meus, ſponſus meus dilectus? Si in eo complacet cor Dei Patris, cur non & noſtrum? cur non & ego dicam, In quo mihi cõplaceo, quia eſt theſaurus meus, delicię meæ, hæreditas mea, & omne bonum meum? & ſi ipſe totus eſt meus, cur non & ego ſim quantus quantus ſum, totus ipſius? vt ei ex præcepto Dei Patris obſequar in omnibus? quo argumento etiam D. Petrus vrebatur teſtis oculatus ad ſuos au- *2. Pet. 1.*
ditores in eundem finẽ, vt ipſe ſignificat his verbis, Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.

Adoptio filiorum, & communicatio bonorum.

Cap. IV.

TErtius locus ſit Adoptio filiorum Dei, quam Deus, & ipſe filius Dei naturalis cum Spiritu ſancto in nobis operatus eſt, quæ eſt ſumma gloria Chriſti, vt nos fratres ſibi, tot filios Patri adoptarit. Quam dignitatem Paulus explicat, Nos, *Galat. 4.*
ait, cum eſſemus paruuli ſub elementis mundi eramus ſeruientes, ideſt ſub primis rudimentis, antiquæ legis; At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Vide & aliam ſubdit dignitatem priore non minorem. Quoniam autẽ eſtis filij, miſit Deus Argumenta ex hoc loco.
ſpiritum filij ſui in quo clamamus Abba Pater. Ex hoc loco optimum ſumitur argumentum, vt ſi filij Dei ſumus, Chriſtiq;

fra-

fratres, eiusque spiritu constamus, ita viuamus vt simus tanto patre, tali que fratre digni, & tanto spiritu fruamur: Hoc Paulus docet ad Rom. quos præsciuit, & prædestinauit conformes
Rom. 8. fieri imagini filij sui; quæ imago in hoc consistit, vt sicut Christus est imago, idest filius Dei verus, & naturalis, ita nos huic imagini, per hanc filiorum adoptionem, & morum sanctitatem dignã filijs adoptatis, ipsi primogenito naturali conformemur: Sicut explicans hanc conformitatem subdit Paulus, vt sit ipse primogenitus inter multos fratres. Et addit quod si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: Sed audi quam conditionem subijcit, si tamen compatimur, vt & cõ-
Rom. 5. glorificemur. Et iterum gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, id est, sumus quidem filij per gratiam, nondum per gloriam, & tamen in hac spe per Christum gloriamur. Et addit ex hoc nasci aliam gloriationem, quod scilicet gloriamur in tribulationibus, quas & libenter patimur cum Christo, & pro Christo, adeo vt etiam gloriemur in eis, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia spem, spes non confundit. Iterum ponit, & tertiam gloriationem; Gloriamur, ait, in Deo per Iesum Christum, hoc est expectamus opem Dei adfuturam, & hoc cum quadam animositate, & gloriatione; nã licet nos per nos indigni simus, tamen pretium à Christo solutum, est tanti valoris, vt quasi gloriabundi non in nobis ipsis, sed in Christi meritis, ac dignitate, expectemus, & auxilia non defutura, & gratiam, & gloriam, cum simus tanto honore à Christo dignati, & tanti valoris sanguine redempti, vt non debeat nos præteritæ seruitutis pudere, propter pretij quo empti sumus æstimationem.

Participatio bonorum Christi.

Quarto ex eadem dignitate Christi, & adoptionis filiorum sequitur alius locus ad argumenta eruenda feracissimus, scilicet communicatio, & participatio quam per Christum, & in Christo, & à Christo habemus diuitiarum, & thesaurorũ eius, qua ex parte cogimur quodammodo tantæ gratiæ tantisq; opibus à Christo acceptis respondere, nisi execrandæ cuiusdam ingratitudinis pœnas luere grauissimas velimus. Audi Pauli
1. Cor. 1. eloquentiam. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Iesu, quod in omnibus diuites facti estis in illo, ita vt nihil vobis desit. Et addit, Fidelis Deus per quem vocati estis in societatẽ filij eius, societas hic significat communicationem bonorum, nam Græcè est Κοινωνία idest communicatio. Elegans hic locus est vt aperiat diligens

orator

orator auditoribus; Primum quidem quomodo Christus omnium bonorum suorum participes nos fecerit, vt sicut ipse est filius Dei ita nobis, vt testatur Ioan. in Euangelio suo, potestatem dederit filios Dei fieri, & non confunditur nos vilissimos homuneiones fratres vocare, & patrem suum nobis communicare, vt dicat, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; & fecerit nos hæredes suorum meritorum, cum dixerit, Hic est calix noui & æterni testamenti qui pro vobis, & pro multis effundetur; vt bene argumentatur, & cum gloriatione Paulus refert, Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Christi. Secundum etiã quod quicquid gratiæ habemus à Deo per huius hominis merita nobis confertur, nam qui sunt prædestinati, ex eius præuisis meritis eliguntur, gratiæ per Christum ad nos veniũt, de plenitudine enim eius omnes accepimus gratiam pro gratia; Remissio peccatorum per Christum est. Carissimi nolite peccare, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; gloriam beati ab ipso, & per ipsum agnoscunt, ob id in Apocal. ponunt coronas ante pedes agni. Ex his quid debeat colligere prudens concionator, & auditores admonere non est difficile: Certè oportebit magnum gratitudinis, ac reuerentiæ, & laudis spiritum efformare, vt & Deo omnipotenti, & Christo homini respondeamus. Deinde discamus quicquid à Deo petimus per Christum efflagitare, sicut Christus expressè nos docet, quicquid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis; quod fiet si Patri filium offeramus dilectum, eius merita, labores, passionem, sanguinem, mortem, virtutes tam illustres, zelum gloriæ Patris, obedientiam, amorẽ, humilitatem. Ex hoc loco sic ratiocinatur Paulus ad Ephes. cum ait, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus (& hoc) in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. Huc tendit omnis benedictio, & donorum collatio per Christum; & propterea subdit, Et ego audiens fidem vestram quæ est in Domino Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ, gloriæ hæreditatis eius in Sanctis, toto cap. 2. & 3. magnificè hęc

Cap. 1. Hebr. 2. *Ioan. 20.* *Matth. 26* *Marci 14.* *Rom. 8.* Omnes gratias per Christi merita habemus. *Ioan. 1.* *1. Ioan. 2.* *Cap. 4.* *Cap. 1.*

Digitized by Google

Dei dona gentibus facta prædicat ex quibus infert quam sancti
Cap. 4. Deo, & Christo viuere debeant, Obsecro, ait ego vinctus in Domino vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate, atque mansuetudine cum patientia supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, & quæ sequuntur omnia ad mores pertinent, ac vitæ sanctimoniam, ex ijs principijs tamquam necessarias conclusiones, vsque ad finem Epistolæ deducit. Sepissime ita argumen
Rom. 11. tatur hic diuinus præco, omnia nos Christo debere, quia omnia bona, ab ipso, & per ipsum habemus, quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso & per ipsũ, & in ipso sunt omnia, ideoque subdit, Ipsi gloria: & iterum ex ipso autem vos estis in Christo Iesu qui factus est nobis à Deo, Sapientia (illuminans scilicet intellectum) & Iustitia, (rectam faciens, & ordinatam voluntatem,) & sanctificatio (sanans, animæ omnes affectus, & passiones) & Redemptio, à peccato videlicet, morte, Inferno, ac dęmonum tyrannide. Ex quo rectè infert, nihil omnino gloriandum in nobis, sed in solo Deo, & Christo, vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur. Adde Christum esse Alpha, & Omega, principium ac finem om-
Apoc. 22. nium bonorum, Ergo ab eo agnoscendum omne bonum, & quicquid est salutis, & Iustitiæ, gratiæ, seu gloriæ ei offerendum, ab eodem petendum, & expectandum.

Christus Redemptor, & Dominus. Cap. V.

AD maiestatem Christi, & Officij dignitatem, pertinent multi tituli, quos Sacræ Literæ Christo assignant qui nobis erunt ad argumenta optima, fęcundissimi loci. Et sit Pri-
Titulo Redẽptionis Christo debitores sumus. mus titulus Redemptoris, ac liberatoris. Hoc sanè titulo, quicquid sumus Christo debemus ascribere, qui nos a grauissimo seruitutis iugo liberatos in diuinam quandam asseruit libertatem, præsertim si ipsius liberatoris nostri, qui est homo diuinus, & Deus homo factus, in hunc finem, nobilitatem aduertamus, si grauissimam generis seruitutem, qua vt captiui, pessimo domino qui est demon seruiebamus, consideremus, si pretij valorem quo sumus redempti, expendamus. Cum enim potuisset
Pretium Redemptionis quã magnũ. quocumque suo opere ac leuissimo etiam labore, liberare, tamen grauissimum mortis genus subire, & copiosum sanguinem maluit effundere, vt ex pretij æstimatione, amoris erga nos, immensitatem metiremur, sic per crucem deleuit chirographum

phum decreti affigens illud cruci, dum propriam carnem affixit, sic veterem hominem crucifixit, dum suummet corpus cruci est affixum, sic corpus peccati destruxit, dum suum, ignominiosè illudendum, & flagellis percutiendum, occidendumque obtulit. Bene id expendens D. Ansel. colligit quantam á nobis hoc tantum beneficium exposcat gratitudinem, Quid ait misericordius dici potest, quam quod Pater æternus filium suum mittens dicat homini, Accipe filium meum vnigenitum & da pro te, & filius dicat homini Accipe me, & redime te.] Sicut si magnus aliquis princeps, pro te redimendo, se ipsum liberalissimè offerret in seruitutem atque adeo mortem quantum ei omnino deberes? Ex hoc loco sæpe argumenta sumit D. Paulus, dum aliquando, Dei erga nos misericordiã, & charitatem magnificat, Deus ait qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo Cuius gratia estis saluati, vt ostenderet in sęculis superuenientibus, abundãtes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. Aliquando Modum redemptionis admiratus: quia (inquit) pueri communicarunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium & liberaret eos qui per totam vitam obnoxij erant seruituti. Ex his rectè ratiocinatur ad Cor. Non estis vestri, Empti enim estis pretio Magno, Ergo bene subdit, glorificate, & portate Deum in corpore vestro, Et rursum pretio empti estis. Vnde colligit nolite serui fieri hominũ, hoc est nolite propter homines, Dei seruitutem tam nobilem parui pendere. & ad Rom. liberati a peccato, serui autem facti iustitiæ, habetis fructum vestrum in sanctificationẽ, finem autem vitam æternam. Et D. Petrus. Non corruptibilibus (ait) auro vel argento redempti estis de vana vestra cõuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati & assignat finem huius diuinæ charitatis, vt fides vestra, & spes esset in Deo, animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentius renati, nõ ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei viui. Secundo huic similis efficaciæ est titulus Domini; si enim pretio nos redemit, Ergo nouo titulo serui eius sumus, quo titulo maximè se honestare vult, & gaudet Paulus in principio suarum Epistolarum, cum magna gloria & gaudio seruum se Iesu Christi appellans

Lib. 2. Cur Deus homo cap. 20.

Eph. 2.

Hebr. 2.

1. Cor. 6.

Cap. 6.

Rom. 6.

1. Pet. 1.

Christus est noster Dominus.

Gal. 6.

Digitized by Google

gloriatur se vt seruum Christi signatum, stigmata Domini portare in corpore suo, & ijs seruitutem suam palam profiteri; Et quidem Christus non solum vt Deus, sed etiam secundum humanitatem ratione vnionis dominium habet uniuersorum, sed maximè in Cruce dominium hoc acquisiuit suo sanguine, vt vere dicatur quia Dominus regnauit à ligno. Ex hoc loco sæpe argumentari licebit, vt non pudeat nos seruos facere quod Dominus dignatus est ipse præstare; quare Apostolis ait, Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim, si ergo ego magister, & Dominus laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Si est Dominus ergo eius verba, & attentissime audire, & diligentissime oportet nos seruare, vt animo promptissimo semper eum intuentes dicamus cum Samuele, loquere Domine quia audit seruus tuus; & cum Isaia, Ecce ego mitte me; Et cum Augustino da quod iubes, & iube quod vis, etiamsi percutiat nos, æquo, imo, alacri animo omnia de manu eius tolerenemus, dicentes, Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. Et cum Iob, Dominus dedit Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Si Dominus pro seruis iniurias easque grauissimas æquo animo passus est multo magis pro Domini gloria seruus patiatur necesse est. Si me persecuti sunt & vos persequentur, Non est seruus supra Dominum, debet plane seruus totus Domino esse addictus, eique viuere, ita Christo omnes Christiani, vt Recte docet Paulus Christus pro omnibus mortuus est, vt & qui viuunt iam nō sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & post parabolam seruientis Domino, infert Christus, Nunquid Dominus gratiam habet illi seruo, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto: sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus, facere fecimus.

Titulo seruitutis quam ſi debeamus Christo Domino.

Ioan. 13.

1. *Reg.* 3.

In Conf. Li. 10. *c.* 36

1. *Reg* 3.

Iob. 1.

Ioan. 15.

1. *Cor.* 5.

Luc. 17.

Mediator, Rex, pastor, & Aduocatus. Cap. VII.

1. *Tim.* 2.

TErtio gaudet Christus mediatoris titulo, vt Paulus vocat, vnus Deus, vnus, & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus. Optimè autem Medij ac mediatoris ei conditiones conueniunt, nam secundum philosophos vt aliquid dicatur medium inter duo, debet primo ab extremis distare, debet secundo de vtroque extremo participare, & aliquam cum vtroque affinitatem habere, & tertio in eo extrema debent simul conuenire, quem-

Mediatoris tres cōditiones.

Digitized by Google

quemadmodum ob has tres proprietates, inter ſpirituales ſubſtantias, & corporeas medium quid eſt homo. Certè Deus & homo maximè diſtabant, ſed ecce filius Dei idemque Deus, homo factus eſt, vt homo, eſt patre inferior, vt Deus, homine ſuperior, quæ eſt prima proprietas; participat deinde ex Deo infinitatem, gloriam, omnipotentiam, ex homine naturam, pœnas, mortem, quod eſt ſecundum; ſunt autem hæc duo ita vnita vt ſit vna perſona, idemque Chriſtus verè dicitur mortalis, & immortalis, finitus, & infinitus, in eo maieſtas diuinitatis, & humanitatis miſeria vnitæ, quod eſt tertium: Itaque optimus eſt mediator, & Deum homini vnire potuit, & homine Deo. Quis tantum mediatorem non celebret? non æſtimet, non amet? per quem cum tanta dignitate Deo reconciliati, atque adeo tanto nexu colligati ſumus in ipſomet Chriſto, & per eiuſdem ſanguinem ad Dei amicitiam reuocati? Quare Paulus antequam titulum mediatoris Chriſto attribuat, ait; Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, ideſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta: poſtea ſubdit, Et ideo noui teſtamenti Mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento repromiſsionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hereditatis. Itaque nos per hunc mediatorem non ad terrena bona, ſed ad æternam hæreditatem vocati ſumus; propter hoc Chriſtus vt teſtamentum firmaret mortem, ſubijt, per quam nobis hæreditas ſuccederet, modo ea præſtemus quæ à nobis noſter Mediator exigit, alioquin hæreditate priuandi. Quarto Rex noſter Chriſtus eſt, cuius maieſtatem deſcribit Hierem. Ecce dies veniet dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra, & hoc eſt nomen quod vocabunt, Dominus (in Hebræo eſt nomen Dei IEOVA) iuſtus noſter; ergo vt Deum adorare debemus & colere, & quia homo, ſapiens & iuſtus, eius legibus parere. Et Zachar. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, humilis, & pauper: Turpe eſt nobis non ſequi mores noſtri Regis, & non induere eundem cum ipſo habitum; & quia ſumus regnũ eius, debemus ſeruare quod Paulus docet Regnum Dei non eſt eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax in Spiritu ſancto; Et cum ſimus de Regno Chriſti, debemus fugere Regnum mundi, cum ipſe dixerit coram Pilato,

Hebr. 9.

Chriſtus eſt Rex noſter.

Cap. 23.

Cap. 9.

Rom. 14.

Ioan. 18.

Regnum meum non est de hoc mundo, non enim licet nobis vtriusque vexillum sequi, sed alterutrum necessario est sequendum. Quinto in scripturis sacris Christus nomen habet Pastoris, quem oues, & amare, & agnoscere, & sequi debent: ipsemet se pastorem, & pastorem bonum vocat, & tam bonum, & amantem ouium, vt etiam animam pro ouibus posuerit, quidni & oues pro pastoris sui gloria, pelles atque adeo vitam ponant? oues certè Christi summi pastoris illi sunt qui vt ipse apud Ioā. docet cognoscunt pastorem, sicut & ipse cognoscit oues, & vocem eius audiunt, & sequuntur illum. Oues debent in bono pastore confidere, & eius virtuti adhærere vt a lupis defendātur, & dicant, Dominus regit me, vel vt alij legunt, Dominus pastor meus nihil mihi deerit, & quæ sequuntur. Debent à pastore regi, & in eius pascuis esse continuo, Vnde Ezechiel dicit suscitabo super eas pastorem vnum qui pascet eas seruum meū Dauid, & ipse erit eis in pastorem, & faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra. Et concludit totum caput, vos autem greges mei pascuæ meæ, homines estis, & ego Dominus Deus vester dicit Dominus Deus: quasi dicat ego vos pascam, ego vestri curam geram, modo vos cognoscatis vos homines esse, & me audiatis Dominum Deum vestrum. Ex hoc loco D. Petrus hortatur Christianos abstinere à carnalibus desiderijs, conuersationem inter gentes habentes bonam; Et addit multa alia documenta quæ omnia illo argumento nituntur, Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. Sexto, Aduocati etiam munus pro nobis gerit vt homo apud Patrem suum, non solum, vt Paulus ait, In diebus carnis suæ preces supplicationesq; cum clamore valido, & lachrymis offerens, sed etiam assistens nunc vultui Patris ad dexteram eius: ostendit aduocatus Patri pro nobis latus, & vulnera, quorum in hunc finem cicatrices perpetuò seruat sicut idem Paulus ait, Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Quare merito Ioan. hortatur ne sub tali aduocato desperemus in causa nostra, Filioli, ait, hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed si quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Et Paul. Non enim accessistis ad tractabilem montem, & ignem accensibilem, & turbinem, & caliginem, & procellam, sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis,

Christus Pastor.

Io. c. 10.

Cap. 34.

1. Pet. c. 2.

Aduocatus noster Christus.

Hebr. 5.

1. Ioan. 2.

Hebr. 12.

Hieru-

Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, & testamenti noui Mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel; Ex quibus bene infert, Videte ne recusetis loquentem si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus. Ex hoc Cyprianus docet Christianos eiusdem aduocati verbis in precibus vti, Amica, (inquit) & familiaris oratio est Dominum de suo rogare, & cum ipsum apud Patrem Aduocatum habeamus pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri verba promamus. De Orat. Dominica.

Alij Tituli Christi. Cap. VII.

IN hunc modum licebit Oratori Christiano ex innumeris Christo conuenientibus titulis argumenta varia deducere ad multa persuadenda: longum esset in singulis immorari. Est enim præterea Christus noster Dux, Saluator, Protector, Magister, Via, Veritas, Vita, Lux, Ostium, Pax, Fons, Signaculum, Amicus, Frater, Sponsus, Hæres vniuersorum, denique omne bonum nostrum. Ex his titulis quam magna existit argumentorum seges? Dux est & nos eius milites, ergo debemus in nomine Iesu & virtute eius, non nostra, acriter, & alacriter, non solum aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus spiritualia nequitiæ pugnare, sperantes & nos cantaturos cum Paulo Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum: & poterimus hortari etiam alios, vt Paulus subdit ibidem. Itaque fratres mei dilecti stabiles estote, & immobiles abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Est Saluator, ergo ab eo habemus gratiam, quæ est salus animæ iustificatæ, & gloriam quæ est merces æterna in cœlo. A Christo habemus gratiam iustificationis, & remissionis peccatorum, quod est summum beneficium: habemus ex eiusdem Christi meritis donum Perseuerantiæ, & vt opera nostra merendi vim consequantur, tum maioris gratiæ, tum ipsius beatitudinis augmentum. Sed hæc omnia ita habemus à Christo, vt nostra cooperatio sit necessaria vt Christi merita nobis applicentur, alioquin nil proderit nobis Saluatoris industria. Ideo sapienter Paul. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, nõ ex operibus

Christus Dux. 1. *Cor.* 15.

Saluator. *Tit.* 3.

ribus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Istud est esse Saluatorem. Sed hæc verba iungenda cum his quæ dixerat de eodē Saluatore, Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus; quid hinc colligere debeamus subijcit, erudiens nos (ait) vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc sæculo; Vide quid à nobis requirit Saluator, vt salus, quam nobis ipse suo sanguine acquisiuit, nobis valeat. Et tu Concionator aduerte quid Paulus à te postulet, Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio, nemo te contemnat. Est Protector noster, non modo qua parte est Deus, sed item vt homo etiam nunc sedens ad dexteram Patris, Si Deus (ait Apostolus) pro nobis quis contra nos? & subdit. Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis; quasi dicat, Deus certè non accusat, sed iustificat: Christus planè non condemnat, quia pro nobis est mortuus & postea resurrexit, & nunc ad dexteram Dei etiam pro nobis interpellat. Vide quam merito si grati esse volumus, debemus cum Paulo dicere quod mox adijcit, quis ergo nos separabit à charitate Christi; Et propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis, & in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Magister est & doctor, & talis vt exemplo, & doctrina nos doceat, quia Actor: Primo dicitur, cępit prius facere, deinde docere; & nos debemus illud Isa. tenere erunt oculi tui videntes præceptorē tuum; & exultare, vt dicitur apud Ioelē, in Domino Deo nostro, quia dedit nobis talem doctorem iustitiæ; & gaudere quoties audimus, dixit Iesus discipulis suis, & inuicem adhortari, vt dicitur apud Isa. Erit mons domus Domini, & eleuabitur super omnes colles, & current ad eum omnes gentes, & dicent, Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: Hæc est via ambulate in ea, & nō declinetis neque ad dexteram neque ad sinistrā. Si est veritas ergo ei credendum omnino ne erremus. Si vita ergo viuamus in eo, vt possimus cū Paulo dicere, viuo autē iam non ego, viuit vero in me Christus; & cum eodem sperare vt de

Cap. 2.

Protector noster Christus. *Rom. 8.*

Magister noster Christus. *Actor. 1.* *Isa. c. 30.* *Ioel c. 2.*

Isa. c. 2.

Christus Via Veritas, & Vita. *Isa. 30.* *Ioan. 14.* *Gal. 2.*

nobis

Digitized by Google

nobis quoque dicatur, Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. cum autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria; sed necesse est id præstare quod Apostolus eo loco congruenter subiungit, mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram fornicationem &c. *Coloss. 3.*

Christus lux est vt ipse ait, Ego sum lux mundi, ergo sequamur hanc lucem, nam ipsemet subdit, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sicut ambulauerunt, & ambulant qui hanc lucem non sequuntur; præsertim quod sequentes lucem, nõ solum pellunt tenebras, sed & ipsi fiunt lux alijs, vt Paulus ait, Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, Et Discipulis Christus ait. Vos estis lux mundi. *Ioan. 8.* Christus lux. *Eph. 5.* *Matth. 5.*

Ostium est per quod debent intrare qui saluandi sunt. Ego enim ait Saluator sum ostium ouium, si quis per me introierit saluabitur, qui autem non intrat per ostium fur est, & latro, Non enim est aliud nomen in quo oporteat nos saluos fieri, Ipse est Pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Est fons patens in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, ad quem, confugiendum vt abluamur a sordibus animæ, Est Signaculũ vt dicitur in Cant. pone me vt signaculum super cor tuum, super bracchium tuum. Ambros. Signaculum Christi in fronte est, signaculum in corde, signaculum in bracchio, In fronte vt semper confiteamur, in corde vt semper diligamus, in bracchio, vt semper operemur. Est Amicus, Vos autem dixi amicos quia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Igitur oportet nos cum Christo, fidelis amicitiæ leges, summa cura, & affectu seruare, ita vt si opus sit etiam vitam pro amico exponamus, sicut ipse pro inimicis vt amicos faceret suam posuit, Si cum inimici essemus reconciliati sumus per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Est frater noster, & a Paulo vocatur Primogenitus in multis fratribus. Vide quanta dignitas habere fratrem talem qui est filius Dei naturalis, & quantam sanctitatem à fratribus merito exquirat talis primogeniti excellentia. Est sponsus, Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia Ego Dominus; Cui titulo seruit totus liber Cantic. Vide quanta cura debeat Ecclesia, & quælibet anima hunc spõsum honorare, magnificare, ac diligere toto corde, tota anima totisque viribus. Est à Deo Patre constitutus Hęres vniuersorũ vt dicitur à Paulo, ergo ex bona sequela debeo intelligere totum me quantus quantus sum ad eius hæreditatem pertinere vt me- Ostium. *Ioan. 10.* Fons. *Actor. 4.* *Eph. 2.* *Zach. 13.* Signaculum. *Cant. c. 8.* *De Isaac, cap. 8. in c. 26. Gen.* Amicus. *Ioan. 15.* *Rom. 5.* Frater. *Rom. 8.* Sponsus. *Ose. 2.* *Heb. 1.*

vt meritò habeat reus occupatæ alienæ possessionis, si non ei me totum tradam. Denique vno verbo dici potest, Christum esse totum nostrum bonum, ex quo nobis omnia, per quem omnia, & à quo omnia, & vt dicamus sicut quædam anima. Christo vnita, quærentibus qualis est dilectus tuus, quia sic adiurasti nos, respondit in Cantic. Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus, & totus desiderabilis, vel vt habet alia versio ex hebraica lingua totus desideria, hoc est, quicquid in se habet nostra desideria ad eius amorem, & seruitutem inflammat. Addamus ex Ambrosio, vbi explicans illud: Speciosus forma præ filijs hominum, de Christi pulchritudine agit: Vide, ait, vt eius consideratione fiat speciosa anima nostra, & delectetur, & pinguescat, & fœcundetur, & diteſcat: hic est thesaurus noster, hic vita nostra, hic sapientia nostra, iustitia nostra, pastor noster, & pastor bonus. Vide quanta bona in vno bono.] Pulcherrimè item hunc locum tractat S. Paulinus Nolanus Episcopus, Ergo (inquit) illum amemus quem amare debitum est, illum osculemur, quem osculari, castitas est, illi subijciamur, sub quo iacere, supra mundum stare est, propter illum deijciamur, cui cadere resurrectio est, illi commoriamur in quo vita est. Et alia subijcit multa, quibus probat Christum omnia sua, & nomina, & bona nobis communicasse, & omnia nobis esse Christum.

Christus omne bonum nostrium.

Cap. 5.

Epist. 11. *Psal.* 44.

Ep. 4. *ad Seue. ad finem.*

Quomodo dilatari possint, aptèque tractari ad motum, argumenta petita ex Titulis Christi & nominibus, quæ illi nos obligant. Cap. VIII.

POst allatos Christo conuenientes titulos, placet explicare modum aliquem, quo ex his tamquam locis, argumenta sumere, ac eadē possimus amplificare. Tria sūt capita, ad quæ reuocari possunt omnia, per quæ mouere nos alij solent ad quidpiam agendum. Primum Exempla, Deinde Verba, postremo Facta; quæ quomodo ab exemplis hoc loco distinguantur, infra explicabitur. Exempla vim maximam, siue dubio habent, siue sodalium ac parium inter se, siue superiorum apud inferiores. Et potest ratio afferri, cur tantum exempla valeant, Et ostendi eorum vis, authoritate sapientum, & ipsismet exemplis, tum sacris tum prophanis. proclive est filio imitari parentes, discipulo magistrum, populari principem, Militi Ducē, sodali & amico, amicum atque sodalem, ac generatim omnibus

Tria sunt quæ nos ad aliquid faciendum mouent.

Exēpla Christi maximè imitanda.

Digitized by Google

nibus insigne in aliqua re personam. Cum igitur sit nobis Christus hęc omnia, non imitabimur illum? Afferri poterunt cõparationes ex historijs, in quibus ostendatur, quid fecerint vel filij, vt parentes, vel discipuli vt magistros, vel populi vt suos principes, ac reges, vel milites vt suos duces, vel amici vt amicos imitarentur: Tum ostendetur, quanto sit magis Christus imitandus, nempè vt pater tanto præstantior, amantiorque: Magister tanto sapientior ac melior, eodemque modo in alijs colligendo multa, quibus exemplorum Christi, & aliorum, ostẽdatur & sub oculos subijciatur disparitas. Deinde Verba quoque plurimum mouent, siue sint monita & consilia, siue iussa ac leges, siue oracula, siue etiam vt preces. Considerentur autem etiam hic omnes tituli illi. Amicorum consilia apud amicos valent, præcepta magistrorum atque parentum apud discipulos ac liberos, legislatorum ac principum leges apud populos, Iussa ducum apud milites, Oracula apud omnes. Quã igitur vim apud nos habere debebunt hæc omnia? Et consilia talis amici, & præcepta talis Magistri ac patris, & leges talis legislatoris ac principis, & iussa talis ducis, & Oracula veri Dei? Hæc quoque amplificanda erunt, comparatione eorum, qui magnum aliquid fecerint ob consilia, aut monita aliorum, vel vt præcepta & iussa seruarent, & ostendendum quanto sit æquius nos parere Christo, Et explicandum, quomodo, accipienda eius verba, & consilia & monita, & iussa qua veneratione audienda, quanta cura studioq; seruanda. Quamquã hic & alij tituli locum habẽt, vt medici humani generis, vt docẽtis ar cana, ad inueniẽdos thesauros, & plumbum aliaq; metalla, imo terram & saxa, in aurum commutanda, comparando illud studium quo cupidi sanitatis, vel diuitiarum, obediunt medicis, vel promittentibus inuentionem thesaurorum & artem Alchimiæ, cum eo studio, quo nos Christi præcepta sequi debemus, qui sapientissimus medicus est, & non solum, perfecte omnia scit, sed & potest omnia, & vult propter nos.

Verba solent mouere.

Christi verba multum apud nos debent valere.

Postremò cõsideranda sunt facta, quæ vt distinguũtur ab Exẽplis, sunt actiones ipsæ, prout significant rem aliquam valde cordi esse ei, qui propter eam rem, actionem talem aggreditur: Vt magnum amorem, erga Rachelem, significat Iacob, qui propter eam, non renuit, post septenniũ seruitutis, alterum seruire septennium. Magnã habendi regni, insaniam ostendit Absalon, qui contra ipsum patrẽ & talem patrẽ rebellat. Idẽ est si aliquis pater, vt filium vt ab aliquo incepto reuocaret, magnam præse-

Facta habent mouẽdi vim.

ferret

ferret mæſtitiam, adhiberet lachrymas, nollet comedere, nollet ſomnum capere, nollet, lucem videre. Item ſi Rex, vt à populari ſuo aliquid impetraret non ſolum allegaret nobiles viros, ſed ipſemet magno cum incommodo adiret, magnoque impendio & magna quaſi iactura dignitatis ſuæ. Conſiderentur igitur omnia Chriſti opera hoc modo vt facta, ad impetrandum à nobis ſalutem noſtrã vt ne peccemus: vt ne pereamus in æternũ & conſiderentur quæ fecit, vt ſunt e cælo in terram deſcenſus, præſepe, fuga in Aegyptũ, Triginta trium annorum ærumnæ, paupertas, Crux denique &c. Deinde cõſiderentur tituli omnes. Talia fecit amicus pro amico, talia Dominus pro ſeruo, talia pater pro filio, Magiſter pro diſcipulo, Dux pro milite, Rex pro viliſſimo populari. Sed hic quoque maximam vim habent comparationes ſimilium factorum, ad rem ante oculos conſtituendam. Quærenda igitur erunt facta aliqua, quibus alij adducti ſint, ad gratificandum ijs, qui per ea facta aliquid intendebant vt B. Pater noſter Ignatius, vt amicum a flagitio reuocaret, demerſit ſe in frigidum ſtagnum quà erat amicus tranſiturus, & ea re is ita eſt commotus vt reſipuerit, Chriſtus dominus quid fecit? abiecit ſe in vile ac nudum præſepe inter belluas. poterit Concionator illud prꝫcipuè factũ explicare, quod Euangelium præſentis diei, ac tempus proponit. In his autem comparationibus licebit, quoque aliquas ex ipſo Chriſto & Deo accipere, quæ magnam habent vim, oſtendendo, quid propter noſtra opera & facta, ipſemet Chriſtus & Deus fecerit. Sit exempli gratia: Chriſtus dominus valdè commotus eſt, facto eorum, qui per tegulas paralyticum demiſerunt, & hominem curauit. Valdè item commotus perſeuerantia Chananeæ, & Turbæ quæ iam triduo ſuſtinebat eum in deſerto, & lachrymis Magdalenæ fratrem ſuum flentis &c. Et his omnibus, ſtatim opem dedit, & nos Chriſti fames, Chriſti lachrymæ, Chriſti in vocandis nobis perſeuerantia, & deſcenſus è cœlo non mouebit? Obedientia Abrahæ quantopere commotus eſt Deus qui dixit quia feciſti rem hanc &c. Et nos conſiderantes à Deo ipſo filium vnicum, talemque filium, traditum ad mortem cauſa noſtra, & verè ſacrificatum non dicemus. Quia feciſti rem hãc, & non pepercisti filio tuo dulciſſimo & vnico, propter nos, & nos erimus tui in æternum, & multiplicabimus gloriam tuam, quantum in nobis erit in terris, & in gentibus omnibus per vitam & mortem. Animaduertendum eſt autem, non omnibus, in vna eademque re, vtendum his titulis, ſed alijs modo, modo alijs,

Facta & opa Chriſti quãtũ apud nos valere debeant.

alijs, vt feret materia, quæ in manibus erit. Aliquando tamen, in graui aliqua re, multorum coaceruatio cum illustribus similitudinibus & exemplis, habebit maximam vim. Deinde ex tribus hisce capitibus, illud caput magis vsui erit, quod magis præsenti tempori quadrabit & loco. Nam si explicatur sententia, vel aliqua Christi doctrina, poterunt considerari, quæ paulo superius in hoc capite diximus de Verbis; si factũ, quod proponitur in Euangelio, sit Exẽplum, poterit exempli modo tractari, vt dictum est: Quamquam, permiscere omnia sæpe, ex vsu erit, & cum agetur de sententia, ostendere, quomodo eam exemplo, & factis etiam suis, conatus sit dominus nobis persuadere. Nam si agatur, verbi gratia, de illo Christi præcepto Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, poterunt hæc verba considerari, vt monitum, vt consilium, præceptum, iussũ, lex, Oraculũ, Amici, Præceptoris, Magistri, Ducis, Regis, Dei, adhibendo comparationes, vt iam diximus. Deinde poterunt considerari exempla Christi, qui rogauit patrem pro inimicis, excepit Iudam: Adhibitis hic quoque comparationibus, & considerando Christi exẽpla sub illis titulis. Postremò afferri possunt facta. Quid enim fecit Christus, vt persuaderet nobis dilectionem inimicorum? Adhoc venit in mundum, id prædicauit, ad hoc passus est &c. Præterea animaduertendum est nullum esse Verbum, aut exemplum aut factum Christi, quod non explicari, amplificari, tractarique accommodatè ad motum, hoc modo queat. Si igitur proponatur nobis, iter faciens, Hoc est exemplum, vt & nos pro Dei obedientia, & animarum salute laboremus, idem est factum, quo significat sibi esse curæ, salutem nostram, propterea enim Amicus ille noster iter facit, pator, & Rex noster, & Dux laborat, quærit nimirum filium, aut militem: Si proponatur prædicans, erunt verba simul & exempla, & facta; Nã hæc ita se habent, vt omnia, exempli, habeant simul & facti vim, facta autem sunt multa, quæ non ita propriè, aliam vim habent, nisi facti, quam diximus vt institutio Sacramentorũ, & quorundam miraculorum vt ficulnea arefacta, permissi porci dæmonum potestati. Porrò miracula, habent omnia vim facti, & quidem maximam. Quid enim potest magis ostendere Deo nostram salutem, charam esse, quam quod etiam miracula faciat, vt nos moueat. quid autem mouere nos poterũt, si non mouent miracula? vbi natura mutatur, vbi potestate quadam supra naturam, & extraordinaria Deus vtitur. Poterit ergo quodcunque miraculum tractetur, ad morale accommodari;

dari; Vt si dicas factum tale miraculum propterea, vt auditores ab hoc vel illo peccato abstineant, vt hanc aliamvè amplectantur virtutem & similia. Postremò, animaduertendum est. Tria hæc dicta capita, scilicet verba, exempla, facta, posse ad tres vias accommodari, propria quadam ratione; Nam & si omnia in omnibus valent, tamen, proprio quodammodo, facta vt potentissima ad Viam purgatiuam pertinent; Verba ad Illuminatiuam, vt quæ docendo profectum iuuant; exempla ad vnitiuam, cum sit liberalis animi, & amantissimi, velle similem esse, amico, patri, regi, duci, magistro.

Mysteria totius vitæ Christi. Cap. IX.

TOtius vitæ Christi Domini mysteria virtutesque eius heroicæ, diuinam quamdam, vt aliqui Patres vocant œconomiam continent, quam diligenter versare debet Diuini Verbi præco, & ex ea ad vtilitatem animarum multa proferre. Tunicam vocat Bernardus cum ait, Agnosco tunicam desuper contextam per totum, quam ex suggestu oportet, per partes euoluere, atque populis Christianis aspiciendam, contemplandamque proponere. Est diuinus liber, vt exponit D. Bern. ser. de septē signaculis, à Deo ex ipsa æternitate confectus, & per multos prius annos septem sigillis signatus, postea vero per ipsum diuinum agnum solutis sigillis apertus, nunc vero explicādus ab euangelico Concionatore. Afferamus iam aliquot locos, sicut superiori capite cœpimus, ex præcipuis tantum mysterijs, ab ipsa Christi æterna prædestinatione initium sumētes. Hæc Christi Domini prædestinatio summum, ac primum omnium donorum Dei est, in qua de vnione filij Dei cum natura humana decretum est, quæ exaltanda erat (vt Augustinus loquitur) tam alte, vt altius non posset, si quidem prædestinatus est Christus homo, vt sit filius Dei ac propterea illi humanitati à Verbo assumendæ in vnitatem personæ diuinæ, tanta gloria communicanda, quanta filio Dei esset conueniens, vt Ioannes testatur, Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre, vt sit vniuersorum hæres, & omnia eius pedibus sint omnino subiecta. Ex hac prædestinatione debet Christianus Orator colligere, quanta veneratione Christus etiam homo à nobis sit colendus, adoranduſque adoratione latriæ, quia ille homo est filius Dei. Deinde intelligant omnes prædestinati, quantum primo prædestinato debeant, & quo dilectionis affectu, qua gratitudinis significatione erga eum affici oporteat, eo quod Christi prædestina-

Christi mysteria sunt œconomia liber & Tunica.

Serm. de Asc.

Serm. 1. de Resurr.

Prædestinatio Christi.

Rom. 1.

Prædestinatio nostra ex Christi prædestinatione.

ſtinatio cauſa eſt, vt omnes alij prædeſtinentur, quicunque à Deo prædeſtinantur. Ea eſt cauſa quare liber vitæ, in quo omnium electorum nomina ſcripta ſunt dicitur in Apoc. liber vitæ Agni, quia ipſe eſt primus in capite huius libri ſcriptus vt dicitur à Paulo referente locum pſalmi; non ſolum primus dignitate electionis, ſed quia ab eo omnium aliorum pendet prædeſtinatio. Licet enim prædeſtinationem aliorum non dicamus ex præuiſis meritis factam, aſſerimus tamen ex Chriſti præuiſis meritis natam. Propterea Paulus elegit ait nos, ſed in ipſo; Vita veſtra abſcondita eſt in Deo, ſed cum Chriſto. Debent ergo omnes electi Chriſtum, primogenitum agnoſcere, & toto cordis affectu eum amplecti, Omnia veſtra ſunt (ait Paul.) vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei; omnia propter electos ſunt, electi autem propter Chriſtum. Nec ſolum hanc primam electionis gratiam Chriſti meritis aſcribere oportebit, ſed item alias quæ conſequuntur, iuxta illam auream gemmeamque cathenam quam texit idem Paulus quos prædeſtinauit hos, & vocauit, & quos vocauit illos, & iuſtificauit, & magnificauit: Vnde etiam merito ſubdit quod cum dedit nobis filium, cum illo nobis omnia donauerit; Ex quo per neceſſariam illationem infert, Quis ergo nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Rurſum ex Chriſti prædeſtinatione debet Concionator inferre, quanta ſanctitate debeant omnes electi ſplendere, ſicut Paulus, cum dixiſſet, Deum elegiſſe nos in ipſo, docet quales eſſe debeamus, vt ſimus (inquit) ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate; hæ ſunt partes electorum.

Cap. 13. *Pſal. 39.* *Epheſ. 1.* *Coloſſ. 2.* *1. Cor. 4.* *Rom. 8.* *Eph. 1.*

Secundus locus ſit Incarnatio Chriſti, & Conceptio in qua VERBVM caro factum eſt. Ex quo myſterio poterit noſter Orator populos inducere, vt in hoc ſacramento pietatis Dei ſummam potentiam, iuſtitiam, ſapientiam laudent, admirentur, extollant: ſed maxime erga nos euidentiſſima diuinæ benignitatis, & amoris argumenta ſumere neceſſe eſt, vde ad redamandum tantum benefactorem accendamur. Paulus ad Tit. Apparuit (inquit) benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Græce habetur φιλανθρωπία. Amor erga homines, cum tanta benignitate de qua Bernardus priuſquam (ait) appareret humanitas, latebat benignitas, promittebatur, ſed non ſentiebatur, verum vbi apparuit humanitas, benignitas latere non potuit præſertim ſi conſideretur illud Cypriani Quid amplius vis ò homo? prius dicebatur Deo, tuus eſt homo, nunc dicitur homini, tuus eſt Deus: Ex quo optimè concludit, ò homo ſufficis tu Deo, ſuffi-

Incarnatio Chriſti.

Serm. 1 de Epiph. initio. *Serm. de Aſceſſione.*

Serm. 64. in Cant. sufficiat tibi Deus.] Et illud Bernardi, Ita ne summus omniũ factus est vnus omniũ? quis hoc fecit? Amor, dignitatis nescius, dignationis dines; Quid amore violẽtius? de Deo triũphat amor; quid tã non violentũ? Amor, quæ est ista vis quæso tã violẽta ad victoriam, tam victa ad violentiam?] Ex eodem loco sancti vrgent ad omne genus sanctitatis post tantum acceptum à Deo beneficium, quantum est; sibi Deum tanta vnione adiunxisse humanam naturam. Egregie D. Leo. Agnosce homo dignitatẽ tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatẽ degeneri conuersatione redire Augustinus sic argumentatur, Deus sequendus erat qui videri non poterat, homo sequendus non erat qui videri poterat: vt ergo haberet homo, & quem videret homo, & quem sequeretur homo, Deus factus est homo.] Etiam antequam Deus fieret homo, ob solam promissionem hortabantur Prophetæ ad vitæ sanctimoniam, quanto magis post completa promissa? Hieremias arguit populum illum, cui promissio facta erat, Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga? & vrget hoc argumento, quia creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum.

Serm. de Nat. 1. in fine.

Serm. 26. de tempore.

Cap. 31.

Amor Dei Incarnati vrget nos ad amorem.

Denique Paulus hoc modo ex Christi aduentu sub grauissimis pœnis vrget nos ad amandum Christum; Salutatio mea manu Pauli, qui non amat Dominum nostrum Iesum Christũ, anathema, id est sit à Deo separatus, & rationem subdit, Maran Atha, ideſt Dominus venit, quasi dicat, non potest excusari vllo modo; quia iam Dominus venit in humilitate. Et alibi ex Christi in mundum incarnatione hortatur ad vitæ sanctimoniã. Hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere; Nox præcessit, dies autem appropinquauit; Abijciamus ergò opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum. Eodem modo ex hoc quod apparuit tanta Dei erga nos gratia, hortatur vt ad exemplum Christi sobrie, & iustè, & piè viuamus, expectantes beatam spem, & secundum aduentum Christi futurum. Simili modò tota cæterorum mysteriorum Christi œconomia erit in prædicatione tractanda, & pro nata occasione, ex varijs mysterijs diuersa eruenda argumenta. Possent autem in tres ordines omnia distribui, videlicet in ea, quæ ingressum Christi in mundum habent, quæ progressum totius vitæ eius, referũt, & egressum ex hoc mundo ad gloriam, & exultationem per crucem, ac mortem continent.

1. Cor. 16.

Rom. 13.

Tit. 2.

Ingres-

Ingressus Christi in mundum. Cap. X.

INgressus primus, duplex est, quidam latens in Vtero Beatissimæ Virginis per Conceptionem, in qua tres occurrunt loci, vnde argumenta erui possunt, tum ad Christi cognitionē, & amorem excitandum, tum ad mores Christianos efformandos, scilicet corporis Christi formatio, Animæ sacratissimæ creatio, & vtriusque partis ad diuini verbi personam coniunctio. In corporis formatione voluit Christus consecrare Virginitatis gemmam, tam in suo corpore quam in Sanctissima sua genitrice. Decebat enim (inquit Ignatius) Deum non consueto, sed admirando vti partu tanquam omnium opificem. Vnde occasionem habet commendandi omnibus castitatem, ob reuerentiam immaculatissimæ carnis Christi. Augustinus, hoc argumento vtitur, Diligamus præ omnibus castitatē, quia vt placere hanc sibi Christus ostenderet pudicitiam vteri virginalis elegit.] Eodem modo, & magnus Leo oportuit (ait) vt primam genitricis integritatem, nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi clausurum pudoris, & sanctitatis hospitium, diuini spiritus virtus infusa seruaret quæ statuerat deiecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiam donare virtutis.] Præterea Christi Corpus Sacratissimum ab anima eius beata informatū debebat esse immortale, & dotibus quæ corporibus beatis conueniunt, gaudere, ac frui cessit tamen Christus suo iuri libenter in beneficium hominum, vt posset in suo corpore, & pati, & pro hominibus mortem oppetere. Voluit apparere vt Paul. docet, in similitudinem carnis peccati, & sine vlla culpa peccati pœnas assumere; & hoc est quod dicitur à Psalmista. Corpus autem aptasti mihi, tale vt in eo pro nobis patiatur. Quantam hoc à nobis exposcit gratitudinem? vt sicut ipse suis se commodis in nostram vtilitatem priuauit, & nos pro eius amore paria aliquo modo reddamus. In hoc homo gratificabere si caro cum sis, spiritus fias. Anima autem Christi consideranda est omnibus priuilegijs excellentissimè ornata, ob eam quam habet cum Verbo coniunctionem: conuenit ei tanta puritas, vt nullo modo peccare potuerit, tanta sanctitas; vt meritò vocetur apud Danielem Christus Sanctus Sanctorum, imo vt habēt hebræa, Sanctitas sanctitatum; tanta gratia, vt quicquid pertinet ad rationem gratiæ ei sit collatum, tanquā principio vniuersali

Ep. 10. ad Heronē.

Serm. 9. de tempor.

Serm. 2. de Natiuit.

Rom. 8.

Psal. 39.

Anima Christi quam nobilis.

Cap. 9.

uersali omnis gratiæ hominum, habet enim gratiam capitis,
Epiph. 1. vt ad omnia membra distribuat, vt Paul. ait, Gratificauit nos
in dilecto filio suo; Etiam gratiam consummatam quæ est visio
beata, quæ Christi animæ à primo instanti creationis communi-
Coloss. 2. nicata fuit; tanta scientia vt rectè Paul. vocet Thesauros; tan-
Matt. 28. ta potestas, vt ipse dicat, Data est mihi omnis potestas in cœ-
lo, & in terra. Vide quam debeamus omnes Christiani congra
tulari Christo in tanta dignitate, quanto affectu eius laudes ce
lebrare, quanta pietate ad eum tanquam ad fontem omnium
gratiarum exuberantem confugere, vt de eius plenitudine
hauriamus.

Animæ Chri sti qui nã fue rint primi actus.

Præter hæc etiam in Christi conceptione, considerandi sunt
actus quos eius anima in primo instanti edidit, tum ad Patrem
perfectissimi amoris, & gratitudinis pro tot tantisque benefi-
cijs, ac profundissimæ humilitatis, & obedientiæ, tum erga
homines, quorum cum innumera peccata statim ei repræsen-
tarẽtur, doluit tantam Dei iniuriam, tantam animarum iactu-
ram & stragem: Cumque. Dei voluntas illi animæ innotuisset,
vt ipse humanum genus sua passione redimeret, toto mentis
Ioan. 10. conatu mandatum Patris, vt ipse Christus vocat, amplexatus
est, seseque obtulit ad crucem, & mortem promptissimum, vt
Hebr. 10. Paulus meminit, Ecce venio vt faciam voluntatem tuam, & ex
eo primo instanti cœpit calicem, quem ei Pater dedit, bibere,
Ioan. 14. sicut suo tempore perfectissimè fecit; & dixit aliquando, Vt co-
gnoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit
mihi Pater sic facio, surgite eamus, vsque ad illud, Consum-
Ioan. c. 19. matum est, quando inclinato capite tradidit spiritum. Si Chri-
stus adeo me amauit, & tradidit semetipsum pro me, cur non
amori tanto meus amor respondeat? Si ipse ex primo instan-
ti se obtulit, cur non ego me ipsum, cum ad rationis vsum
peruenio, ei me totum dedam? cur præterea, non etiam tota
Thren. 3. vita vsque ad mortem? vt faciam quod apud Hier. habetur,
Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua? In
Natiuitate Christi, qui est primus in mundum ingressus patens,
apparet summa paupertas, & omnium rerum huius mundi cõ-
temptus, summa humilitas, summa patientia, & summa puri-
tas, quæ sunt contra omnem auaritiam, fastum, & voluptates
hominum, ita vt voluerit primo ingressu mundi vanitates, cu-
piditates, & superbiam prosternere, similis lapillo de monte
Cap. 2. sine manibus exciso, vt scribitur apud Dan. qui percussit, &
prostrauit, adeoq; comminuit horrendam illam statuam, qui

est hic

est hic mundus. His mysteriis pari modo si quis velit poterit coniungere alia quæ consequuntur, vsque ad annum trigesimum, ex omnibus enim argumenta inueniet si quærit, efficacia, & copiosa.

Progressus Christi per Mundum. Cap. XI.

QVarto, progressus Christi per mundum, continet illud triennium, & aliquot adhuc menses, quibus Christus prædicauit, in quibus tres loci ad argumenta colligenda occurrunt. Primus sit prædicatio, & doctrina, secundus miracula, quibus doctrina est confirmata, tertius exẽplum vitæ eius sanctissimæ, quo perfectissimum exemplar omnibus reliquit ad omnes virtutes. Christi prædicatio tria secum inuoluit, scilicet fidei nostræ doctrinam, cum enim esset mundus in maximis tenebris, & rerum verarum ignoratione magna laboraret, apparuit Christus de cœlo, vt lux mundi, qui sua doctrina tenebras expelleret. Deinde legem nouam dedit iam antea per prophetas promissam, & veterem abrogauit. Consilia item docuit, quæ licet noluerit nos ex vi præceptorum obligare, tamen ad perfectionem maximam iis valent, qui sectari ea velint. In his autem tribus, est adeo noster Prædicator Christus singularis, & admirandus, vt in primo non solum exterius ad aures doceat, sed interius nostram mentem diuina luce sua collustret adeo, vt qui audiunt credant, captiuantes intellectum in obsequium fidei, & credentes intelligant, iuxta illud Isa. Nisi credideritis non intelligetis. In secundo non solum legem dat, sed quod est maximum, confert gratiam, & vires ad seruandum, non vt lex antiqua quæ solum significabat præceptum; vnde per Ioan. rectè dicitur, lex per Moysem, gratia, & veritas per Iesum Christum. In tertio non solum consilia proponit, sed per spiritum, & diuinas inspirationes, corda multorum excitat, & ardenter inflammat, vt libenter amplectantur, eaque alacri, & prompto animo exequantur. In his aperitur magnus Concionatori campus ad doctrinam fidei explicandam, ad excitandos omnes ad perfectam legis nostræ obseruationem, ad sequenda Christi consilia ex virtute fidei, cuius veritatem multis argumentis confirmare potest, vt alibi dictum est, ex adiumento gratiæ, quæ reddit facile, & suaue iugum legis Christi, ex diuinarum inspirationum efficacia, quæ in homine magnam habẽt vim ad perfectissimas quasque actiones. Secundo loco miracula Christi

In Christi prædicatione tria adnotanda.

Cap. 7.

Cap. 1.

plurimum valent ad confirmandam contra Iudæos, gentiles ac hæreticos fidem, & doctrinam Christi, sunt enim vt sigilla plúbea, quæ literis, & diplomatibus regijs adhibentur. Ideo Chri-
Ioan. 10. stus, si mihi, inquit, non creditis operibus credite: & de Apoſto-
Marc. 16. lis dicitur, Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: Et ad perſuadendam item ſanctitatem, ac mores quos Christi do-
Hebr. 2. ctrina docet, vnde merito Paulus ait, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutẽ, quæ cum initium accepiſſet, confirmata eſt contestante Deo signis, & prodigijs. Sequitur tertium, ſcilicet exempla virtutum Chriſti.

Virtutes, & Exemplum Chriſti. Cap. XII.

Christus exẽplar omnium virtutum.

EX Chriſti virtutibus debet Eccleſiaſtes exempla, & materiam ſumere ad omnes Chriſtianas virtutes populis perſuadendas: afferam exempla in aliquibus. Sed primo generiee loquendo optimum eſt proponere Chriſtum, vt exẽplar omnium virtutum illuſtriſsimum, & vrgere ex Chriſti imitatione ad eas amplectendas, ſic enim Chriſtus ſuos diſcipulos hortari ad ſui imitationem ſolebat, Exemplum enim dedi vobis, vt
Ioan. 13. quemadmodum ego feci, & vos faciatis. Et cum orta eſſet contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior, Chri-
Luc. 22. ſtus hortatus eſt ad humilitatem ſuo exemplo, Ego, inquit, in
Matt. 20. medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Et non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Eodem modo D. Pet. hinc argumentatur,
1. Pet. 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt
Coloſſ. 2. ſequamini veſtigia eius. Hoc idem eſt quod Paulus ſepius monet, vt exuto veteri homine, induamus nouum hominem Chri-
Hom. 24. in epiſt. ad Rom. ſtum; nam vt explicat Chryſ. Induere Chriſtum non aliud eſt quam ipſum vndique in nobis per ſanctimoniam & manſuetudinem conſpicuum eſſe, homo enim indutus id eſſe videtur quo indutus eſt, qui Chriſtum indutus eſt omnem ſimul in vniuerſum virtutem habet quando autem Paulus dicit, Induimini, vndique nos illo circumdari iubet.] Idem etiam Paulus imi-
Li. de mortal. circa finem. tatores, (ait,) mei eſtote ſicut, & ego Chriſti, quaſi dicat, nẽ credatis rem arduã eſſe Chriſtum imitari, nam & ego eius ſum imitator. Sic argumentatur Cypri. Cum mundus oderit Chriſtianũ, quid amas eum qui te odit? & non magis ſequeris Chriſtum qui te & redemit, & diligit?] Et Greg. Nyſſenus docet, perfectam Chriſti imitationẽ efficere poſſe, vt Chriſtianus vo-
De perfecta forma hominis Chriſtiani.

cari

cari possit alter Christus, scilicet in humilitate, patientia, charitate alijsque virtutibus quod eleganti similitudine illustrat. Quemadmodum (ait) in catena, qui eam quæ in extremitate est curuaturam attraxerit, eas quæ continenter inter se cohærent, per vnam attraxerit ita quoniam Christi nomini reliqua quoque natura cohærent, necesse fuerit eum qui vnum arripuerit, vna cum ipso reliqua attrahere.] Deinde descendendo ad virtutes aliquas in specie. Ad fidem poterit hortari, non exemplo Christi, qui cum Beatus in parte superiori animæ Deum clara visione intueretur, nō habuit fidem, sed ex eo quod Christus fidem à nobis poscebat, ad quam confirmandam multa edidit miracula, vt iam dicebamus, & laudauit fidem Chananææ, o mulier magna est fides tua; ac Centurionis, Non inueni tantā fidem in Israel, & alteri dixit. Si credis, omnia possibilia sunt credenti, cuius fidei augumentum nos à Christo sæpe precibus exposcere debemus cum illo, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam; & cum Apostolis. Adauge nobis fidem. Ad spē eodem modo non exemplo Christi, quia possidebat, non sperabat, sed ex multis eius dictis factisque; Sic D. Petrus Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam, regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incontaminatam, & incorruptibilem in quo exultabitis modicum nunc si oportet contristari, vt probatio vestræ fidei multo precioſior auro inueniatur. Et infert ad spei confirmationē. Qua propter succincti lumbos vestros, sobrij perfectè sperate in eam quæ offertur gratiam. Ad spem veniæ peccatorum multa sunt in Christo quæ inuitant, vt illud quod peccatores recipiebat, & erat cum eis, & docet se non venisse iustos vocare, sed peccatores ad pœnitentiā, & alia multa quæ adhoc ipsum, & docuit, & fecit. Ad Charitatem Dei, mouet Christi erga nos immensus amor: Sic Paul. estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, Vnde inferre licet exemplo Christi perfectum amorem qui in factis magis, quam verbis ostenditur, sicut ipse fecit; Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio, surgite eamus. Et rursus. Meus cibus est vt faciam voluntatē eius qui misit me. Sic & nos faciamus. Item, vos amici mei eritis si feceritis quæ præcipio vobis. Immensitas amoris Christi erga nos inde colligi debet, quia Christi anima perfectissimo amore

Fides à Christo prædicata. *Matt.* 15. *Matth.* 8. *Marci* 9. *Matt.* 17.

Spes nobis cōmendata, *1. Pet.* 1.

Luc. 15. *Luc.* 5.

Eph. 5.

Amor Christi in Patrem prouocat nostrum. *Ioan.* 14. *Ioan* 4.

Charitas Christi erga homines.

Digitized by Google

Deum Patrem ſuum amabat, & quoniam cognouit illius eſſe voluntatem, vt homines redimeret, & ſaluaret illa ſacratiſsima anima, tota in hominum amorem, & noſtram ſalutem procurandam conuerſa eſt, ex illo fonte hic ampliſsimus fluuius manauit. Vnde argumentari licet, quantum, & nos amorem ei rependere oporteat. Ad charitatem proximorum veram, exemplo Chriſti argumentatur Ioan. In hoc cognouimus charitatem Dei; quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Vnde etiam infert aliud opus charitatis. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habentem, & clauſerit viſcera ſua, quomodo charitas Dei manet in illo. Et Paul. Vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem, etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſicut ſcriptum eſt, improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me: & ſubdit, Deus autem patientiæ, & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrũ, & addit, ſecundum Ieſum Chriſtum, & adhuc ſubdit, propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut, & Chriſtus ſuſcepit nos in honorem Dei. Et ad Coloſſ. Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea. Ad amorem inimicorum Paulus inuitat. Cõmendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus pro nobis mortuus eſt; ergo & nos malefacientibus debemus benefacere, & B. Petrus melius eſt benefacientes pati, quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis: Sicut, & Iudæ oſculum dedit, & pro crucifixoribus orauit, & diſcipulis petentibus contra ciuitatem Samaritanorum; Vis oremus vt veniat ignis, & conſumat eos, reſpondit, Neſcitis cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. Ad zelum gloriæ Dei. ſicut enim Chriſtus omnia opera ſua tribuebat Patri, vt ipſe ait, Pater in me manens ipſe facit opera; Et, mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me; & in omnibus Patris gloriã quærebat, Ego non quæro gloriam meam, ſed eius qui miſit me. Et alibi, ſi ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil eſt: adeoque gloriæ Patris erat amans, vt dixerit zelus domus tuæ comedit me, ita vt planè totus in illam videatur eſſe mutatus. Si Chriſtus ita loquitur, quid ego? Ita & nos totam Deo gloriam adſcribamus, vt ſemper cum Angelis canamus, gloriã Deo, vt nobis pacẽ paremus, & cum Bernardo dicat quiſque. Ego omnem prorſus abiuro gloriam ne ſi fortè vſurpauero quod mihi conceſſum non eſt,

1. Ioan. 3.
Rom. 13.
Cap. 3.
Rom. 5.
1. Pet. 3.
Matth. 26 & 27.
Luc. 9.
Zelus gloriæ Patris in Chriſto.
Ioan. 15.
Ioan. 7.
Ioan. 8.
Pſal. 68.
Super Cãt. Serm. 13.

Digitized by Google

eſt, perdam merito, & quod oblatum eſt] lege Sermonem, totum vbi hoc fusè explicat. Ad Humilitatem maximè, quia in hac peculiari quadam ratione ſe magiſtrum præbuit, vt ab eo diſcamus quia mitis eſt, & humilis corde, præſertim, quod tota eius vita tanta huius virtutis nitet ſplendore, ab ortu primo in ſtabulo, ad mortem vſque crucis, vt vere Paul. dicat, Chriſtum ſe ipſum exinaniſſe; quare ad Philip. ſic rectè argumentatur, Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, hoc argumento, quia Chriſtus id nobis exemplum reliquit, hoc ſentite in vobis (inquit) quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens; vt merito Ber. dicat, intolerabilis impudentiæ eſt, vt vbi ſe exinaniuit maieſtas, vermiculus inflетur, & intumeſcat.] Ad Miſericordiam, ſicut Chriſtus ad eam maximè etiam vt homo erat pronus, ſicut cum dixit, Miſereor ſuper turbam iſtam: & cum vidit matrem viduam flentem filium defunctum commota ſunt viſcera eius vt habent Græca verba apud Lucam: & cum vidit Martham, & Magdalenam flentes fleuit, & ipſe; & ſuper Hieruſalem fleuit dicens, ſi cognouiſſes, & tu; & cum duceretur ad mortem conuerſus ad mulieres ſequentes dixit, Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete: Et cum referret Iudæ miſerandum caſum Apoſtolis ait Euangeliſta, Turbatus eſt ſpiritu Ieſus, & proteſtatus eſt, & dixit, Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Ergo eſt maximè Chriſtiano homine dignus, pius miſericordiæ affectus, ad miſerias hominum, tum corporum tum maximè animarum. Ad Patientiam exemplo Chriſti hortatur D. Petrus, Chriſto igitur (ait) paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, & infra. Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultãtes. Paulus affert exẽplum Moyſis qui elegit magis affligi cũ populo Dei, maiores diuitias eſtimãs opprobrium Chriſti, quaſi dicat, elegit magis aliquid pati in figuram, vel ad imitationem Chriſti, quamuis ad huc Chriſtus non veniſſet, quanto igitur magis poſt aduentum, & perfectiſſimum exemplum Chriſti ducis, qui nos præcedit, & ad Timot. ſi commorimur (ſcilicet cum Chriſto) & conuiuemus. Chriſoſtomus docet quanta ſit gloria, & quiddam maius cœlo pati pro Chriſto ipſis (inquit) regijs illuſtrior erat Pauli carcer, ipſo etiam cœlo, iſtud forſan (ſcilicet pati pro Chriſto) illuſtrius

Cap. 2.

Serm. 1. de Nat. initio.

Miſericordia

Marc. 8.
Luc. 7.
Ioan. 11.
Luc. 19.
Luc. 23.

Ioan. 13.

1. Ep. c. 4.

Patientia.

Hebr. 11.

2 Thim. 2.
Hom. 8. in Ep. ad Epheſ. initio.

etiam est quam sedere ad dexteram ipsius, honestius quam sedere super duodecim Thronos] atque vt incendium patiendi pro Christo quo vrebatur prodat, subiungit de vinculis Pauli loquens. Quod si quis mihi vel cœli, vel huius catenæ copiam & optionem largitus esset, catenam hanc ego plane elegissem Deinde addit si aut mihi cum Angelis standum fuisset sursum, aut cum Paulo vincto, carcerem vtique peroptassem.] Et ego arbitror sicut nullum maius beneficium & amoris signum Deus dedit, quam vt factus homo pro nobis sit passus, ita nullam mihi maiorem gratiam posse conferre, quam vt concedat pati aliquid pro ipsius amore ac gloria; Propterea Paul. ad Philipp. ait Vobis donatum est, non solum vt in Christum credatis, sed vt pro illo patiamini. Longior essem si de omnibus Christi virtutibus vellem loqui, scilicet prudentia, Iustitia, sobrietate, Magnanimitate, Castitate, Mansuetudine, Modestia, Benignitate, Zelo salutis animarum, Oratione ac Religione.

Cap. 1.

Mors Christi ac Resurrectio. Cap. XIII.

REstat egressus Christi ex hac vita per crucis ac mortis ignominiam, per Resurrectionis & Ascensionis gloriam, qua nunc fruitur, & in cœlis & in toto terrarum orbe, ab Angelis, & ab hominibus adoratus. Sit primus locus Christi Domini Crux & Mors. Ex hoc sæpè oportebit argumenta elicere, vt inducantur omnes ad odium, & peccati fugam; quandoquidem pro eo delendo, ipse filius Dei crucem passus & tam ignominiosa ac grauia pertulit supplicia. Nihil est quod magis peccati grauitatem exaggeret: Bernard. Ex consideratione (ait) remedij, periculi mei æstimo quantitatem; sic & medicinæ æstimatio, & doloris mihi, & timoris exaggeratio est.] Sic D. Paulus ad Hebræos, Crucifigentes filium Dei in semetipsis & ostentui habentes. Et iterum idem Paulus ex hoc loco argumentum ducit, horrans ne malo exemplo alijs scandalo sint. Et peribit (ait) infirmus in tua scientia frater pro quo Christus mortuus est? & subdit, Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis; & addit de se ipso: Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem; ideest, ne in Christum peccem qui pro fratre mortuus est. Valet rursum hic locus vt Dei, & Christi immensum amorem erga nos proponamus,

Christi passio peccati grauitatem indicat. *Serm.* 3. *de Nat.*

Cap. 6. 1. *Cor.* 8.

Passio Christi stimulat ad amorem.

mus, vt ad rependendum amorem vrgeamur, ſicut idem Paulus affirmat, Charitas Chriſti vrget nos, æſtimantes hoc quia ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Et cum Bernardo dicamus, Super omnia te mihi reddit amabilem bone IESV, calix paſſionis quem bibiſti, opus redemptionis noſtræ: & alibi, Quanto pro me mitior, tanto mihi gratior, & quantò pro me vilior, tantò mihi charior. Ex quo amore inferre poſſumus cum Paulo: Propter te mortificamur tota die, facti ſumus ſicut oues occiſionis (ſicut, & Chriſtus pro nobis factus eſt) Iterum hinc licebit argumenta ſumere ad inflammandos omnes, vt libenter poſt ipſum crucem ſuam amplectantur, ſequanturque ducem vt ipſe monet. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me; turpe enim eſt militi ducem non ſequi, quare dicamus, Nolo domine ſine vulnere mori, quia te video vulneratum. Ita Paulus deponentes omne pondus & circunſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſumatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta. Et addit, Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Et iterum propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt: audi quid ex hoc loco inferat, Exeamus igitur ad eum extra caſtra improperium eius portantes. Et alibi qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs. Et D. Pet. peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo, vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus. Denique ex hoc loco innumera myſteria colligimus quæ diuiniſſimam Dei ſapientiam continent populis aperienda, ad excitandam pietatem & chriſtianam deuotionem. Sicut Paulus & ipſe faciebat dicens. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo; quaſi dicat, ſi alij in nobilitate, in operibus, in ſapientia gloriantur, ego in Chriſti Cruce plurimas, & grauiſſimas merito gloriandi occaſiones reperio, & ſubdit, De cætero nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini mei Ieſu in corpore meo porto. Et eandem ſapientiam alijs loquebatur, imo nullam præterea aliam, ita enim teſtatur. Non iudicaui aliud me ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum; quaſi dicat omnia ſecreta mihi reuelata, in Chriſto crucifixo continentur. Et ibi-

2. *Cor.* 2.

Serm. 2. *Epiph.*

Rom. 8.

Crux Chriſti docet portandam nobis Crucem.

Luc. 9.

Hebr. 12.

Hebr. 13.

Galat. 5.

1. *Ep.c.* 2.

Crux Chriſti quam magna myſteria includit.

Galat. 6.

1. *Cor.* 2.

dem

dem, ſapientiam autem loquimur inter perfectos, ſapientiam vero non huius ſęculi, neque principum huius ſęculi qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam
Chriſ. ibidem. noſtram. Quo loco Chriſ. docet, per hanc ſapientiam Paulum intelligere Chriſti Domini crucem: & merito, quia vt dicitur
1. Cor. 1. Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, ijs autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt. Et infra, Nos prædicamus Chriſtum crucifixnm, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Eſt certe crux Chriſti Signum fœderis inter Deum hominesque multo ſignificantius
cap. 6. quam quod Deus in Gen. dixerat Noe, Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & terram, eſt inquam Crux hæc Chriſti nobilior arcus, pulchrior quam Iris, ſicut enim Iris eſt quædam obſcura nubes, & tamen vt Poeta loquitur, mille trahit varios aduerſo ſole colores; Ita Crux erat quidem antea impiorum ſupplicium, at diuini Solis illuſtrata fulgoribus, trahit mille ex Chriſto crucifixo honorum, ac dignitatum, virtutum, & gratiarum omnium titulos. Secun
Reſurrectio Chriſti cum magna gloria. dus locus ſit Reſurrectio. Hic locus ſuppeditat varia argumenta; primum enim hinc colligimus gloriam Chriſti Domini, vt admiremur, adoremus, & laudes eius celebremus dicentes, vt
Cap. 63. habetur apud Iſaiam. Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ: Ego qui loquor iuſtitiam, & propu-
Cap. 5. gnator ſum ad ſaluandum. Et in Apocal. Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem, & diuinitatem, & fortitudinem, & ſapientiam, & gloriam, & honorem, & benedictionem. Hęc autem gloria fuit Corporis Chriſti, quatuor ſuis dotibus ornati, & gloria animæ quoad partem ſenſitiuam, quæ pleniſſimum beatitudinis ſuæ gaudium promeruit, & exaltatio nominis in toto mundo non ſolum inter homines, ſed in cœlo, propterea
Philip. 2. argumentatur Paulus, Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, Cœleſtium, Terreſtrium, &
Pſal. 2. Infernorum; & habeat Dominium, & Regnum in toto mundo, vt dicitur in Pſal. Dominus dixit ad me, filius meus es tu,
Act. 13. ego hodie genui te: quæ verba Paulus in Actibus ad reſurrectionem reuocat, vnde infert, Poſtula à me, & dabo tibi gentes

hære-

Digitized by Google

hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Nec ſolum in terra, ſed & in cœlo, vt ipſe dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Vnde etiam colligimus illud, ſic oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam, ſuã plane, quia illi debebatur ratione vnionis hypoſtaticæ, & tamen diuina diſpenſatione dilata eſt, ad hominum redimenda peccata, quanto magis nos non intrabimus niſi cum Chriſto patiamur? Deinde ex hoc loco corroboratur tota noſtræ reſurrectionis futuræ, materia, & ſpes, quia Chriſti Reſurrectio cauſa eſt noſtræ reſurrectionis, vt Marthę Chriſtus dixit, Ego ſum Reſurrectio, & vita. Et Paul. Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Idem ſic arguit alibi, ſi Chriſtus prædicatur quod reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt, ſi autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit; & ſubdit, nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita, & in Chriſto omnes viuificabuntur; quaſi dicat, caput reſurrexit, ſed non ſine membris, primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti: nouiſsima autem inimica deſtruetur mors. Rurſum hinc colligimus, quam vitam poſt Chriſti Reſurrectionem ducere debeamus. Audi Paulum qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? & ſubdit, quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita, & nos in nouitate vitæ, ambulemus, ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus, hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt vt vltra non ſeruiamus peccato, & alia quæ addit, ex quibus infert, Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore vt obediatis concupiſcentijs veſtris. Videtur Paulus à nobis eam perfectionem requirere ac ſanctitatem, quam ij ſeruarent qui ex mortuis miraculo ſuſcitati eſſent, imò qualis erit poſt reſurrectionem beatorum, cum erunt ſicut Angeli Dei, quod poteſt explicari accõmodando virtutibus, illas quatuor glorioſorum corporum dotes. Poſtremò tota Chriſtiana fides, ac religio ex hoc articulo reſurrectionis poteſt confirmari, ideo Paulus ſi Chriſtus non reſurrexit, ergo inanis eſt fides veſtra, inanis eſt & prædicatio noſtra: hoc autem ideo eſt, quia vt idem Paulus ait, licet Chriſtus crucifixus ſit ex infirmitate, tamen ſurrexit, & vi-

Matt. 28.

Reſurrectio Chriſti noſtræ reſurrectionis cauſa.

Ioan. 11.

1. *Cor.* 15.

Reſurrectio noſtra moralis.

Rom. 6.

1. *Cor.* 15.

2. *Cor.* 13.

Digitized by Google

& viuit ex virtute. Et docet Christum mortuum esse ob peccata, resurrexisse autem propter iustificationem nostram, hoc est,
Rom. 4. licet Christi mors operata sit ac meruerit remissionem peccatorum, & consequenter iustificationem, quia non est peccatorum remissio sine iustificatione, tamen nisi post resurrectionē, & prædicationem mortis, & resurrectionis non iustificatus esset
Luc. 24. mundus, iuxta illud, oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum, ad quam secuta est iustificatio. Itaque verum est mundi conuersionem totamque Christianæ religionis fidem articulo resurrectionis inniti.

Gloria Christi, Ascendentis, ac Iudicantis. Cap. XIV.

TErtius sit locus, Ascensio Christi & sessio ad dexteram Patris, eiusque gloria. Hinc primum eliciet Christianus orator, & colliget summam Christi gloriam & exaltationem, vt eum adoremus, & ante ipsum iubilemus, sicut Beati in cœlo
Apoc. 7. procidentes coram agno, cantant post eum canticum nouum: nihil enim est aliud ad dexteram Patris eleuatum esse, quam super omnia bona constitutum esse, & omnia ei subiecta, vt
Eph. 1. Paul. docet suscitans eum à mortuis & constituens a dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sęculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius; tantaque est hæc Christi hominis glo-
1. Cor. 15. riosi potestas, & gloria; vt Apost. adijciat illa verba. Cum autem dicat omnia ei esse subiecta, sine dubio præter eum qui
Christo omnia subiecta. subiecit ei omnia. Hoc autem satis clarum esse videbatur etiam si ille non diceret; quis enim nesciat Deum non posse vlli rei creatæ subijci? sed hoc modo loquendi, vult innuere, nihil omnino esse, quod non ei subiectum sit, vt dixit ad Hebr. ac si co-
Cap. 2. gitemus omnes cœlestes, ac terrestres creaturas, & totum simul mundum esse anulum quendam, Christi verò humanitatē esse anuli gemmam inæstimabilis valoris, & precio superare totum mundum simul. Per hoc mysterium maximè Fides Catholica confirmata est primum in Apostolis, Deinde per eos in
Serm. 2. de Ascen. toto mundo; Audi B. Leonem; Ipsi Beati Apostoli (ait) qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi, atrocitatem tamen Dominicæ passionis expauerant, & veritatem resurrectionis eius, non sine hæsitatione susceperant, tantum de Ascen-

sione

sione Domini profecerunt, vt quicquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium. Et subdit, tunc igitur filius hominis Dei filius excellentius sacratiusque innotuit, cum in paternæ maiestatis gloriam se recepit, & ineffabili modo cepit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. Rursum ex eadem gloria Christi nostram colligimus, vt Paulus facit. Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiã charitatem, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate, super nos in Christo Iesu. Vide quanta misericordia, quanta charitas, quanta gratia, quanta bonitas, vt dicere possimus, nostrum est quod ad dextram Patris sedet super omnes Angelos: Vide quanta nobilitas, & collige quantam in nobis vitæ sanctimoniam, tanta exigat dignitas, vt rectè idem moneat alibi si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite vbi Christus est (scilicet frater noster, & caro nostra) quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ex hac item Christi sessione ad Patris dexteram meritò existit in nobis magna fiducia, memores nos habere talem tantumque aduocatum, qui assistat vultui Patris pro nobis; quid enim negare poterit (ait Bernardus) filio Pater ostendenti latus & vulnera? Quæ fiducia eo magis augetur, quia scimus præsentiam Christi ita esse in cœlo, vt non absit eius regimen & præsentia ab Ecclesia militante, quia non potest mentiri qui promisit dicens. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Certissimè scimus ab ipso prouenire quæcumque dona Ecclesiæ conceduntur, dicente Paulo, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, non tantum in Ecclesiæ primordijs, sed semper. Ipse est qui Ecclesiam regit cum suo Vicario, & Episcopis, ob id D. Petrus eum appellat pastorem, & Episcopum animarum nostrarum: Ipse cum his qui miracula operantur adest, In Actis. In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula. Cum sacerdotibus baptizat, Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Cum Confessarijs ipse peccata remittit, cum sacerdos non nisi vt minister, eius authoritate fungatur: Cum Prædicatoribus loquitur, qui legati sunt Christi, vt Paul. ait an experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Ipse confert gratias, per Sacramentorum collationem, Ipse visitat per inspirationes, communicat consolationes;

Eph. 2. Ex Christi Ascẽsione & gloria manat etiam nostra gloria.

Coloss. 2.

Fiducia erga Christum.

Heb. 9.

Matt. 28.

A Christo proueniunt magna dona in Ecclesiã.

Ephes. 4.

1. Pet. 2.

Actor. 3.

1. Cor. 1.

2. Cor. 13.

Digitized by Google

nes; Denique Christus est in tota Ecclesia omnia in omnibus. Vide quanta gratitudine respondere nos oporteat tam munifico benefactori, & Regi tantæ maiestatis, & tantæ in nos charitatis. Post omnes alios locos vltimus sit eiusdem Christi Aduentus ad Iudicium vniuersale. Ex quo primum argumenta sumi possunt ad Christi maiestatem agnoscendam, quoniam qui in tanta humilitate venit in primo aduentu, in secundo venturus sit cum potestate magna, & maiestate tanta, vt dicturi sint impij montibus, cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, vnde Paul. Omnes stabimus ante tribunal Christi, scriptum est enim, viuo ego dicit Dominus quoniam mihi flectetur omne genu. Quæ maiestas Christo debetur ob suam humilitatem, & passionem, ideo idem. In hoc mortuus est & resurrexit, vt & virorum, & mortuorum dominetur. Et ipse Christus Dominus, dum proximus morti corã impio iudice adstaret, dixit videbitis filium hominis venientẽ in nubibus cum potestate magna, & maiestate. Deinde hinc argumentari licebit, quod maximè debeamus, & timerè Christũ, & amare: Ad timorem excitant scripturæ sæpe, Ioan. in Apoc. Timete Dominum, & date ei honorẽ, & gloriam, quia venit hora iudicij eius. Et iterum in flamma ignis dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deum, & non obediunt Euangelio. Et apud Malachiam, ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatẽ stipula, & inflammabit eos dies veniens dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem, & germen. Item ad amorem, & fiduciã boni animantur, vnde subdit idem Malach. ibidem, & orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, scilicet Christus, qui scilicet sol faciet diem gloriæ clarissimum, & sanitas in pẽnis eius, idest in alis ob summam Christi agilitatem, qui perfectam salutem animæ, & corporis bonis exhibebit; Quare rectè subditur, egrediemini, scilicet de sepulchris, vos timentes nomen Domini, & salietis, ob dotem agilitatis iam liberati à mortis vinculis, salietis inquam è sepulchris ad montes vsque cœlestes. Sic Paulus de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex; non solum autẽ mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius. Ad patientiam, & longanimitatem in aduersis hortatur D. Iacobus Patientes igitur estote fratres vsque ad aduentum Domini, & affert exemplum agricolæ expectantis fructum laboris, & subdit, ecce Iudex ante ianuam assistit. Denique oportet ex hoc

Ex Christo iudice quæ argumẽta sumamus.

Apoc. 6.
Rom. 14.
Ibid.
Matth. 26.
Christus Iudex, qualis erga bonos & malos.
2. Thess. 1.
Mal. c. 4.
2. Timot. 4.
Cap. 5.

Chri-

Digitized by Google

Christi Iudicis aduentu hortari omnes, vt ad hunc eius aduentum parati sint, nec illi malo seruo similes inueniantur, qui dicebat, moram facit Dominus meus venire, & vacabat ebrietati, & conseruos percutiebat; sed ex improuiso aduenies Iudex, posuit partē eius cum hypocritis in stagno ignis, & sulphuris: Et hoc est illud Pauli. Si nos ipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino. Denique ad opera misericordiæ maximē hic locus valet, cum in his præcipuè, Iudex nos examinaturus sit, & secundum ea sententiam laturus. *Matt.* 24. 1. *Cor.* 11. *Matth.* 25

Nomen Christi, & Iesu, & Christianorum. Cap. XV.

QVoniam hæc pars quam modo tractamus de Christo copiosa est satis, ac summi momenti, nō præteribo, & alios locos, & admodum graues. Sit ergo hic primus locus Christi nomen, quod Græcè ab vnctione sumptum est, ipse autem Saluator noster, tanquam Rex, ac summus Sacerdos vnctus est, non quidem vnguento materiali, sed Spiritu sancto, sicut ipsemet Christus de se apud Isaiam testatur, Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, & apud Danielem dicitur vngendus vt Sanctus Sanctorum, & de eo canit Psalmista, vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Hinc argumentum sumitur, quomodo post Christum currere debeamus, suauitatis eius mira fragrātia tracti, & allecti, quemadmodum teste D. Basilio, solent columbæ, aliam sequi columbam, vnguento quodam ipsis grato delinitam, & poterit anima, quæ eius odorem præsenserit, post eum clamare, trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum, Hæc autem sunt illa vnguenta, vt D. Bernar. explicat, quorū fragrantia maximè delectatus dicebat D. Paulus qui factus est nobis à Deo, Sapientia, Iustitia, Sanctificatio, Redemptio. Secundo à Christo vncto arguimentari oportet, nos qui Christiani à Christo dicimur, tanquam vncti, debere de todē Christi spiritu participare, prout rectē Paulus ratiocinatur, qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius, & D. Ioannes, Vos ait, vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia, hoc est, à Christo Spiritum habetis qui docet vos, & vt eādem vnctionem conseruemus subdit, Vnctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis, & Vnctio eius docet vos de omnibus. Hanc autem vnctionem, & sperare à Christo, & precibus impetrare debemus, siquidem hic ipse spiritus, est sicut vnguentum quod descendit vt dicitur in Psal. primum quidem in ca- Christus vnctus qua vnctione. *Isa.* 61. *Dan.* 9. *Psal.* 44. *Cant.* 1. *Serm. in Cant.* 10. *Rom.* 8. Ex Christi vnctione qd colligitur pro nobis. 1. *Ioan.* 2. *Psal.* 132.

in capite Christo copiosissimè, Deinde in barbam Aaron, qui sunt Apostoli Christo propiores, in quos hoc Spiritus sancti vnguentum effusum est (vt ait quædam glossa in Paul.) & tempore prius, & cæteris abundantius, tum verò in totum corpus descendit, per omnes status, vsque ad oram vestimenti eius. Itaque nulli Christus de suo vnguento negat, modò sit capax, & Christi nomen veneretur, & colat; sicut magnus ille Constantinus hoc nomen venerabile, duabus descriptum literis, vt ei Deus in visione monstrauerat, semper in galea, & in labaro, quod erat eius vexillum deferebat. Ex eodem fonte manat, vt non solum Christianus, hoc perfundatur odore ipse; sed in alios quoque diffundat verbis, & exemplo, vt Paulus faciebat, cum dicat: Christi bonus odor sumus; Theoph. in hæc Pauli verba adijcit, Velut acerra sumus regia, & quocumque abierimus, odorem spiritualis vnguenti circumferimus, cognitionis videlicet Dei, in omni loco, homines bono suffictu afflamus. Secundo, Nomen Christianorum quo gaudemus, & gloriamur, monet præterea nos, vt Christo Domino grati simus, eique tam arcto vinculo vniamur, vt pro eo mortem oppetere, parati simus Audi Chrisost. Non principis, non terrenæ alicuius potestatis, non Angeli, non Archangeli, sed ipsius omnium Regis nomine appellari dignati sumus.] In hoc nomine gloriabatur, & pro hoc moriebatur, eximius, martyr Diaconus nomine Sanctus, vt refert Euseb: qui cum examinaretur, de suo suæque familiæ nomine, de patria, de statu, liberne, an seruus esset, ad singulas interrogationes vnum hoc respondebat Christianus sum, Eodemque Eusebio teste, Blandina martyr in ipsa fidei confessione, & inter tormenta, ex hoc eodem nomine sæpius repetito, vires reficiebat, Et prolatio horum verborum Christiana sum, & apud nos nihil sceleris admittitur, erat ei dolorum summa leuatio, & fomentum. D. etiã Nazianzenus, de se & Sancto Basilio loquens, cum alijs (inquit) alia quædam cognomenta sint, vel à parentibus accepta, vel ex propríjs comparata studijs, nobis magna res, & magnum nomen erat, Christianos esse, & nominari, atque ea re magis efferebamur, quam Gyges, palæ, anuli cõuersione (si tamen hoc fabulosum non esset) per quam Lydios, tyrannide occuparat.] Ex hoc nomine Christianorum, optimè noster Orator vrgere omnes Christianos poterit, vt huic nomini vita, moribusque respondeant; Ita docet Gregorius Nissi: Christianismus ait est imitatio diuinæ naturæ; Si igitur Christianus es, Christum Deũ imi-

Baro. to. 3. Ann. Christi 312.

2. Cor. 2.

Christianorũ nomen vrget nos ad sanctitatem.

Hom. 8. in Ioan. circa finem.

l. 5. hist. Eccles. c. 1.

In Orat. de S. Basil. funebri.

Tract. de nomine & professione Christiani.

imitare; noli vacuum ferre nomen, atque inane, sed plenũ, tanti mẽsuram nominis imple, imple inquã operibus nomine dignis] & ibidem, Si quis nomen Christi sumens quæ vna cum hoc nomine considerantur vita non exprimat, is nomen ementitur, personam in animam humanæ figuræ conformatam, & assimilatam simiæ apponens.] Ita, & Procopius in Isa. philosophatur in illa verba, vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit, & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui, quibus, Ecclesiæ, mutato nomine promittitur eam futuram coronam glorioſam. Cum igitur Christiani nominis appellatione veluti corona redimiti simus, coronam opus est fulgentibus margaritis, & ardentibus, velut pyropis splendere Chrys. Propterea Christianus es, ideo nomen hoc accepisti, vt Christum imiteris, eiusque legibus operum exhibitione pareas, & alibi. Nemo profectò (ait) gentilis esset, si ipsi vt oportet Christiani esse curaremus, nemo ita esset fera bellua, vt non statim ad cultum veræ religionis accurreret.] Denique ex hoc nomine omnes debet concionator hortari, qui christiana professione censentur, (vt orat Ecclesia) & illa respuere, quæ huic inimica sũt nomini, & ea quę sunt apta sectari. Tertio Nomen Iesu dulcissimum, multa, & optima Oratori Christiano argumenta profert, Ipsum namque est quod fidem excitat, vt hoc vnico prolato nomine, totius fermè fidei, confessionem promamus, omnia mysteria, quæ ad Iesum pertinent, & credentes, & confitentes, est enim hoc nomen, perinde vt libri titulus, virtute omnia continens, quæ in eo libro traduntur. Continet plane hoc nomen, omnia quæ de Christo à prophetis afferuntur nomina, vt bene considerat D. Ber. ac propterea, totam Christi mysteriorum seriem, & æconomiam amplectens vt dicatur Iesus sicut Isaias prędicat, Admirabilis, maxime in Incarnatione, Consiliarius in prædicatione, Deus in miraculis, fortis in passione, in qua Iesus inermis, ac nudus hostes debellauit. Pater futuri sæculi in Resurrectione; & princeps pacis, in Ecclesiæ militantis regimine, & multo perfectius in cœlesti Hierusalem. Rursum hoc nomen ad fiduciam animat, & spem, si enim ex nomine ac suo munere salutem Christus profitetur ac promittit, quid ni confidam eius ope, ac virtute, salutem me consequuturum, modo nè sim ei aduersarius, vt meritò possimus illud Isaiæ canticum concinere. Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, & antemurale. Ad amorem inflammat, quis enim salutem suam, & suum non amet Sal-

In Isa.

Orat. 5. in Iud.

Hom. 10. 1. Tim.

Iesu nomen quã illustre.

Serm. 10. ex parœm.

Isa. 9.

Iesu nomen ad quas virtutes nos prouocet.

Isa. 26.

In Ps. 102 uatorem, audi Augustinum. ligari se volunt homines, & secari; daturi pro incerta sanitate, & certum dolorem, & magnam mercedem, Deus te quem fecit, & certus curat, & gratis.]

1. Cor. 10. Dirigit rectam intẽtionem, sicut Paulus docet omnia in hoc no-
Hom. 9. in mine Iesu facienda, hanc doctrinã bene explicat Chris. Si enim
Ep. ad Co inquit consulum nomina securitatem literis addunt, multo
loss. magis Christi nomen, Igitur, in nomine Domini omnia facias, & prosperè succedent omnia ista discamus non solum verbo tenus; Sed & ipsis operibus adimplere.] Est excitamentum Humilitatis, quia dum salutem à Iesu & speramus, & petimus, nostras iterum, & miserias & morbos, ac peccata, & confitemur, & accusamus, & tanquam medico nos ipsos offerentes, malorum nostrorum ab eo remedium expectamus. Est ad Denotionem stimulus, vt sicut ipse in mei beneficium, ac salutem se ipsum, mihi totum tradidit, Ita & ego eius totus sim, qui totus factus est meus, & dulcescat cor meum, & labia mea in hoc suauissimo nomine, quemadmodum B. Franciscus tanta cordis dulcedine recreabatur, dum illud proferret, vt etiam labia lingeret, vt ij faciunt qui dulcissimum aliquid ore gustarunt. Gratitudinem docet, quam ei pro tanto salutis beneficio debemus, præsertim si attendamus, quanto pretio ei nostra hęc salus constitit; Siquidem, vt rectè Bern. habet, quando me creauit, dixit, & facta sunt, cum me redemit, dixit multa, fecit mira, pertulit dura. Prouocat ad Obedientiam, quia hoc sibi tam
Phil. 2. magnum nomen, ipsum promeruisse exobedientia Paulus affirmat, quia nempè factus est obediens vsque ad mortem; donauit ei Deus pater nomen, quod est super omnem nomen: *Inuitat* vt in omni necessitate ad hoc sanctissimum inuocandum no
Serm. 15. men tãquam ad sacram anchoram confugiamus, Audi Bernar.
in Cant. Cui (ait) in periculis palpitanti, & trepidanti, inuocatum virtutis nomen non statim, fiduciam præstitit, depulit metum? cui in aduersis diffidenti, iam iamque deficienti, si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo?] Denique hoc sacratissimum Iesu nomen, omnem planè Christianam edocet perfectionem.
1. Cor. 1. D. Paul. ad vnionem, ac perfectionem, hoc titulo vrget. Obsecro ait per nomen Domini nostri Iesu Christi vt idipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & scientia; quasi dicat per hoc glorioſum nomen vos adiuro, cui tantum debetis, qui est Princeps pacis ac salutis qui inimicitias in corpore suo interfecit, qui à vobis hoc, meritò expoſcit vt perfecti sitis hoc est interius, exteriusque

vniti.

Digitized by Google

uiti. Bernar. etiam cum nomino, inquit, Iesum hominem mihi propono, mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, omni denique sanctitate, ac honestate conspicuum, eundemque ipsum Deum, qui suo me exemplo sanet ac roboret adiutorio. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium à potente.] Lege totum huius doctoris mellifluũ sermonem, si vis suaui Iesu oleo impinguari. Loco citato.

Nobilitas Christiana. Cap. XVI.

MAxima est planè nostra nobilitas, qua parte Christianũ sumus, & à Christo nobilitati, Ideoque requirit à nobis, conditiones admodum viro nobili dignas, ne à tanta nobilitate quis degeneret, & Christianæ dignitati, infamiã inuratur. Hanc ergo, Christianus Prædicator aliquando proponat, ostendatque esse planè diuinam, diuino ortam semine, ex Christo scilicet vero Dei filio, qui nostram assumpsit, adeoque extulit naturam, vt non frustra, & vane gloriemur, sicut illi heroes faciebant, quos poetæ ex Dijs fingunt ortos, ex quibus illius inanis erat gloriatio, & fabulosa, iactantis, Et mi genus ab Ioue summo. Nos autem Deum omnipotentem, patrem asserimus, & Christum fratrem nostrum, vt ipse dignatus est dicere. Nunciabo nomen tuum fratribus meis, & ascendo ad patrem meũ, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum: scilicet accepta ab ipso verbo, vt Ioan. scribit potestate, vt filij Dei fieri possimus, non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, idest non ex terreno sanguine, aut terræ familijs nati, sed ab ipso Deo, in diuinam familiam nos adoptante, ex Baptismo, aquis salutaribus renati, deposita, primi parentis imagine, in Dei ipsius nobilitatem transimus: hoc etiam totum ex eo quod idem subdit, nascitur, Et verbum caro factum est, vbi copula illa (&) causalis est, quasi dicat, Tota hæc nobilitas Christiana ex eo habet principium, quia scilicet Verbum est factum caro, ex hoc autem facile est aduertere, quales in Christiano viro virtutes, quam eximiæ, quam hæroicæ requirantur, earumque actiones nequaquam communes sed singulares, à Deo profectæ, ad Deum ordinatæ, politicis virtutibus quas philosophi agnouerunt longè superiores, nã morales quidem humano studio partæ, Christianæ, diuino spiritu infusæ, illę adumbratæ quædam virtutes respectu nostrarum sunt, nostræ vero solidæ ac perfectæ, Hoc significat D. Paulus cum ait

Nobilitas Christianorũ vera coram Deo p Christum.

Psal. 21. *Hebr.* 2. *Ioan.* 20. *Ioan.* 1.

Nobilitas Christiana ad magnas virtutes nos prodicat. *Tit.* 2.

de Christo vt mundaret sibi populum acceptabilē, ideſt ſecun-
Comment. dum Hieron. peculiarem, ſectatorem bonorum operum, græcè
in Tit. l. 1. habetur zelotem ideſt æmulatorem, vbi Chriſoſt. Vides ait, vt
Hom. 2. non ſimpliciter, à nobis, opera virtutum exiguntur, addit namque Paul. æmulatorem hoc eſt, magna cum alacritate, atque ſtudio virtutum opera capeſſentem.] poſſunt autem Chriſtianis, aliquæ virtutes proponi, quæ nobiliſſimorum ſunt propriè virorum, cuiuſmodi ſunt, quæ ad cōmunitatis bonum tendunt, qualis eſt Chriſtiana Iuſtitia, quæ non modo, nulli eſt iniuriosa, ſed omnium potius innocentiam tuetur, ideoq; viros Chriſtianos, vt hanc teneant iuſtitiam erga omnes, oportet perturbationibus non agitari, terrenas opes non magni facere, ac dignitates, mentes non humi defixas habere, ſed æterna, & diuina magis ſuſpicere, nulla libidine trahi, non cupiditatibus ſeruire, ſed dominari: Odio, non niſi contra iniquitatem moueri, maledictis irritātes, non ad vindictam ferri, ſed miſereri potius inimicis, pro malis beneficia rependere. Talis eſt planè Chriſtianorum Illuſtriū nobilitas: Liberalitatem item ac Eleemoſynarum largitiones amplectantur, tam ſpiritualium, quam eorporalium, vt meritò illud de tota hac Chriſtianorum familia illuſtriſsima, prædicetur quod in Act. habetur multitudinis
Cap. 4. credentium, erat cor vnum, & anima vna, Nec erat inter eos
Col. c. 3. egens, & illud ad Coloſſ. Vbi non eſt gentilis & Iudæus, circūciſio, & præputium, barbarus, & ſcytha, ſeruus, & liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Addo fortitudinem, ac generoſam quandam magnanimitatem, noſtris, ſecundum hanc nobilitatem, valde eſſe propriam, quæ non ad opes, non ad humanā gloriam ſui nominis, ſed ad fidei dilatationem, ſummi Dei gloriam, Chriſti nominis exaltationem, æterni regni conſequutionem tendit, Huius fortitudinis innumerabilia habemus, virorum, atque adeo mulierum, ac virginum exēpla, in tot inuictiſſimis martyribus, qui inter tot grauiſsima tormentorum genera, à tot Imperatorum crudeliſsima tyrannide, nunquam vinci nunquam flecti potuerunt, ſed patiendo ſuperabant, moriendo vincebant, vt non immeritò tam inuicta fortitudo per Carbunculum ſignificetur, inter ignes poſitum, multis circū exſufflantibus follibus, additis illis verbis, Semper idem, vel potius ſemper pulchrior. Quod ſi talibus ſplendet virtutibus Chriſtianorum nobilitas facilè apparet quam longè eos oporteat eſſe ab omni vitiorum labe, ac turpitudine præſertim libidinis cœno, auaritiæ ſordibus, timiditatis, & ignauiæ næuo, denique omni re quæ

rē quæ degeneres ignobilesq; animos significat, Huc verba Pauli tendunt cum ait vt sitis sine querela, simplices filij Dei sine reprehensione, in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes, & tales vult idem Paulus nos esse, vt qui exaduerso est, vereatur nihil habens dicere de nobis, quales D. Petrus describit Christianos cum ait. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, quia, & reges, & sacerdotes vngebantur, Christianorum autem genus vtrumque habet per Christum vt Ioan. ait fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, quo titulo monemur, vt & omnibus animi cupiditatibus dominemur vt reges; & spirituales hostias offeramus Deo nosmetipsos scilicet, tanquam Sacerdotes, vt Paulus monet, hostiam sanctam, viuentem, Deo placentem rationabile obsequium nostrum, & subdit D. Petrus Gens sancta; populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis, non qualescunque, sed eius, qui vos de tenebris vocauit, hoc est de obscurissima generis nostri progenie in admirabile lumen suū, vt ex abiectæ sortis hominibus, inter cœli ciues, & beatissimos spiritus annumeremur, agnoscentes, caput & radicē totius nobilitatis nostræ Christum omnium Angelorum regem, ad dexteram Dei patris consedentem, & consedere nos facientem.

Phil. 2.
Tit. 2.
1. *Pet.* 2.
Apoc. 5.
Rom. 12.

Testamentum nouum, & Euangelium Christi. *Cap.* XVII.

VOx Testamenti, idem planè significat, quod pactum, vbicunque septuagintā interpretes, in hebræis codicibus inuenerunt vocem Berith, quæ fœdus, & pactum significat ipsi verterunt ideſt testamentum. Ex qua voce hoc primum, sumitur argumentum, teneri nos, ad perfectam illius fœderis obseruationem, quod nobiscum Deus iniit per Christum; vt videlicet, sit nobis, multo perfectius, quam vnquam alias Deus, noster Deus, nos vero ei populus, peculiaris, & maiori cum eo, astringamur vinculo, quam in veteri lege sicut Deus per Hieremiam promiserat. Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & feriam Domui Israel, & domui Iacob fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi, cum patribus vestris, & hoc erit pactum quod feriam, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Secundum argumentum, quia est testamentum nouum, nouos requirit homines, vt nouum hominem, iuxta

Cap. 31.

Eph. 4. Paulum induamus, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Quare bene argumentatur Chrysost. Rerum (ait) vices iam mutatæ sunt, vt & anima noua, & corpus nouum, & nouum adorationis genus, & pollicitationes nouæ, & testamentum, & vita, & mensa, & vestis, & vt vno verbo dicam omnia noua sunt.] Greg. etiam eodem modo. Nouus homo (inquit) venit in mundum, noua præcepta dedit mundo, & vitæ nostræ veteri, contrarietatem oppositi nouitatis suæ.] Tertium quia hoc testamentum nouum, est filiorum proprium & Amoris, sicut vetus erat magis seruorum ac timoris, à nobis non nisi amoris ac filiorum Spiritum postulat; August. breuissima, & apertissima differentia duorum testamentorum est Timor, & Amor, in illo sunt onera seruorum, in isto gloria liberorum: nam veteri homini fugienti apposuit Dominus quod timeret, & nouo redeunti tãquam pater quod amaret] & apertè Paulus post allatam allegoriam Saræ & Agar hęc inquit sunt per allegoriam dicta, & significant duo testamenta vnum in seruitutem generãs alterum filiorum; Ex quo infert itaque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit & addit, in libertatem vocati estis fratres, modo nè libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem, Charitas, & spiritus bonus, sunt vera filiorum libertas, hoc argumento etiam vtitur ad Rom. Non accepistis spiritum seruitutis, iterum in timore, sed filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Quartum argumentum ex eodem hoc loco sumetur, vt hortemur ad maiorem feruorem in bonis operibus Christianos, eo titulo, quod antiqui testamenti Patres, non poterant adhuc cœlum ingredi, & ad vltimum suæ beatitudinis finem peruenire, nobis vero, iam patet cœlorum ianua, quoniam Christi sanguis vt Hiero. loquitur Clauis fuit paradisi, dicente Christo ad latronem Hodie mecũ eris in Paradiso. Hoc argumentum vrget Paulus post allatum Hieremiæ locum de nouo testamento subdit. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi, quã initiauit nobis viam nouam & viuentem, per velamẽ id est carnem suam, & sacerdotium magnum, super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, asperfi corda, à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, fidelis enim est qui repromisit, & consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum, non deserentes collectionem nostram

Testamentũ nouũ nouos homines requirit.

In 2. ad Cor. Hom. 11.

Hom. 32. *in Exod. initio.*

In Testamento nouo spiritus filiorũ.

Lib. contra Adim. c. 16. & 17.

Ad Gal. 4.

Cap. 8.

Epist. 129 *ad Dardanum.*

Cap. 31. *Hebr.* 10.

ideſt

ideſt congregationem. Addamus cum hoc alium locum, qui eſt Euangelium, ſeu lex Euangelica. Vox Euangelij Græca, ſignificat bonum nuncium, quia magna quędam nobis promittit cœleſtia, & æterna, nequaquam, terrena, & caduca; Ex hoc loco multa habet Euangelicus præco, quæ colligat ad docendum, ad monendum. Nam primo ipſa vox Euangelij, ac boni nuncij animos noſtros erigit, ac planè exhilarat, vt agnoſcamus gratiam nobis à Deo conceſſam. Audi Chryſoſtomum, vbi docet, ideò hanc Matthæi hiſtoriam Euangelium dici; quia veniam peccatorum, ſanctificationem ac iuſtitiam, redemptionem, adoptionem filiorum, & cœlorum hæreditatem, & cum Dei filio fraternitatem omnibus nunciauit, nunquid poteſt aliquid, his æquale eſſe, tam bonis nuncijs? quaſi omnia alia, verba inania, doceantur, quibus præſentia hæc bona promitti ſolent, vt diuiciarum copia, honores, principatus.] Audi verò Iſaiam, nos excitantem, Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ, Hieruſalem ciuitas ſancti, excutere de puluere, conſurge, ſede; & paulò poſt, propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe qui loquebar ecce adſum; & ſtatim, Quàm pulchri (ait) ſuper montes ſunt, pedes annunciantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus; gaudete, & laudate ſimul deſerta Hieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Hieruſalem. Ex quibus etiam infert, Recedite, recedite ſcilicet à malo, pollutum nolite tangere, mundamini qui fertis vaſa Domini; hæc ad clericos peculiariter dicuntur. Ex quibus intelligimus, quanta reuerentia verba Euangelij exoſculari debeamus, etiam ipſum librum vt facit ſacerdos in Miſſa. Chriſ. ita argumentatur contra iurantes: Si Euangelium ait capere oporteat manibus lotis, & cum multa reuerentia & religione tremens, ac timens ſumis, Euangelij vero dominum temerè lingua paſſim verſas? Secundo Lex noſtra dicitur lex gratiæ, & charitatis, & merito, quia lex non ſolum ſignificat dictamen rationis in intellectu, ſed ipſam etiam voluntatis propenſionem qua ad opus impellitur, & hæc planè voluntatis propenſio maioris efficaciæ eſt quam intellectus dictamen. Dicitur verò noſtra lex gratiæ quia non ſolum præcipit vt lex Moyſis ſed confert etiam per ſacramenta gratiam, quam omnes qui voluerint conſequi ſine vllo dubio poterũt. Auguſt. lex, inquit, data eſt vt gratia quereretur,

Vox Euangelij quid importet.

Hom. 2. in Mat.

Cap. 52.

Hom. 7. ad pop. Ant.

Euangelium lex Gratiæ.

Lib. de Spiritu & liter. c. 19.

gratia data est vt lex impleretur, neque enim suo vitio non implebatur, sed vitio prudentię carnis, quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.] Ex hoc bene hortari nos ipsos & alios possumus ad euangelicæ legis integram obseruationem, quandoquidem gratia, & charitas quæ in nostra lege conferuntur, facilia omnia reddunt, ac suauia etiam difficilia, propterea que dicitur nostra lex iugum suaue, & leue onus. Hoc est Augustini argumentum, Aut enim (ait) quisque non diligit, & ideo graue est, aut diligit, & graue esse non potest.] Et rursus certum est (inquit) nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam vt in iustificationibus meis ambuletis & iudicia mea faciatis.] Et alibi hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ volaturi, habent aues pennarum suarum sarcinas, portant illas in terra, portantur ab illis in cœlum.] Argumentum ergo est, adsit charitas & gratia, & facili negotio, totam legem obseruabis. Confirmatur hoc argumentum, quia lex nostra Euangelica, consummatio est & abbreuiatio legis antiquæ vt apud Isaiam dicitur, & tota in præcepto charitatis concluditur, vt rectè August. affirmet dilige, & fac quod vis & Hieron. in Isa. 10. in illa verba, & non adijciet residuum Israel &c. pro cunctis legis cæremonijs, dedit Deus præceptum dilectionis, & fidei vel vt loquitur Tertull. præceptum à legis lacinioſis oneribus expeditum.] Et hinc Paul. rectè argumentatur, & infert Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Tertio dicitur & lex spiritus, ita sæpissimè à Paulo vsurpatur; colligit ex hoc, quam debemus esse ab omni peccato immunes, lex, inquit, spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati, & mortis, nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur, per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum, & paulo post subdit, Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis, & inde infert argumenti conclusionem, Ergo fratres debitores sumus non carni vt secundum carnem viuamus, si enim secundum carnem vixeritis moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis, quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Præterea quia est lex spiritus, collige maximè interiorem hominem reformandum esse, & internæ perfectioni, in noua

lege

Matt. 11.

Li. de nat. & Grat. cap. 69.

Lib. de grat. & li. arb. c. 16.

Ezech. 36.

Serm. 22. *de verb. Ap.*

Lex Euangelica consummatio veteris.

Li. 4. *adu. Martionē. initio.*

Gal. 6.

Rom. 8.

Euangelium lex Spiritus.

lege maximè vacandum, ex qua, externa compositio, & virtus tota manare debet. Quarto lex Euangelica à nobis maiorem virtutum perfectionem exigit, & altiora quædam, ; non solum supra naturæ legem, sed & Mosis, vnde curandum est, Oratori Euangelico, vt intelligant Christiani omnes, ad maiorem, quam alios, perfectionem teneri, Cui enim multum datum est multum ab eo exigitur. Audi Paulum, Cum essem paruulus loquebar vt paruulus, scilicet in antiqua lege, cum autem factus sum vir, in lege scilicet Euangelij, euacuaui, quæ erant paruuli. Ad hoc caput multa tendunt ex his quæ Dominus noster, in sermone quem habuit super montem edisserit, vbi primo loco, octo propositiones, quas titulo, beatitudinum insigniuit, nobis proponit totius Christianæ perfectionis summam continentes, Deinde multa legis antiquæ præcepta perficit, Audistis quia dictum est antiquis. Non occides, Ego autem dico vobis non irasci. Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum. Ego autem dico, Diligite inimicos vestros, & alia huius generis, & addit Estote ergo perfecti sicut, & pater vester cœlestis perfectus est. Nec animos despondeamus, si magna nobis quędam præcipiantur quia ipsummet Euangelium, vires addit, est enim Euangelium Virtus Dei Græcè habetur δύναμις ideſt potentia, quæ datur, vt ibidem dicitur, in salutem omni credenti, & ad Iustificationem hominis; Iustitia enim, vt ibidem subditur, in eo reuelatur, quia scilicet Iustificamur non ex operibus legis, neque ex vi liberi arbitrij, sed per fidem in Christum. Quinto denique ex hoc loco, occasionem sumat, Orator, auditores suos monendi, vt in magno pretio, & reuerentia, verba Euangelij habeant, & legis Euangelicæ obseruationem exactissimam teneant, Tum ratione ipsius legislatoris Christi, qui multis titulis, hoc à nobis iure exigit, Tum quia potest etiam, & pœnas infligere transgressoribus, & præmia æterna reddere obseruantibus. Audi Paulum, Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos, non multo magis, obtemperabimus, patri spirituum, & viuemus? Tum propter exemplum, quod nobis obedientiæ reliquit, cùm se antiquæ legi præbuit obedientem; à cuius nos graui iugo ita liberauit, vt aliam longè faciliorem dederit. Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus: Et quidem liberati sumus ab illa onerosa lege, non tamen sine lege, & faciliori, & perfectiori sumus;

Lex Euangelica maiorẽ perfectionem requirit ab homine quã Mosaica.

Luc. 12.

1. *Cor.* 13.

1. *Matt.* 5.

Rom. 1.

Eph. 2.

Hebr. 12.

Gal. 4.

quam

Rom. 6. quam obseruemus. Audi iterum, Non estis sub lege, sed sub gratia, quid ergo (ait) peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? absit, & optimum argumentum subijcit. Nescitis quoniam cui exhiberis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam? gratias autem Deo, quod fuistis serui peccati, obediistis autem ex corde, in eam formam doctrinæ in quã traditi estis, & concludit. liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. q.d. sumus per Euangelium liberati à lege antiqua, & à peccato, sed, obediendum nobis est, ex corde tanquam filij legi gratiæ, quam Christus nobis dat, vt simus serui Iustitiæ, Christi, cum quadam libertate filiorum, ex sincero animo sequentes.

Ecclesia Christi. XVIII.

TOta fidelium Christi congregatio, quam Ecclesiam vocamus, Christi corpus mysticum est, cuius ipse, est caput. Ex quo argumenta plura initio colligimus, cum ipsum Christum vt caput, nos vt membra consideramus, quare ijs omissis, alia consideremus, quæ Christi Ecclesiæ conueniunt, vnde etiã argumentorum copiosa materia non deerit. Dicitur præterea, Ecclesia Christiana, ipsius Christi sponsa, quod est argumentum eius amoris in Ecclesiam vt Paul. affirmat, Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea. Ex quo nos ad eius amorem prouocamur. Si enim sponsus patrẽ, & matrem relinquit & adhæret vxori suæ, quod Paulus vocat Sacramentum magnum, in Christo, & in Ecclesia, cur non & Ecclesia Sponsa, rerum omnium caducarum affectu deposito, soli Christo cor suum, integrè, perfectèque donet? Et si Christus sanguinem pro Ecclesia fudit, mundans eam, inquit Paulus, lauacro aquæ in verbo vitæ vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Cur & ipsa Ecclesia non seipsam, omni cura, in hac pulchritudine, quam à sponso accepit, immaculatam se conseruet, vt viro suo placeat, sicut in canticis docetur, scilicet vt sit sicut Lilium inter spinas, & sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ ac Thuris & vniuersi pulueris pigmentarij, & quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Rursum Ecclesia est domus Christi, super ipsum met fundata, quia fundamentum

Ecclesia Christi Sponsa. *Eph. 5.*

Eph. 5.

Cant. 2. & 3.

Cap. 6.

Ecclesia Domus Christi.

tum aliud (inquit Paulus) nemo potest ponere; Ergo quilibet de Ecclesiu, vt idē docet Paul. supra hoc fundamentum superædificare debet aurum, argentum, lapides pretiosos, hoc est virtutes, earumq; actiones, præsertim cum lapis fundamenti, vt affirmat D. Petrus sit summus, angularis, probatus, electus, pretiosus, super quo, docet idem, nos debere nos ipsos superædificare, lapides viuos, domos spirituales, in Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. His adde quatuor Ecclesiæ veræ conditiones ac notas, ex quibus argumenta quatuor existunt in genere Didascalico, quibus doceri debet Christianus populus, hanc esse veram Ecclesiam, vt in ea viuat, in ea moriatur, Ideoq; Satanę congregationes, & hæreticorum Synagogas horreat fugiatq; qui iactantes apud se esse veram Ecclesiam, rudes homines, misere decipiunt ac perdunt. Ecclesia Christi Vna est, Sancta est, Catholica est, & Apostolica. Vna est toto orbe diffusa, vnam habens fidei regulam ac doctrinæ, vnum corpus, vnum baptisma. Ergo hæreticorum Sectæ, inter quos tanta dogmatum diuisio, tanta linguarum confusio, nequaquam sunt vera Ecclesia, sed Turris Babel; Catholica est, & vniuersalis, amplectēs & quoad loca totum orbem, & quoad tempora omnes homines, Ergo doctrina quæ de nouo exurgit contraria ei quam hactenus vniuersalis Ecclesia, vt de fide habuit, aduersatur veritati, & Ecclesiæ Christi, Hanc autem Catholicam Ecclesiam non aliam esse quam Romanam, inde liquidò constat, quod cum ea sit Christi Ecclesia, quam D. Petrus rexit, cui à Christo dictum est Tibi dabo claues Regni Cœlorū, & pasce agnos meos, & oues meas, idest Christianos omnes, tam prælatos, quam subditos, Certò liquet Romanos Pontifices Petri esse successores, ex continua, & nunquam interrupa serie, quia Diuo Petro successit Linus, & huic Clemens cui Anacletus, Euaristus & alij omnes vsque ad Paulum quintum qui nunc eandem Petri obtinet Sedem. Dicitur Ecclesia Sancta, non quod omnes sint in ea Sancti, sed quod in ea sit vera sanctitas, & fons Sanctitatis Christus, & Sacramenta quæ vim habent, sanctitatem & gratiā conferendi, vel Sācta quia firma, & stabilis omnino, impugnari quidem potest, expugnari nunquam. Ergo hæreticorum doctrinæ, quas quotidie variari aduertimus, non ad veram pertinent Ecclesiam. Apostolicam item appellamus Ecclesiam, eo quod ab Apostolis fundata, traditiones habet apostolicas, quas summa veneratione seruare perinde ac sacras literas debemus. Ex ijsdem

1. Cor. 3.

1. Ep. c. 2.

Ecclesiæ quatuor notæ & genere Didascalico.

Vna est.

Ephes. 4.

Catholica, & Romana.

Matt. 16. Ioan. 21.

Ecclesia Sancta.

Apostolica.

Digitized by Google

Pro Genere Hortatorio.

dem notis facile etiam erit in genere Hortatorio, docere, quales, moribus esse debeant, qui Ecclesiæ membra viua esse volunt, debent enim habere non modo fidei vnitatem, sed etiam

Ephes. 4. spei, sicut vocati estis ait Paul. in vna spe vocationis vestræ, & eiusdem confessionis vt idem docet, Non sint in vobis schismata, sed idem dicamus omnes, idem sentiamus, Itemque vnitatem morum, quia Deus facit inhabitare vnius moris in domo. Denique vt simus vnum cum Deo & inter nos, Sicut apud

Cap. 17. Ioan. Christus orauit. Deinde, Christiani hominis spiritus, vniuersalis ita esse debet, vt omnes, cuiuscunque nationis homi-

Coloss. 3. nes amplectatur, Ita Paulus non est masculus, neque fœmina, gentilis & Iudæus, barbarus, & scytha, seruus, & liber, sed omnia in omnibus Christus. Ex nota sanctitatis argumentum sumimus, aspirandum nobis esse ad sanctitatem, ad hoc

Eph. 1. enim vocati sumus, ait Paulus, vt simus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate; Ita hortatur Corinthios

1. Cor, 6. An nescitis ait, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Et post aliqua subdit; Et hæc aliquando fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei. Eodem modo D. Petrus se-

1. Epist. 1. cundum eum qui vocauit nos sanctum, & ipsi sancti sitis in omni conuersatione, quoniam scriptum est, sancti eritis, quoniam ego sanctus sum, Tandem curemus vt ab ipsis Apostolis, quos tamquã patres, singulari deuotione venerari oportet, doctrinam & mores, ac spiritum quendam Apostolicum hauriamus.

Sacramenta genericè, ac Baptismus. Cap. XIX.

SAcramentorum consideratio ex primum argumenta suppeditat, quæ eo tendunt vt ipsorum institutionem magni faciamus, vt ea repetamus frequenter, quæ iterari possunt, vt sunt maximè, Clauium Sacramentum & Eucharistiæ. Hoc

Sacramenta quid sint. enim modo argumenturi ex hoc loco poterimus, quod sacra-

3. de Doct. Christ. c. 9. menta sunt cultus diuini efficacia Signa, quibus Christiani a

Li. de Eccl. hierarch. cæteris gentibus distinguntur, vt Augustinus docet, quia sunt symbola quibus a Deo in vita spirituali erudimur, vt explicat Dion. deducens arcana mysticæ theologiæ ex Sacramentorum

Li. de ver. & fals. rel. c. 17. ritibus, quia sunt medicinæ spiritualium morborum ex Aug. vbi docet antiqua sacramenta ostendisse tantum morbos, vt spe-

culum, nostra vero sanare vt emplastrum vulneri applicatum, quia sunt arma spiritualia, quibus Dauid Goliam superauit,

sunt

ſunt canales, per quos Chriſti merita & ſanguis ad nos deriuantur, per quæ Chriſtum tangimus ab eoq. tangimur & ſaluamur; quia deniq; vaſa ſunt gratię quã continent, & quam ſua virtute conferũt ad iuſtificationẽ, & ſanctitatẽ. Quare non eſt quod de naturæ noſtræ corruptæ imbecillitate cõqueramur, Si enim cũ Paulo clamare poſſumus, Infelix ego homo, quis me liberauit à corpore mortis huius, etiã ab eodem reſponſum accipiamus, Gratia Dei per Ieſum Chriſtum, hanc autem gratiam in ſacramentis paratam habemus. Neque ſolum gratiam communiter dictam ſacramenta omnia conferunt, ſed peculiaria quædam auxilia, ad fines varios, ſingula habent. Sicut (inquit Ber.) inueſtitur Canonicus per librum, & Abbas per baculum, & Epiſcopus per anulum ſic diuiſiones gratiarũ diuerſis ſunt traditæ Sacramentis. In Baptiſmo regenerati naſcimur. In cõfirmatione, robur confertur ad fidei confeſſionem vt creſcamus, per pœnitentiam ſauamur à peccatis, & præſeruamur, per Euchariſtiam nutrimur, & vnionis cum Chriſto gratiam aucupamur, Matrimonium Eccleſiæ prouidet, ne membra eius deſint & armat ad continentiam coniugalem, in ordine ſacro, ſpiritus ad bene regendum adminiſtratur Eccleſiæ miniſtris. In extrema vnctione ad luctam ſpiritualem, proximi morti vngimur, & corroboramur contra hoſtes. Præterea ex dignitate, natura, vſu, & effectu ſacramentorum, argumenta deduci poſſunt, vt intelligant omnes, quam ſanctè, quæ ſancta ſunt, ſumi debent. Tum quia indignus qui accedit, non ſolum ſacramenti fructu priuatur, ſed in ſuam perniciem, ac damnum, remedium ſalutis conuertit, Tum quia ſacramenta, maiorem ſeu minorẽ conferunt gratiam, iuxta diſparem accedentium diſpoſitionẽ. Sed vtile erit ad ſingula ſacramenta deſcendere. Prima omnium ianua, Baptiſmus eſt. Hic primum monendi ſunt Chriſtiani, qualem poſt baptiſmum, vitam eos gerere deceat, Accipe argumentum Pauli. An ignoratis quod quicumque baptizati ſumus, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à morte, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus, hoc ſcientes quia vetus homo noſter crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltra non ſeruiamus peccato. & ad Gal. quicumque baptizati eſtis Chriſtum induiſtis: Quomodo autem baptiſmus, veterem hominem exſpoliet, nouumque ac celeſtem induat Chr. apta ſimilitudine ac

Cõferunt gratiam, *Rom. 7.*

Serm. de cœna Domini.

Sacramẽtorũ dignitas,

Baptiſmus docet ſanctitatem. *Rom. 6.*

Gal. 3.

Hom. 7. in Ep. ad Coloſſ.

exemplo

Hom. 7. in Epist. ad Coloss. exemplo statuæ docet. Ne mireris (ait) quod in baptismate est, & natiuitas & corruptio, nam dic mihi an res diruere, ac dissoluere non contrarium sit ei quod est coniungere? Nemini non liquet, atqui hoc ignis facit; nam ceram dissoluit ac perdit, terram vero metallicam conglutinat, & aurum efficit; ita & hic fit; statuam ex cera factam demolita ignis vis, vicissim auream loco illius exhibet, verè quippe lutei, sumus ante lauacrum, post lauacrum vero aurei.] Optima autem ratio ad persuadendam hanc sanctitatē baptizatis hæc esse potest; quoniam omnis actio cuiuscumque rei naturam sequi solet, nam leo secundum leonis naturam agit, & ignis naturæ, ignis actiones seruat conuenientes, Ita cum, baptismo renati, recipiunt quoddam esse spirituale, ac diuinum ad similes etiam

Lib. 4. de Symb. ad Cath. c. 1. actiones, hoc est ad diuinas assurgere debent, sic ratiocinatur Augustinus. diabolo renuntiare professi estis in prima professione non hominibus, sed Deo & Angelis conscribentibus dixistis renuntio Sathanæ, & omnibus pompis eius, renuntiate non solū

Hom. 21. ad pop. Ant. vocibus, sed & moribus.] Sic etiam Chrisost. vult hanc vocem renuntiandi Sathanæ per totam vitam à Christianis vsurpandam, & in ore habendam, sicut (ait) sine calceamentis, & sine vestimentis, vestrum nemo, in forum descendere eligeret, Ita sine hoc verbo, nunquam in forum prodeas, sed cum es ianuæ vestibula progressurus, hoc prius verbum loquere, Abrenūtio tibi Sathana, & coniungor tibi Christe.] Christus vero

Matt. 28. cum Apostolos per orbem prædicaturos mittebat, duo simul iniungit facienda, primum; Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Secundum Docentes eos seruare, quæcunque mandaui vobis.

Confirmatio, panitentia, Ordo Sacer, Matrimonium. Cap. X X.

Cōfirmati tenentur ad fidei confessionem.

EX Confirmatione, argumenta duci possunt in genere Hortatorio vt fortiter in omnibus, maximè in fidei confessione nos geramus, Sic Petrus Dam: In Baptismo (ait) spiritus

In Eccle-sia Dedic. Serm. 1. datur ad veniam, hic ad pugnam, ibi mundamur, ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur.] Et Melchiades Papa ad Episcopos Hispaniæ, In baptismate inquit regeneramur ad vitam post baptismum confirmamur ad pugnam, in baptismo

De ijs qui myst. ini- abluimur, post baptismum roboramur, vt regeneratis, custos, & consolator & tutor adsit Spiritus sanctus. Ambros. Repete (ait)

(ait) quia recepisti signaculum spirituale (loquitur de Sacramento Chrismatis) serua quod accepisti, signauit te Deus pater, confirmauit te Christus Dominus, dedit pignus spiritus in cordibus nostris] Augustin. ex eo quod in hoc Sacramento vngitur frons cruce sic argumentatur, Vsque adeo de cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam crucem, sed in fronte portem, & subdit, quia in fronte erubescitur, ille qui dixit, qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & ego eum coram patre meo, ipsam ignominiam, quodammodo, scilicet Crucis, & quam pagani derident, in loco pudoris nostri constituit; Audis hominem insultare impudenti, & dicere, frontem non habet, quid est frontem non habet? Impudens est, Non habeam nudam frontem, tegat eam, crux Domini mei.] Ex Sacramento pœnitentiæ ac Confessionis, argumenta afferri possunt ad eius frequentem vsum persuadendum, Eo quod Christus Dominus ad remittenda peccata instituit remedium hoc, tam facile, solum enim requiritur vt tu doleas, & proponens vitæ mutationem in melius, peccata tua secreto accuses coram Sacerdote, & statim iustificaberis, absolutus ab omni crimine; tam commune, quia passim, est reperire Sacerdotes, cum potestate absoluendi, & clauibus; tam efficax, non ad præteritorum modo, peccatorum remissionem, sed ad præseruandum item à futuris maximè opportunũ, & singulare remedium. Potest ad id confirmandum experientia, non modo singularum personarum, quæ tantũ adiumenti senserunt, ex hoc frequentiori vsu, sed etiã magnarum ciuitatum, emolumẽta afferãtur, vbi enim hæc frequentia viget, odia plurima, & diffidia cessant, homines ab iniurijs magis abstinent, lites diminuuntur, & multa crimina exulant, adeo vt in quadam Germaniæ vrbe, vbi per hæreticos, confitendi præceptum, & vsus defecerat & multa consequenter delicta excreuerant fuerit rogatus Carolus Quintus vt sua authoritate, confessionis vsum restitui iuberet. Item ex multiplici bono, quod affert, idem suaderi potest, cuiusmodi est maior aliqua certitudo gratiæ, prout haberi potest in hac vita, quandoquidem virtute clauium etiam ex attrito fit pœnitens contritus, dantur vires contra tentationes & fomitem, tolluntur aliquo modo, pro ratione doloris, etiam pœnæ peccatorum, Magna conscientiæ tranquillitas aduenit. Ex eadem natura, & virtute Sacramenti huius admonendi sunt omnes, vt parati accedant, ne forte nouo sacrilegio, conscientiam, cõmaculent. Sacerdotes etiam admonendi sunt, vt ad hoc tribunal

tiãtur. c. 7. in fine.

In ps. 141.

Frons vngitur ne erubescamus Christũ confiteri.

Sacramẽtum confessionis frequenter suscipiendum.

Confessionis frequentis fructus.

Digitized by Google

nal rite habendum, scientiam idoneam, & necessariam habeãt coniunctam cum vitæ sanctimonia, cum prudentia, & discretione spirituum, cum zelo, ne Christi sanguinem temere effundãt, & alienorũ peccatorum, participes efficiantur vt loquitur Cõcilium Tridentinum. Ex Sacramento ordinis sacri, occasio sese offeret, admonendi Ecclesiasticos viros vt intelligant, quanta vitæ puritate ac præstantia virtutum cæteris omnibus præire debent, ne illud merito obijciatur à Deo quod per Isaiam queritur. Sicut populus ita & Sacerdos, quæ planè querela, tũc iuste locum habet, quando (vt ait Greg.) qui spirituali officio fungitur, agit ea quę illi faciunt, qui adhuc de studijs carnalibus iudicantur; Vt dent operam, ne illa rursum Hieremiæ lamẽtatio cantari cum lugubri luctu possit, quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, abscissi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum, qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora. Meminerint, quanta puritate mẽtis & corporis fulgere debeant, qui sacrosancta mysteria corporis, & sanguinis Christi contrectant, ijsq; aluntur, legant titulum de Vi: & hon. Cler. Intelligãt se Dei ad populum esse legatos, vt Dei mandata deferant, & populi ad Deum, vt pro peccatis populorum preces fundant, ideoque & scientia illustres sint, ob id enim apud Malachiã dicitur, Labia Sacerdotis custodiunt scientiam; & legem requirunt de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est; ne ex defectu scientiæ à Deo illi obijciatur quia tu scientiam repulisti, repellam te & ego ne sacerdotio fungaris mihi, obseruent quod dicitur de Symone Oniæ filio in ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum, Ideſt cum ad altare holocaustorum ascendebat sacris operaturus, ipsum amictum sanctitatis, hoc est, vestes sacras põtificias quibus amictus erat, dedit gloriã, ideſt glorioſas reddidit, quia vitæ suæ sanctitate, eas ornabat sicut ab eis ornabatur. Vtilis etiam est hic locus vt populis significetur, qua veneratione debeant Ecclesiasticum statum venerari, & prælatis obedire, cum locum Dei; & Christi habeant, & sit ab eodem Christo prædictum, qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit. Matrimonium habet tria bona, Fidem, Prolẽ, ac Sacramentum; Ex quibus Ecclesiastes aliquot ad suadendum vtilia colliget argumenta. Ex primo bono docebit, quanta charitatis coniunctione se inuicem diligere coniuges debeant vt fidem sibi datam seruent, & sit honorabile coniugium eorum, & thorus immaculatus, nam qui matrimonium, solo carnis affectu suscipiunt,

Ordo sacer.

Isa. 24.

In 2. parte past. c. 7.

Thren. 4.

Mal. 2.

Eccl. 50.

Matr. 3. bona.

sunt

Digitized by Google

ſuper hos ait Angelus Tobiæ poteſtatem habet dæmonium. Ex ſecundo quanta cura liberos debeant educare, & Chriſtianis moribus inſtituere. Ex Tertiò quanta morum ſanctitate fulgere coniugatos deceat, cum eorum connubium, magni illius Sacramenti figura ſit, quod eſt inter Chriſtum, & Eccleſiam. *Tob.6.*

Euchariſtia Sacramentum, & extrema vnctionis. Cap. XXI.

EVchariſtia, Primò ponit mihi ante oculos recentem, quam de Chriſto, eiuſque myſterijs conſeruare debeamus memoriam, cum in hunc ipſum finem a Chriſto ſit inſtituta cum dicat, Hoc facite in meam commemorationē, præſertim quod idem ipſe Dominus reali præſentia ſub panis, ac vini accidentibus in altari aſſiſtat, qui nunc apud Deum patrem reſidet. Ita enim benigniſſimus Dominus, noſtrique amantiſsimus, vult fidem noſtram excitare, fiduciam erigere, charitatem accendere, ſic nos ei cultum latriæ ac religionis præſenti, perfectius exhibere poſſumus, ſicut Angeli, ac beati faciunt in cœlo coram Agno procũbentes, eique perpetuas laudes accinentes, ſic in omni noſtra neceſsitate habemus ad quem confugiamus, tanto facilius audiendi quam olim in veteri teſtamento ad tabernaculum fœderis recurrentes, quanto nobilius eſt Chriſti corpus quam antiquum illud tabernaculum, licet ex imputribilibus lignis compactum. Secundo neque ſe adorandum ſolummodo, reliquit, ſed quod eſt maius etiam manducandum, quæ fuit admodum ſingularis & verè Deo digna inuentio, vt ſcilicet renatis cœleſti Semine filijs cœleſtem etiam, quo nutrirentur, & adoleſcerent cibum prouideret, iuxta illud Concil. Trident. pronunciatum, ſumi (inquit) voluit Chriſtus hoc ſacramentum, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, qui manducat me, & ipſe viuet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. Sicut etiam Cyr. differens ait ſedat in nobis manens Chriſtus fœuiẽtem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat perturbationes animi extinguit, & ſicut paſtor bonus, qui animã ſuam pro ouibus poſuit ab omni nos erigit caſu. Hæc planè manducatio eo tendit, primò vt vnum cum Deo efficiamur, ſecundò vt inter nos item vnum ſimus, Etenim communicantes, eius corpori, & ſanguini, omnium eius meritorum, par-

Cur inſtituta Euchariſtia.

Seſſ. 13. c. 2.

Lib. 4. in Ioan. c. 17. in fine.

Vnio cum Chriſto & inter nos.

Digitized by Google

ticipes ac theſaurorum euadimus, atque adeo in eum transfor mamur; ſicut enim panis in Chriſti corpus tranſubſtantiatur, & vinum in ſanguinem, ita & nos quodammodo in ipſum moraliter conuertamur, quam vnionem mirificè Chriſtus explicauit poſt datam Apoſtolis Euchariſtiam. Ego (ait ad Patrem) claritatem quam dediſti mihi, (hoc eſt diuinitatem, quam ei Pater ab æterno communicauit) dedi eis, nempè ſub ſpeciebus ſacramentalibus cum humanitate; Vt ſint conſummati in vnũ, hoc eſt vt perfectam conſummatamque communionem habeãt cum ipſo Deo, hoc enim ait Chriſoſt. ardenter amantium eſt proprium. Et Greg. Niſſen. vt id efficiamur, quod ipſe eſt. Vnde Cyprianus. non ſolum Deum & hominem fatemur, ſed & nos ipſos corpus eius effecti, Sacramento, & re ſacramenti capiti noſtro connectimur.] Nec ſolum ad Dei vnionem tam perfectam, hoc Sacramentum nos eleuat, ſed vt inter nos quoque vnum ſimus maximo charitatis vinculo colligati, quod eſt D. Pauli argumentum ad Corinth. cum ait, vnus panis & vnum corpus ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus; Vnus panis ſumus, quia ipſe Chriſtus qui eſt panis viuus, quem omnes ſub panis ſpecie accipimus, in omnibus idem eſt, ſicut multæ hoſtiæ, factæ ſunt vnus Chriſtus, vel vt docet Cypr. ſicut vnus panis fit ex multis granis, & vinum ex multis racemis, ita & Chriſtiani per hoc Sacramentum vnus panis fiũt, & vnum ſunt inter ſe; Addit verò D. Paul. & vnum corpus, quia licet vnum ſimus in Eccleſia per Chriſtum, ſunt tamen diuerſa membra, & vnitas non tollit diuerſitatem munerum & ſtatuũ in Eccleſia, quia eſt vt corpus ex diuerſis conſtans membris, ac functionibus; Imò vero perficit hæc vnitas vnum quodque mẽbrum in ſuo munere, ſicut panis in corpore ſumptus vnicuique membro, ac parti corporis ita adhæret, vt ſeſe vnicuique ſubſtantiæ membrorum accommodet; Itaque noſtro Oratori non deeſt occaſio, & materia argumentorũ in genere ſuaſorio ex his quæ diximus præſertim ſi ad vnionem cum Deo, & mutuam inter nos velit impellere. Habet enim hic locus meo iudicio magnam ad hoc vim. Ideoque Conc. Trident. vocat hoc auguſtiſſimum Sacramentum, vinculum charitatis, concordiæ Symbolum. Præter hæc quæ diximus, inuitandus eſt populus ad frequentem huius Sacramenti ſumptionem, vt ex parte imitemur Eccleſiæ primordia, præſertim ſi referantur multiplices fructus; eſt enim certiſſimum illud Cypr. mens deficit, quam recepta Euchariſtia non erigit, & accendit. Et ſicut panis communis,

Io. 17.

Hom. 61. *ad Pop. Ant.*

In c. 3. *Eccleſ.* De cœna Domini in ſipe.

2. *Cor.* 10.

Epiſt. 63.

Seſſ. 13. *c.* 2.

Lib de cœna Domini.

nis, quem quotidie edimus vita eſt corporis, ita panis iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animæ, & ſanitas mentis tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto conformat. Sed ſicut his qui benè parati ad hanc cæleſtem menſam accedunt, magna quædam bona proueniunt; Ita qui indignus accedit iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini ait Paul. & addit, ideo inter vos multi infirmi, & dormiunt multi. Audi quã graui argumentatione acriter ex hoc loco D. Chryſoſt. inuehitur contra turpiloquium. Conſidera (inquit) audientes quomodo rubore ſuffunduntur dum tu loqueris indecora, quid vilius homine turpiloquo? quid contemptius? ſatius eſt purulentiam ab ore demittere, quam verbum obſcœnum; Nunc ſi fœteat os, ne cibum quidem vna capere ſuſtines, at cum tantus fœtor ſit in animo, dic mihi audes communicare myſterijs? At ſi quis vas impurum aliunde capiat ponatque in menſa tua, fuſtibus illum exacturus ſis: Porrò Deum in ipſius menſa, (nam menſa illius eſt, os noſtrum Euchariſtiæ plenum) cum verba afferas quouis impuro vaſe ſordidiora, obſecro te, non putas ad iram prouocari? & quomodo id fieri poſſit? Nihil enim perinde offendit ſanctum ac purum, vt huiuſmodi verba. Vnguentum in ore tuo poſuit Deus, tu verò cadauere fœtidiora, ibi repoſuiſti verba. ipſamque interius animam torpidam, & immobilem reddis?] Reſtat Extremæ Vnctionis Sacramentum à Chriſto, vt omnia ſacramenta inſtitutum, & à D. Iacobo Eccleſiæ his verbis propoſitum. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit Infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit remittentur ei; Ex quibus curabit diligens Concionator, omnes pro ſuo munere aliquando monere, nè in huiuſ Sacramenti vſu negligenter ſe gerant. D. Bernardus in vita Malachiæ refert, quod cum is cuidam mulieri hoc conferre diſtuliſſet, & illa interim obiiſſet, adeo doluit vt tota nocte ſupra corpus lacrymas funderet, ob quarum merita, defunctæ ſpiritus reſtitutus eſt, quæ Epiſcopum ſalutauit, ab eoque inuncta eſt, & aliquos poſtea annos ſuperuixit. Secundo monendi ſunt omnes, vt ad bonam mortem ſe parent, ad quam etiam hoc inſtitutum eſt Sacramentum, cum negotium ſit tanti momenti, vt ab eo momento æternitas ipſa pendeat, & in qua Dæmon maximè inſidiatur homini, ſciēs quia modicum tempus habet, proptereaque curandum vt agonizanti viri ſpirituales adſint, qui monitionibus ac precibus

Hom. 6. in 2. Cor. in fine.

Iac. 5.

opem laboranti in extremis ferant. Tertio ex partibus corporis, quæ iniungi solent, scilicet oculis, auribus, ore, manibus renibus, pedibus, colligimus in his solere homines peccata sæpius committere, quare monendi sunt, vt in vita has partes immaculatas conseruent.

Merita Christi, Apostoli, Prophetæ, Martyres, & Mater Christi. Cap. XX.

MErita & satisfactiones Christi, nos primò ad gratitudinem prouocant, quoniam suis laboribus, tormentis ac actionibus heroicis, imò diuinis non sibi meruit, sed nobis. Nos enim ex ipsius Christi Thesauro accipimus, vt mereri possimus aliquid coram Deo, & peccatorum debita exoluamus. Meritò mirari possumus & dicere O rem miram non habet homo pecuniam, qua debitum soluat; ab eo accipit cui debet; ex alieno es soluit alienum, & adderem, seruus ait Domino, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, & Dominus ait Seruo, pœnitentiam habe in te, & omnia remittam tibi. Christi etenim merita nostram non excludunt pœnitentiam, nec nostra merita, quæ tamen propter Domini merita sunt merita, sine illis autem nihil habent opera nostra aut pretij, aut meriti. Secundò, vt ad eum recurramus, omnino excitant. Christus enim nobis meruit, & peccati remissionem, & gratiam, & iustificationem, & auxilia Dei, & æternam salutem, vt dicitur Act. 4. non est aliud nomen, in quo oporteat nos saluos fieri, & cap. 6. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum per nomen eius accipere. Tertio discimus ex Christi meritis, non otiari, vt hæretici somniant, imò blasphemant, sed vt ad exemplum eius strenuè collaboremus, quia Paulus docet, nos futuros Dei hæredes, & Christi cohæredes, non absolutè, sed ea conditione, vt cum eo simul patiamur, & hoc modo glorificemur. Cum autem, ait Augustinus Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua, & alibi referens Pauli verba bonum certamen certaui, cursum consumaui opus est, (ait) fidem seruaui, opus est; supereſt mihi corona iustitiæ, merces est; sed in mercede, tu nihil agis, in opere non solus agis.]

Merita nostra ex Christi meritis.

Rom. 8.

Ep. 105. ad Sixtum.

Li. 50. Hō. 14.

Apostoli Christi fidē firmarunt.

Apostoli Christi fuerunt primi Domini nostri Discipuli, qui ex ipso fonte Euangelium, hauserunt, ab ipso Christo destinati, & missi, vt Christianam Religionem, toto terrarum orbe disse-

disseminarent, suntque nostri primi Patres, & primi Ecclesiæ doctores, & prima fundamenta post Christum. Ex eorum qualitatibus, argumenta optima desumunt patres in genere Didascalico ad confirmandam fidei, religionisq; nostræ, veritatem. August. Ineruditos ait liberalibus disciplinis, & omnino impolitos piscatores, Christus cum suis retibus fidei, ad mare huius sæculi misit, & ita tam multos pisces ex omni genere etiam Philosophos cępit] Ambros. Aduerte ait cæleste consilium, non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores, quos dirigeret elegit, ne traduxisse prudentia, ne redemisse diuitijs, nè potentiæ, nobilitatisque authoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, vt veritatis ratio, non disputationis gratia præualeret] Item Cypr. Tu Domine Armentarios facis statim Prophetas: Opiliones Reges: Telonarios Apostolos: Piscatores Doctores] Confirmari autem hæc argumentatio potest, quoniam Apostoli fuerunt oculati testes, eorum quæ de Christo prædicabant, vt Ioannes affirmat, & Petrus: Adhuc magis corroboratur, quia fuerunt vitæ probatissimæ, & integerrimæ, sine vlla humanæ mercedis spe, labores multos grauissima tormenta, & mortem passi pro eius fidei, quam prædicabant certitudine, ac veritate. Adde quod doctrinam multis, ac magnis confirmabant miraculis, sine quibus non est credendum, mundum contemptis omnibus Idolis, Christum admisisse, & paucis Apostolis credidisse, vt verè Apostoli sint lux mundi, sal terræ, ciuitas supra montem posita.

Lib. 22. de Ciuit. c. 5.

Iu. Luc. c. 6.

De cœna Domini.

1. Ioan. 1.
2. Pet. 1.

In eodem genere doctrinali valere potest Prophetarum authoritas, qui maximè de Christo ante multa sæcula loquuti sunt, ita vt sit maximum fidei Christianæ firmamentum in Prophetis Christum, eiusque Euangelium legere, & vice versa in Euangelio Prophetas intelligere, & vtrobique eundem Christum personare: sicut enim per diuersa fistulæ eiusdem foramina, vox artificiosa concentum reddit, sic per ora Prophetarũ, & Euangelistarum idem consonat Christus, estque Prophetia tam magnum fidei firmamentum, vt D. Petrus etiam miraculis præferat. Habemus ait firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, cuius rei optimam dat Augustinus rationem: Præuidens (inquit) Dominus Iesus Christus impios quosdam futuros, qui miraculis eius calumniarentur, magicis artibus ea tribuentes. Prophetas ante præmisit; Numquid enim si magus erat, & magicis artibus fecit, vt coleretur etiã mortuus, magus erat antequã natus? Prophetas audi, ò homo

Prophetarũ testimonia pro Christo.

2. Pet. 1.
Tract. 35. in Ioan.

mortue, & vermeſcendo calumniosè Prophetas audi, lege, audi qui ante Dominum venerunt. Vis argumenti huius inde eſt, quod futura contingentia, quæ ex cauſis naturalibus non pendent, ſolus Deus præuidere, ac prædicere poteſt, vt probant D. Thomas & Cypr. & Auguſt. Deus ergo, qui ſolus præſciuit, & prædeſtinauit futura de Chriſto myſteria, ipſe etiam Prophetis reuelauit, qui errare non poteſt, nec decipere, eſtque tam efficax hoc argumentum, vt Euſebius ob id ſuum librum inſcripſerit Demonſtrationem Euangelicam: Audiamus etiam Auguſtinum loco ſupra citato in Ioan. tract. 35. qui hoc modo vrget paganum; Quis eſt Chriſtus inquit paganus? cui reſpondemus, quem prænuntiauerunt Prophetæ. Sed qui nam Prophetæ ait ille? Recitamus Iſaiam, Danielem, Hieremiam, alioſque ſanctos Prophetas, dicimus quam longe ante illum venerint, quanto tempore aduentum Chriſti præceſſerint; Reſpondet aliquis eorum. Vos (inquit) vobis illa finxiſtis, vidiſtis ea fieri, & quaſi ventura, prædicta eſſent, in libris quibus voluiſtis, conſcripſiſtis. Hic, contra inimicos paganos, occurrit nobis aliorum inimicorum teſtimonium, proferimus codices à Iudæis, & reſpondemus, Nempè, & vos, & illi fidei noſtræ eſtis inimici, vt alios ex alijs conuincamus inimicis, Codex Iſaiæ proferatur à Iudæis, Sicut ouis ad immolandum ductus eſt, erubeſcat vnus inimicus, quia codicem mihi miniſtrat alius inimicus.] Eodemque modo etiam Iudæos ex ſuis codicibus confutat. Scripſerunt de hoc argumento præter Euſebium iam citatum Iuſt. in diſputatione contra Triphonem, & in Apologetico Cypr. contra Iudæos, Auguſt. de Ciuitate Dei lib. 16. 17. & 18. D. Proſper de prædictionibus. Præterea hæc Prophetarum lectio valdè vtilis Euangelico Oratori eſſe poteſt in genere Exhortatorio, ad omnes virtutes, ad quas illi, tam crebro hortantur. In genere Reprehenſorio, acriter inuehuntur contra peccata. Et qui fuerit in propheticis libris bene verſatus, multa inueniet ad vehementes affectus excitandos, propoſitis Dei contra impios minis, ſicut in genere conſolatorio, ad iuuandos puſillanimes, & ad lenes affectus commouendos.

D. Thom. cõtra Gen. cap. 61. Cyp. li. ad Quirinũ. Aug. l. de Ciuit. Dei c. 27. & ſequentibus.

Martyrum teſtimonia pro Chriſti religione.

Sicut de Apoſtolis ac Prophetis dictum eſt, eadem eſt ratio de Martyribus, quorum purpuratus exercitus, non verbis tãtum, ſed tormentis ac morte, glorioſum Regem Chriſtum prædicat, & confitendo fidei Chriſtianæ veritati, proprio ſanguine ſubſcribit. Quare ex hoc loco in genere eodem Didaſcalico, optimum ſumetur argumentum ad Chriſti fidem confirmandam,

Digitized by Google

etiam; præsertim si quatuor illa considerentur, quæ Lactantius notat in Martyrum testimonio attendenda, scilicet sapientiam singularem etiam in puellis, sanctitatem eximiam, & omni virtutum genere cumulatissimam, fortitudinem contra tam immanes Tyrannos, & acerbissima tormenta: inuictam; Denique etiam miracula tam multa. *Li. 5. c. 25.*

Non est huius loci hæc tractare, sed certũ est, hoc modo Christum triumphasse de tota Idolorum superstitione, & Religionem eius toto orbe peruagatam; Nam sanguis Martyrum, (ait Tertull.) erat semen Christianorum, & vt loquitur Leo Papa; semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dũ grana, quæ singula cadunt multiplicata nascuntur. Quare etiam in genere confutatiuo ex hoc loco rectè argumentamur, dum describentes pugnam inter Tyrannum, vel potius Dæmonem, & ipsum Martyrem siue magis Christum, gentiles confutamus, ostendentes cessisse omnem Idololatriam pro qua Tyranni pugnabant, & triumphasse Christum eiusque Religionem, pro quo martyres moriebantur, vt velit nolit, cogatur perfidus apostata Iulianus inclamare moriens. Vicisti Galilæe vicisti, & nos dulcissime cantare, super omnia vincit veritas. In genere exornatiuo quanta Christo gloria ex hoc loco nascitur? quanta Martyribus laus, qui accepta à Christo virtute tam generosos milites se exhibuerunt? & quasi Elephantes viso Christi sanguine ad pugnam, ad mortem pro sui Ducis gloria vitam obtulerunt? In genere suasorio, in Genere Consolatorio exempla Martyrum nos ad patientiam in aduersis armant, ad Christi amorem accendunt, & dulces reddunt cruces nostras. Similia possent afferri de candidato innumerabilium Virginum choro quarum corona est Christus. Sed longius progressi sumus in hoc tractatu; Melius est, vt cum Matre Christi concludamus. Titulus hic maternitatis tam insignis, vt nulli creaturæ possit altior cõtingere prouocare debet omnes nos, ad tria, quæ maximè Beatissime Virgini cõueniunt, Primò ad reuerentiã ei exhibendam, qualis Dei matri tribuenda iudicatur, vt supra omnes creaturas hyperdulię cultus ei detur. Beatus Laurentius Iustinianus tanto ait dignitate cæteris excellentior effecta quanto propinquior erat verbo. B. Ignatius vocat eam cæleste prodigium, & sacratissimum spectaculum. D. Chrys. magnum planè miraculum, Andreas Cret. Orat. de Dormit. Virg. omnis sanctitatis sanctissimum spectaculum. Hier. hortum delitiarum. B. Pet. Dam. Paradisum voluptatis, & omnes fermè Patres, in Maria, ex mul-

Matris Dei dignitas.

Digitized by Google

ex multis captibus, sed ex Dei maximè maternitate, exornatio nis partes illustrarunt. Hæc autē Reuerentia exhibenda est Mariæ, intellectu ac mente, magna quædam & admiranda concipiendo; Memoria vt eius sæpe recordatione delectemur; Voluntate eximium cordis affectum erga eam retinendo, ore frequenter laudes eius & canendo, & amplificando, operum piorum exhibitione, eam colendo, eius Imagines præ se habendo, dies festos ei dicatos summa pietate & virtutum actionibus celebrando. Secundò ad Inuocationem; nam si est Mater filij Dei, quid apud eum non possit; In periculis, (ait Ber.) in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat à corde, non recedat ab ore, & alibi Sileat (inquit) misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui inuocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse] Et B. Ephrem. vocat eam gaudium, sanitatem, & pacem mundi, & iterum trāquillum portum, refugium, & hospitium peccatorum, propitiatorium laborantium, omnium christianorum firmam salutem. Tertiò. Ad Imitationem virtutum eius, præsertim candoris, ac virginitatis, cuius vel sola memoria, contra omnem carnis petulantiam, est præsentissimum ac singulare scutum, & potens est, in cordibus & corporibus angelicam quamdam puritatem ingenerare, veluti gemma, quæ corpori applicata fluxum sanguinis reprimit. Humilitatis item, in tanta personæ dignitate, aliarumque virtutum; Quare sit Oratori Christiano Maria vt speculum, & exemplar perfectissimum, quod in omni genere causarum proponat. In purgatiuo peccatoribus immaculatissimum, ad cuius aspectum erubescat omnis inquinatus animus; In illuminatiuo, vt stellam fulgentissimam, imò vt mulierem sole vestitam; In vnitiuo quæ Deo sit Proxima super omnes, & perfectissima charitate Deo vnita. vt mater Filio. Et hactenus de his. Hæc mihi visa est vt initio dicebam aurifodina quædam cælestis; satis fuit aperuisse, facile est inuentis addere, si in hac altius effodienda Christiani Oratoris libenter desudet industria; & sibi & alijs copiosas opes comparabit. Nos vero quoniam de locis hactenus egimus, aliquid addendum iudicamus circa vsum quem seruare debeamus in sacrarum literarum testimonijs afferendis, & amplificandis, quoniam hæc tractatio etiam ad materiam ex locis colligendam pertinet.

Super Miss. est. Serm. 2. Serm. 4. de Assumpt.

Seri-

Digitized by Google

Scripturæ Sacræ teſtimonia quomodo vſurpanda. Cap. XXIII.

INter omnia argumenta & locos eorum, de quibus a nobis hactenus actum eſt, cum frequentiſsimus debeat eſſe vſus authoritatis diuinę, præter ea, quæ de ſtudio ſacrarum ſcripturarum in prima parte diximus, de earum vſu aliquid hoc quoque loco afferendum videtur. ſatis enim manifeſtum eſt, nullum argumenti genus afferri poſſe, quod magis conciones illuſtret eiſque robur afferat, quam ſententiæ ac verba ſacrorum librorum, quibus tamquam neruis redditur oratio lacertoſa. Hæc certe maxime valent ad docendum, mouendum, & delectandum, de quibus Auguſtinus. Duæ res, inquit, ſunt quibus innititur omnis tractatio ſcripturarum, modus inueniendi quæ intelligenda ſunt (quod nos in prima parte tractauimus) & modus proferendi quæ intellecta ſunt] quod in hac ſecunda conſiderandum eſt. In prima quidem parte monuimus oportere diligentem Concionatorem, habere Sacram ſcripturã in locos communes redactam, & quidem labore ſuo, quia ſic res hærebunt magis memoriæ, ſic multa notabit ab alijs præterita, & tamquam noua proferet, ſic etiam libentius vt ſua tractabit; & aptius ad rem accõmodabit. Ex his ergo locis & vſu, quem lectione aſsidua ſacrorum librorum acquiſiuit, debet ſententias, & teſtimonia in ſuas conciones deriuare. Sed antequam id fiat tyronibus ſubſidio eſſe poterit liber quem vocant Concordantiarum, quarum vſus hic eſt. ſi loquendum ſit de patientia (vt exempli gratia dicam) quære vocem patientia, vel patiens, vel pati, & alias quæ huic affines ſunt, & ad eandem materiam pertinere poſſunt, vt tolerantia, tolerare ſupportare, impatientia, tribulatio, fortitudo, & nota ſententias quæ magis ad rem tuam faciant, eas deliges quæ ſint minus communes, & tritę vimque maiorem ad probandum & excitandos affectus habeant. Has deinde bene cognitas ad locos dialecticos refer, qui ſunt definitio & natura patientiæ, neceſſitas, cauſæ eius, effectus etiam, contraria, & ſimilia, præſidia ad eam acquirendam, & cætera id genus. quo etiam valebit ſi præſto ſit aliquis in totam ſcripturam index copioſus. Interim tamen caueto, ne occaſione eius libri in ſtudio Sacræ ſcripturæ frigeſcas. Nã meo iudicio vſus libri concordantiarũ, licet ſit commodus, habet tamen aliqua incommoda. Primum nutrit

Lib. 1. de Doct. Chr. cap. 1.

Vſus libri Cõcordantiarũ.

Prudentia circa vſum libri huius.

Digitized by Google

nutrit in aliquibus ignauiam. Secundo multa effugiunt quę aptiſsima ſunt, quæ non certo aliquo vocabulo inueniri poſſunt, ſed alijs multis verbis, atque adeo hiſtorijs, parabolis, ſimilibus metaphoris, ac varijs modis loquendi continentur. Tertio non facilè ibi inuenientur, niſi res tritæ & vulgares, vnde fiat, vt ijs nò tam roboretur, & illuſtretur concio, quàm aliquo modo inferciatur, ac ſæpe ſiue aptè, ſiue ineptè intrudantur. Itaque non tam delectetur Tyro vſu illius libri, quàm aſſidua diligentique lectione, ſuopte ingenio formare ſibi ipſe è ſacris Biblijs communes locos, & indicem ſtudeat. Præter hæc monendus eſt Concionator. primum ac præcipuum eius negotium eſſe debere, vt in ſcripturarum explanatione ſequatur nõ ſuum ſenſum, ſed Sanctorum Patrum expoſitiones. Præclare Auguſt. ad Honoratum, qui ſacros libros ſe poſſe intelligere ſine aliena ope arbitrabatur; Ita ne, inquit nulla imbutus diſciplina Terẽtium ſine Magiſtro attingere non audes, Aſper, Donatus, & alij requiruntur, tu in ſanctos libros ſine duce irruis, & de his ſine Præceptore audes ferre ſententiam?] Ambroſ. ſcrutemur, ait præcepta maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudi temeritate violemus, librum ſacerdotalem quis noſtrum reſignare audeat, ſignatum à confeſſoribus, & multorum iam martyrio cõſecratum?] Dion. Areop. ad ſanctiſſimarum (ait) ſcripturarum intelligentias prout illas à Patribus accepimus contuendas pro viribns pergamus. Item alibi venerandam & Sacroſanctam traditionem; ſcripturæ autem maieſtatem appellat. Clem. Alex. qui aduerſus Eccleſiaſticam traditionem, ſcripturas interpretantur, hos regulam veritatis amiſiſſe affirmat. Quare ad diuinam (inquit) ſcripturam aſcendamus per expoſitiones patrum, velut per quandam ſcalam viſionis Iacob, vt eorum ſenſibus prouecti ad cognitionem Domini efficaciter peruenire mereamur.] Hæc igitur Patrum regula tenenda eſt, non tamen ſi quid alicui de nouo occurrat omnino prohibemus afferre, modo id nulli repugnet reliquæ ſcripturæ loco, & in omnibus regula fidei, & morum, & ædificationis ſeruetur. Veruntamen nouis expoſitionibus parcè admodum, & ſobriè vtendum eſt, nam hic eſſe audacem, res eſt plena periculi. Hebræi quidam profitentur ſe per traditionem accepiſſe artem quam vocant Cabalam, quæ poſita eſt in contemplatione literarum, vel varia earum diſpoſitione, ſeu in myſterio numerorum, qui ſigni ficantur per literas alphabeti græcas, atque hebræas, ex ea arte rarò quicquam attingendum, niſi vbi ipſamet ſacra ſcriptura oc-

Patrum interpretationes tenendæ. *Li. de vtil. cred. c. 7.*

L. 3. de fide ad Gratianum c. 7.

Cap. 1. de eccl. Hier.

Lib. 7. Strom.

Cabala quid ſit.

ra occasionem manifestè præbet, vt in Apocalypsi ego sum α, & ω. & in nomine Antichristi, quod in numero 666. significatur. Alludit August. ad vocabulum Adam, dum dicit quatuor orbis terrarum partes in singulis literis per græcas appellationes demonstrari. Dicuntur enim Græcè Ἀνατολὴ, Δύσις, Ἄρκτος, Μεσημβρία, ideſt Oriens, Occidens, Aquilo Meridies. Ista quatuor nomina si tanquam versus quatuor sub inuicem scribas, in eorum capitibus Adam legitur. Obiter hic admoneo, vt in citandis diuinæ scripturæ locis sit fidelis, & accuratus. non mutet verba, neque transponat, neque addat de suo, sed integrè fideliterq; ijsdem verbis eodem ordine referat, vt in nostra versione habentur: Non enim solum sententiæ, verum & verba & phrases à Spiritu sancto sunt, sicut etiam (vt hoc obiter notem) magna adhibenda cura & fides in Patrum testimonijs proferendis, Si quis non satis memoria polleat potius sententiam lingua vernacula afferat, quàm verba authoris deprauet, & sibi ipse authoritatem detrahat, apud eos qui inter auditores locum illum memoriter tenent. Adhibeat delectum, non omnia coaceruet, nec prolixas sententias latinè nisi perrarò iustamq; ob causam pronunciet: diligenter potius ex ipsis Patrum sentētijs, argumenta, & rationes eliciat. Sed quo modo sacrarum literarum instrumentis vtendum sit, exponendum est planius.

Tract. 10. in Ioan.

Prudentia in citandis scripturis.

Sensus Scripturæ literalis, & quis modus in eius explicatione. Cap. XXIV.

TRiplicem esse vsum in sensu scripturæ tractando non malè aliqui docuerunt, vt Primus sit cum scriptura, per quandam (vt vocant) accommodationem vsurpatur: Secundus qui est secundum historiam: Tertius in sensu spirituali & Mystico. Primus est cum verba scripturæ ad aliquid significandū extendimus, quod author neque in sensu literali, nec mystico intēdit, Ita frequenter Ecclesia, verba vel historias scripturæ ad aliquem sanctum celebrandum accommodat ob aliquam tantum similitudinem & analogiam. Hoc modo videtur verba quæ de sapientia æterna dicuntur, Ab initio & ante secula creata sum, Nondum erant abyssi & ego iam concepta eram, de Beata Virgine recitare. Neque Ecclesia duntaxat, sed ipse quoque Spiritus sanctus hoc modo aliquando loquitur. Nam in Apocal. vtitur Ioannes ijsdem verbis loquens de Enoch & Elia, quibus vsus est Zach. loquens de Iesu Sacerdote, & de Zorobabel, hi sunt

Triplex vsus scripturæ.

Accommodatio verborū.

Prou. 8.

Apoc. 11.

Tob. 2. hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra, & Tobias accommodat
Amos 8. verba Amos. Dies festi conuertentur in luctum. Potest autem
Duplex vsus Scripturæ per accommodationem. hic vsus exerceri dupliciter, primum verbis simplicibus, cum tãtum verba ex sacris literis accipimus, & ijsdem exprimimus sensa nostra, stylum scripturæ sectãtes, quo modo assiduè D. Bernardus fæliciſsimè vtitur. Deinde aliquando non solum verba, sed ipsas historias ad rem nostram accommodamus integras;
Eccl. 45. vt Ecclesia facit cum in laudem alicuius Confessoris legit. Ecce Sacerdos magnus, & quæ sequuntur, quæ historia scribitur in Ecclesiastico de Aarone; Et cum historiam de Martha, quę
Luc. 10. Dominum excepit, & Magdalena quæ optimam partem elegit, accõmodat in festo Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ; quæ Christum vtero suo excepit, & optimam partem habet. Hoc modo vti scripturis etiam Concionatori licebit, vt licuit Bernardo, Ambrosio, & alijs Sanctis. Nam verba scripturæ cũ sacra sint, sanctificant quodammodo orationem, excitant etiam deuotionem, valent ad delectationem, & recreandos animos cum aptè accommodantur, quia elucet quædam proportio, & multarum simul rerum experientia. Eoque curandum est, vt quæ sic transferuntur rectè, & aptè conueniant, & sponte innata, non per vim tracta videantur: Deinde vt moribus, & pietati proficiant, nam verba sacra non nisi sanctitati seruire decet. Nullo itaque modo leuibus sensibus, multò minus ridiculis vnquam aptentur.

Sensus historici triplex vtilitas. Cæterum in sacrarum scripturarum vsu sensum maximè literalem Concionator attendat, & magnificiat, cuius triplex est in concione vtilitas; Primò maximè valet ad declarandam propriam scripturæ sacrę doctrinam. ad fidei dogmata roboranda,
Iu Matt. cap. 13. ad confutandos aduersarios. Hier. de fermento abscondito in farinæ satis tribus, vbi aliqui mysterium Trinitatis personarũ, & vnitatis essentiæ astruunt, ait, Pius quidem sensus, sed sciẽdum quod parabolæ, & obscura ænigmatum intelligentia ad authoritatem dogmatum proficere non possunt. Secundò sensus literalis est basis substruenda alijs sensibus, ita vt nisi prius
Psal. 18. ille statuatur, alij sint inanes, & sæpissimè falsi. Manichæi ex eo loco psalmi non intellecto. In sole posuit tabernaculum suũ eam fabricarunt hæresim, vt dicerent Christum cum ascenderet, corpus suum in globo solis reliquisse, & Donatistæ ex eo lo
Cant. 1. co Canticorum. Indica mihi vbi cubes in meridie? Dixerunt apud se esse veram Ecclesiam, eo quod ipsi habitarent Regionem meridionalem, diceret aliquis, si ita exponendam putatis

scri-

Digitized by Google

ſcripturam, etiam qui ſunt in Aquilone idem dicent, quia in Pſal. habetur Latera Aquilonis Ciuitas regis magni. Tertiò authoritas ſcripturæ Sacræ ſecundum ſenſum literalem expoſita habet etiam longè maiorem vim ad mouendos affectus, ad perſuadendum, ad inſtituendos mores, ad extirpanda vitia. Sēſus enim myſtici, qui humano ingenio inueniuntur non poſſunt ita conuincere, vt ea quæ maximè Spiritus ſanctus voluit inſinuare, cuius verba, modi, phraſes, figuræ, & ſingula quæque incredibilem vim faciunt. Ob eam rem dicimus, Concionatorem hunc ſenſum quaſi quotidianum panem in menſa ſpirituali proponere debere, quo populus Chriſtianus maximè nutriatur, ſed qua ratione proponi vtiliter poſsit admoneamus. Sunt enim permulti qui magnum ſcripturarum aceruum in vna eademq; concione accumulant, & ad ſingula momenta, pleraſque habēt ad manum paratas, authoritates, vix tamen vllam earum expendunt: vnde fit, vt præter inanem memoriæ oſtentationem, fructus inde nullus exiſtat. Qui quidem mihi facere non ſecus videntur, atque ij, qui cum ægroto cuipiam ſuccum è floribus dare bibendum deberent, multos ſanè colligerent flores, ſed ipſoſmet ſicut ex prato collegerunt, in ægrotum congererent. Eliciendus igitur è diuinæ ſcripturæ floribus ſuccus, & liquor eſt, qui populo porrigatur hauriendus ad medicinam. Id fieri multipliciter poteſt; Primum ad explicandum locum qui ſit in manibus, licebit afferre alias verſiones quæ lucem afferant noſtræ editioni, modo hæc ita defendatur, vt nullus relinquatur ſcrupulus in mentibus auditorum, quaſi noſter interpres non ſit perfectè aſſecutus mentem Spiritus ſancti. Cum autem aliæ verſiones apparent multum à noſtra diuerſæ, non laudo vt afferantur, ne qua alicui ex populo, qui non facilè doceri poteſt quomodo concilientur, præbeatur occaſio, de recepta ab Eccleſia verſione dubitandi, vnde ſcripturæ fides apud aliquem indoctum & incapacem aliquid periculi patiatur. Hinc enim exortæ ſunt hæreſes, cum indocta & rudis multitudo fieri iudex rerum grauiſsimarum cæpit. Secundus modus eſt, vt exponat patrio ſermone verbis maximè proprijs, & ſignificantibus ſententiam latinæ verſionis. Hoc enim ſi rectè fiat ponderis plurimum habet, ac verè quidam dixit, propriam & accuratam verſionem pro commentario eſſe. Nec verò id mea ſententia tam facile eſt, quàm prima facie cuiuis videtur. Illud autem diligentius cauendum eſt, ne forte locus minus aptè reddatur cum plures fortaſſe audiant qui eſſe Iudices poſsint, num rectè intelle-

Pſal. 47.

Abuſus in citandis multis locis ſine fructu.

Variæ verſiones quomodo tractādæ.

intellectus, & explicatus ſit, vnde fiat vt dicentis inſcitia, quæ alioquin latebat, vernacula verſione minus conſentanea euulgetur. Non laborandum eſt vt verbum verbo reſpondeat, cum ratio bonæ verſionis id nō requirat, potius enim obſcurior poſſet reddi ſenſus, ſed prouidendum ne ſenſus immutetur, & aliquid ſcripturæ alienum adſcribatur. Tertiò poteſt aliquando vſui eſſe Paraphraſis, quæ nihil eſt aliud quam cum ſententiam ſacri authoris alijs vocibus expromimus, ſiue id ſtrictim, ſed clarius, ſiue aliquando fuſius fiat. Ex hoc genere ſunt Titelmani paraphraſticæ annotationes in pſalmos. Ita verſus pſalmi quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde, per paraphraſim explicatur. Verè bonus, ſuauis, benignus, miſericors, & beneficus Dominus Deus noſter erga Iſrael populum ſuum, erga fideles atque electos ſuos, erga eos nimirum qui ſunt recto corde, qui ſunt verus Iſrael ſecundum ſpiritum, qui affectu ſincero, & puro corde, Deo placere & eius voluntatem implere ſatagunt, cunctas autem errorum ac vitiorum fallaces vias ſtudiosè declinantes &c.

Paraphraſis.

Pſal. 72.

Annotationes.

Quartus erit modus, cum adnotando aliquid, voces ipſæ, phraſes, figuræ, translationes, ſimilitudines expenduntur, & ea quæ antecedunt, & ea quæ conſequuntur, ex quibus ſenſus integer eruitur, vt ſcriptores paſſim in ſuis cōmentarijs faciunt.

Scholia.

Quintus poſſunt aliqua ſcholia, & gloſſæ adhiberi, vel citari authoritas alicuius è Patribus quod maiorem vim habet, ad probanda quæ dicimus, quia præter verba ſcripturæ, verbis etiam eius cuius authoritate vtimur rem vrgemus.

Affectiuus modus.

Sextus eſt, & illuſtris ille modus quem vocare poſſumus Affectiuum cum rem enarrantes in quaſdam veluti flammas & verba amoris prorumpimus, quod fit per aſpirationes, ſuſpiria, & colloquia ſpiritualia ad Deum, vel animam, admirando, exclamando, petendo opem. Sic exponunt ſæpe Bern. & Titel. qui modus ad excitandos pios affectus eſt ſatis accommodatus, & plurimæ occurrent ſcripturæ ſacræ præſertim pſalmorum in quibus facili negotio ſeruari poterit.

Cū emphaſi proferēdę ſententiæ.

Poſtremò loco tanquam rem magni momenti illud monerē, ne aridè proponas diuina verba, & ſenſus, ſed cum emphaſi, cū maieſtate, cum energia ſicut decet verba Dei non hominum. Et vt breui dicam quod multis explicari poſſet, Diuini verbi præco imbibat quantum fieri poterit, & in ſeſe formet & concoquat eundem illum ſpiritum loci quem citat, quod mihi ſemper viſum eſt maieſtate plenum, & in ſe neſcio quid cæleſte cōtinere,

Digitized by Google

timere, dū audiui aliquos in hac re eximios, loquentes tāquam poteſtatem haberent; Spiritum diuinorum oraculorum in ſeſe exprimentes, & in auditorum animos vbertim transfundentes, quem prius è fontibus Saluatoris hauiſſe videbantur.

Senſus myſtici vſus ac modus. Cap. XXV.

QVamuis maximè literalis Concionatori ſenſus perſequendus ſit, & ferè myſticus non multum ad diſputādum valeat, eſt tamen is quoque magnifaciendus, & præclaros vſus ſi benè adhibeatur habet, nam poſtquam multa ſunt allata ex hiſtorico ſenſu, ſi afferatur aptè allegoria habet ſuam vim, valetque ad tollendum aliquo modo tædium, & recreandos varietate animos. ſæpe etiam neceſſitas vel vtilitas cogit ad allegoriam confugere, quādo hiſtoria nihil habet magni, cuiuſmodi in veteri teſtamento multa ſunt, quæ remoto ſenſu myſtico, non multum vtilitatis in concionibus noſtris habere videntur. Eſſe autem nimium in vſu allegoriarum vitio verti poſſet. Eaque re Origenes olim non benè audiebat, præſertim apud D. Hieronymum, ſæpe quaſi per irriſionem, Origenem vocat Allegoricum Interpretem, eo quod liberis campis allegoriæ vagaretur, & interpretatis nominibus ſingulorum, ingenium, ſuum faceret quaſi Eccleſiæ ſacramenta. Ego etiam quoſdam aliquando audiui, qui cum ex ſcripturis quas protulerant quatuor ſenſus profeſſi eſſent ſeſe eruturos, multa & ineptè dicebant, & frigidè. Præterea is, qui paſſim ita ſcripturas exponeret; occaſionem alicui præberet cogitandi, nihil eas certi habere, ſed liberum eſſe cuique excogitare varios ſenſus, quod impiè olim Iulianus Apoſtata, & Porphyrius, vt ſcripturæ authoritatem imminuerent, noſtris doctoribus exprobrarunt. Qualis vſus ſenſus Myſtici.

Vt autem allegoriæ laudentur, ſeruanda hæc ſunt, Primò vt ſumantur non ex nudis verbis, ſed ex rebus per verba ſignificatis. In hoc enim vt ſuo loco diximus allegoria a ſenſu hiſtorico differt. Secundò, vt ſenſus qui afferuntur nulli doctrinæ verę, nec diuinæ nec humanæ repugnent. Nam reijcienda eſt allegoria, quæ falſi aliquid continet. Tertiò debet conducere pietati, & moribus, quod tunc commodè fit cum ea quæ allegoricè interpretamur, ex alijs ſcripturę locis vbi ſine tropis expreſſa ſunt, eruuntur. Qua in re felix eſt D. Gregorius. Debet autem Allegoria omnino quadrare cum ſenſu hiſtorico, qui vt ſupra monuimus debet eſſe baſis aliorum, alioqui ſi ſenſus ſit Regulæ in Allegorico ſenſu tenendæ.

pere-

peregrinus dura erit & gratiæ expers. Quartò adhibenda est apta eloquutio, vt intermixtos habeat affectus, nè sit frigida & ieiuna narratio. Quintò. Allegoria prolixa non sit, vt videmus apud Paulum in suis epistolis, & alios scriptores sacros. Verũ sit breuitas dilucida, nã si obscurior sit in ænigma degenerat. Sextò maximè vtendũ allegorijs, quas scriptura Sacra innuit: Deinde potius eæ, quæ apud Patres. Origenem, Gregoriũm, Ambrosium, Augustinum, Bernardum, Ricchardum de S.V. Rupertum Abbatem, & alios inueniuntur conquirendæ, quam nouæ, proprio Marte cudendæ. Postremo quàm sit à loci ac muneris dignitate alienum, gentilium scripta & poetarũ figmenta per allegoriam ad sacra mysteria transferre, in prima parte cum de notitia Concionatori necessaria diximus, actũ est, quod si apud aliquem ex sanctis quid simile vnquam reperias, scito rem magis esse admirandam, quàm imitandam, non tamen vituperarim sicut in prima parte monui si aliquis interdum Apologus, ex his, qui ad conformandos mores inuenti sunt obiter afferatur. Cæterum Allegoriæ, ex his maximè capitibus duci possunt; Primò ex personis, quas scimus fuisse Christi figuras, vt Abraã, Isaac, Ioseph, Dauid. Sampson, Iephte, & alij. Secũdò ex factis Heroicis Illustriũ virorũ, veteris testamenti, & euentis, vt Noè Plantauit vineam & inebriatus est, Sacrificiũ Melchisedech, Isaac immolatio, Ioseph venditio, item quæ euenerunt Sampsoni, Dauidi, Danieli, Iephte, &c. Tertiò ab eximijs beneficijs populo Hæbraico à Deo collatis, vt sunt columna nubis & ignis, Manna, liberatio ex Aegypto, à Babilonica seruitute, &c. Quartò, ex prodigijs & miraculis Israeli factis, vt Plagæ Aegyptiorum, Trãsitus per mare rubrũ, & Iordanem, Virga Aaron florens, Statio solis, Vellus Gedeonis, Serpens Aeneus. Quintò, ex cæremonijs veteris legis, cuiusmodi sunt Agnus paschalis, Circunciſio, Ciborum delectus, tot Victimæ atque hostiæ, & ferè tota lex cæremonialis ad mysticos sensus refertur. Sextò, Ex multis visionibus à Deo ostensis, cuiusmodi habuerunt Ezechiel, Daniel, alia quoque vt somnium Pharaonis, schala Iacob. Septimò ab aliquibus operibus manu factis in veteri testamento, vt est Arca Noè, Arca Federis, Turris Babel, vbi facta est linguarum confusio, Ornatus summi Sacerdotis, multas virtutes ac mores boni Sacerdotis exprimens, Templum Salomonis, quod multa habet ad Dei cultum pertinentia, Octauò ex interpretatione nominum tam personarum, quam rerum & locorum, vt Paulus ad Hebræos

Allegoriæ vnde ducendæ sint.
Ex personis.
Ex factis.
Ex beneficijs
Ex prodigijs.
Ex cæremonijs.
Ex visionib.
Ex manufactis operib.
Ex interpretatione vocum.

Digitized by Google

bræos philosophatur circa nomen Melchisedech. Denique ex creaturis, & rebus naturalibus, possumus allegoricè, colligere quæ non solum delectent, sed etiam doceant, non solum probent sed moueant item, præsertim quod magnam nobis occasionem præbent sacræ literæ, quæ tales allegorias sub verborũ translationibus significant, & planè vnum tantum verbum metaphoricum, si explicetur, optimã profert allegoriam: sic Christus comparatur viti, petræ, grano frumenti, Leoni, Agno, Apostoli sali, luci, palmitibus, Ecclesia, & sapientia similes dicuntur, arboribus, cypresso, palmæ, oliuæ & quatuor paradisi fluminibus, in quibus licitum est, cum fructu excurrere, explicando multa, quæ ad hanc symbolicã Theologiam pertinent, quam ipsa scriptura significat, Postremò loco illud etiam moneo, vt quando Concionator, scripturam hoc modo in sensu mystico exponit, vel ea per accommodationem vtitur, paucis indicet verum & germanum, ac hystoricum sensum, ne docti, putent allegoricum sensum pro literali per inscitiã allatum, & minus docti, putent eum sensum, literalem esse; Habet etiam voluptatem aliquam, vtraque explicatio, quandoquidem plura afferuntur, & maiori cum fructu, estque iudicium grauissimi Doctoris S. Hieronymi. Tunc (inquit) allegoriæ fructus suauiter capitur, cum prius per historiam, in veritatis radice solidatur.

Ex creaturis.

Mystici sensus qua prudentia asserendi.

Hom. 4. in Lu.

Loci ex quibus varij modi eliciuntur ad ipsa Scriptura Sacra Testimonia tractanda, & amplificanda: & primo.

Ex ipsarum vocum Significatione ac linguarum & proprietatum notitia. Cap. XXVI.

IN prima parte huius nostræ institutionis de studio sacrarum scripturarum agentes, pro earum sensibus inuestigandis, quasdam regulas annotauimus, quibus etiam nunc alias, circa vsum earundem in concionibus adiunximus. Sed videtur ad hunc aliquid maioris momenti, & magis ad rem nostram pertinens desiderari: vt scilicet varios locos indicemus, quibus vti valeat noster Orator, vt ipsa sacræ scripture testimonia, expeditè versare, apte diducere, & amplificare queat: vt item varia argumenta, & vt vulgo solemus dicere, conceptus varios educat: ad auditores valentius commouendos, ad sua firmius roboranda. Denique ad finem oratonis, qui est persuadere di-

ctione facilius conſequendum, & quamuis ex ijs locis quos ſuperius attigimus aliqui etiam nobis hic vſui erunt, tamen nequaquam eadem repetimus, ſed alibi, ſenſum ſcripturæ hyſtoricum inueſtigauimus; hic in alium finem, qui iam ſignificatus eſt, quod eſt præcipuum huius facultatis concionatoriæ negotium afferentur, placet autem pluribus exemplis, regulas ipſas illuſtrare, quia narrationem exemplorum, valde conducere ad praxim eloquentiæ ſacræ arbitror.

Primus locus eſt: Attendendam eſſe ſingularum vocum, & verborum ſignificationem ex varijs Sanctorum Patrum interpretationibus erutam: ex minimis etiam voculis arcana myſteria, ſagaciter, tanquam gemmæ è vaſculis extrahenda ſunt. Certè ſingulæ voces, (ait Hieron.) literæ, apices, & puncta, in diuinis literis plena ſunt ſenſibus.] Quod idem confirmat Chriſoſtomi authoritas dicentis, non paruam dictionem neque ſyllabam in diuinis literis contentam, inuenimus eſſe præterea eundam, non enim verba tantum ſunt, ſed Spiritus ſancti verba, & propterea magnum in his theſaurum inuenire licet.] Concionatoris igitur in eo labor eſt ponendus, vt cognita vocum ſignificatione, ex ea mox ad confirmandam cauſam ſuam argumenta colligat: Exemplis melius res patebit. D. Paulus expendit vocem illam in ſemine tuo benedicentur omnes gentes: non (inquit) in ſeminibus quaſi in multis, ſed in ſemine, quaſi in vno, quod Chriſtus eſt: & alibi ſingulas voces verſiculi, hodie ſi vocem eius audieritis &c. minutim vniuſcuiuſque vi expenſa exaggerat. & ibidem quot & quanta argumenta pro Chriſti Sacerdotio congerit, allato pſalmi verſiculo. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech? D. Baſil. docens ſcripturarum minutias indagandas affert exemplum Abrahæ, qui prius dictus eſt Abram, poſtea Abraham; ſcilicet ex Patre excelſo factus multarum gentiũ Pater: Sarai verò detractione vnius literæ dicta eſt Sara. Bernardus ſuper verba, qui ſe humiliat exaltabitur, verbum (humiliat) aduertit eſſe actiuæ, non paſſiuæ ſignificationis, & multum differre ait, vt quis dicatur eſſe à Deo vel alijs humiliatus, aut ſe ipſum humiliet ſi dixiſſet (ait) qui humiliatus fuerit exaltabitur: exultaſſem vtique tanquam certiſſimè humiliatus, & vehementer, nunc autem cum dicat qui ſe humiliat exaltabitur, anguſtiæ mihi ſunt vndique, nec ignoro, quid eligam ſed quid agam] & ſubdit multos vidimus humiliatos paucos humiles.] Aliquando vox aliqua ponitur cũ emphaſi in ſcripturis, quæ enucleanda eſt

Singulæ voces ſcripturæ multum conſiderãdæ. *Cap. 3. ep. ad Epheſ. Hom. 15. in Gen.*

Exempla.

da est ab Oratore, vt vim illam occultam aperiat. Sic Gregorius in illud Gen. Noli timere ergo protector tuus: ostendit energiam vocis (ego) ego inquit qui te à Chaldæis vocaui, Ego qui semel atque iterum promisi tibi, ac semini tuo daturus terram hanc, ego te protegam, ego scuti vice tibi ero: Eodem modo magnam habent vim D. Petri verba: Tu mihi lauas pedes? Idem potest fieri in illud psalmi, Mihi autem adhærere Deo bonum est, comparando illud mihi, & Deo, & expendendo illud adhærere, & bonum est, idest planè bonum, necessarium, vtile, iucundum: Bonum excludens omne malũ, Denique Deus meus & omne bonum meum. Hinc patet ingens materiæ campus, sedulo sacrorum verborum exploratori, vnde non argumenta solum, verum & integras conciones possit conficere. Lege sermones Bern. & videbis quàm ille sapienter, & quanta cum vtilitate singulas scripturæ sententias discutit, & quasi stillat, vt opobalsamum inde colligat: lege sermonem, super verba, Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & disces quantum hæc regula sit vtilis. *Hom. 16. in Gen.*

Secundò, Notandum est vnam eandemq; vocem plura sortiri sæpe significata; sunt namque in scripturis voces multæ, polisymæ, vnde locus ille plures sensus patitur. Rursum multæ voces sunt Aequiuocæ, quæ si secundum naturam suam distinguantur, ad varias doctrinas viam aperiunt. Sunt & voces aliæ, quæ & in bonum, & in malum accipi possunt. Sunt & Synonimæ, quæ licet rem eandem denotent, circa idem tamen plura docent. Omnia hæc vna regula comprehendimus, ne magnum regularum numerum congerere necesse sit. Exẽpla sint, D. Eucherius dicit aquam, prima sui significatione sumi pro elemẽto vt in Gen. Congregentur aquæ, Aliquando poni pro tribulatione, Transiuimus per ignem & aquam. Nonnunquam pro sapientia, Aqua profunda verba ex ore viri, etiam pro populis, Aquæ quas vidisti populi sunt, Et pro gratia &c. Ex his vario modo philosophamur, & ex multiplici sensu orationem nostrã locupletamus, ab vna significatione ad alias alludendo, & ex multis aliquid vnum colligendo: Ita vox (Calix) passionem, vel Christi, vel Martyrum significat: vt Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, & alibi calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: in hebræo dicitur, Calicem Ieſu vbi Hier. Grandis res est martyrium, quoniam retribuit Domino, quod accepit à Domino] nonnunquam sumitur pro cõsolatione spirituali, quam Deo propinante Sancti bibunt, vt ca-

Voces Synonimæ polysimæ æquiuocæ, & indifferentes.

Exempla. *Lib. spirit. expos.* *Psal. 65.* *Prou. 18.* *Apo. 17.* *Psal. 15.* *Psal. 115.*

Psal. 22. Psal. 74. lix meus inebrians, quàm præclarus est: frequenter in scripturis significat pœnam, vt Calix in manu Domini vini meri, vbi calix vino mero plenus, Iustitiam Dei vindicatricem denotat; sicut enim vinum merum epotum hominis vires deijcit, ita vt nisi titubans stare nequeat: sic qui à Deo in Iustitiæ furore corripitur subsistere non valet. Itē vox (fermentum) Apud Matth. & Lucam in bonam partem sumitur: & ad Gal. Modicum fermentum totam massam corrumpit, in malam accipitur: ex vtriusque cōsideratione, grauis, & vtilis exurget amplificatio, probando quantam, bonorum, vel malorum consuetudo, vim habeat, ad conuertendum, aut peruertendum: In Psal. 118. Multa synonima in laudem diuinæ legis colliguntur, & in multis versibus variæ adhibentur voces idem significantes. quæ tamē semper aliquid noui superaddunt, si eas sagaciter perscrutemur: Dicitur enim lex Domini Testimonia, Eloquia, Iudicia, sermones, iustificationes, mandata: & in singulis qui vellet immorari, causas inducendo, cur his elogijs diuina lex describatur: efficaciter his vteretur argumentis, vt diuinorum præceptorum obseruationem, auditorum mentibus inculcaret. Tertiò pro historico sensu inuestigando, supra annotauimus cognoscendas esse phrases, proprietates linguæ, idiotismos, & cōsuetudines varias: Idem locus vtilis etiam est, ad argumenta colligenda, & amplificationes suggerendas: cum plurima in his lateant mysteria quæ si referentur, & ornamentum & pondus orationi afferent. Tale est illud Psal. Effundite coram illo corda vestra; nam effundere cor, sumpta metaphora à vase ex Basilio, significat euacuare cor à vitijs affectibus, & cogitationibus prauis: Et si pro corde intelligamus actus cordis, tunc effundere cor (vt Augustinus loquitur) est, nō retinere cor in corde, vt scilicet affectiones nostræ in Deo sint, & non in nobis; At secundum Ambros. effundere cor, est idem, ac synceram coram Deo miseriarum nostrarum confessionem facere: Sic apud Iac. Christiani dicuntur fratres, ac sorores, vt intelligamus, quo amoris, & obsequij mutui studio inter se debeant esse coniuncti, sicut & ipse ex hoc loco insinuat. Item viæ Dei, Præcepta Dei dicuntur, per quæ necesse habemus ambulare, nè extra viam inueniamur, lupis, & latronibus obijciendi: Animā affligere est ieiunare: vt significetur citrà corporis delitias ieiunium seruandum: sicut & illud ieiunio ieiunare. Dormire, dicuntur iusti in morte, tum vt mortis eorum prætiositatem, tum vt futuram resurrectionem indicemus. Vide exempla multa quæ

Gal. 5.

Phrases & Idiotismi, ac consuetudines.

Psal. 61.

Digitized by Google

ta quæ in prima parte adduximus, & animaduertes quam sit facilè percepto historico sensu, argumentorum vim & copiam in promptu paratam habere.

Quartò, quando loquutio est metaphorica, allegorica, aut figurata, tunc ex similitudinibus, è quibus tales metaphoræ deducũtur illustris Theologia symbolica vsui esse potest, rei vnius ad alteram similitudinem conferendo: vt si V.g. falsæ doctrinæ, fermentum; Aquam sapientiæ, oleum misericordiæ, &c. conferam: Christus de messe spirituali animarum agens, alludit ad messem triticeam, quæ post quatuor menses colligenda erat: Nonne dicitis quia quatuor menses sunt & messis venit: aspicite, & videte regiones, quia iam sunt albæ ad messem. Salomõ, ciba inimicum, & sic congeres carbones in caput eius: si explices horum carbonum igneorum similitudinem, copiosam disserendi materiam inuenies: item Ezech. comparat duritiem cordis cum lapide, Dabo (inquit) eis cor lapideum: In psal. 2. Quare fremuerunt gentes: translatio à belluis vel à mari desumitur: Bern. in illud psal. custodit Dominus omnia ossa eorum, quia allegorica est loquutio, explicat in anima esse cutem scilicet cogitationes, carnem affectus; ossa intentionem, & Sermonem integrum de cute, carne, & ossibus animæ inde elicit. Idem noua & inaudita, vt ipse ait comparatione Dentes Religiosos designare refert, & multiplici proprietate dentium similitudinem amplificat; Dentes (ait) candidi sunt, & fortes, carnem non habent, carent corio: nihil intra se pati possunt, nõ est dolor sicut dolor eorum, clausi sunt labijs ne videantur, indecens est cum videntur nisi ridendo: toti corpori masticant cibum, nullum inde saporem habent, non facilè consumuntur, per ordinem positi sunt, superiores alij, & alij inferiores: Huiusmodi dentes arbitror homines monasticæ professionis, qui de toto Ecclesiæ corpore, quod candidum est, candidiores esse videntur: Quid enim candidius illis, qui totius immunditias spurcitiæ euitantes, cogitationum, sicut actionum peccata deplorant? Quid fortius illis, quibus tribulatio pro solatio ducitur? Isti carnẽ non habent, quia in carne carnẽ obliti sunt &c. quæ apud Bernardũ videre potest qui vult. Ex quibus proprietatibus dilatatis sermonem perpulchrum conficit. Augustinus, explicans verba Pauli, multa membra vnum autem corpus. Oculus inquit videt, & non audit; auris audit & non videt; manus operatur, nec audit, nec videt: Pes ambulat, nec audit, nec videt, nec facit quod manus; sed in vno corpore si sit sanitas, &

Ex metaphoris, & allegorijs amplificamus.

Ioan. 4.

Prou. 25.

Psal. 33.

Serm. 63. in paruis.

1. *Cor. 12.*

In psl. 130.

Digitized by Google

non aduerſum ſe litigent membra, & auris videt in oculo, & oculus audit in aure, nec obijci poteſt auri, quod non videt: Reſpondet enim auris de pace corporis ibi ſum vbi eſt oculus, in eo corpore ſum, in me non video, in eo vbi ſum video; & ſic fusè dilatat Pauli allegoriam ad concordiam inter nos, qui vnius corporis membra ſumus conſeruandam. Extat copioſus hac de re conſcriptus liber, qui ſylua allegoriarum ab Authore inſcribitur.

Exemplaria Græca, & Hebrea legenda.

Quintò, ſæpe recurrendum eſt ad Græca & Hebræa exemplaria item ad Chaldaicam, paraphraſim. Nam voces hebrææ, & græcę ex ſua radice, ſeu ethymologia, miſteria continent, vnde etiam in ipſa noſtra vulgata editione quędam hebræa nomina, vt apud ſuos dicta ſunt, reſeruantur. Exempla non deſunt in ſcripturis, in quibus nominum interpretationes ad ſignificanda myſteria proponuntur, vt & nos in alijs vocibus interpretationem rimantes, arcanum aliquid ad rem noſtram aperiamus. Sic in Euangelio Ioan. dicitur Natatoria Siloe, quod interpretatur miſſus; Vnde Auguſtinus colligit niſi ille ſcilicet Chriſtus fuiſſet miſſus, nemo noſtrum fuiſſet ab iniquitate dimiſſus. Simon vocatur Cephas, quod interpretatur Petrus, & inde optimum eſt argumentum contra hęreticos, quia Cephas ſignificat petram, ſuper quam ædificanda erat Eccleſia. Filij Zebedei Boanerges ideſt Filij tonitrui dicuntur. Aceldema ager ſanguinis, Phaſe tranſitus Domini. Ioan. in Apoc. de Angelo loquitur malo cui nomen Abadon, Græcè Ἀπολλύων latine dicitur exterminans. Pro multorum nominum interpretatione, ſolet in calce Bibliorum index apponi, ſed copioſiorem ſcribit Arias Montanus in ſuo apparatu. Exempla ſint: apud Paulum,

1. Cor. 12. virtus in infirmitate perficitur, græcè ponitur δύναμις ideſt fortitudo, vt inde colligatur diuinę gratiæ potentia, & efficacia, quæ in ipſamet infirmitate hominem perficit, & ex infirmitate

1. Pet. 2. fortitudinem elicit. D. Petr. miniſtrate (inquit) in fide veſtra virtutem: Græcè ἀρετὴν id eſt virtutum opera ſine quibus fides, licet fundamentum ſit, non eſt ad ſalutem efficax. Pſal. 38. Ecce menſurabiles poſuiſti dies noſtros: Gręcè παλαιστὰς id ēſt palmares, ſeu vnius palmi, ſcilicet breuiſſimos: In actis turba hominum Græcè ὄχλος ὀνομάτων id eſt nominum quod eſt turba virorum nominatorum ſeu optimatum. Pſal. 138. ſubſtantia mea in inferioribus terræ; hebræi habent mirificè plaſmatus ſum & contextus non ſecus ac phrygium aliquod opus; ſic vani filij

Pſal. 61. hominum in hebręo legitur vanitas; Iterum tranſierunt in affectum

Digitized by Google

sectum cordis. D. Hieronimus ex hebræo vocē (affectus) vertit (cogitatio) ab alijs vertitur pictura, græcè ponitur dispositio, & ex his omnibus potest hic sensus erui, homines iniquos & mūdi huius nequā sectatores, transire in affectus cordis sui, trasmutari in suas passiones, seu vt Paul. ait tradi in desideria cordis sui, & passiones ignominiæ, quas cogitatione versant. hæc autē quæ cogitant, non sunt aliquod verum bonum; sed falsa boni Idea: & ista sunt vanissima figmenta, quæ ipsi, sicut habet vox græca (εἰς διάνοιαν) intra se disponunt. Apud Ambr. Chanaam exponitur turbatio, seu commotio, & ita hunc mundum significat, qui est fons commotionis, & seminarium turbationis. *Psal.* 72. *L. de Noe & Arca c.* 28.

Ex versionibus, expositionibus, sensibus, & praxi. Cap. XXVII.

SExtò. Versiones variæ quæ extant, non solum ad cognoscendum scripturarum sensum vsurpantur, quia vna explicat aliam (quo nomine ab Augustino celebrantur) verum in alium finem ijs etiam vtimur, vt si vna versio sententiam perfectè non explicet, altera superaddita lucem afferat, & ambæ si inuicem concilientur, plurium argumentorum ansam suppeditant, vt videre est in nostra vulgata editione quæ Hieronymo tribuitur si antiquæ septuaginta lectioni conferatur, nam eum inter se nonnunquam specie discrepare videantur, ex ijs tamen collatis perfecta sentētia exurgit. exempli gratia Ioel. 2. nostra versio habet lætamini in Domino Deo vestro qui dedit vobis Doctorem iustitiæ, septuaginta legunt, qui dedit alimenta iustitiæ, ex vtriusque collatione habemus Christum esse nostrum Doctorem, qui iustitiam docet, & Doctrinam eius esse cibum animæ, quo nutrimur, roboramur, & crescimus. In Prou. stellio manibus nititur. Alia versio habet aranea, vtrumque auget sententiam, nam significatur oportere nos esse sollicitos sicut stellio, animal ad gradiendum citissimum, & quemadmodum Aranea, quæ tanto affectu, se ad operandum applicat, vt ex proprijs visceribus telam contexat. In psal. 2. vbi nos legimus apprehendite disciplinam] alij vertunt: adorate filium] alij adorate purè] alij osculamini triticum.] Ipsemet Hier: variè vertit, cumque à Ruffino ob hanc varietatem argueretur sic respondet. Nisi & prolixum esset, & redoleret gloriolam, iam hinc tibi ostenderem, quid vtilitatis habeat magistrorum limina terere, & artem ab artificibus discere, & *In Apol. cōtra Ruf. finem.*

Versiones variæ vtiles ad amplificationem.

Digitized by Google

videres quanta ſilua ſit ambiguorum nominum, & verborum apud hebræos, certè illa varietas in vnum tendit, & tamen aliquid noui myſterij in ipſius ſententiæ diſcuſsione inuenitur, nam ex hoc loco docemur adorare Chriſtum Dei filium, quamuis morte damnatum purè ac ſincerè contra eos qui ficto cultu venerantur: Docemur inſuper oſculari triticum, quod eſt in Euchariſtia, manducando adorare: Denique monemur legis Meſsiæ doctrinam ſuſcipere. Vocem hebræam Iſaiæ quam interpres noſter vertit [labruſcas] alij [ſpinas] vertunt, & vtrãque ſignificationem admittit vox hebræa: ſi vtraque proponatur res ipſa magis confirmabitur, explicando quod opera multorum & labruſcæ ſint, & ſpinæ.

Varietas expoſitionũ ſeruit amplificationi.

Septimo. ſi quis varias ſanctorum patrum afferat expoſitiones, vel circa idem diuerſos philoſophandi modos egregiè & ipſe philoſophabitur, dum eos ſequetur quos Magiſtros ac Duces ante oculos habere debemus: & ita ex varijs anulis auream diſtinguet catenam, quę & ſibi ornamento ſit, & vnde tota res pondus accipiat: id à multis Doctoribus videmus factitatum, præſertim D. Thoma, qui in varios ſcripturarum libros volumina eruditionis pleniſſima compilarunt, quæ & ipſi catenas à varijs hinc inde decerptis anulis, appellare voluerunt: quamuis non laudo, vt tota concio ex his componatur ſententijs, quia illa congeſta ſylua, præterquam quod indigeſtum chaos videtur, vt plurimum etiam ſatietatem Auditoribus ſolet parere: Adde quod perorantis memoriã rudi mole obruit, atque etiam Auditorum. Tale eſt quod ſuper his Matth. verbis. Panem noſtrum quotidianum ſeu vt alius Euangeliſta ſcribit ſuperſubſtantialem diſputatur: nam alij de pane materiali intelligentes, explicant quare dicatur ſuperſubſtantialis: Alij, nec immeritò de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; alij de ſpirituali gratiæ dono exponunt: tu verò ſi has opiniones colligaueris, haud dubiè iuſtæ menſurę ratiocinationem collegeris. Varia iſtiuſmodi paradigmata ſuppetent ei, qui quantulacumque diligentia Sanctorum Patrum lucubrationes euoluerit, cum non deſint variæ in varios Sacræ ſcripturæ libros conſcriptæ, & colligatæ catenæ.

Plures ſẽſus hiſtorici inuicem poſſunt iungi.

Octauò, quia vnus idemq; ſcripturæ locus plures ſecundum ipſam hiſtoriam poteſt ſenſus admittere, vt alibi monuimus, ſi varij ſenſus hi ab Oratore aſſumantur ad vnum aliquid ſuadẽdum & ampliandum iuuabunt: Vnde rectè Auguſtinus quid in diuinis largius, & vberius potuit prouideri diuinitus, quam vt

2. *Doctr. Chr. c.* 27.

eadem

Digitized by Google

eadem verba pluribus intelligantur modis? Exemplum ex Isa. *Isa. 53.*
Generationem eius quis enarrabit. certum est hęc verba à plerisque patribus ad diuinam, & æternam generationem referri: ab alijs ad humanam, vt Tertullian. Lact. Iust. Mart. Alij rursum referunt ad generationem Christi spiritualē, id est ad sobolem, ac filios innumeros, quos sua morte Christus erat regeneraturus, quod ex sequentibus verbis benè confirmatur. Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum] Ex his tribus sensibus qui volet, plenissimum eruet mysterium: Nam à prima Generatione tam admirabili, vt nec enarrari, nec intelligi queat, facta est secunda Christi scilicet hominis generatio, quæ item incomprehensibilis est, at ex virtute secundæ vnitæ ad primam merito Christi patientis, innumerabilis generatio ad Christum accessit, vt ex psal. 2. Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te: Vnde illud sequitur de futura posteritate; postula à me, & dabo tibi gentes hęreditatem tuam & possessionem tuam terminos terrę sic & illud Isa. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: Matthæus morbis corporalibus à Christo sanatis attribuit: At D. Petrus pro peccatorū medicina affert, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Nos si vtrumq; sensum oratione persequi voluerimus, probabimus corporis infirmitates ex peccatorum grauedine exoriri: vnde concludemus sicut in illis sic in istis ad Christum esse confugiendum, vt sicut tot ęgrotos sanauit, dignetur etiam peccatorum vlcera, quibus animæ fætent, subleuare.

Is. 53. *Matt. 8.* *1. Pet. 2.*

Nonò. Sensus mysticus præter historicum venustissimè apponitur, præsertim si vnus alteri aptè cohæreat, non secus ac dum videmus holosericum aliquem pannum varijs acuum punctis ab Artifice auro, gemmisq; ornari; Et vix vllus sanctorum Patrum codices terit, cui vltro sensus mystici applicatio non occurrat. Totus est in eo S. Greg. in moralibus; Origenes, Augustinus, & alij; Instar omnium sit quod mirabilis in eo Doctor mellifluus Bern. tanquam ex varijs cōpositis defloratū profert, in conficiendo triplici vnguento, & pedibus, & capiti, & toti corpori Saluatoris acceptum; sic igitur ille ad varias S. Magdalenæ vnctiones alludens. Primū vnguentum est misericordiæ, cuius vilissimæ species intra nostros hortulos inueniuntur: peccata nostra plantata in conscientijs nostris sunt: Ipsa igitur mortariolo pænitentiæ, macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, & in

Sensus Mystici adiunctio.

Serm. in eius festo.

aheno

aheno diſciplinæ cocta, vnguentum exhibent pretioſum, & acceptum pedibus Saluatoris: ſecundum deuotionis, cuius ſpecies de cæleſti Paradiſo allatę virtutes ſunt, quæ in mortariolo pectoris, piſtillo meditationis contritæ, exultationis oleo ſuperfuſæ, ſuffuſo igne iuſtitiæ, in humilitatis aheno decoctę, faciunt vnguentum, quod ſolum ſuper caput Domini recumbentis poſſit effundi. Tertiũ pietatis, cuius ſpecies vniuerſę miſerię, oculo pietatis inſpectę; iſtę igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis piſtillo confractę, oleo charitatis delinitæ, ſuccẽſo igne conpaſſionis in aheno perſeuerantię deſpumatæ, vnguentum faciunt ipſis etiã Angelis mirabile: fælix Maria vnxit pedes, fælicior caput, fæliciſſima quæ rorem vnguentarium toti corpori præparauit. conijce inde quantam, & quàm fertilem materiam includat ſenſus hic myſticus; quæ ſi ſapienter, ac prudenter diſponatur parem vbertati, vtilitatem profundet.

Scripturę optimus commẽtarius eſt Sanctorum vita & actiones.

Decimò, cum locus explicandus præceptum aliquod, ſeu documentum continet ad praxim virtutũ, ac ſpiritualis vitę pertinens; optimus erit modus, ſi explicetur iſta praxis, & præſertim Sanctorum exemplis illuſtretur: & antiquorum traditionibus recepta oſtendatur: Regulam, hanc docet Auguſt. Diuinæ (ait) ſcripturæ non ſolum præcepta Dei continent, ſed etiam vitam, moreſque iuſtorum, vt ſi forte occultum eſt, quid accipiẽdum ſit, quod præcipitur] in factis iſtorum intelligatur, eadem eſt Gregorij regula his verbis: In ſanctorum vita cognoſcimus quod in ſcriptura intelligere debeamus. Si V.g. illa proponatur authoritas. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. Quid accommodatius ad perſuadendum afferri poteſt, quàm ſi afferantur exempla eorum, quos Auguſt. Caſſ. & alij commemorant, qui & manibus opus, & corde iuge orationis ſtudium exercebant? Si locus Pauli proponatur: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: dices ex Caſſian. hanc fuiſſe Sanctorũ omnium Patrum ttaditionem, non eſſe quempiam idoneum ad ſpirituales pugnas niſi prius obtinuerit bella carnalia. Si ſuademus ex ſcripturis curam pauperum habendam, proponemus antiquam primitiuæ Eccleſiæ traditionem de Collectis, quibus pauperum inopia ſubleuabatur; De quibus S. Leo ſermones nõ paucos ſcribit, imò & Paulus non ſemel agit: ſi apud Religioſos de perfecta rerum abdicatione loquaris in illud, niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus. Vſus antiquus ex Caſſian. afferetur, qui & Baſilij citat ſententiam ad quendam Senatorem, qui cum ſe renuntiaſſe diceret

De Mendac. ad Cõſent. tomo 4. init.

Hom. 10. in Ezech.

Ad fratres in heremo col. 10. c. 9.

1. Cor. 9.

Lib. 5. inſt. c. 11.

Lib. 7. inſt. c. 19.

Digitized by Google

ret huic mundo, & tamen quædam ſibi de proprijs facultatibus reſeruaſſet. Audiuit ex Baſilij ore. & συλλήπτωρ perdidiſti: & Monachũ non feciſti. His, & ſimilibus Eccleſiaſtes abſtruſos ſcripturarum latices auditoribus propinabit: ſunt enim ipſæ ſcripturæ aquæ ad quas Iacob oues ducebat adaquandas, & in harum canalibus, verſicolores amygdalorum virgas ponebat, vt earum aſpectu oues eiuſdẽ varietatis fœtus parerent: Aquã, ego ſacram ſcripturam interpretor, virgas autem Sanctorum exempla: Iacob Concionatoris eſt figura, qui Chriſti oues, hoc eſt Chriſtianum populum ad ſacros diuinorum eloquiorum fontes deducit, ijsque variegatas opponens Sanctorum virtutes, fætus eiuſdem coloris Chriſto generat innumeros. *Gen.* 30.

Ex varietate verborum, & ſcripturarum concordia. Cap. XXVIII.

VNdecimò, Eandem ſententiam Spiritus ſanctus ſæpe in eodem cõtextu variatis verbis repetit, & hæc repetitio, quæ in oratione fortè alicui vitioſa videretur tantum abeſt, vt abſona ſit, quin potius non ſolum magis explicat, ſed plura etiam notatu digna includit; Præterea eadem ſententia pluribus interdum membris conſtat: vt videre eſt in lib. Iob. ſapientialibus, & alijs, quorum ſi proportio, correſpondentia, vel ordo, quo inter ſe partes cohærent attendatur, materia non deerit ſpeculanti ad dicendum: Sit exemplum repetitionis. Exod. 15. iſte Deus meus, & glorificabo eũ Deus Patris mei, & exaltabo eum; certè auget, quod non ſolum ſit Deus meus, ſed & Patris mei Deut. 32. concreſcat, vt pluuia doctrina mea, fluat, vt ros eloquium meum, oratio eſt illuſtrior explicando duplicem ſimilitudinem roris, ac pluuiæ. In Pſal. Benedicam Dominum omni tempore, ſemper laus eius in ore meo vbi ex abundantia cordis, fit eiuſdẽ ſententiæ repetitio, & inde creſcit orationis affectus. Item paratum cor meũ Deus, in proſperis moderatè habendis, paratum cor meum ad toleranda æquanimiter aduerſa, vel vt ait Bern. Via regia fratres, nec ad dexteram declinat, nec ad ſiniſtram: eſt inuenire hominem ſemel paratũ non ſecundo, docetque aliquos eſſe, qui libenter auſcultant illud, Eijce Ancillam, & filium eius, ſed non ſunt parati ad illud aliud, Immola mihi filium quẽ diligis Iſaac. Item in illud Gen. Erat, Dominus cum eo, ideſt (cum Ioſeph) & erat vir in cunctis proſperè agens.] Vnum ex alio optimè infertur, nam ſi id

Scripturæ variæ idem docentes iuuãt. *Pſal.* 39. *Pſal.* 107. *Serm.* 43. *è paruis.* *Gen.* 39. Collocatio, & ordo in ſẽtentijs ſcripturæ notetur.

ſi id curemus, vt nobiſcum ſit Dominus, conſequenter viri in-
Coll. 3. & 6. Gen. 12. cunctis proſperè agentes erimus : Ioan. Caſſ. explicans verba Gen. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, aduertit ordinem in his tribus eſſe perfectæ Monachorum abrenunciationis : Primum dixit exi de terra tua, id eſt de facultatibus mundi huius, opibusq; terrenis. Secundò, de cognatione tua id eſt de conuerſatione, & moribus, vitijſque prioribus, quæ nobis à noſtra natiuitate cohærentia veluti quadam cõſanguinitate cognata ſunt : Tertiò, de domo Patris tui, id eſt de omni memoria Mundi huius, qui oculorum occurrit obtutibus. Sic explicantur à Sanctis Patribus ſecundum ordinem quo ſcripta ſunt à Dauide tria illa membra, primi pſalmi verſu primo, vbi debet aduerti correſpondentia inter verba abire, ſtare, ſedere: inter impios, peccatores, peſtilentes, inter cõſilium, viam, cathedram; vides in vnico verſu quanta argumentorum ſeges ? quæ vnum hoc docent vitanda eſſe malorum cõſortia. Magnum myſterium includit Pet. in pulchra illa gradatione; Miniſtrate in fide veſtra, virtutem; in virtute, ſcientiam; in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia, patientiam; in patientia, pietatem, in pietate, amorem fraternitatis ; in amore autẽ fraternitatis, charitatem ; vbi oſtendendo rationem iſtius ſubordinationis, & conſequentiæ, quomodo vnum ex alio inferatur, copioſa erit dicendi vbertas. Bern. notat ordinem in verbis Pauli. Iuſtitia, pax, & gaudium. Primò præcedit Iuſtitia, alioquin non ſequeretur pax, quia non eſt pax impijs ; Deinde ſequetur gaudium ; ordo autem peruerſus eſt velle ſtatim gaudere.

Scripturæ varia loca eandem ſententiã habentia amplificant rem.

Duodecimò, Eadem ſententia in varijs Sacræ ſcripturæ libris non ijſdem verbis, ſed alijs, atque alijs effertur : quare non eſt difficilè ad eandem rem inculcandam, ſimiles illos locos afferre ; qui ſi prudenter connectantur multam continent eruditionem: Adde quod etiã de eadem re diuerſæ in diuerſis vtriuſque inſtrumenti voluminibus loquuntur ſententiæ, quæ plura prædicata, pluresque eiuſdem rei veritates tanquam in vnum Symbolum conferunt, e quibus integra concio formari poteſt.

Sanctus Gregorius in Mora: vt explicet illa verba Iob. tunc ſurrexit Iob. & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit. explicat duodecim ſcripturæ teſtimonia hinc inde ex varijs bibliorũ libris deſumpta, qua in re eximia, ac ſingularis ſacratiſſimi huius Doctoris apparet induſtria : In Gen. dicitur Abrahæ ambula coram me ; ſimilis eſt ille locus,

cum

Digitized by Google

eum Deo ambulauit] & alius prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper] poſſunt hi loci ſimul tractari, & inde plenius oſtendetur, quid ſit coram Deo, & cum Deo ambulare, & habere Deum in conſpectu ſuo: Simulque inuenietur in ipſis librorum ſacrorum verbis ineſſe aliquam ex ſimilitudine diſſimilitudinem, ad fructum ſpiritualem vberiorem captandum. Ad hanc regulam pertinere poteſt, quando vnus ſcripturæ locus per alium confirmatur, quod tum maximè fit quando per aliquam conſequentiam alterum ex altero deducitur, & inferitur; Sicut D. Petrus in Actis volens probare de Chriſto illa pſalmi verba. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem] hanc veritatem elicit ex alio loco pſalmi, quia Dauidi iureiurando promiſit Deus; De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuã] Baſil. locum illum Matth. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo]: dit poſſe explicari per alium, vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynã, facite vobis ſacculos qui non veteraſcũt, &c.

Pſal. 15.

1. de Bapt. Matth. 6.

Decimotertiò, Elegans eſt modus vnam ſententiam amplificandi per aliam, in qua aliquid diuerſum oſtenditur, aut etiã oppoſitum; ſi V.g. altera virtutem celebret, altera vitium oppoſitum vituperet: Certum eſt enim Philoſophorum axioma, oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt: Præterea ſi quis afferatur locus, qui in ſpecie videatur alteri contradicere, ex vtriuſque conciliatione opportuna amplificatio exurget. In Gen. Abrahæ magna poſteritas promittitur. Suſpice cælum, & numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum, & tamen alibi futura dicitur, ſicut puluis terræ; & quoniam diuerſæ ſunt ſtellæ cæli, & puluis terræ, dici poteſt: Abrahæ [quem Patrem credentium fuiſſe ſcimus] poſteros, omnes Chriſtianos eſſe: quorum aliqua pars electorum eſt, quæ futura dicitur ſicut ſtellæ Cæli, nam fulgebunt iuſti ſicut ſtellæ firmamenti, alia verò reproborum, ſignificatur ſub typo pulueris terræ, vt dicit pſalmus; non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, quẽ proijcit ventus a facie terræ. Bern. in prima verba pſalmi 90. Qui habitat in adiutorio altiſſimi, quis ſit (ait) Diuini inhabitator adiutorij per non inhabitantes illud melius poteſt cognoſci: Tria ſunt equidem eorum genera. vnum non ſperantium, aliud deſperantium, tertium fruſtra ſperantium. Lac. in ſua canonica duplicem ſapientiam ſimul adiungit, vt ex intuitu pulcherrimo vnius, euidentius appareat alterius turpitudo: Non eſt (inquit) iſta ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, Diabolica, quæ deſurſum eſt ſapientia: primum quidem pudica

Sententiarũ diuerſitas, & oppoſitio amplificationi ſeruiunt.

Gen. 15.

Gen. 22.

Serm. 1.

Iac. 3.

Rom. 10. dica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſen-
1. *Cor.* 13. tiens, &c.] Paulus ad Rom. Iuſtus (ait) ex fide viuit, ſi vero iũ-
gatur locus Cor. ſi habuero omnem fidem, ita vt montes trãſ-
feram, charitatem autem non habuero nihil ſum] Poterit in-
ſtrui auditor fidẽ eſſe quidem radicem vitæ, ſine qua nihil viuit
1. *Ioan.* 3. Deo, at ſi ſola ſit ſine charitate, apud Deũ caret merito, apud
Io. dicitur. Qui natus eſt ex Deo nõ peccat, ſed nec peccare po-
2. *De pecc.* teſt] cui ſi opponas illud eiuſdem ſi dixerimus quia peccatum
Mer. & non habemus ipſi nos ſeducimus] Poteris cum Auguſtino di-
Re: c. 10. ſtinguere duplicem hominem, primum regeneratum, & vt ſic
non peccat peccato mortifero, ſed quia ex ſe habet corpus,
quod corrumpitur, & libertatem item ex ſe ipſo, deficere po-
teſt, quare Deo inniti nos oportet, eique maximè adhærere.

Chriſtus, Matth. 6. attendite ne iuſtitiã veſtram faciatis co-
ram hominibus, vt videamini ab eis, & tamen, cap. 5. dictum
fuerat, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant ope-
ra veſtra bona] Explicanda eſt igitur Chriſti doctrina, ſcilicet,
quod nunquam opera noſtra eo animo facienda ſunt vt appa-
reant coram hominibus, & ab ijs celebrentur: at fieri poſſe co-
ram hominibus, vt videãt opera noſtra bona, & in operibus no-
ſtris glorificetur Pater qui in cęlis eſt, non autem nos qui Dei
inſtrumenta ſumus.

Obſcuriora loca per obiectionem, & ſolutionẽ amplificantur.

Decimoquartò, Si locus ſcripturæ ſit obſcurior, aut res ip-
ſa, quæ proponitur in ſpecie habeat aliquid alienum, aut abſur
dum includere videatur, modus hic commodè teneri poteſt, vt
prius ſibi ipſi Orator obijciat, quod minus rationi conſonum
apparet, deinde reſpondendo, & explicando rem certiſſimam
reddat. Triumphat Orig. in celebri illa homilia di S. Magda-
lena: Ieſum interrogãs, cur tamdiu ſub peregrina veſte lateat,
cum id repugnare videretur, tanti demonſtrationi amoris: a
Magdalena item percontatur, quid peccauerit; O Maria (in-
quit) vocas eum, & non audit, oras eum & non exaudit, quæ-
ris illum, & non inuenis, pulſas & non aperit, tu ſequeris illum
& fugit; Heu quid hoc eſt? olim laudabat te, quærebat te cum
non adeſſes, vocabat eum abeſſes. O bone Ieſu quare non con-
ſolaris lacrymas, quas fundit pro te, ſicut cõſolatus fuiſti lacry
mas, quas fudit pro fratre ſuo, ſi ſolito more eã diligis, cur de-
ſideriũ eius protrahis? O verax Magiſter, dixiſti Maria opti-
mam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, ſed quomo-
do verum eſt, cum tu ablatus es ab ea? Ergo ò cuſtos homi-
num, aut tu partem, quam elegit cuſtodi in ea, aut ego ne-

ſcio

Digitized by Google

ſcio quomodo verum eſt, quod non auferetur ab ea] tandem concludit illud à Dilecto ordinatum, vt mutarentur lacrymæ doloris in lacrymas amoris Item Auguſtinus cũ Deus mentientibus obſtetricibus bene fecerit, & domos edificauerit merito queri poteſt an ipſum mendacium approbauerit ?] Reſpondet Auguſt. non quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei, miſericordes fuere, non eſt in eis remunerata fallacia, ſed beneuolentia, non iniquitas mentientis, ſed benignitas mentis; ſicut enim ait mirum abſurdumque non eſſet, ſi prius aliquo tempore commiſſa ab eis opera mala, Deus propter poſteriora bona vellet ignoſcere, ita mirandum non eſt quod vno tempore, in vna cauſa Deus vtrumque conſpiciens, id eſt factum miſericorditer, factumque fallaciter, & bonum remunerauerit, & propter hoc, malum ignouit, quando pro humanitate, & miſericordia reddita fuit merces vtique temporalis, non æterna.] Si occurrat locus ille explicandus in Euangelio, ſi oculus tuus ſcandalizat te erue eum, & proijce abs te, ſi manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te abſcinde eum, & proijce abs te] Primò cum admiratione poteſt dici; Ita ne iubet Chriſtus, oculos erui manus abſcindi ? pedes obtruncari ? corpus mutilari ? minimè verò : Vnde exponendum eſt quid importet talis authoritas. fugiendas ſcilicet mali patrandi occaſiones oculorum, motus caſtigandos, manuum actus, pedum inceſſus illicitos, ad rationis dictamen reprimendos, ne animam deprædentur. Item ſi locus ille Cant. afferatur explicandus. Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus lilijs] Primò mihi opponam quid ventri cum tritico ? quid tritico cum lilijs ? inde ſubijciam, planè ita eſt ſi de ventre animali, ſi de tritico camporum, ſi de hortorum lilijs ſermo eſſet, cum autem ſit tranſlatio, per ventrem rectè voluntas animæ ſpiritualis ſignificatur, quia opera concipit homo, vt Mater filios, per aceruum tritici, opera bona innuuntur, quibus nutritur ſpiritus, per lilia vero denotãtur omnes circumſtantiæ, & conditiones requiſitę, vt opus de genere ſuo bonum benè fiat: Nec enim placent Deo opera etiamſi ex genere ſuo ſubſtantiam habeant bonam, niſi ſuis conditionibus tamquam lilijs vallata offerantur; Aut cum Gregorio per ventrem, populi latitudo deſignatur, qui bene ſicut aceruus tritici lilijs vallatus dicitur, quia dũ operibus ſanctis intendẽs, in cæleſte horreum præparatur, exemplis ſanctorum, vt perſeueret vndique munitur] Chriſtus apud Ioan. nemo (inquit) venit ad me; niſi pater meus traxerit illum] at ſi tractio ſecundum

Exp. in Cant. c. 7.

Ioan. 6.

dum Ariſt. eſt motus violentus, & Deus homini nequaquã vim infert, ſed liberam exigit a nobis ſeruitutem, quomodo dicemur à Deo trahi? Reſpondebo ſtatim cum Auguſtino. trahi (inquit,) à Patre, eſt interna perſuaſione, & amoris ingentis declaratione ad Chriſtum duci] Item cum Cyrillo. Non enim cum dicat neminem poſſe ad ſe venire, niſi Pater traxerit eum vi quadam cogi, trahique credentes putandum ſit, ſed monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta: vnde intulit omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me] Vbi enim auditus, diſciplina, doctrinaque adeſt, ibi fides non vi ſed perſuaſione oritur.

Tract. 2. tom. 8.

L. 4. in Ioan. c. 6.

Concordia vtriuſque teſtamenti.

Decimoquintò. Egregius eſt & ille modus in teſtimonijs ſcripturarum, quando vtrumque ſimul teſtamentum vtraque lex, & vetus, & noua coniungitur; quando hiſtorias Euangelicas, & prophetica vaticinia, non ſecus ac duo Cherubim ex vtraque Oraculi parte coniungimus; qui vtrumque latus propitiatorij tegant, reſpiciantq; ſe mutuo, & qui aptè hanc teſtamentorum conſenſionem oſtendit, ſcriba ille doctus eſt in regno cœlorum, qui ceu bonus Paterfamilias profert de theſauro ſuo noua, & vetera, hoc ipſum ſæpè à Chriſto videmus factitatum, & ante, & poſt reſurrectionem, præſertim cum incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. A Philippo item Diacono, in celebri illa per Spiritus Sancti magiſterium, Reginæ Candacis Eunuchi conuerſione, dum in Iſaiæ lectione, Chriſtum patientem oſtendit. Aperiens enim Philippus os ſuum, & incipiens à ſcriptura iſta (ſcilicet Iſ. 53.) euangelizauit illi Ieſum, quin & in ipſis naſcentis Eccleſiæ primordijs, & concionibus maximè Petri & Pauli, locus hic maximam peperit Iudeorum ad Chriſti fidē acceſſionem, ſicque faciendū docet S. Clemens Romanus; Interpretãtes (inquit) ex lege & Prophetis, procedant ad conuenientiam & ſimilitudinem Euangelij, Nam Dominus ait ſcrutamini ſcripturas, quia ipſæ teſtimonium perhibent, de me] Idem Auguſt. Greg. & alij. Qui locum hunc copiosè tractatum & innumeris patrum exemplis videre voluerit, legat librum integrum, imò nouem libros Patris noſtræ ſocietatis, Ioſephi à Coſta, & inde argumenta eruat. Huic affinis eſt ille modus, cum per accomodationem, aliquid in nouo teſtamento, cum perſonis, vel rebus veteris inſtrumenti conferimus, & ad id genus expoſitionis referri poteſt quod ſecundum Analogiã appellat, Auguſtinus, ſic Bern. Ioſephum Virum Mariæ, cum Ioſepho

Luce. 24.

Act. 8.

l. 2. conſtit. Apoſt. c. 5.

Li. 13. Cõf. & l. 1. de Gen. ad lit. c. 10.

In Ezech. hom. 6.

Amplificatio per Analogiam.

sepho Patriarcha elegãti similitudine comparat; Vt scias (ait) quis, & qualis homo fuerit Ioseph. Memento illius quondam Patriarchæ venditi in Ægipto, & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed castimoniam assequutum, innocẽtiam adeptum, & gratiam] Inde per varias vtriusque Iosephi sortes celèbri inductione decurrens : celebrem facit amplificationem; Augustus afferens locum Sap. properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.] Hunc hominem dicit esse Christum Pontificem nostrum, qui assumpto carnis humanæ thuribulo, & suppositio igne altaris, id est anima sua magnifica, adiecto etiam incenso, qui est spiritus immaculatus, medius inter viuos, & mortuos stetit, & mortem non permisit vltra grassari.]

Serm. 2. *in Missus est.*

Serm. 98. *de temp.*

sap. 18.

Ex annexis : Scopo : Causis : similibus, & Doctrinarum varietate. Cap. XXIX.

DEcimosextò, Celebris erit amplificatio, si antecedentia examinemus, si subsequentia conijciamus, quæ duo per se expensa, rem totam non solum explicant, vt alibi dicebamus sed etiam illustrant, & augent : Quæcumque ad Galatas scripsit Apostolus ex hoc vno primo capite antecedenti nascuntur, Miror quod tam cito transferimini, ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud Euangelium, quod non est aliud nisi quia sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euãgelium Christi] & ex ijs quæ cap. vltimo inferuntur, quicumque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum vt crucis Christi persequutionem non patiantur vt in carne vestra glorientur] Psalmus 45. de Christo Messia loquitur, & exponi debet, tum ex antecedentibus, tum ex eo, quod consequitur, Patet, nam titulus est canticum pro dilecto, id est laus pro Christo Messia, quem Pater æternus non semel dilectum vocat, & pro ijs qui commutabuntur, id est pro populis Fidelibus, qui Ecclesiam Christi faciunt, qui commutandi dicuntur per Iustificationem, a Mesia in hoc sæculo, & in alio per resurrectionem, & gloriã; qui enim Idola adorabant Deum verum cognoscent, & qui mortalem in terris vitam degebant, immortali in cælis beatitudine fruentur : De his autem duobus loquitur psalmus, de Christo scilicet dilecto & Ecclesia, vnde

Ex annexis amplificatio fit.

Digitized by Google

ſtatim habetur in primo verſu, dico ego opera mea Regi, ſcilicet Meſſiæ, deinde aſtitit Regina à dextris tuis, quæ eſt Eccleſia, quæ commutata eſt; in vltimo verò, Propterea confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi, quod ſcilicet omnes eſſent Meſſiæ laudes decantaturi; Ex hoc conſequenti, Si cum antecedente iungatur, facilè tota vis cantici colligetur. Item apud Lucam Parabola Phariſæi, & publicani optimè pendet ex eo antecedente; Dixit Ieſus parabolam, ad eos qui in ſe confidebant, & aſpernabantur cæteros] ſicut & maximè augetur ex hoc conſequente qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur] Nam ex ijs verbis omnia pendent, in ſe confidere, alios aſpernari, exaltari, & humiliari, quod in cæteris parabolis licebit animaduertere, & conferet non parum, ſiquidem vel in principio, vel in fine ipſius parabolæ aliquid ſimile adijcitur.

Scopus attendendus.

Decimoſeptimò, Sicut ad inueſtigandum hiſtoriæ ſenſum multum intereſt præ oculis ſcopum quem ſibi ſcriptor propoſuit haberé continuò; ita & ad varias argumentationes extruẽdas prodeſt eundem ſcopum attendere: Iuuabit item, ſi variæ circũſtantiæ, Perſonarum, loci, temporis, modi ſeriò aduertantur; rurſum ſi cauſæ afferantur: Nam in vno eodemque ſubiecto, nonnunquam videmus ex quatuor cauſis argumenta, & amplificationes poſſe deſumi. S. Leo. in Serm. de transfiguratione ad ſcopum primo attendit, in qua transfiguratione (ait) illud principaliter agebatur, vt de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas paſſionis, quibus reuelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis] Bern. in illud vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem, ex circumſtantijs ſcripturæ ſic argumentatur: Quis (inquit) hoc dixerit, ſcitis, & tempus, ſcitis, Domini enim eſt verbum iſtud, & inſtante iam paſſione, & attenditè quod ipſe iam erat paſſurus, & non diſcipuli, nec tamen pro ſe dicebat orandum, ſed pro illis; ſi tantum illos oportebat timere in paſſione Domini, quantum nobis eſt nunc fratres timendum in paſſione noſtra?] D. Petrus tractans illud Pſalmi, non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, addit circumſtantiam euidenter probantem, Dauid (inquit) defunctus eſt, & ſepulchrum eius apud nos eſt] Bern. in pſalm. qui habitat; ita ſententiam illam amplificat Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te; mira (inquit) dignatio, & verè magna dilectio charitatis, Quis enim, quibus, de quo, quid mandauit? Quis enim manda-

Serm. 5. in pſ. qui habitat.

Serm. 12.

Digitized by Google

mandanit? cuius sunt Angeli, cuius mandatis obediunt: Summa maiestas mandauit Angelis, & Angelis suis mandauit, illis vtique tam sublimibus, tam beatis, tam sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & verè domesticis Dei, mandauit de te, tu quis es? Domine quid est homo quod memor es eius, & filius hominis quia reputas eum? quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis, sed quid putas mandauit de te? numquid scripsit contra te amaritudines, nunquid vt contra folium quod vento rapitur ostendat potentiam suam? Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te. De quatuor causis exemplum sit in præcepto charitatis; Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo] Causa efficiens, & præcipiens est Deus, Materia est præceptum dilectionis Dei, & proximi, Forma ex toto corde tuo, anima viribus &c. Finis Deus ipse, & Christus, in quem tota lex tendit: Aliud sit exemplum in hystoria Dauidis pugnantis contra Goliath: Finis fuit Dauidi, vt iniuriam diuinæ maiestatis vlciscereturr, vt sciant omnes, quod Deus est in Israel, Formalis causa; Ego venio ad te in nomine Dei exercituum, efficiens principalis, Deus, ministerialis & instrumentalis Dauid ipse in funda, & lapide, Materia, ipsa pugna.

Decimooctauò, Cum aliquid è scripturis afferimus, præsertim si difficultatem aliquam secum importet, potest vna, vel plures rationes afferri, cur hoc, vel isto modo, & non alio dicatur, siue rationes ab ipsa scriptura decerpantur, siue ex Sanctorum Patrum promptuarijs eruantur, aut à nobis prudenter excogitatæ in medium subijciantur: & tales sint, quibus doctrinæ ipsius rationabilitas manifesta fiat. Quem modum August. appellat secundum Ethiologiam, seu causæ redditionem: Exemplum sit potest causa afferri, quare Deus cætera suo verbo creauit, dixit & facta sunt,] carnem tamen hominis de limo terræ formauerit, quare de costa primi hominis, Euam edificare voluerit. Quærit S. Ambr. causam secundi, & docet de ipsius Adæ costa factam esse mulierem, vt sciremus vnam in viro, & muliere corporis esse naturam, vnum fontem generis humani: Quærit idem quare de alijs rebus dicatur vidit Deus quod esset bonum] non autem de homine, cuius tamen creatio, & constitutio alijs præferenda sit, vtpote melior: Respondet quia aliæ res, quæ libero arbitrio, & ratione carent, suam integram habebant naturæ bonitatem, at homo libertate præditus, & ad bona supernaturalia ordinatus, nondum suam perfectionem

Scriptura per rationes alla tas amplificatur.

l. de Parad. c. 10.

erat consequutus: Similiter si mysterium piscinæ explicem, quæstionem mouere possum, quare vnum tantum illa aqua singulis annis sanaret non plures, quare nonnisi post motionem Angeli? Ita per reliquas circumstantias inquirens nobilissimæ disputationes offerentur, in quibus abstrusiora mysteria diuulganda referabuntur. Bern. in psalmum 33. causam reddit, cur mors peccatorum pessima dicatur; mala (inquit) in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo quem diligunt, peior in dissolutione carnis, à qua euelluntur eorum animæ à spiritibus malignis, pessima in tormentis inferni, quando corpus, & anima perpetuis simul addicentur ignibus.]

Serm. 43. ex paruis.

Ex scripturæ sententia, colligitur aliqd aliud.

Decimononò. Sanctorum librorum verba ex his quæ dicunt, aliquid aliud innuunt proximum, & affine, ei quod scribitur, vt facile sit ex tali proportione consimilium, seu rerum affinitate, allusionem fieri ad id, quod implicitè concluditur, & tunc ea coniunctio, & significatio maiestatem orationis auget, quia vnum simile alteri lucem præfert: Exempla regulã declarabunt; quæ patribus vsitatissima est; Bern. cum explicasset mortem peccatorum pessimã, ex affinitate quadã sententiæ, addit mortem bonorum optimam esse, quoniam sit ibi quies à labore, sit iucunditas de nouitate, sit securitas de æternitate.] Idem super illa verba Cant. oleum effusum nomen tuum] Ex vicinitate verbi effusionis, considerat virtutem infusionis, ita vt dona Dei, quæ nomine olei proponuntur, & infundi dicantur in ordine ad nos, qui recipimus, & effundi quando proximis per nos communicantur] idem in illa verba memorare nouissima tua, ex hoc quod dantur nouissima, per quandam affinitatem alludit ad primordia, & media, quorum respectu nouissima dicuntur: Recole (ait) primordia, attende media, memorare nouissima, prima pudorem addunt, secunda dolorem ingerunt, nouissima metum incutiunt, cogita vnde veneris & erubesce, vbi sis & ingemisce, quò vadis & contremisce. Hoc eodem modo, ex causis possumus philosophari de effectibus, & vice versa de effectibus causas cognoscere; item ex vno simili aliud colligere, ex vno relatiuo, alterum: & ex signis rem significatam. Ex relatis argumentatur Paulus ad Roman. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater] quod exagerans Chrysostomus; Neque enim solum dicit (Pater) sed (Abba Pater) quæ potissimum vox, est germanorum, ac legitimorum ad patrem liberorum,] & diuus Hieron. qui vocat Patrem (ait) filium se esse profitetur, debet ergo patri similis in

Loco citato.

Serm. in Cant. 18.

Rom. 8.

Hom. 14. in epist. ad Rom.

mori-

Digitized by Google

moribus inueniri, nè nomine quoque in vacuum vſurpato, maiori pœnę ſubiaceat Ioan. 13. Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, neque Apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum. Ex ſignis increpat arrogantiam Phariſæorum Chriſtus, facto veſpere dicitis ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum, & mane, hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum, faciem ergo cœli dijudicare noſtis, ſigna temporum non poteſtis? & Centurio viſo terræ motu, & his quæ fiebant exclamauit, verè filius Dei erat iſte Dion. Areop. ſcribens ad Polycarpum contra ſophiſtam Apollophanem ex ſignis, Chriſti diuinitatem probat his ververbis. Hæc ſunt quæ tunc temporis contigere, naturam profectò ſuperantia, ac ſoli Chriſto poſſibilia, qui Author eſt omniũ; Ea ſi potes Apollophanes argue, nempè enim vna tecũ præſens affui, vnaque aſpexi, ac dijudicaui omnia, dignaque ſum admiratione proſequutus.

Matt. 16.

Matth. 27.

Epiſt. 7.

Poſtrema, & vigeſima regula erit ſi ſimul cum ſententiarum explicatione aliquid ex doctrina Theologorum, quos ſcholaſticos vocamus, quaſi commentarij loco adijciamus, nec deerit facultas, cum præ cæteris D. Thomas ex harum literarum teſtimonijs penè totam ſuam theologiam confirmet & cõponat. Huc præterea refertur ſi quis ad ſententias ſacras dilatandas, philoſophorum moralia dicta applicet, cuiuſmodi ſunt, quæ ex Ariſt. aut aliorum philoſophorum Epicteti, Platonis, Senecæ, Plutarchi, libris moralibus deſumuntur, vt diuinæ ac reuelatæ ſapientiæ tanquam ancillæ famulentur, parcè tamen, vt alibi diximus. Idem eſto iudicium de naturali philoſophia, de ſcriptoribus hiſtoricis, de artibus humanis, cum multa ſint in noſtris ſcripturis, quæ harum rerum adminiculo indigeant; Aliqua item ex Poetarum eruditionibus facient ad rem noſtram. Orig. Niſi (ait) naturã animalium ſic intelligere deberemus, nunquam dixiſſet in Euãgelio Saluator, Dicite vulpi illi, neque Ioannes generatio viperarum: Baſil. ſicut (ait) ſolent tinctores vt perfectum colorem purpuræ panno inducant, inferiorem alium colorem præmittere, ſuper quo amplius exprimatur color ille perfectus, ita de diſciplinis humanis præmittendis ante diuinam ſcientiam iudicandum eſt. At ſicut ante diuinas literas, hæ prophanæ addiſcuntur, ita eiſdem tractandis vſui eſſe poſſunt, quod á pleriſque Sanctorum Patrum maximè Nazianzeno, Clemente Alexandrino, Baſilio, Lactantio, Hieronymo, & alijs videmus eſſe factum; Ambroſ. in libris hexameron multa de naturali philoſophia docet, ſcripturas etiam afferens vn-

Scriptura amplificatur ex doctrinis varijs.

Hom. 3. in Cant.

Tract. ad Nepotes.

Hier. 17.

Digitized by Google

de in illum locum Hieron. perdix fouet, quæ non peperit, naturam perdicis deſcribit, ſicut in verba Chriſti; eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, poteſt fieri digreſſio ad naturam horum animalium inquirendam, vt inde ſimplicitas prudens, & ſimplex prudentia doceatur: ſic in Eccleſiaſtico. breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus eius, inde poteſt fieri deſcenſus ad naturam apium inueſtigandam, nam vt docet Ambr. apes ſunt laborioſæ, & inertes durius caſtigant, ceſſantesque ab opere morte condemnant; expellunt, & occidunt nimium comedentes, omnes ſunt occupatæ; quædam directa acie certis Ducibus bellum mouent, quædam circa victum inuigilant, mellificant aliæ, cellas explorant, & inter has vices nulla alterius operi inſidiatur, nulla raptim victitat, ſed ſuo labore victum conquirunt omnes; Vnde virum ſpiritualem ex Apum philoſophia inſtruere poterimus, qualiter ergà ſe, ergà proximos, ergà ſuperiores gerere ſe ipſum debeat; otium, vt fugiat; contra tentationum procellas inſtructa acie procedat ſub recta ſuperiorum diſciplina: alijs non detrahat, ſed inter flores ſanctæ conuerſationis mella ſpiritualis fructus carpēdo in proprio ſudore panem ſuum comedat. Exemplum ex vſu moralis Philoſophiæ: ſi agas V.g. de ciborum temperantia in illud Eccl. 37. Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam, in multis enim eſcis erit infirmitas Poteſt adduci authoritas Plutarchi: Vulgares cibi (ait) appetitum intra naturæ modum continent, coquorum, & opificum artes, & calidiſſimæ iſtæ aromatibus conditæ cupediæ (vt appellat Comicus) ſemper fines voluptatum proferunt, vtilitatemque ſupplantant; Item Platonis cuius cæna fuit tantæ philoſophicæ Frugalitatis, vt de eo diceretur: qui cum Platone cenarent poſtridiè etiam ſuauiter habere: idem Medicorum Aphoriſmis adductis poteſt oſtendi: Nam Galenus affirmat cibum compoſitum ex varijs rebus facilè corrumpi. Plinius docet cibum ſimplicem eſſe maximè vtilem homini, ſed multorum ciborum mixtionem eſſe peſtilentem & pernicioſam. Theologia vero ſcholaſtica nobis valde ad ſcripturas amplificādas debet eſſe vſui. Exemplum ſit ex pſalmo 50. Ne proijcias me à facie tua & ſpiritum Sanctum tuum nè auferas à me, ex theologica doctrina afferā eſſe dogma certiſſimum neminem à Deo deſeri niſi ipſe prior Deum deſerat: Auguſtini authoritate confirmatum: Noli cadere (inquit) & tibi non occidet ſi tu feceris

5. Nex. c. 21.

Ariſt. 1. biſt animal. c. 22.

In mor. lib. de tuen. valetudine.

Plut. loc. cit.

Lib. 11. c. 53.

Tract. 2. in Ioan.

caſum

Digitized by Google

casum, ille tibi facit occasum, Ex hoc patebit locus: Spiritum Sanctum non auferri à iustis, nisi ipsi peccando spiritum in se extinguant: hoc autem pertinet ad donum perseuerantiæ quod non cadit sub meritum, vt Theologorum schola vniuersa docet: sed petendum est a Deo iugiter vsque ad mortem, quod facimus, dum clamamus nè proijcias me à facie tua &c. super illud Matth. vę vobis scribæ & pharisæi Hypocritæ qui mundatis quod deforis est, intus autem pleni estis rapina: Ex certa Theolologia dicendum est, bonitatem actionum nostrarum constare ex duplici parte, externa scilicet, & interna, sicut homo constat anima, & corpore, & præcipuam partem eam esse, quæ consistit in spiritu interno; & ab eo sumere vim, ac meritum externas actiones, iuxta illud psalmi omnis gloria filiæ regis ab intus, & Cant. Pone me vt signaculum super cor tuum, & super bracchiũ tuum, primò enim præcedere debet cor, dein de bracchium, ideſt ex interno spiritu externa actio. Tandem ad hanc etiam regulam refertur, cum ex poetarum libris aliquid affertur ad ipsius scripturæ verba confirmanda; nam scriptura etiam poetarum modis loquendi vtitur: quod si aliquis contradicat, exponat, ait, Hier. quomodo dicatur, vallis Titanorum in Regnorum libris Syrenæ & Onocentauri, in Isaia Arcturus, Orion, & Pleiades in Iob. & cætera his similia, quæ vtique vocabula gentilium fabularum & causas, & origines perueſtigando, suo pondere non carent, modo Concionator, non velit poesim ostentare, sed Ecclesiastem agere Christianum. *c. 3. Ep. ad Galat.*

Atque hæc de scripturis occurrebant ad viam aliquam nouis Concionatoribus aperiendam, quibus assiduo vsu & Sanctorum Patrum lectione meliora sine dubio occurrent: Ego vero iudicium hoc loco meum nequaquam dissimulo. quanquam nil noui, ab eo quod viri sapientes, & periti concionatores norunt sim dicturus, tamen quod dico istud est: Ad formandas optimas conciones nullam nos inire posse meliorem rationem, quàm si ex opulentissimo scripturarum sacrarum thesauro, & ampliſsimo reuelatæ sapientiæ diuino fonte, quæ dicturi sumus hauriantur. hunc ego modum ad instruendas, vt dixi conciones longè alijs affero faciliorem ijs, qui mediocriter in sacris biblijs sint versati: Ad fructus item vberes colligendos longè magis accommodatum, cum nihil, aut dignius, aut vtilius afferri possit, quam id, quod ad hominum beneficium Deus ipse protulit, Rudioribus etiam populis planiorẽ cum ea sit li-

terarum diuinarum maiestas, vt sapientibus, & insipientibus æque respondeat: ipsi item Oratori reliquis aptiorem, siue docere, siue mouere, aut delectare velit: Rursum Deo nil magis gratum esse, nec sapientibus, & doctis auditoribus magis arridere, quàm si eiusdem Dei verbis oratio inhæreat, ideoque diuinum aliquid redoleat: Denique, vt vno verbo dicam absoluta erit omnibus numeris concio si diuinarum sententiarum luminibus illustretur, vt stellis celum, & quasi gemmis corona decoretur.

De Argumentatione. Cap. XXX.

HActenus de argumentis, & varijs argumentorum locis, locuti sumus, Sed illud etiam sciendum, hæc argumenta per Argumentationes esse tractanda, & expolienda; sunt enim argumentationes argumentorum expolitiones, & quasi eorum formæ, inter quas Ratiocinatio, & Inductio præcipuum locum habent, imò ad eas omnes aliæ commodè referri possunt, vt iam ostendemus. Ratiocinatio, quæ græco nomine syllogismus dicitur, tres habet apud dialecticos partes, vt omnibus est notum. quas vocamus maiorem propositionem, minorem, & conclusionem; sed neque eo ordine, neque etiam numero, ab Oratoribus coercentur. Aliquando enim conclusionem præmittunt probandam, inde adijciunt vnam vel plures propositiones, easque amplificant, pro vt res ipsa exigit. Exemplum ex tribus partibus constans sit. Qui ex Deo est verba Dei audit, sed vos non auditis, ergo ex Deo non estis. ad hanc primam speciem hæ quoque reducuntur; primo Epicherema, cum tota ratiocinatio in vnam cogitur propositionem, virtute, continentẽ omnes partes Syllogismi, vt apud Malachiã. Si Ego Dominus vbi est timor meus, si ego Pater, vbi honor; vbi subintelligitur maior propositio, Dominum oportet timere Patrem amare, & minor Ego autem sum Pater & Dominus. Sic Paulus ad Galatas. Sic stulti facti estis vt cum spiritu cæperitis, nunc carne consumamini.

Ratiocinatio.

Epicherema.

Enthymema. Secundo Enthymema, vbi vnã tacemus propositionẽ, vt facit Paulus. Nescitis quod mẽbra vestra tẽplum sint Spiritus Sãcti? tollens ergo membra Christi faciã membra meretricis? Absit

Socites. Tertiò, Sorites, est cũ multi Simul coaceruãtur syllogismi. Exẽplum sit ex D. Prospero. Isaias secundum septuaginta versionem sic habet, si non credideritis, nõ intelligetis, vnde infert ex fide intelle-

intellectum exiſtere, non ex intellectu fidem; Ex intellectu autem naſcitur benè agere, vt dicitur in pſalmo 35. noluit intelligere vt benè ageret; Sed Apoſtolus dicit fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei; Vnde colligitur Doctorem debere prædicare quod audiat crediturus, quia ſine prædicatione nullus erit auditus, eodem Apoſtolo dicente, quomodo audient ſine prædicante. Si ergo (inquit) quilibet ſine prædicante non audit, ſine auditu non credit, ſine fide non intelligit, ſine intellectu non benè agit, Verbum fidei prædicandum eſt, vt audiens credat, credens intelligat, intelligens bonum opus perſeueranter agat. Sic Hieron. Nemo Propheta in patria ſua honorem habet, at vbi honor non eſt, ibi contemptus eſt, vbi contẽptus ibi iniuria, vbi autem iniuria, ibi indignatio, vbi indignatio, ibi nulla quies, & alia &c. Vnde infert, Monachum in patria ſua quietum eſſe non poſſe; Quartò, Oppoſitio, quando ex oppoſito propoſitionis, redimus ad propoſitionem, quale eſt illud Pauli ad Roman. in die oportet operari, nam in nocte ob tenebras non operamur. Sed iam nox præceſſit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis tanquam in die honeſtè ambulemus. Quintò, Collectio eſt confirmatus, & amplificatus ſyllogiſmus cõſtans quinque partibus, ſcilicet propoſitione, ratione propoſitionis, confirmatione, amplificatione, ſeu expolitione, ac denique cõcluſione. Quomodo autem poſſit res confirmari, & amplificari ſuo loco dicetur: Itaque ſyllogiſmus tres habet partes, ſi verò argumentatio vna propoſitione omnia concludit, eſt Epicherema, ſi duabus Enthymema, ſi multi ponuntur ſimul ſyllogiſmi, eſt Sorites, ſi ex oppoſito concludit Oppoſitio, Si quinque partibus conſtet, Collectio.

Ep. ad Heliod.

Oppoſitio.

Rom. 13.

Collectio.

At verò Inductio, quæ eſt ſecunda ſpecies, apud Dialecticos, eſt cum ex particularibus vniuerſale colligitur, apud Rhetores etiam cum ex ſimilibus multis, aliud ſimile infertur, exemplũ prioris, neque fames, neque nuditas, neque perſequutio, neq; inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit me à Charitate Dei ſeparare. Exẽplum poſterioris eſt item apud ſanctum Paulum, dum licitum eſſe Concionatori viuere ex Euangelio ſic oſtendit; Quis militat ſtipendijs ſuis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non comedit? Quis paſcit gregem, & de lacte non manducat? Cypr. probaturus ſolidam virtutem in rebus aduerſis oſtendi. Arbor, inquit, quæ alta radice fundata eſt, ventis incumben-

Inductio duplex.

Rom. 8.

1. Cor. 9.

Li. de mortalitate.

Digitized by Google

cumbentibus non mouetur; Nauis, quæ forti compage solidata est, pulsatur fluctibus, nec foratur; quãdo in area fruges terit ventus, grana fortia & robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portatæ rapiuntur. Nazian. volens probare intellectum humanum, nec naturalia quidem posse integrè percipere, hac inductione vtitur; Quis lyram cicadis in pectore dedit, & cantus illos, quos cum meridiano Solis æstu ad musicam incitantur, in arborum ramis fundunt? quis cantum cygno contexit, cum pennis in auram expansis modulatum sibilum edit? Quid est iam cum arrogans, & medicus Pauo elegantiam, gloriamque affectet? Vnde apibus atque araneis tantus laboris atque industriæ amor? & in hunc modum satis prolixam inductionem habet. Ad hanc secundam speciem pertinet, Expeditio, vel enumeratio cum multa proponuntur facta sufficiente enumeratione, & cætera tolluntur, vt vnum inferatur, vt si dicam de cæco nato, vt cæcus nasceretur vel ipse peccauit, vel parentes, vel ob gloriam Dei factum est, non primum, non secundum, ergo tertium. Et huic est valdè similis Subiectio, qua plura quærimus, quæ dici possunt, & nos ipsi nobis respondemus, vt reiectis alijs concludamus, quod volumus. Vt si quis laudans sanctum Iob hac figura Rethorica vteretur, Quali nomine hunc iustum appellem ignoro, Athletam eum vocem? Sed præcellit tantarum copia coronarum; Petram eum dicam? sed firmiorem eum video, militem appellabo? Sed robustiorem cerno constantiam; Turrim eum nominabo? sed eminet sapientia; arborem eum dicam? sed decorior inuenitur; fructum eum appellem? sed speciosior demonstratur; thesaurum eum nominabo? sed copiosior dignoscitur, & quali vocabulo appellem Sanctum, non inuenio. Pulchra est Chrysostomi inductio, vt probet aliquem non esse fidelem factis, etiam si nomine dicatur Christianus; Vnde (inquit) te queam agnoscere? à contrarijs vndique te reperio conspicuum: Nam seu à loco te discere voluero, in circis & Theatris commorantem intueor, in malignantium concilijs, in hominum conuenticulis perditorum, seu ab aspectus forma, video cachinnantem iugiter, & dissolutum, siue à vestibus, in scena versantibus, nihilo melius cerno compositum, siue à sequentibus, parasitos & assentatores circũducis, siue à verbis nihil sanum, aut necessarium, aut nostræ conferens vitæ loquentem audio, siue à mensa, hinc maior apparebit accusatio. Vnde igitur potero te fidelem agnoscere dictis omnibus contraria protestantibus?

Circa finẽ secundæ orat. Theol.

Expeditio.

Subiectio.

Hom. 22. ad Pop. Ant.

Ita

Digitized by Google

Ità etiam dicam, quod verus Dei cultus in Mundo esse debet, sed vbinam est? inter Turcas? nequaquam, inter Iudæos? minimè, inter Gentiles? nullo modo, Inter hæreticos? non potest esse; ergo inter Christianos, & Catholicos; Neque huic absimilis est Submissio, in qua per interrogationes, ac responsiones, veritatem aliquando indagamus, vt si velim probare necessariam esse perpessionem rerum aduersarum, hoc modo dicã. Qui volunt piè viuere debent patienter persequutionem pati, quare? quia non desunt multæ calamitates, quas oportet ferre, sed cur hoc? vt scilicet homo probetur, nam qui non est tentatus, quid scit? & vt certando fiat dignus Deo, sed quare oportet certare? quia non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, & alia: Dilemma, seu complexio V.g. arguens contra eos qui dixerunt, dormientibus nobis venerunt discipuli; & furati sunt corpus Christi, dicam, aut dormiebatis, aut non, si primum, quomodo id potestis testari, nam dormientes non sunt boni testes, si secundò, quare non defendistis vos contra discipulos? Submissio. Complexio. *Matth.* 28

Similitudines, exempla, sententiæ. Cap. XXXI.

PRæterea similitudines, & exempla ad inductionem aliquo modo pertinent, quibus adde sententias. De similibus præclare ait Quintil. ad inferendã rebus lucem reperta. Aristoteles asserit magni esse ingenij similia videre. Hodie à nostris Cõcionatoribus adhibentur frequenter. Adhibendus tamen est modus ne nimia copia, vel nauseam faciat, vel dicentis authoritati, ac prudentiæ obsit; Primum curandum ne id quod similitudinis causa affertur aut obscurum sit, aut ignotum; Etenim quod illustrandæ alterius gratia rei adducitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminat, debet: & hoc modo similia non solum illustrandi rem, sed etiam probandi vim habent, vt si dicam. Sicut ijdem oculi cœlum, & terram pariter nequaquam aspiciunt, ita mundi amor, & Dei pariter in vno corde habitare non possunt. *Cap.* 11. *lib.* 5. *In Poet.* Regulæ circa similium vsum. Prima Regula.

Videndum deinde, vt similitudines ex rebus petantur nobilibus, non autem ex sordidis, & nimis vulgaribus, vt ex rebus culinæ, & ollis, ex abiectis artificijs, nec debent nimis minuta, & abiecta quæ rem circumstant referri, vt quidam fecit, qui dũ affert similitudinem mulieris parturientis, propria obstetricis munia, etiam parturientis clamores expressit, & alter, qui venato- Secunda Regula.

natorum voces in pulpito, ac si esset in aperto campo edebat.
l. de carne Christi c. 9. Similitudo est Tertull. Quid est caro, nisi terra conuersa in figuras suas. Cum ducuntur ex rebus inexpectatis, & nouis reddunt orationem sublimem, floridam, & iucundam. Tertiò possunt hæ similitudines aliquando breuius, aliquando latius tractari, si res exigat, sed illud vt plurimum est faciendum, hoc non tam crebrò: pleni sunt ijs, libri Sanctorum Patrum, iamq; libri etiam extant qui collectas ex ijs similitudines, inquè cõmunes locõs redactas continent. Quartò, similitudines aliquando præcedunt, & res sequitur, aliquando præcedit res quam excipit similitudo, aliquando (quod magis placet Fabio) cum re ipsa connectitur, collatione inuicem correspondente: quo modo rem magis oculis subijcit, & pariter ostendit. Quintò, Aliqui cum habent locum scripturę, in quo similitudo aliqua latet, primò afferunt eam, inde locum scripturæ citant, quod magis placere videtur Auditoribus. Sextò, Modus adhibendi similitudines potest esse multiplex: idoneum certè erit in dicendo vti varietate, quia semper delectat, nonnunquam breuiter tangitur. Isa. tanquam ouis ad occisionem ductus est. Paulus de spe, quam sicut anchoram tutam habemus; aliquando magis exprimitur comparatio. Eccl. sicut sol oriens mundo, sic mulieris bonæ species in domo sua: sæpe cõiunguntur plures similitudines: Quasi cedrus exaltata sum &c. quasi oliua speciosa in campis, quasi platanus, quasi storax &c. Chrysostomus in peruersum Christianum his verbis inuehitur ostendens non solum non esse fidelem, sed nec hominem, & feris peiorem. Quid (inquit) fidelem dico? nec enim es homo, cum enim tanquam asinus recalcitres, lasciuias autem vt Taurus, tanquam equus verò post mulieres hinnias, ventri tanquã vrsus indulgeas, & vt mulus carnem inpingues, & malum memoria teneas velut Camelus; porrò rapias vt lupus, vt serpens irascaris, ferias vt scorpius, sis subdolus vt vulpis, nequitiæ verò tamquam aspis, & viperæ venenum serues, & sicut ille malignus Dæmon fratres impugnes, quomodo te cum hominibus numerem talis in te naturæ signa cum non intuear? Crebrio afferimus similitudinem per contrarium. Prou: si contuderis stultum in pila, non auferetur ab eo stultitia eius, vel per negationem, V.g. ceremoniæ solum extrinsecę sine compunctione cordis nequaquam animam lauant, sicut aqua faciem, ac manus à sordibus mundat. Septimò, Putarem e re boni Concionatoris esse si omnes similitudines sacræ scripturæ in locos

Duplex ratio proponé di Similia.

Quarta Regula.

Quinta.

Sexta.

Modus adhibendi similitudines.

Is. 53.
Heb. 6.
Eccl. 21

Eccl. 24.

Hom. 23. ad pop. Ant.

Prou. 27.

Digitized by Google

cos cõmunes virtutum & vitiorũ redigeret, cuius rei formulã videre poterit apud Ioannẽ Buterum, qui ex Prophetis collegit. Sępè autẽ ex vno, vel altero verbo metaphorico pulcherima elici poteſt ſimilitudo, ſi fuſius explicetur. Eſt enim metaphora breuis ſimilitudo. Cum vſu ſimilitudinum pone etiam parabolam, quæ non eſt aliud quam rerum diſcrepantium ſub aliqua ſimilitudine facta collatio. Solent autem parabolæ ſumi aliquando per locum à pari, ſicut hoc ita & illud; aliquando per locum à minori vel maiori ex illa maxima. Si quod minus videtur ineſſe, ineſt, ergo quod magis, vel ſi quid magis videtur ineſſe, non ineſt, ergo nec quod minus. Exemplum primi generis eſt parabola ſeminantis. Zizaniorum, ſagenæ, de Rege faciente nuptias filio ſuo. Secundi generis de Iudice iniquo, de Villico iniquitatis. Exempla etiam ſunt vſurpanda, quæ ad probandum, & ad perſuadendum multum valent, & ſolent Auditoribus valde tum vtilia, tum iucunda eſſe, ſi ſuo loco adhibeantur: Certa enim regula Hieronymi eſt, quod per ſimplex præceptum teneri ab Auditoribus non poteſt, per ſimilitudines exemplaque habeatur. Seneca longum (ait) iter per præcepta, breue, & efficax per exempla. In horum tractatione hic modus ſeruari poteſt; Primò non multa exempla narranda ſunt, nam multitudo parit ſatietatem, & memoriam obruit, ſicut vnum aut alterum ſolet cum fructu audiri, & facile memoria retineri. Quando autem multa afferre neceſſe eſt, ſingula per modum inductionis percurrenda ſunt breuiter, vt ſi de fortitudine agerem, poſſem ad eam hortari. Laudando fortitudinem Stephani inter lapides, Laurentij in igne, Andreæ in Cruce & aliorum, quomodo Paulus de fide loquens multorum exempla affert ſanctorum. Et in libris Machabæorum Mathatias S. Chryſoſt. commemorat multorum Patrum illuſtriora facta, in quibus Paulum confert, & præfert. Secundò exemplum poteſt aliquando afferri ſine applicatione; vt Iac. Elias homo erat ſimilis nobis, & oratione orauit; & ſine alia explicatione, quando eſt notum, vt Iudas. Væ illis, qui in via Çaim abierunt, & ſicut ſodoma, & Gomorra, & finitimæ Ciuitates. Tertiò, Per comparationem argumentando à maiori ad minus, vel contra. Vt Regina Auſtri ſurget in iudicio, &c. Et ecce pluſquam Salomon hic. Viri Niniuitæ &c. Et ecce pluſquam Ionas hic, vt ſi contra irreuerentiam aliquorum Chriſtianorum in cultu templorum afferrem exempla Ethnicorum, & Turcarum, qui cum magna reuerentia ſe gerunt, & Chriſtus Dominus affert contra

Parabolæ.

Exemplorum vſus.

Lib. 3. in Matt. c. 18

Epiſt. 6.

Modus tenendus in exemplis.

Hom. 5. de laud. Paul.

Iac. 5.

Matth. 12.

Digitized by Google

Matth. 8. tra infidelitatem Hebræorum, fidem Centurionis. Quartò, Nonnunquam potest aliquod illustre exẽplum dilatari, & exornari dum vtimur locis ad amplificandum accommodatis, considerando omnia, quæ rem comitantur, describendo, & ante oculos ponendo facta, & virtutes, adhibendo figuras, quibus illustris redditur, vt si promptissimam, & fortissimam Abrahæ obedientiam ex multis factis adiunctis exornem. Quintò, Habeat oster Orator selectiora Sanctorum, & illustrium virorum exempla in locos communes virtutum ac vitiorum disposita, ex quo promptuario, possit aliquid opportunè pro materiæ ac varia rerũ tractatione depromere. Vtile enim valde est & multum addit concionibus ornamenti graue aliquod exemplum, suo loco propositum: ac persæpe magis ad persuadẽdum, quàm ipsæ rationes, & argumenta valent. Præsto sunt vnde peti possunt libri Authoresque permulti, Baronius, Surius, Lipomanus, historia Eusebij, Tripartita, Lausiaca, Chronica diuersarũ Religionum; Præterea Cesarius, Sophronius in prato spirituali. Tilmanni collationes, liber qui dicitur Exemplorum, collectus ex varijs libris nuper emendatus. His præterea addi possunt sententiæ, quas inter figuras aliqui enumerant, sed non solum ornant, sed ad confirmanda quæ dicimus valent plurimum, & Aristoteles etiam alio nomine eas laudat in Oratione, quia moratam eam reddunt, cum in eis Oratoris mores eluceant. Sunt autem sententiæ vtiles ad docendum, si sint vt oportet, breues, aptæ, & succi plenæ, ad delectandum ob acumen, & aliquam dicendi figuram per quam ferè explicantur, ad mouendum, quia instar iaculi auditorum cordibus infiguntur. Sunt autem Sententiæ, oratio sumpta ex vita communi, quæ quid sit, aut quid esse debeat in vita breuiter ostendit: & differunt à prouerbijs, quod hæc sint sententiæ quædam peruulgatæ, ac tritæ, illæ verò minimè, sed vox aliqua sapientum, vt illa Ciceronis. Neque enim is exercitum continere potest Imperator, qui se ipsum non continet, Et sententiarum apud Cõcionatorem debet esse frequentior vsus, quàm prouerbiorum: quia cum hæc etiam apud rusticos sint vsitata, sæpe humilem dictionem efficiunt. Abundant Patres sententiarum numero, & grauitate ex quibus iam y & libri confecti sunt. In fine operum D. Gregorij ponuntur sententiæ ex omnibus libris eius collectæ, & in locos communes destributæ, quas Collector flores appellat. In tertio Tomo D. Augustini ponuntur 388. sententiæ quas Prosper creditur ex eius operibus collegisse. Philosophorum

Habeat Orator locos cõmunes variorum exẽplorum.

Authores à quibus exempla desumenda.

Sentẽtiarum vsus.

Sententia quid sit.

Pro lege Manilia.

Sentẽtias vnde colligamus.

Digitized by Google

rum etiam plurimas sententias collegit Stobæus, Ludouicus Granatensis ex Seneca, & Plutarcho, & alijs. Epicteti Enchiridion continet multas, & graues & vtiles ad mores instruendos. Sed & suopte ingenio inuentis, debet Cõcionator vti, possunt autem aliquando afferri sine ratione, aliquando potest ratio subdi, vt in illa Eccl. Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triste. subditur ratio, Altissimus enim est patiens redditor, quod tunc magis faciendũ est, cum per sese videri posset minus probabilis. Aliquando proponuntur sentẽtiæ simplices, aliquando duplices ex cõtrarijs sæpe rebus formatæ; Vt filius sapiẽs lętificat Patrem, filius stultus mæstitia est matris. Eccl. statera dolosa abominatio est ante Deum, pondus æquum voluntas eius. Nõnunquam proponuntur oratione vsitata, nonnunquã cum aliqua figura, vt fit in Epiphonemate, vt Sulpitius in vita B. Martini. O virum ineffabilem, nec labore victũ nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recusauit. Decet senes magis sententias afferre, quam Iuniores, sed & hi possunt modicè vti, præsertim cum non sunt ipsi Authores, sed ab alijs dictas referunt, Neque debent eas immodicè frequentare, crebriores enim inuicem sibi obstant, vt in segetibus, & arbustis euenit, quæ densitas ad iustam magnitudinem adolescere non finit. Pictores etiam cum multa in vnam tabulam opera contulerunt spatijs ea distinguunt, vt vmbrę in corpora cadant, & vt melius singula emineant.

Eccl. 5.

Prou. 10.

Amplificatio ex locis Topicis. Cap. XXXII.

NOn solum argumenta inuenienda, & adhibendæ argumentationes, & scripturis sacris confirmanda quæ dicimus, sed etiam amplificationibus singula sunt exornanda. Amplificatio namque est maximè Concionatori propria, quæ orationem reddit illustrem, locupletem, lacertosam: Ideo prudẽter Quintilianus de Oratione quæ ad populum habetur, feratur inquit, non semitis sed campis, non vti fontes angustis fistulis, sed vti latissimi amnes totis vallibus fluat, ac sibi viam, si quando non accepit, faciat.

Spectat ea ad eloquutionem, sed quia plurimum ab inuentione pendet, nonnulla hoc loco dicamus. Illud Primo animaduertendum est, nostras Amplificationes non ideo adhiberi, vt rem maiorem, minoremue ostendant quam sit, quod Rhetores olim & nominatim profitebatur Isocrates. Quæ enim noster

Quorsum tendat amplificatio Christiana.

Digitized by Google

ſter orator proponit omnia grauiſſima ſunt, & ad æternam ſalutem, vel ad æternum exitium tum animæ, tum corporis pertinent: Neque ille in errorem inducere Auditores vult, ſed ab errore deducere: quippè qui non vanæ venditator eſt artis, ſed Chriſti gratiæ Prædicator. Neceſſaria tamē amplificatio eſt, vt qui non intelligunt rerum Chriſtianarum dignitatem, ſic excitentur. Idcirco debet omnino Concionator peccati fœditatem exaggerare, pœnarum acerbitatem, præmiorum amplitudinem, virtutum chriſtianarum excellentiam, beneficiorum Dei magnitudinem demonſtrare, & ea præcipuè, quæ vulgus non videtur magnifacere, vt vſum malæ conſuetudinis, Iuramenta, detractiones, cōtumelias, odium proximi, vicīſcendi cupiditatem, & alia hujuſmodi amplificando extollere. Sic Iſaias amplificat ruinam ciuitatum Moabitarum, ſic Paulus ad Rom. amplificat fidem Abrahę, Sic Chryſoſt. egregiè amplificat ruinas ciuitatum quæ ſæpe ex vno periurio manarunt, & alibi amplificat obedientiam Abrahæ in filij ſui immolatione, loci autem ex quibus amplificatio ſumitur. Primum illi ijdem eſſe poſſunt, qui ad probandum aſſignantur, & confirmandum: Nam amplificatio parum ab ipſa confirmatione, vel argumentatione diſtat, cum aliud ipſa non ſit, quàm dilatata quædam & copioſa confirmatio, vel argumentatio vehemens. Quippè argumenta conglobata & dilatata faciunt amplificationem, vt probatio poſſit dici, velitationi ſimilis, amplificatio autem oppugnationi arcis, in qua tela & tormenta bellica vndique excuſſa ad eam expugnandam frequentantur. Amplificationem faciunt definitiones conglobatæ, vel deſcriptiones, frequentatio conſequentium, ſimilium, ac diſſimilium, contrariarum rerum, exemplorum, adiunctorum, teſtimoniorum, authoritas ſcripturæ vnæ, vel plures benè explicatæ, & ad rem collocatæ Patrum graues ſententiæ. Proponamus exempla e literis ſacris. Amplificatio à definitione, ſeu deſcriptione petetur, ſi dicam virum iuſtum eſſe qui non abit in conſilio Impiorum, & in via peccatorum non ſtat, nec in cathedra peſtilentiæ ſedet.

Rom. 4. *Hom. de vit. Iur.* *Homil. in Gen.*

Loci ad amplificandum.

A Definitione.

A Diuiſione. Secundò, A diuiſione ſeu partitione eſt cum totum vel genus amplificantes diuidimus in ſuas ſpecies ac partes, vt in pſalmo, ſimulacra gentium argentum, & aurum, os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident, pedes habent & non ambulant. Sic Samuel petentibus Regem, oſtendit legem Regis, deſcendēs ad multa ſingillatim opera quæ illis imponet, & moleſtias quas afferet. Sic apud Hierem. nonne vides quid iſti faciunt

faciunt? filij colligunt ligna, patres succendunt ignem, mulieres conspergunt adipem. Sic Greg. Nazian. Matris Machabeorum fortitudinem amplificat, probans nullo genere tormentorum eam flecti potuisse. Nam quod poterat vno verbo dicere (nullum tormentum) amplificauit, multas tormentorum formas enumerans. *Homil. de septē Machab.*

Tertiò, ab enumeratione proprietatum, quæ rei conueniunt, vt Paul. Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, omnia credit, &c. & alibi in laboribus plurimis, in carceribus, in plagis, in mortibus &c. *1. Cor. 13. 2. Cor. 11.*

Quartò, à causis, vt si cruciatus Christi amplificem grauitatem ex summa Dei charitate, ex Christi tam prompta oblatione, & peccati turpitudine, & crudelitate dæmonum, & inimicorum Christi. A causis.

Quintò, ab effectis; vt laudans Deum dicam cum psalmo, Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum. Ab effectis. *Psal. 102.*

Sextò, ab oppositis & contrarijs vt si loquar de humilitate, ostendam quam sit ea Deo grata, ex eo quod superbos Deus ferre non potest, sed eis resistit. Ab oppositis.

Septimò, ab adiunctis & accidentibus, siue antecedant, siue comitentur, siue subsequantur, sic grauitatem iudicij vniuersalis amplificabo, à signis quæ præcedunt, ab aduentu irati Iudicis, & sententia, à separatione malorum à bonis.

Octauò, à similibus, & exemplis. Sap. omnia illa transierunt tanquam vmbra, & tanquam nauis, & tanquam nuncius, & tanquam sagitta in aere, & tāquam auis, &c. Ad hunc locum pertinent omnes rerum, particulares & indiuiduæ circumstantiæ, ex quibus optimè quæstiones finitas amplificamus; Vt si velim dissuadere bellum, dicam nocumenta, quæ affert hoc tempore, hoc loco, à tali principio, in hunc finem, & singulæ circumstantiæ describi amplificarique possunt. Si ignominiam mortis Christi amplificem à loco qui erat Caluariæ mons, vbi scelesti necabantur, à tempore, die solenni, à personis, scilicet Iudæis, quibus tot beneficia contulerat, à modo quia nudus cruci affixus est inter duos latrones. Sic D. Basilius martyrum pœnam & necem describit, ita si quis agat de morte, de Iudicio, de pœnis Inferni, & similibus amplificatio optima erit, si ad propria quæ in his cernuntur descendat Oratio, Sic enim multo magis mouebit, quàm si in vniuersum multa memorētur communia, A similibus, & exemplis, *Sap. 5.* A circumstantijs. *Hom. 40.*

munia, vt si dum de morte differitur, describatur status morientis, proponendo labores corporis, tentationes Dæmonis, separationem ab omnibus rebus, peccata vitæ præteritæ, timorem instantis Iudicij, conscientiæ stimulos & alia: Eodem modo in alijs huiusmodi argumentis. Cicero vult in amplificationibus adhiberi ea, quæ magna habentur, quorum vt ait duplex est genus, alia sunt magna natura, vt cœlestia, diuina, quæ habent causas admirabiles, obscuras. Alia vsu, quæ hominibus videntur aut prodesse, aut obesse. vehementius, & triplicia sunt, Vel enim ad pietatem erga Deum, Patriam, Parentes, vel ad amorem erga charos, ac necessarios, vel ad honestatem virtutum, maximè earum quæ valent ad communitatis bonum, ac liberalitatem spectant.] Talia fermè sunt omnia quæ tractat noster Orator, ita vt deesse idonea ad amplificandum materia nunquam ei possit; præsertim si his theologicos locos, de quibus supra loquuti sumus adiungat; Vt sunt Dei attributa, eius præcepta, promissiones, minæ, beneficia erga homines, dignitas Religionis Christianæ, Vocatio Dei, tempus gratiæ, prædictiones prophetarum, & alia ex quibus Prophetæ, Apostoli, & cæteri Sancti Viri graues exaggerationes, querelas, & argumenta ad significandam nunc rei atrocitatem, nunc dignitatem, aut momentum, desumunt.

Cic. in partit.

Ad amplificãdum, res magnæ faciunt.

Quatuor Amplificationis modi ex Quintiliano cum exemplis sacris. Cap. XXXIII.

Li. 8. Inst. c. 4.

PRæterea Quint. quatuor modos vtiles amplificandis rebus assignat, Incrementum, Comparationem, Ratiocinationẽ, Congeriem. Incremento amplificatio fit, cum per gradus oratio crescit, & ad summum peruenit, & in hoc differt à Congerie, quod hæc satis habet multas, aut voces aut sententias, ad propositum idem accumulare: In incremento autẽ oratio crescat necesse est, vt psal. Admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos, vt si quis aliquod flagitium, amplificet ostendendo multa in vno esse delicta, & ab vno ad aliud atrocius ascendat, vel contra, heroicum aliquod factum, seu Martyris fortitudinem efferat, varios fortitudinis gradus vsque ad summum laudatione conscendens. Quemadmodum si in laudem D. Luciæ dicam, multum fuit quod opes contempserit, maius quod Parentum amorem exuerit, maximum, quod vitam constantissimè pro Christi amore tormentis, & morti obie-

Incrementũ.

Digitized by Google

obiecerit. Ita Chryſoſt. contra res caducas loquens, ait, debere nos agnoſcere earum vilitatem, riſum, pudorem, pericula, præcipitia. Cypr. tu Chriſtiano, tu Dei ſeruo, tu operibus bonis dedito, aliquid exiſtimas defuturum ?] Ad hoc etiam genus amplificandi pertinet, quod dicitur Extenuatio, cum præcedentia extenuamus etiam magna, vt ſequentia maiora appareant ; Sic Bern. extenuat opus creationis, vt magnificet opus redemptionis. Auguſtinus laudans vincula D. Petri, comparat cum vmbra eiuſdem, & præfert. Si tam medicabilis (inquit) fuit obumbratio viſitantis, quanto magis catena vincientis. Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis, ferreo pŏdere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis?] Secundò Comparatione amplificamus, vt ex minoribus maiora appareant comparando virum viro, factum facto, rem rei, vt obedientiam Chriſti cum obedientia Abrahæ, & oblatione Iephte. Quomodo laudari poteſt fides, vt magis emineat præſtantia charitatis. In pſ. comparat Dauid cęlos & ornamenta eorum cum lege Dei; Cęli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annũciat firmamentũ, dies diei eructat verbum, &c. Deinde præferendo ſubdit. Lex Domini immaculata conuertẽs animas, &c. quaſi dicat, ſed lex Domini eſt magis immaculata, & magis enarrat gloriã Dei quia conuertit animas &c. Si amplificanda ſit miſeranda calamitas in quam quis inciderit, comparabo cum ſtatu eius fęlici à quo excidit, vel cum alijs caſibus oſtendendo hunc miſerabiliorem. Sic Hierem. quomodo ſedet ſola Ciuitas plena populo, princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo. Sic Iob. Ego ille quondam opulentus repente contritus ſum qui lauabam pedes meos butyro. Hierem. Tranſite ad Inſulas Cethim, & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte ſi factum eſt huiuſmodi, ſi mutauit gens Deos ſuos, & certè ipſi non ſunt Dij, populus verò meus mutauit gloriam ſuam in Idolum. Tertiò, Ratiocinatione cum vnum ab alio colligimus, vt ex ſignis rei magnitudinem ex ſubſequentibus antecedentia, ſic tyrannidem Neronis deſcribimus, vt eluceat fortitudo martyris. Quartò, Congerie cum multa ſimul accumulamus ad eiuſdem rei amplificationem, vt ſi calamitatem Iob exaggeres, proponere potes quod omnia amiſerit, bona externa, filios, corporis ſanitatem, Amicos, &c. In aliquo martyre ſi congeras omnia tormenta quæ paſſus eſt. Paulus per congeriem amplificat, non ſum li-

Hom. 39. ad Pop. Ant. De opere, & elemoſyna.

Extenuatio. *Serm. 14. in pſal. qui Habit.*

Serm. 29. de Sãctis.

Comparatio.

Pſal. 18.

Thren. 10. Iob. 29.

Hier. 2.

Ratiocinatio.

Congeries.

Cor. 9.

Digitized by Google

ber? non sum Apostolus? nonne Christum Dominum vidi? non-
Rom. 1. ne opus meum vos estis in Domino? & ad Rom. repletos omni iniquitate, malitia fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones; de-
2. *Cor.* 11. tractores, Deo odibiles, & alia multa, quæ congerit ibidem, & alibi ter virgis cæsus sum, semel lapidatus, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in falsis fratribus, & alia. His omnibus modis posset quis amplificare Christi humilitatem, dum pedes lauit Apostolorum, per incrementum gradatim considerando quæ, & quot inessent in vnico illo facto virtutes, conferendo, Magistrum & Dominum cum discipulis, ac famulis, &
Ioan. 13. hoc opus cum alijs Sanctorum operibus. Ratiocinatione ponderando verba quæ S. Ioannes Euangelista de ipso Christo antequam aggrederetur hoc opus dixit, ac describendo Christū linteo succinctum, ad pedes procumbentem pauperum hominum: Denique per congeriem attributorum Dei, ac perfectionum Christi hominis. Sic licebit amplificare factum Dauidis, quando pugnauit contra Goliam, Adami peccatum, & cuiuslibet peccatoris ingratitudinem in Deum. His modis quos Fabius annotauit possent multi alij adiungi, quos nobis figuræ tam verborum, quàm sententiarum suppeditant. Cum enim Amplificatio sita sit tam in verbis, quàm in rebus, ex vtrisque duci posse manifestum est. Multas itaque ex figuris siue verborum, siue sententiarum esse quæ amplificationi seruiant, tum certissimum per se est, tum facillimo negotio animaduertet, qui Rhetores legere voluerit. Tales sunt Metaphoræ, Allegoriæ, Periphrases, Interpretatio, Repetitio Contentio, Emphasis, Epiphonema, Apostrophe, Conformatio, Imago. Denique ne numerando sim longior omnes penè sententiarum figuræ, & pleræque verborum, quarum exemplа infra ex scripturis adijciam huic amplificationi optimè seruiunt.

Amplificatio ex figuris.

Alij modi amplificationum varij.

Nec verò desunt alij amplificationum modi, nam sæpe quod dicimus per hypothesim, amplificamus per thesim, & contra, vt si velim amplificare obedientiam Abrahæ immolantis filiū, dicam prius quo & quanto in precio sit apud Deum obediētiæ virtus: si quem velim inducere ad parcendum inimicis agam de laudibus clementiæ, inde veniam ad ea quæ propria causæ sunt. Si horter Clericos ad honestatem, dicam de laudibus cōtinentiæ generatim, quæ deinde ad statum Clericorum maximè accommodabo. Aliquando quod dictum est per affirmationem,

Digitized by Google

tionem, iterum per negationem vrgemus. Alias quod omnibus dictum est per Apostrophem ad vnum aliquem sermone conuerso repetimus, vt si prius communiter peccatores alloquebar, possum sermonem conuertere ad quemuis singulatim peccato obnoxium, sæpe in eo, quod prius sine figura diximus exinde figurata oratione insistimus, vt si post pœnas inferorum differendo explicatas, excitetur ab inferis aliquis per prosopopeiam qui earum referat acerbitatem. Sæpe etiam quod diximus in propositione, in conclusione repetimus, adiecta etiam si placet noua aliqua ratione. Vtilis etiam ad Amplificationes est vsus exercitationis illius, quam vocant Græci Chriam, in qua proponitur aliqua sententia cum laude Authoris; tum explicatur, deinde confirmatur, rationibus, exemplis, similitudinibus à contrarijs, denique fit aliqua conclusio ex sententia simili.

Hactenus de inuenienda, & seligenda materia, de argumentorum locis ad rem probandam, de Argumentatione multiplici, & de Amplificatione actum est, quæ omnia ad eam faciendæ persuasionis partem, conferunt quæ sita est in rebus. Nunc agendum de ea quæ in auditoribus posita est, hoc est in mouendis eorum affectibus, in quo potissimum opere eminet sacri Concionatoris industria.

Finis Libri Sexti.

Digitized by Google

DE AFFECTIBVS MOVENDIS.

LIBER SEPTIMVS.

Affectus mouendi ab Oratore, & quinam, & vbi.

CAPVT PRIMVM.

Ad quos pertineat de Affectibus tractatio.



Tractatio de motibus siue de affectibus animi ad multas pertinet disciplinas. Nã Philosophus naturalis agit de ijs, vt eorum principia, naturã, proprietates, & effectus physicos inquirat. Moralis docet quomodo curari debeant, & intra limites virtutum moralium contineri. Theologi est, in his tum rationem explicare mali ac boni, sicut ad eum pertinet de bonitate ac malitia humanarum actionum philosophari; tum etiam edocere ex norma diuinæ voluntatis & Scripturæ sacræ, quatenus excitandi, aut reprimendi sint, vt certius & exactius aliquid statuat, quod moralis philosophia non attingit. Etiam Medicorum est, ex his dignoscere varias morborum affectiones & radices, quare gloriatur Galenus se multos sanasse solum mitigandis animorum affectibus. Denique ad Rhetoricam facultatem spectat, quemadmodum auditores sint impellendi ad eos, vel ab eis reuocãdi, & quatenus persuasioni seruiunt, explanare. Quæ multo magis ad Ecclesiasticum Rhetorem tractatio pertinet. Nam reprehendit Arist. priscos pro-

Rhet. 1. c. 1 phanæ Rhetoricæ præceptores, quod de affectibus permouendis multa, de Enthymematibus inueniendis pauca tradidissent: cum tamen, vt ille sentit, præcipua vis Oratoris in Enthymematum inuentione consistat. Vult enim Oratoris munus esse edocere quid in re sit, vt ij quorum interest iudicare, recte sententiam ferãt. Commouere autem affectus perinde esse, atque si quis regulam, qua sit vsurus, inflectat: quæ & alia eiusmodi sapienter magnus ille Philosophus disputat; quia cum profani

Ora-

Digitized by Google

Oratores cauſas ſæpe non æquas, & honeſtas tractent, ad victoriam obtinendam & expugnandam honeſtatem, auditorum motibus abutuntur. At verò Oratori noſtro, cum ſanctiſſimæ eius cauſæ ſint, ſine dubio eſt motibus eò acrius inſiſtendum, quò non abeſt modo deprauandi auditoris periculum, ſed in eius commotione ſalus eius eſt poſita. Cùm ergo ſint affectus tanquã funiculi, quibus ad diuerſa quanquam liberè, ſed validè trahimur: igniculi quibus inflãmamur & accẽdimur: ſtimuli quibus pungimur & vrgemur, nerui qui extenduntur & contrahuntur, venti quibus animus vt mare agitatur, & modo nauigantibus obſunt, ideoque reprimendi, modo fauent, ideoque excitandi dicentis induſtria, vel potius Spiritus ſancti ope; certum eſt maximam Concionatoris Eccleſiaſtici diligentiam, in hoc eſſe collocandam. Nam cum eò peruenerit oratio, vt auditor ſit commotus, iam prope ſuum finem qui eſt perſuadere, conſecuta videtur. Auguſt. tria in Oratore Chriſtiano requirens officia, de ijs ita pronunciat: probet (inquit) vt inſtruat, delectet vt teneat, moueat vt vincat] Et Quintilianus Huc igitur (inquit) incumbat Orator, hoc opus eius, hic labor eſt, ſine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, & ingrata ſunt: adeo velut ſpiritus operis huius & anima eſt in affectibus] Qua ſententia. Quintilianus fortaſſe vetus de Iſocratis orationibus dictum reſpexit, quæ cũ concinnitatis plurimum, pathetici nihil haberent, ideo eas Philonicus quidam dicebat ſine anima eſſe. Vt autem dilucidior ſit hæc tractatio, quandoquidem tanti eſt momenti, nonnulla obiter, ſed ad inſtitutum finẽ pertinentia ex altioribus diſciplinis petamus, breuiterque quid ſit affectus & in qua animæ ſit parte ſignificemus. Eſt ergo affectus ſentientis animæ ex alicuius rei bonæ vel malæ opinione nata commotio. Vnde apparet obiectum eius eſſe bonum vel malum, quod ſcilicet ſequamur vel fugiamus. Ideo rectè Ariſtot. quod eſt (inquit) in cogitatione affirmatio & negatio, eſt in appetitu proſecutio & fuga:] ſubiectum vero eſſe docet appetitum ſentientem qui duplex ſtatuitur, alter Concupiſcibilis, alter Iraſcibilis appellatur. Cum enim bonum, & malum apprehendi poſſit, aut abſolutè tale, aut arduum ac difficile ad conſequendum, ſeu fugiendum, ſi priore modo obijcitur, ad illud Concupiſcibilis, ſi poſteriore iraſcibilis fertur, & inde naſcuntur omnes affectus in hunc modum, & ordinem. Cum ſpecies aliqua boni obijcitur, motus in ipſo appetitu incipit ab Amore, & complacentia quadam rei, qui eſt primus affectus & ſtatim ad id conſequendum

Præcipuũ in Orat. Chriſtiano eſt motus. *4. De Doct. Chriſt. c. 13.* *Li. 6. c. 2.*

Affectus quid ſit. *6. Eth. c. 3.*

Subiectum eius.

Diuiſio Affectuum.

Digitized by Google

fertur per Desiderium, qui est motus in bonum futurum; cum vero id habetur sequitur gaudium vel lætitia in bono præsente. Si autem res mala obijcitur, statim gignitur Odium & auersio ab ea, & illico mouetur ad fugam futuri mali; quod si malum fiat præsens est Dolor seu tristitia: Et hæc quidem fiunt in Concupiscibili, cum rei obiectæ facilis videtur consecutio aut fuga. Si autem appareat in bono vel malo difficultas, alia gignitur series affectuum. Nam si difficultas ex eo nascatur, quod aliquis impedimento sit ad bonum consequendum, fit Ira: sin autem res ex sua natura difficultatem inuoluat, tunc vel potest superari, & fit Spes; vel non potest, & fit Desperatio: At si res mala sit & vix euitari potest nascitur Timor; si potest euitari, existit Audacia seu confidentia. Hi sunt præcipui animi affectus ad quos omnes alij referri debent qui numerari possint, sunt enim hi vndecim quos enumeraui, quasi in linea recta positi, quibus alij sunt annexi quasi in transuersa linea. Nam Amori additur Misericordia, Mansuetudo, seu lenitas, Gratia vel Gratitudo; Desiderio Ambitio & Superbia; Odio, Inuidia, Iræ Indignatio, Excandescentia; Fugæ Inimicitia; Timori Pudor seu Verecundia; Spei Fiducia; Ad Tristitiam refertur Pœnitentia, item Accedia Ex dictis etiam manifestum fit, Affectus, quos ob id etiam plerique passiones & recte appellãt proprie loquendo & vt cõmuni omnium doctrina constat, dici de actibus partis sensitiuæ, ita vt hæc vox importet actum aliquem interiorem, cum aliqua corporis transmutatione coniunctum, quæ licet actibus appetitus sensitiui proprie conueniant, non autem voluntatis, tamen negandum non est, nomen Affectuum recte ad appetitum quoque rationalem, idest ad voluntatem eiusque actiones, seu circa bonum volendo seu circa malum nolendo versetur, transferri. Et hoc pacto nos agemus de affectibus vt etiam ad voluntatem extenduntur: voluntas enim maximè ab Oratore commouenda est. Notanda autem est alia affectuum diuisio, quæ vsui nostris concionibus esse potest; nam Theologi & ipse Arist. docent, in homine duplex genus harum commotionum reperiri, quasdam Naturales, quæ sunt secundum statum naturæ animalis & sensibilis, ad conseruationem Indiuidui vel speciei, communes homini quatenus animal est, cum omnibus brutis, & sunt circa cibum, somnum, quietem, & his similia naturæ simpliciter necessaria. Alias vocant Innaturales & Rationales, quæ non existunt ex ipsa communi natura, sed sequuntur in homine cognitionem potentiæ Cogitatiuæ quę est ra-

Affectus sũt in parte sensitiua magis.

Sunt etiam in rationali parte.

Affectus naturales aliqui Alij innaturales & Rationales.

Cogitatiua in homine.

Digitized by Google

eſt ratio quædam particularis in parte ſenſitiua reſpondens Aeſtimatiuæ quæ eſt in belluis, vt S. Thomas docet. Dicuntur autem Rationales, quia ſunt inuentæ à cogitatiua, quæ participat cum ratione, cuiuſmodi ſunt multi appetitus circa honores, opes, dignitates, multa commoda excogitata in victu veſtitu, habitatione, & alijs multis, adeo vt ſit certum illud Plinij ſecundi, Nulli animalium ineſſe maiorem rerum libidinem, quam homini; & certiſſimum quod Ariſt. affirmat, Cupiditates has innaturales & rationales infinitas eſſe; cum quæ à natura ſunt, habeant terminos, quia natura paucis contenta ſit. Dixi hanc diuiſionem eſſe concionibus vtilem quia in his maximè reprimendis & in officio cõtinendis, inſudare debet Concionatoris induſtria. *1. par. q. 78. art. 4.*

Cupiditates rationales infinitæ ſunt.

Diuiſio affectuum in lenes ac vehementes. Cap. II.

SEd alia diuiſio eſt magis Rhetorum, ac noſtri maxime propria inſtituti, vt omnes animorũ motus & affectus ad duo genera & ſumma capita reuocentur, vt quidam ſint lenes & mites, alij graues & concitati; primum genus Græci vocant Ethicum, ſecundum Patheticum; illos priores affectus vocat Cicero Mores, Vehementes vero dicuntur perturbationes; illi ad leniter tractandos, conciliandos, alliciendos animos, hi tãquam faces ad inflammandum, rapiendum, ac impellendum tendunt; primi ſuauiter inclinant animum, ſecundi obluctantẽ etiam trahunt, & quaſi torrentis inſtar rapiunt. In vtriſque debet ſtudiũ collocari, vt aſſueſcat Orator noſter ſuis locis adhibere vel hos vel illos pro rerum quæ tractãtur natura, & varietate auditorum. Nam in genere concionum purgatiuo graues maximè, in alijs duobus lenes propriè dominantur. Sunt autẽ in noſtris concionibus hi præcipuè affectus excitãdi, Amor Dei & Chriſti Domini, Amor rerum ſpiritualium, Odium peccati, Deſiderium & ſpes futuræ vitæ, ſollicitudo eius acquirendæ, Contemptus ſæcularis vanitatis, opum, voluptatum, honorum, dignitatum, Gaudium ſpirituale, Timor iudiciorum Dei, ac pœnarum, Spes diuinæ miſericordiæ, Pudor rerum turpium, Cõmiſeratio, zelus gloriæ Dei, zelus ſalutis animarum, indignatio, & Ira bona, Admiratio, Gratitudo, Imitatio, & ſi qui ſunt alij. Ex altera parte illi ſunt compeſcendi, Amor ſui, Amor laſciuus, Concupiſcentia inordinata opum, dignitatum, Delectationes peruerſæ, lætitia diſſoluta, Triſtitia præter modũ huius ſæcu-

In lib. qui dicitur Orator.

Qui affectus ſint excitandi.

Qui affectus reprimendi.

ſæculi, Timor vanus, Deſperatio, Audacia immodica, Ira effrenis, Vltionis libido; In his autem varijs affectuum generibus ea prudentia ſeruanda eſt, quam & ſcripturæ ſacræ, & Sancti Patres ſua nos authoritate atque exemplo docent, vt quando graues affectus ſunt excitati obiurgando, conteſtando, exclamando, terrendo, ſeueritatem iudicij diuini oſtentando, conuertat ſe Orator ad affectus lenes, vt tanquam benignitate, & blanditijs mulceat, lachrimas moueat, ſpemque excitet diuinæ miſericordiæ, ac diuinæ bonitatis amorem. Greg. pœnitentis mens (ait) tunc bene dirigitur, ſi diuina iudicia metuat, & de Dei omnipotentis miſericordia confidat, quare ſummo ſtudio inuigilare optimus Doctor debet, vt peccantem terreat, & territum ad veniæ ſpem deducat, quatenus per metum peccare deſinat, & per ſpem impetrandæ indulgentiæ diuinæ miſericordiæ portum quærat. Et rurſum clamoris ſui magnitudinem in lenitatis dulcedinem vertat.] Itaque optima eſt oratio, quæ ſimul graues affectus cum lenibus temperat, & contra, ita vt lenitas recipiat aliquid de concitato, & contra de lenitate influat in concitatum. Neque omittenda eſt hoc loco ea Quintiliani admonitio, vt non facilè quiuis audeat ingredi ad excitãdas lachrimas, quia vt eſt vehementiſſimus hic affectus, ſi nihil efficiat, tepet, quem melius infirmus actor, tacitis cogitationibus reliquiſſet. Et facile eſt aduertere aliquos Concionatores, dum volunt lachrimas excutere, in vanum deſudare, vel quia non afferunt res ad hoc efficiendum idoneas, vel quia ipſi minus apti ſunt; Itaque ſe & auditores incaſſum fatigant. Hoc etiam in vniuerſum dici poteſt de omni affectu, eius eſſe naturæ vt facile deſinat, ideoque monet Fabius, vt non patiamur frigeſcere hoc opus, ſed cum ad ſummum perduxerimus, relinquamus ita Quintil. Sed habemus alium nos Doctorem, Spiritum ſanctum, qui vbi ſpirare cœperit, etiam poteſt ad gemitus (vt Paulus vocat) inenarrabiles & concionantis, & auditoris cor inducere. Illud potius eſt animaduerſione dignũ, vt cum Orator videt moueri auditorem, non ſtatim abrumpat, ſed vrgeat aliquantum dilatando, prout res poſcit; neque tunc intermiſceat ea quæ motum poſſint extinguere, cuiuſmodi eſſet expoſitio loci alicuius obſcurioris, aut doctrina ſpeculatiua parum idonea, vel indecorum quid, aut ridiculum dicto factouè; Denique quãuis in fine orationis magis mouendi ſunt affectus, tamen certum eſt Rhetoricæ præceptum, per totam concionem eſſe ſpargendos, atque adeo ab ipſo exordio ſemina quædam, & igni-

Lenes & graues affectus intermiſcendi.

Expoſ. lib. quinto in 1. Reg. c. 12.

Admonitio Quint. lib. 6. c. 10.

Rom. 8.

Affectus per totam concionem ſpargendi.

& igniculos futuræ flammæ fomites iaciendos, vt Sanctos Patres factitare videmus; Sicut etiam in precibus quæ ad Deum funduntur, siue voce, siue mente, oportet vbique Intellectum cum Voluntatis affectu coniungere, vt apparet in Meditationibus B. Auguſt. Bern. Bonauenturæ & aliorum. Sed iam adiumenta ad motum ciendum, & locos idoneos, primo in vniuerſum, deinde in ſingulis affectibus aſſignemus.

Adiumenta ad commouendos affectus in vniuerſum. Cap. III.

ILlud primum & optimum ciendorum affectuum præſidium eſt ſtatuendum, vt ſi velimus alios commoueri, nos prius commoti ſimus. Summa (inquit Fabius) quantum ipſe ſentio circa mouendos affectus in hoc poſita eſt, vt moueamur ipſi, nam & luctus & iræ, & indignationis ridicula fuerit imitatio, ſi verba, vultumque tantum, non etiam animum accommodauerimus. Et mox, A tali animo proficiſcatur oratio, qualem facere iudicem volet. Non incendit niſi ignis, nec madeſcimus niſi humore, nec res vlla dat alteri colorem quem ipſa non habet. Hæc ipſa ante Quintil. ſæpe docuerat M. Tullius, qui ſic ait, Neque enim fieri poteſt vt doleat is, qui audit, vt oderit vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum miſericordiamq; deducatur, niſi omnes hi motus, quos Orator adhibere velit iudici, in ipſo Oratore impreſſi atque inuſti videbuntur: Craſſum laudat quod non ſolum iudicem incenderet, ſed ipſe quoque ardere videretur. Eiuſdem etiam verba ſunt, Sicut nulla materia tam facilis ad exardeſcendũ eſt, quæ niſi admoto igni, ignem concipere poſſit, ſic nulla mens eſt tantum ad comprehendendum vim Oratoris parata, quæ poſſit incendi, niſi inflãmatus ipſe ad eam, & ardens acceſſerit; Audi rurſum Quintilianum, An ille dolebit qui audiet me, cum hoc dicam, non dolentem? iraſcetur, ſi nihil in ſe, qui in iram concitat idque exigit, ſimile patietur? ficcis agenti oculis, lachrimas dabit? fieri non poteſt. Sed vtilius id à S. Proſpero diſcamus, qui ita loquitur, Prædicator non in verborum ſplendore, ſed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat, nõ vocibus delectetur populi clamantis, ſed fletibus; nec plauſum à populo ſtudeat expectare, ſed gemitus, lachrimasq; quas vult à ſuis auditoribus fundi, ipſe primo fundat, & ſic eos compunctione ſui cordis accendat. Certum eſt illud Greg. dictum, Res quę in ſe non

Qui alios vultcommouere ſit ipſe commotus. *Li. 6. c. 21.*

2. de Orat.

Lib. 6. c. 2.

Lib. 1. de vit. Cont. c. 23.

i. 8. Mor. c. 26.

non ardet, alium non accendit. Primum est igitur, vt apud nos valeant quæ apud alios valere volumus, afficiamurque ipsi antequam alios afficere conemur. Nimis tritum est, sed verissimum, si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi. Seneca *Epist. 98.* vno verbo rem absoluit, à faciente (ait) discendum est quid sit faciendum.] Modum autem quo nos ipsos mouere possimus, idem Quintil. docet his verbis. At quomodo fiet vt afficiamur? neque enim sunt motus in nostra potestate.] Respondet, Quas phantasias, Græci vocant, nos visiones appellamus, per quas, imagines rerum absentium, ita representantur animo, vt eas cernere oculis, ac præsentes habere videamur, has quisquis bene cœperit, is erit in affectibus potentissimus; qui sibi res, voces, actus, secundum verum optimè finget, quod quidem volentibus nobis facile continget; vt si hominem occisum queror, non omnia, quæ in re præsente accidisse verisimile est, in oculis habebo? Subdit idem Fab. Insequetur Energia, quę à Cicerone Illustratio, vel Euidentia nominatur, quæ non tam dicere videtur quam ostendere, & affectus non aliter, quam si rebus ipsis interfimus, sequentur. Vbi miseratione opus erit, nobis ea, de quibus querimur, accidisse credamus, nos illi simus, quos grauia, indigna, tristia passos queramur: nec agamus rem quasi alienam, sed assumamus parumper illum dolorem; ita dicemus, quæ in simili nostro casu dicturi essemus. Ita *Loco citato.* Quintil. de causis iudicialibus differit, qui etiam ait se vidisse histriones, qui è scæna egressi, & ea, quam agebant, persona, deposita, adhuc flerent, & hoc in fabula & causa ficta. At certè in concionibus multò id melius agere possumus, ac debemus, cum omnes affectus, quos in alijs excitare studemus, in nobis nequaquam fictè, & per solam phantasiam, sed serio & verè, tanquam in causa nostra, ingenerare debeamus, cum commune sit negocium, commune nobis periculum cum auditoribus, communis salus, ita vt amore, dolore, verecundia, timore, odio, indignatione afficiamur: Sunt enim, vt in causa honestissima, non solum vtiles hi motus auditoribus, sed etiam nobis, & ferè ex ipsis orti virtutibus, de quibus est sermo. Quis autem non commoueatur si serio agat, si periclitantes de eterna salute sibi fratres suos proponat, si Christum pro his moriẽtem intueatur? Hoc vnicum satis per se esse posset in tota hac excitandorum affectuum tractatione præceptum, addamus tamen alia tanquam adiumenta, vt quando res maximi est momenti, summa etiã cura à nobis tractetur. Secundò ergo dico, ad mo-

Loco citato. Quomodo nos ipsos cõ moueamus.

Digitized by Google

ad mouendam Voluntatem, oportere prius intellectum bene edoceri & conuinci: hic enim est ordo inter has duas potẽtias, vt prius lumen recipiat intellectus, quam moueatur voluntas. Ita D. Thomas, & satis vulgo est decantatum. Sit autem doctrina non valdè difficilis, aut Metaphysica, vel quæ in speculatione magis sita sit, hæc enim potius extinguit motum, quam adiuuat: sed sit facilis, & ad motum accommodata, de Amore Dei in nos, de eius beneficijs, deque alijs titulis quibus ad Deũ amandum vrgemur; de Mysterijs Christi Redemptoris, de peccati turpitudine, de virtutum omnium honestate ac splendore, de quatuor nouissimis, de Beatissima Virgine, de Sanctorum exemplis, ac Martyrum heroicis factis, & similibus. In vniuersum ea maximè auditores mouent, quæ & grauia esse, & pertinere ad ipsosmet persuasum habent. Idcirco det operam Concionator, vt qui audiunt, intelligant suum ipsorum negotium agi, & quidem maximi momenti, neque longè abesse vtilitatem, vel perniciem, sed iam instare, imò adesse. Quam ad rem S. Chrysostomus frequentissimè & efficacissimè vtitur comparationibus à damnis huius vitæ vel corporis, vel rei familiaris, transferens ad animæ vtilitates & detrimenta; hac enim arte facilius intelliguntur & mouent.

Intellectus prius bene informãdus.

Loci vnde ad commouendos affectus argumenta erui possunt. Cap. IV.

LOci verò vnde affectus desumi debent genericè loquendo plurimi sunt, scilicet. Honestum, vel turpe, facilè vel difficilè, vtile vel inutile, necessarium, indignum, Exempla, similia, definitiones, causæ, effectus, concomitantia, adiuncta propria personarum, locorum, qualitatum. Omnes loci qui inseruiunt amplificationi huc tendunt, maximè ad proprias, & peculiares (vt vocant) circumstantias descendendo: debet enim oratio, qua volumus mouere affectus, non solum continere amplificationem, seu expolitionem, sed accuratam rerum descriptionem, quæ ad illum affectum, quem mouere contendimus valeat; si quidem res expositа magis apparet ac mouet, quam complicata, vt rectè Cicero disserit, qui (ait) breuiter aut summisse docere iudicem possunt, permouere non possunt, in quo (inquit) sunt omnia. Ita videmus sepissimè Prophetas, cum calamitatem, aut stragem aliquam minantur, eam multis modis rebusque circunstantibus depingere. Legatur oratio

Amplificatio seruit affectibus.

2. *de Orat.*

Digitized by Google

Gen. 43. tio quam Iudas habuit ad Ioſephum pro Beniamin, in qua ad eum mouendum ſingulares rei conditiones ad id aptæ, ſic percenſentur ac proponuntur, vt ad ea verba commotus Ioſeph ſeſe à fletu cohibere non potuerit. Præterea ſinguli affectus habent ſuos peculiares locos ex quibus eruuntur, hos oportebit videre, vt ſciamus quemadmodum excitetur Amor, Spes, & alij de quibus nos infra tum ex Ariſtotele, tum ex noſtris Theologis diſſeremus. Quartò, ipſa oratio & dictio, quos paritura eſt, debet affectus induere, & ſeſe in varias figuras transformare. Hæc eſt oratio quæ dicta eſt ab Ennio flexanima, & regina animorum. Hanc Plato fuiſſe Periclis affirmat, quem refert, quemadmodum cytharedus admotis ad cordas digitis, quem vult ſonum elicit, ita illum orationis genere quēcumque vellet motum, in auditorum animis ſolitum excitare. Et ſanè veluti diuerſitas Muſicæ modo lachrimas, modo gaudium, modo animoſitatem, modo deuotionem parit, ita varium orationis genus & variatus dicendi ſtylus aliter atque aliter afficit Ac proinde aliter inſtruenda concio eſt, cum ad peccatorum dolorem mouere nitimur, aliter cum ad timorem pœnarum, aliter cum ad amorem, longe alium modum requirunt motus lenes à grauibus; ſi vult commiſerationem facere, ſit flebilis, ſi gaudium, ipſa oratio quodamodo exultare debet, ſi iram vel odium indignabunda ſit, modeſtiæ plena, ſi pudorem, vehemens in vitiorum repræhenſione; in materia graui, ſit genus orationis concitatum & ardens, alioquin vix credat quis oratori. Demoſthenes, cum ad eum reus quiſpiam acceſſiſſet, rogans vt ſuam cauſam atrociſſimam defenderet, & in ea referenda, placida oratione rem totam narraret, reſpondit non credere ſe, verum id eſſe quod narrabat: cuius reſponſo, accenſus alter vehementer, rem ita eſſe grauiter aſſeuerabat, acriter dolens; tum Demoſthenes iam ſibi perſuaſum eſſe dixit. Figuræ multæ verborum, ac ſententiarum, orationem non ſolum ornant, ſed motui ſeruiunt maximè: de quibus ſuo loco agemus ſed inter eas præcipuum in hunc finem, locum habere videntur Deſcriptiones variæ, quæ res ante oculos ponunt, in quibus qui benè fuerit exercitatus, habebit motus ad manum, quarum vltimo loco inter figuras exempla proponemus. Quinto ipſe modus pronunciandi multum etiam adiuuat, nam in affectibus qui lenes ſunt commouendis, oportet lenta potius voce proferre quæ dicas, quam nimis accelerata, requiritur lenitas vocis, vultus modeſtia, pudoris ſignificatio, comitas ver-

Oratio ſit flexanima.

2. de Orat. In Gorgia.

Figuræ.

Ipſa pronunciatio multũ valet ad Affectus.

Digitized by Google

verborum, facilitas animi grati, sententiæ humanæ, oratio suauis. Ad graues verò affectus suscitandos, concitata, & inflammata pronunciatione opus est, acrimonia vocis, gestuum maiori agitatione. Rectè Greg: Mens inquit concupiscentijs exterioribus occupata igne diuini amoris non calet & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores nequeunt, verba, quæ frigido ore proferuntur.] Sit pronunciatio viua, efficax, feruens, non languida, vrgeat se ipsum, non fictè, non affectans motum in se, qui tantum ex ore nascatur, sed ex ardore cordis inflammatæ voces erumpant: & hoc est caput rei, in multis enim apparet, vt ita dicã affectatus affectus, ideoque multũ laborãt, sed nihil efficiunt. Sextò idcirco monendus mihi est de integro Concionator in tota hac materia, quæ ad mouendos affectus pertinet, debere eum in seſe ardorem ac feruorem spiritus excitare; qui spiritus non consistit in nudis clamoribus, aut magna corporis agitatione, vel manuum complosione, seu valida pulpiti percussione, (nam sæpæ intempestiui clamores in aerem iaciuntur, & dum auribus obstrepunt, corda obtundunt) sed in charitate inflammata, quæ si adsit, verba ex corde concionantis vibrantur cum efficacitate, ac robore quodam virili, ac moderati quoque clamores pectora auditorum peruadunt. Nec raro experti sumus, paucula verba viri admodum spiritualis, posse maiores motus efficere, quam longas, & multas hominis eloquentis conciones. Præterea cum ex abundantia Spiritus os loquatur, tunc copiosa & efficax effluit eloquentia, alloquendo peccatores, exclamando, precando, obiurgando, obtestando adiurando, inuocando cælum ac terram, collacrimando, admirando, aliquando suspendendo sermonem, per aliquantulum silentium & morulam, & deinde vehementius graui allata aliqua sententia vrgendo, imitando quantum fieri potest Eliam, cuius verba erant quasi faculæ & Beatum Stephanum, cuius spiritui non poterant resistere aduersarij. Huiusmodi præter multos antiquos Patres scimus etiam Vincentium Ferrerium, Antonium Patauinum, Bernardinum Senensem, & alios recentiores fuisse. Quorum vtinam multos similes nostris tẽporibus haberemus, facilè esset, & copiosam frugem colligere, & quanta sit vis in commouendis affectibus intelligere. Ad hunc autem ardorem spiritus in corde concionantis excitandum, plurimum meo iudicio iuuare poterit rectitudo intentionis in hoc munere, purificando eam diligenter ab omni humano affectu honoris, plausus popularis, cupiditatis,

Loquens eũ spiritu mouet affectus.

tis, ac lucri rerum temporalium, item timoris humani, ſolam Dei gloriam ſibi ante oculos proponendo, & auditorum ſalutē ex ſincero ac feruente animarum zelo profectam. Septimò quoniam totum bene, ac cum fructu concionandi negotium in commouendis affectibus, vt ſæpe iam diximus ſitum eſt, idque arduum ac difficile pleriſque videri poteſt, vt verè eſt, moneo vt nemo hac in re animum deſpondeat. Nam ipſum Dei verbū, ſi in paranda concione ſtudium ac diligentia adhibeatur, ex ſe magnam vim habere ſolet: Verbum (inquam) quod ex Dei ore manauit, non poteſt non hominū corda penetrare, cum à Paulo dicatur, ſermo Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens etiam vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, diſcretor ſpirituum & cogitationum. Sapienter & veriſimè hoc docet Greg. Verba ait ſacræ ſcripturæ lapidi ſimilia dixerim, in quo ignis latet, qui manu quidem frigidus tenetur, ſed percuſſus ferro per ſcintillas micat, atque hoc emittit ignem, qui poſt ardeat, quem prius frigidum manus tenebat; ſic ſacri verba eloquij per verba literæ frigida tenentur, ſed ſi quis hæc aſpirante Domino, intento intellectu pulſauerit, de myſticis eius ſenſibus ignem producit, vt in eius verbis, poſt animus ſpiritualter ardeat, quæ prius per literam, ipſe quoque frigidus audiebat. Itaque neceſſe non eſt, vt multum ſua facultate confidat Concionator, ſed potius humiliter ſuam vndecumque infirmitatem agnoſcat: & tamen ſibi perſuadeat Dei verbis hanc ineſſe vim ex ſe, quantumuis ſimplici ſtylo, ac probatione enuncientur. Sumat ex ſcripturis ſacris, etiam ex Patribus Sanctis ſententias aliquas, quæ affectus contineant, eaſque bene explicet, nam hæ ſuo pondere & authoritate mouebunt, ſi modo non decantet ſolum, ſed expendat res, penſitet circumſtantias, verba examinet, & induat eundem ſpiritum, (quod eſt res planè in concionante nobiliſsima) quem verba ſignificant, non ſolum externis verbis, per quandam vocis fictionem, Sed magis corde & interno ſenſu, nec ſolum interiori affectu, ſed etiam externa actione, quæ ſequatur rei naturam & ſuæ mentis affectum. Aliquando etiam aliorum affectus exprimimus, vt ad eoſdem auditor moueatur, ſicut cum narramus aliquam hiſtoriam irati hominis, metuentis, commiſerantis, lętantis; qui modus eſt commodus, nec deſunt in ſacris literis, & in noſtrorum Patrum voluminibus, atque Eccleſiaſticis hiſtorijs exempla plurima, quæ id efficiant. Sic referam lachrimas Hieremię lugen-

Confidat in ſpiritu Dei, non in ſua facultate.

Ho. 22. in Epiſt.

Sentētiæ ſcripturæ examinentur.

tis

tis desolationem, & ruinam ciuitatis Hierosolimitanæ, si contritionem & dolorem peccatorum velim concitare, proponã historiam pœnitentis Dauidis, Magdalenæ, filij prodigi, Pelagiæ, Thaidis, Iacobi Eremitæ: Si condonationem iniuriarum, erit ad rem historia Ioseph. Si ad ærumnarũ tolerantiam exhorter, erit vtilis descriptio patiẽtię Iob. Tobiæ &c. Octauò deniq; nihil meo iudicio poterit esse vtilius, quam vt studeat orator habere ac perpetuò cõseruare cor pium ac tenerum, quod fiet si studium orationis, & meditationis nunquam in se sinat langueſcere, statas precationes, neque omittat vnquã, & diligenter, & cum fructu peragere curet; istud enim est quod nobis Deus commendat, Ignis in altari semper ardebit, quẽ nutriet Sacerdos subijciens ligna per singulos dies. Nutritur enim deuotionis ignis, Meditando, & Orando. Nec est difficile in dicente aduertere & conijcere, vtrũ ex spiritu Orationis loquatur, an promat ex memoria quæ scripsit in pagella, & an feruor sit verus, & ex corde accenso sua sponte nascatur mouente Spiritu sancto, an sit fictus, & extrinsecus ascitus atque coactus. Præterea multum adhunc Spiritum in Oratore conseruandum valent orationes quas Iaculatorias vocãt, lectiones librorum spiritualium, frequentia colloquia de ijsdem rebus spiritualibus cum viris pijs, & diuino spiritu afflatis: Aliquæ corporis afflictationes, visitare domos hospitales & carceres, & his similia. Plurimum proderit audire Concionatores feruentes, qui non tam de rebus diuinis agant, quam diuino Spiritu agantur. Postremò antequam ad concionandum accedat, fundat preces, & à Deo impetret gratiam mouendi, obnixè Christum deprecans, ne sinat Sanguinem suum conculcari, aut inutilem reddi, & Dæmonem tam multa molientem victorem euadere. Hæc de mouendis affectibus in vniuersum dicta sint, iam de singulis aliquid perstringere aggrediamur, locosque tum Aristotelicos, tum Theologicos aperiamus.

Adiumenta ad deuotionem conseruandam in se ipso.

Ira affectus quomodo excitandus ex Aristotele. Cap. V.

DE affectibus singulis aliqua docet Aristoteles, naturam eorum, proprietates, & causas explicans, ex eo nobis est animus, non omnia sed aliqua excerpere quæ ad rem nostram faciunt, quoniam de Affectuum natura, optimè omniũ ex suis principijs philosophatum cũ arbitramur quare omnia ex Aristotele 2. *Rhet.*

ſtotele ſumpta erunt paucis admodum adiectis; Conſiderat igi tur in quolibet affectu tria. Primum qui ſint proni ad aliquem affectum, V.g. Iræ aut Miſericordiæ. Deinde erga quas perſonas ſoleãt homines eo affectu moueri, hoc eſt quibus iraſci aut compati ſoleamus, poſtremò ob quas cauſas. His enim cognitis Oratoris eſt præparare Auditores, & eas conditiones in illis efficere quibus ſubiecti ſunt, qui tali affectu mouentur, & oſtendere cauſas adeſſe & perſonas, erga quas hoc vel illo modo affici debeant. Ab Ira initium ſumit Ariſt. quam ita definit. Ira, eſt appetitio vlciſcendi aduerſus eum concepta à quo ſe, aut aliquem ſuorum immeritò contemptum quis putat, quo poſito, cum homines natura, maximè ſui exiſtimationẽ appetant, ijs iraſcuntur qui videntur eos paruifacere, huius autem contemptus ſunt tres ſpecies. Deſpicientia, cum ſignificat quis ſe alium vilipendere. Secundò, incommodatio cum eum afficit aliquo incommodo opponens ſe eius voluntatibus ſolum vt incommodo ſit. Tertiò Contumelia quæ eſt nocere ijs in rebus in quibus dedecus ſuſcipit ille qui patitur. Ob hæc capita homines iraſcuntur cum immeritò quid eorum ſe pati arbitrantur. Inde etiam quibus iraſcantur apparet, nempè ijs à quibus talia ſe perpeti opinantur. Ita irridentibus & ſubſannantibus, & illudentibus iraſcimur, quia contumeliam irrogant & maledicentibus, & contemnentibus in ijs præſertim rebus, in quibus nos ſtudium, & laborem ponimus, & multo magis ſi ab amicis hæc patiamur. Præterea iraſcimur ijs qui prius nos honorabãt, & iam ceſſant ab honore, & his qui pro acceptis beneficijs beneficia non reddunt, vel non æquali officio, vt ſunt ingrati homines, & his qui ſunt inferioris conditionis, maximè verò iraſcimur ſi aliquando ſignificant nos paruipendere, & ijs amicis qui noſtras neceſſitates non agnoſcunt, nec iuuant, qui aliquid dicunt vel faciunt quod nobis moleſtiam affert, ſicut etiam nuncijs malarum rerum ſolemus iraſci, quia res illæ animum contrahunt, ijs item, qui vituperant & arguunt eos quos nõ poſſumus non defendere, qui vel audiunt vel curioſè quærũt noſtros defectus, & quicquid ſit contra noſtram exiſtimationem. Rurſum his qui cum ſerio aliquid tractamus, videntur quaſi nobiſcum iocari, & ironicè diſſimulant quaſi nos, & res noſtras paruipendentes. Qui noſtri obliuiſci videntur, qui cum ſint liberales in alios, noſtri videntur immemores. Denique his qui de nobis honorificè minus loquuntur præſertim apud eos apud quos nos cupimus videri magni, vel cum quibus de gloria, aut

In ſingulis affectibus tria conſiderãda.

Ira. 2. Rhet. c. 2.

Ob tria iraſci ſolemus alijs.

Quibus iraſci ſolemus.

aut dignitate contendimus, vel quos admiramur aut erubescimus.

Deinde docet idem Arist. qui sint proni ad iram, sunt autem ij quorum animus est aliqua molestia aut ægritudine pressus, vt sunt etiam qui morbo aliquo corporis afflictantur, vel paupertate premuntur, facilè enim ex quacunque oblata occasione ad iram mouentur, præsertim si non adiuuentur in his molestijs quas patiuntur, sicut qui siti vexatur si à bibendo impediatur. Et hi, qui vehementer aliquid desiderant & amant, nec facilè possunt cõsequi, facilè ad iram incitantur etiam leui occasiuncula, maximè verò contra eos, qui studijs eorum aduersantur, vel causæ eorum cum possunt non fauent. Prætereà qui malum aliquod recipiunt, vnde bonum expectabant; siquidem insperatum malum magis cruciat, quemadmodum (ait Arist.) insperatum bonum magis delectat. Et sunt aliquæ circumstantiæ, in quibus homines sunt procliuiores ad iram, sicut est tempus incommodum, vt si quis intempestiuè adeat principem, quando scilicet vel quietem expetit, vel negocijs detinetur, molestè enim fert se interpellari. Diebus item quibus aliquid sinistrum nobis contigit, sumus ad iram procliuiores, vnde ille dixit in tempore veni, quod est omnium maximum. Item aliqua corporis habitudo propensiorem facit ad iram, in quibus enim abundat bilis, facilè irascuntur. Similiter ætas vt in iuuenibus in quibus dominatur ira ob cupiditates tunc efferuescentes, & sanguinem ebullientem; in senibus etiam, quos ob confectam & molestam ætatem esse morosos videmus. Prætereà locus vt si quis in publico, aliqua contumelia sit affectus. Ex his patet qui sint ex Arist. ad iram magis propensi, & quibusnam homines irasci soleant, & quas ob causas. Ergo secundum Aristot. qui aliquem ad iracundiam mouere velit, ita orationem accõmodet vt disponat auditores, eo modo quo dispositi esse solet, quos facilè diximus irasci. V.g. curet excitare aliquem dolorem, reuocando in memoriam aliqua ex his quæ molesta passi sunt; inde proponere instas causas irascendi. In concionibus nostris, poterimus aliquãdo excitare irã cõtra hæreticos, & quos vocamus politicos, apostatas, fures, homicidas, cæteroscque flagitiosos, ita tamen vt ira feratur contra vitium, non contra personas. Sic contra hæreticos excitabo in auditoribus zelum & amorem religionis, accendam desiderium conseruandi primatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, deinde proponam ante oculos, quanta Ecclesiæ Sanctæ hæretici, damna inferant, quanto

Qui sint ad iram proni.

nos odio prosequantur, quantis contumelijs catholicos afficiant, & colligam iustissimas causas irarum contra ipsos, vt scilicet aut conuertantur, aut conterantur.

Lenitas, seu mansuetudo. Cap. VI.

Cap. 3.

Quid sit lenitas.

SEd dicamus de contrario affectu lenitatis, qui magis vsu venire solet in concionibus, & in domestico conuictu. Lenitas (ait Arist.) est mitigatio iræ, quasi post turbinem, & tempestatē aeris serenitas, ac maris tranquillitas. Docet primò quibus, & ob quas causas solet animus iratus mitescere vel non irasci: Sicut (ait) contemptus alicuius, iram eius pronocat ex dictis, ita mites sumus ad eos qui nos nequaquam læserunt, vel si in aliquo læsi sumus, non voluntariè illud ab eis factum agnoscimus, quia propriè non est contemptus vbi non apparet voluntarium. Et qui licet læserint & videantur nos contēpsisse, tamen nunc contrarium volunt ab eo quod fecerunt cum essent ira perciti, & agnoscunt se deceptos, aut lapsos fuisse. Et qui nihilo meliores erga se ipsos solent esse, ab eo quod erga nos faciunt, vt non propriè visi sint nos parui ducere, cum nemo se ipsum paruifaciat. Et quando sunt tales vt non soleāt erga bonos male se gerere, sed omnes honorare, vt potius fuerit insolitus aliquis casus quod nos læserint, & hi qui errorem hunc fatentur, & simul dolent, quosque pœnitet facti, quia hæc confessio est quædam quasi vindicta & pœna peccati, sicut cōtra famulos negantes errorem, domini magis irascuntur, quam si fateantur, quia illa negatio est actus irreuerentiæ, & contra confessio est honor. Et maximè placamur his, qui se humiliter gerunt nobiscum, & supplices veniam petunt, cuius rei (ait Aristot.) signum est quod canes non mordent prostratos, & iacētes, quod idem de Leone Plinius affirmat. Rursus leues euadimus cum in rebus nostris serijs, illi serio agunt, sicut contrarium diximus iram mouere. Et quando ij, quibus irati eramus beneficia nobis conferunt, & gratificantur, quia verum est illud. Munera crede mihi placant hominesque Deosque. Et quando illi ijdem qui aliquomodo videntur contempsisse, iam honorant, vt potius ex iræ motu repentino illud appareat factum, quam ex electione. Et quando videmus ei qui læsit nos, aliquod damnum magnum euenisse, sic enim videntur pœnam dedisse, etiamsi non nostri causa.

Qui ad lenitatem proni.

Secundò, qui nam sunt ad mansuetudinem dispositi? sicut

res

res aduerſæ, ac moleſtæ in nobis excitant iram, vt iam dictum eſt, ita contra res lętæ ac proſperæ diſponunt ad manſuetudinem. Rurſus dies feſti & nobis fauſti, quando res ex noſtra ſententia ceſſerunt, quando fęlix aliquod nuncium accepimus, quando omni ægritudine vacamus, ideo poſt cibum facilius inclinamur ad parcendum, nam fames quæ cruciat exacuit ad iram. Denique omnis lætitia diſponit ad hunc affectum, modo non ſit nimis exultans, quia hæc ſæpe inſolentes reddit. Rurſum ſunt proni ad lenitatem, qui ſunt in proxima ſpe habendi aliquid quod deſiderant. Et quando iam longum tempus elapſum eſt ab accepta iniuria, tempus enim mitigat animum, niſi ſit ira obſtinata & implacabilis, quam (vt ille canit) nec longa dies, pietas nec mitigat vlla: Præterea cum quis eſt iratus pluribus, ſi pœnas ab aliquo accepit, ſolet erga alterum mitigari. Vnde Principes qui pœnas ſontibus inferunt, vbi vnum reũ punierunt, ſolent eſſe faciliores ad parcendum alteri. Cum eum qui nos læſit in iudicio vicimus, ſolemus miteſcere, nec aliam vindictam cogitare contenti quod ita publicè ſit conuictus. Cum ego dedi cauſam aliquam alteri ob quam ille me ipſum læſit, ſum diſpoſitus ad lenitatem cum agnoſcam illum à me prouocatum prius. Quando is qui me læſit eſt longè me ſuperior, vt potius eum timeam, vbi enim eſt timor non eſt ira. Ex dictis quod ad vſum mouendi lenitatem ſpectat infert Ariſt. Si ſedare iram volumus ex his locis ita dicendum eſſe, vt & ipſos auditores tales faciamus vt proximè diximus, & eos quibus irati ſunt aut inuitos feciſſe, aut dolentes factum oſtendamus, remouendo, vel extenuando ſuſpicionem contumelię, laudando aliquo modo eos quibus volumus auditores miteſcere, & ſupplicando pro eis veniam, addat etiam locos communes in vituperationem iræ, ac laudes clementiæ. *In fine cap. 3.*

Amor, & Odium. Cap. VII.

TErtiò loco agit Ariſt. de amore, cui odium opponitur, eſt autem Amor affectus quo cupimus alicui bona euenire, non noſtra ſed eius ipſius quem amamus cauſa, & vt ea habeat pro virili nitimur, qui amor cum eſt mutuus eſt Amicitia. Duo includit amor, Beneuolentiam cordis & conatum benefaciendi. Et vt vtrumque fiat in gratiam amici non in proprium commodum, Sic enim eſſet mercatura potius ad lucrum, quam amor. Quæ autem ſunt cauſæ ob quas ſolet hic affectus excita- *Amor quid ſit.*

ri? multæ ſunt apud Ariſ. vbi ſimul alia duo coniungit, ſcilicet perſonas quas amare ſolemus, & qui ſint ad amandam diſpoſiti vt patebit. Attingam breuiter. Primò Amici ſunt, qui rebus ſecundis inuicem gaudent, ac dolêt aduerſis. Secundò amamus eos qui amant quos nos amamus, vel amantur ab amicis noſtris. Tertiò qui nobis beneficia conferunt, ſolent enim hęc amoris in nos eſſe ſigna in illis, & amorem prouocare in nobis erga benefactores, præſertim quando beneficia ſunt magna & fiunt alacri animo & tempore opportuno, quando res noſtræ erant in miſero ſtatu, & quando aduertimus noſtri gratia eſſe facta, non ſuo commodo. Quartò amamus viros beneficentia & liberalitate ac fortitudine inſignes, qui operam ſuam collocant ad ſubleuandum inopiam aliorum & iniuriam propulſandam. Quintò iuſtos, qui non aliorum damno res ſuas & patrimonium augent, cuiuſmodi ſunt qui proprio labore viuunt præſertim apud Ariſt. agriculturæ dediti. Sextò Temperantes ac moderatos, qui ab aliorum damnis ſe temperant, ideoque iudicamus nos ab eis tutos eſſe. Septimò eos qui tranquillam vitam ducunt, & alienam à negotijs, & à regimine quia hoc modo viuentes, non videntur eſſe curioſi, nec iniuſti in aliorũ factis. Octauò eos quorum nos amicitiam appetimus, ſi modo & ipſi idem appetant, & tales ſint qui eximia aliqua virtute polleant, & ſpectatæ vitæ ſint apud homines ac probatę apud viros optimos. Nonò eos qui ſuauibus moribus in conuictu ſunt prædíti, cuiuſmodi ſunt, qui ſunt ingenio placido, nec facile iraſcuntur, neque aduerſantur alijs præſertim, iratis, neque moroſi ſunt neque concertationum amici, neque habent contradicendi ſpiritum, qui patienter ferunt ſi quid in ipſos dictum ſit, & vtuntur Eutrapelia iocando, & aliorum ioca recipiendo, neque vnquam exprobrant alijs, aut errata aut beneficia, neque impediunt eos qui ſeria negotia tractant, neque præteritorum malorum recordantur, neque acceptas iniurias conſeruant animo, nec ſunt maledici, nec curant ſcire noſtros vel aliorum defectus, ſed bona. Mundos item tam facie quàm veſtimentis, quæ tamen mundities ſi exquiſita ſit potius odium parit, quod tales videantur abhorrere ab alijs. Decimò ſtudioſos noſtri, qui nos admirantur, colunt, qui gaudent conſuetudine noſtra. Vndecimò eos qui pares nobis ſunt ætate, conditione, ſtudijs, exercitatione, modo illi non impediant & turbare poſſint noſtras rationes, tunc enim inuidia naſcitur, & qui eamdem rem deſiderant, modo vterque compos fieri queat,

Quos amare ſolemus.

nec

nec vnus alterũ excludat. Duodecimò eos diligimus apud quos cupimus esse in prætio & honore, aut quos vellemus nostri æmulos esse ac imitatores. Decimotertiò quos nos adiuuimus vt aliquod bonũ consequerẽtur, quos tãquam nostrum partum diligimus. Decimoquartò qui sunt feruentes in amando, quales sunt qui in aduersa fortuna amicorũ sunt constantes, & qui absentes etiam non modo præsentes amicos diligunt. Et qui etiam post mortem conseruant amicitiam, hos enim fideles ac veros amicos credimus. Decimoquintò qui non solent fingere, aut dissimulare, sed simplices sese ostendunt, vt etiam res suas malas aperiant, nec occultant amicis, quia amicos non metuimus sed amamus. Denique eos qui non sunt formidolosi, & horribiles, vt sunt ij quorum opes nimias suspectas habemus, vel potestatem, hos enim metuimus non amamus.

Hæc de amore Arist. Qui ergo velit eum excitare causas in eo quem amari cupit ac suadet ostendat esse permultas proponat eius amabiles conditiones iuxta ea quæ diximus & facilè excutiet in cordibus auditorum ignem tamquam in esca. Odij autem affectus, omnino contrarium persuadendo, gignetur, sed Christiani oratoris opera, hic nõ video qua in re sit necessaria, nisi orationem transferat à personis ad vitia vt dicebamus de ira, quæ proxima est odio V.g. si curem vt in odium adducam hæreticos, politicos & eiusmodi farinę homines qui vt tales cum habeant conditiones omnino contrarias his qui amabiles sunt, non possumus eorum consuetudine delectari. At præter hos, omnes amandi sunt etiam inimici, præcepto charitatis Euangelicæ, & contra odium concionatori disputandum vt suo loco explicabimus. Odium.

Timor & confidentia ex eodem Arist. Cap. VIII.

TImor est animi perturbatio nata ex obiecta specie impendentis mali, quod aut interitum, aut dolorem nobis afferre possit ita hic Arist. vbi magis opiniones vulgi attendendas oratori proponit. At lib. 3. de mor. ad Nicomachũ nec pauperiẽ, nec morbos, metuẽdos esse docet, licet dolores sæpe & mortẽ afferant, quia in moralibus agit de officio hominum, vbi quomodo quisque gerere se debeat secundũ virtutem docet quod etiam nostro oratori Christiano tenendum est, qui non tam, quod vulgus iudicat quam quod à nobis Christus requirat attendere debet. Dicit autem timorem nasci ex proximi mali Timor quid sit.

Digitized by Google

opinione, quæ enim valde remota sunt non facilè timorem incutiunt, quamuis fortis viri esse mortem non timere, in moralibus affirmet. Posita definitione timoris, tria illa examinat, scilicet quas ob causas soleant homines timere, & quas personas, & qui sint ad metuendum dispositi. Duo priora simul ita docet. Ex definitione patet omnia illa nobis timorem incutere, quæ vim habent nos perdendi, aut damnum aliquod inferendi. Nec solum ipsas res quæ tales sunt metuimus, verum etiam signa & indicia earum rerum reformidamus, vt sunt Regibus Cometæ, Nauigantibus signa tempestatum, quia hæc significant periculum, ideſt rei terribilis appropinquationem. Ipsæ verò res, quæ in se ipsis timorem incutiunt, sunt simultates & iræ eorum, qui nocere nobis possunt per opes, per eloquentiam, & huiusmodi alia, hi namque mali aliquid importare possunt, cum nec facultas, nec voluntas, desit mali inferendi. Præterea iniustitia & animi peruersitas in eo qui potestatem habet nocendi formidolosa est, & qui iniuriam facile facere possunt formidolosi sunt. Etiam timorem incutit cum aliquem contumelioſe tractatum videmus, ab eo qui potestatem habet. Rursum formidolosi sunt potentiores propter opes aut amicitias etiam si à nobis non sint affecti iniuria quia leui suspicione moueri possunt contra nos. Et eos solemus formidare, in quorum manus nos nostramque salutem repositam habemus, vt sunt ij quibus secretiora animi nostri arcana commisimus, vel sunt negotijs alicuius nostri grauioris conscij. Timendum enim est, ne vel spe lucri nos perdant vel ex timiditate. Vnde Prouerbium. Nec salus in acie Nouaculæ. Et eos qui aut iniuriam à nobis acceperunt, aut se accepisse, quam vis falso arbitrantur, forte enim meditantur vindictam. & inter hos magis timendi sunt qui sunt callidi ac vafri, qui dissimulant, tacent, & aliud dicunt atque sentiunt, cum minus metuendi sint qui liberè loquuntur, qui quod in animo habent etiam in ore versant, quique sunt acutæ bilis cum illos alios tectos non possimus agnoscere, ideoque magis timeamus. Imò & eos timemus qui nobis iniuriam intulerunt, hi namque cogitant sæpe alia mala inferre vt nos infirmiores reddant, ne illatam iniuriam vindicemus, & ipsi securius viuant. Et eos quos habemus competitores in aliqua assequenda dignitate, cuius plures compotes esse non possumus. Eos quoque timemus quos ab alijs melioribus nobis & firmioribus reformidari videmus, si enim meliores lædunt, etiam infirmiores facilius iniuria afficient

Quæ mala & quos homines timemus.

Digitized by Google

cient. Denique omnia mala timemus, quæ in alijs agnoſcimus, & nobis euenire ſimiliter poſſunt, vt cum morientem aliquem videmus. Inter omnia verò terribilia, illa magis timorem injiciunt, in quibus cum à nobis ſit erratum contra aliquem, tamen non poteſt lapſus à nobis penitus emendari, nec remediũ eſt in pnteſtate noſtra. Timor eſt magnus, quando malum eſt magnum, quando eſt repentinum, quando eſt ignotum, quando eſt valde propinquum, quando imminens malum vix poſſe propulſari exiſtimatur. Ita de cauſis ob quas fit metus, & de perſonis Ariſt. Quibus ſubijcit qui ſint ad timorem diſpoſiti. Eos autem eſſe docet liberos à metu, qui non arbitrãtur ſe mali quidpiam ſuſtinere poſſe, nam timor naſcitur ex opinione impendentis mali, quales eſſe ſolent qui opibus abundant, & amicitijs, ac florentes res ſuas intelligunt, & plurimum authoritatis habere, ſiquidem res proſperæ deprauare animos ſolent & audaces reddere, ac inſolentes vt non timeant, & alijs ſint contumelioſi. Illi etiam procul ſunt à timore qui cum acerbiſſimos caſus ſint experti ſæpiſſimè tanquam omnem ſpem rerum bonarum abiecerunt, vt ſuas miſerias quibus premuntur perpetuas credant futuras, vt nõ putent in ſe locũ ſupereſſe nouis calamitatibus. In quo numero ſunt qui ad ſupplicium ducuntur. Seneca defines timere ſi ſperare deſieris. & idem Seneca oſtendit quomodo hæc duo tam diuerſa, timor ac ſpes aliquando pariter ſint. Ita eſt (ait) mi Lucili, cum videantur diffidere coniuncta ſunt, quemadmodum eadem catena & cuſtodem & militem copulat, ſic iſta quæ tam diſſimilia ſunt pariter incedunt. Qui verò contrariam opinionem habent ij ad timorem proni ſunt. Vt qui aduertunt ſibi malũ aliquod inſtare, cui ſe obnoxios agnoſcunt. Qui ita timent, vt etiam aliquid habeant ſpei, nam videmus eos qui timent ad conſolationes ac remedia confugere, quod non facerent ſi omnem ſpem euadendi abieciſſent. Solent timere qui ſunt pauperes, qui debiles, & imbecilli, qui ſine amicis. Denique docet Ariſt. vſum excitandi hunc affectum in auditoribus. Is autem eſt vt eos inducamus in eam opinionem vt putẽt ſe malis eſſe expoſitos, docendo multos ipſorum pares & maiores grauia damna perpeſſos ab his à quibus nil periculi metuebant. Et idem dicat de genere malorum ac de temporibus in quibus ſe tutos credunt. Poterunt multi ex his locis Chriſtiano oratori deſeruire, cum timorem vult incutere ex memoria mortis, futuri iudicij diuini, recordatione gehennę, quę mox imminet peccatoribus. Sequitur Confidentia timori contraria

Qui nam à timore liberi eſſe ſolent.

Qui nã ad timorem proni ſint.

quæ

Confidentia quid sit.

quæ motus quidam animi est ex cognitione boni instantis, seu periculi vel depulsi, vel proximè depellendi proueniens, & coincidit aliquo modo cum spe, nisi quod spes omnem fiduciam significat, confidentia est vbi periculum alicuius mali adest, vel dici potest Cõfidentia est appetitio boni absentis ardui possibilis. Differt à Desiderio, quod confidentia est in parte animæ irascente. Desiderium in concupiscente, Illa est boni ardui & difficilis, hoc boni facilis, illa fertur ad media primum, inde ad finem, hoc ad finem suo impetu. Tunc autem nascitur Confidentia vel fiducia, cum res quæ saluti esse possunt propè iam adsunt, quæ verò terrere possunt, vel non sunt vel longè absunt. Item cum mala & incommoda eiusmodi sunt, quæ facilè habẽt remedium & auxilia præsto sunt, quibus malum arceamus, tũc enim non timemus sed confidimus, sicut quando nulli sunt qui à nobis iniuriam acceperint, nulli aduersarij, nulli æmuli vel si sint sunt amici, vel nostrum desiderium impedire nequeũt. Qui autem sunt ad confidentiam dispositi? ij à quibus longè absunt atrocia mala, & quibus adsunt prospera vnde possunt animum confirmare ad fiduciam, hi quibus remedia sunt in promptu. Et hi qui vident plura se habere quam alij, quos metuere possent. Etiam ira animos addit, ideo iram esse eotem fortitudinis Basilius affirmat. Denique cum nos non arguit conscientia sceleris cuiuspiam & credimus nos habere Deum propitium, qui votis fauebit, quod cum ex signis aliquibus aduertere possumus fidẽtiores simus, Vsus autẽ ac praxis excitandi hunc affectum sumi debet ex contrarijs rebus, quæ timorem incutiũt, ostendendo non adesse periculum mali, extenuando malum, ac periculum, amplificando bona quæ contra illud malum adsunt, & remedia & auxilia, & bonam conscientiam & Dei opem præsentem animando ad fortitudinem.

Confidentia quomodo differat à desiderio.

Causæ confidentiæ.

Qui sint ad cõfidentiam dispositi.

Verecundiæ Affectus. Cap. IX.

POst fiduciam transit Aristot. ad Verecundiam vel pudorem sequutus eundem ordinem, vt explicet quæ sint causæ ob quas solemus verecundari, & apud quos solemus hunc pudoris affectum sentire, & quomodo sint affecti qui pudore ducuntur. Verecundia est commotio vel ægritudo nata ex his malis quæ ignominiam, seu dedecus videntur inurere, siue sint ea mala præterita, siue præsentia, siue futura, sicut Inuerecundia est non tangi his rebus, neque animo commoueri. Quæ autem sint

Quid est Verecundia.

hæc

hæc mala, quæ Verecundiam gignunt explicat in ſpecie Ignauia & timiditas, vt in Militia abijcere clypeum vel fugere, Iniuſtitia vt non reddere depoſitum, Incontinentia, infamia, & impudicitia. Quæſtum facere ex rebus minutis aut turpibus, & ex perſonis tenuibus lucrum extorquere, ſicut (ait Ariſt.) eſt antiquum prouerbium à cadauere etiam fructum capere. Et omnia quæ naſcuntur à ſordibus & illiberalitate. Rurſum qui ſunt nimij in flagitando, & callidè laudant rem alterius, vt ille pro ſua liberalitate indulgeat, vel qui licet repulſam paſſi ſint ab aliquo, tamen rurſum petunt & moleſti ſunt. Adulatio, vel præſentem aliquem laudare, & eius res ac facta nimis extollere, ſeu condolere alicui pluſquam oporteat, videtur enim quid ſimulatum, & facit nos erubeſcere. Præterea dedecus affert nõ poſſe tolerare labores, quos vel ſeniores tolerant, vel alij viri delicati, & digniores quam ipſe ſit, mollitudinem videtur appellare Cic. Sæpe beneficia accipere ab aliquo, & eius commodis augeri, nec nõ vetera beneficia exprobrare, anguſti & humilis animi ſunt. Iactare ſe ipſum & ſuas laudes prædicare, aliorũ recta facta ſibi adiudicare. Denique omnia alia opera à vitijs profecta, & omnia ſigna occultorum vitiorum pudorem afferũt, cum turpitudinem includant. Sed præter hæc vitia, ſunt & alia multa honeſta quibus ſi quis careat verecundatur. Huiuſmodi ſunt virtutes omnes, & omnia quę dignitatem ac decorem afferunt præſentem, ſi quis expers ſit earum rerum, quarum ſunt participes pares ſui ac ſimiles, & vocat pares qui ſunt eiuſdẽ nationis, ciuitatis, familiæ, ætatis. Turpe enim eſt è choro aliorum excludi ſi ſua culpa id natum ſit. Verecundantur homines cum paſſi ſunt vel patiuntur, vel paſſuri ſunt aliquid ignominioſum, cum inſeruiunt alicui in muneribus fœdis. Et cum plagas patiuntur & iniurias tanquam ſerui, hæc enim priuant homines honore, ideo pudorem afferunt. Hæ ſunt verecundiæ ac pudoris cauſæ. Iam verò etiam quæ ſunt perſonæ, coram quibus ſolemus verecundari oſtendit. Sunt illæ quas nos magni facimus, & apud quas cupimus nomen noſtrum magnifieri. Hi ſunt qui nos admirantur, & quos admiramur nos, vel cum quibus de aliqua dignitate contendimus, vel eos à quibus ſperamus impetrare aliquid, in quorum arbitrio poſitum eſt vt dẽt, & eos qui prudenter de rebus ſolent iudicare. Solent pudorem mouere quæ publicè in oculis multorum nobis contingunt, cũ tot habeamus teſtes ac conſcios factorum. Et prouerbium eſt. Pudorem in oculis habitare. Eos item erubeſcimus qui vacãt culpa

Quæ Verecũdiam gignũt.

Vitia verecũdiam faciũt.

Defectus etiã virtutum.

Coram quibus verecũdariſolemus.

Digitized by Google

culpa qua ipsi notamur, & eos qui non soleat esse proclíues ad ignoscendum, sed potius seueri in culpas, hos magis veremur. Et eos qui faciles sunt ad denunciandum alijs quæ ipsi sciunt, vt sunt qui à nobis aliquando iniuriam acceperunt; & qui sunt maledici, curiosi in aliorum factis inquirendis, & deridendis. Et eos apud quos semper bene audiuimus, & à quibus quælibet obtinuimus, quiuè nostram amicitiam magnifaciunt. Ex dictis facile etiam cognoscuntur qui sunt ad verecundiam magis dispositi. Nempè hi quorum aliquid turpe coram patefactum est, qui sunt sibi conscij alicuius sceleris sui & maiorum suorum, & habent multos competitores in rebus suis, & qui versantur cum eis qui suorum scelerum sunt conscij. Hinc collige quomodo debeamus hunc affectum inducere, vt scilicet ostendamus rem aliquam esse huiusmodi, vt nos pudore debeat afficere, tum ob ipsam turpitudinem, tum propter eos, apud quos meritò verecundari debemus, præsertim in peccatis, quæ cum scandalo fiunt publicè, & curet vt ostendat auditores esse de numero eorum quos pudere oportet.

Qui faciles sunt ad verecundiam.

Gratia Misericordia Nemesis. Cap. X.

TRansit Arist. à verecundia ad gratiam vbi primo definit gratiam esse affectum per quem gratis inclinamur ad benefaciendum alicui non nostro cómodo, sed eius cui fit; loquitur autem non de gratia quæ in remunerando beneficio fit, sed de ea qua gratis qui habet dat aliquid egenti. Quæ gratia dicitur magna, vel quando magnum aliquod datur ex sua natura, vel ratione eius, cui datur, vel quando fit tempore maximè opportuno, quia alter cui datur maximè optat vel indiget, vel quia solus fecit gratiam, vel primus. Parua autem cum vel res est parui momenti quæ datur, vel quando sui causa dat potius, quam alterius, vel quando negat minus, qui alias maius quid dederat. Qui ergo ad faciendam gratiam vult excitare, ex his locis gratiam & beneficium amplificet, eodemque modo si velit inducere ad cognoscendam gratiam sibi factam; ex ijsdem locis efficiet significando & indigentiam eorum, & alterius liberalem animum; in quo genere optimè Dei gratiã in nos magnificare possumus. Sequitur Misericordia quæ est animi affectio orta ex opinione mali quod affert dolorem, vel necem alicui, quem indignum tali calamitate iudicamus. Circa quam etiam exponit quæ res faciant aliquem miserabilem, erga quas perso-

Gratia quid sit Aristot.

Misericordia quid sit.

Digitized by Google

perſonas miſericordiam exercere ſoliti ſimus, & quomodo affecti qui miſericordia mouentur. Addit etiam ad melius explicandam naturam huius affectus, vt illud malum ſit vel præſens, vel proximum, & tale ſit, vt poſſit etiam idem malum aut mihi, aut alicui meorum obuenire. Tales ſunt qui ſimilia mala aliquando perpeſſi ſunt, ſenes etiam, homineſque imbecilli, & viri docti qui in lectione, multa didicerunt, & qui multa familia onerantur. Ob defectum huius conditionis, qui ſunt in extrema calamitate, non mouentur miſeratione, cum non putent alios plura pati poſſe quàm patiantur ipſi, nec qui ſe beatos ſupra modum exiſtimant. Quæ autem mala miſericordiam mouent in ſpecie? Quæ à fortuna inuehuntur non culpa noſtra, vt ſpoliari amicis, patrimonio, item morbi, egeſtas alimentorum, ſenectus grauis, mors, verbera, deformitas, obtruncatio membri, debilitas, fruſtrari votis ſuis. Cum res veniunt quando iam non proſunt, quando videmus aliquem cui nihil proſperi contingere ſolet. Sed in quos miſericordes eſſe ſolemus? in familiares, nam in parentes & alios propinquos eſt alius affectus, doloris potius, cum enim ſimus coniunctiſſimi eadem mala videntur noſtra: in amicos, qui prius erant opulenti, nunc præ inopia, emendicata ſtipe victitant. In eos quibus proxima imminet calamitas aliqua, licet nondum ſit præſens. In eos qui pares, ac ſimiles nobis ſunt, familia, ætate, diſciplina, cum nobis etiam eadem poſſint contingere. Item in eos quorum calamitates oculis videmus, vt faciunt aliquando Oratores oſtẽdentes veſtes cruentas, vulnera, aſpectus miſerandos, & alia ſimilia etiam oculis repreſentata, & auribus etiam verba miſeranda obijcere, multum poſſunt miſericordiam excitare. Sicut ſolemus Chriſti Domini noſtri paſſionem repreſentare: & veſtis Ioſeph ſanguine tincta patrem, maximè ad lachrimas cõmouit. Ex dictis patet vſus & praxis excitãdi huiuſmodi affectum miſericordiæ, amplificando calamitatem ſignificando idẽ ipſis poſſe euenire, deſcribendo miſerabilem ſtatum calamitoſi, qui ſine culpa patiatur, & rem oculis ſubijciendo. Hi loci vſui eſſe poſſunt cum commendamus inopes ac miſerabiles familias, & magis adhuc cum plurimorum animas ignorantia, & peccatis repletas, ſub miſerabili Dæmonum tyrannide repreſentamus oppreſſas, & æternis cruciatibus obnoxias. Oppoſitam miſericordiæ facit Ariſt. eam commotionem quam vocãt Nemeſim, quæ magis repugnat miſericordiæ, quã vel inuidia, vel emulatio, quamuis, & hæ aliquando opponantur. Eſt autẽ Neme-

Quæ nam miſericordiam moueant.

Item

Nemeſis miſericordiæ oppoſita.

Nemesis, siue vt aliqui vertũt, Indignatio, dolor est de alieno bono quo aliquem indignum iudico. Sicut misericordia; dolor de malo quẽ non merebatur, & sine culpa patitur. Sicut ergo cũ videmus pati immeritos & bonos, miseremur, ita contra cum videmus impios prosperè agere, ad dignitates euehi, stomachamur. Et differt ab inuidia, nam hæc non dolet de bono alterius, quia sit illo indignus, sed simpliciter, quia aliquis sibi æqualis, habuit illud donum non ipse, etiam si dignus ille sit, vnde inuidia in malum sumitur, non ita Nemesis. Hic affectus qui est Nemesis, vel indignatio, cum sit circa illa bona quæ quis non meretur, non excitatur pro bonis animi, si quis sit iustus, fortis, vel alia virtute præditus, quia hæc quisque suo studio sibi comparat, & laudem merentur, non indignationem; ac nemo habens virtutem indignus ea iudicatur, sed indignamur ob externa bona, vt opes, dignitates, amicitias, fauores, hæc si indignis dentur, dolorem inurunt & indignationem, præsertim si repente ad huiusmodi bona deuenerint, ac subitò parta, nam veteres diuitiæ, & dignitates minus quam nouæ offendunt. Etiam bonis solent homines indignari, quando bona adepti sunt minus sibi consentanea, quibus nec vti sciunt, vt si viro bono quidem, sed inepto ad regimen contingat magistratus, si Puella ignobilis nubat viro optimato, Indignamur cum inferior in aliquo genere competit cũ superiore, vt si quis inferior in bello, alteri aptiori præferri contendat, vel superiori præferatur, & similiter omnis inferior contendens cum superiore indignationem mouet. Hæ sunt causæ ob quas, & personæ quibus indignamur. Ad indignationem vero facile commouentur ij, qui eorum bonorum sunt capaces, eaque aliquando adepti sunt. Item qui virtute præditi, indigne enim ferunt ad indignos bona deuenire. Vt viri fortes qui sua virtute ea consequi possent. Rursum honorum cupidi, qui digni tali honore habentur quem alij indigne sunt consecuti.

Nemesis & Inuidia in quo differãt.

Nemesis non excitatur ex virtutibus.

Quæ sint quę Nemesim mouent.

Qui mouentur magis Nemesi.

Ex his apparet vsus ac modus tenendus, vt quis Nemesim excitet. Qui locus Christiano Oratori non crebro tractandus, occurrit, nisi aliquando in vniuersum solum dicat huiusmodi bona dignis danda esse non indignis, ex iustitia distributiua.

Inuidia Aemulatio Contemptus. Cap. XI.

ORatori Christiano Non occurret occasio ad excitandam inuidiam, ad compescendam vero frequens, Est autem inui-

inuidia animi ægritudo quæ gignitur ob res alicuius ſecundas erga eos qui nobis pares ſunt, quos nollemus eo bono potitos. Sunt propenſi ad hanc inuidiam, qui habent multos ſibi pares in eiſdem ſtudijs, arte, ætate, familia &c. nam figulus figulo inuidet. Qui multa huiuſmodi bona habent, quaſi omnia ſibi eſſent debita, vt qui ſint eximij in aliqua doctrina, & honore. Item qui ſunt honorum cupidi, promptiores ſunt ad inuidendum quam alij qui his cupiditatibus non ſubiacent, vt videmus inter aulicos qui ſeruiunt, vt aliquam dignitatem obtineant, & qui volunt ſui nominis exiſtimationem propagare. Solet autem ferri contra eos qui ſcilicet ſunt nobis pares & propinqui. Inuidia enim eſt inter pares, & eos cum quibus de honore eſt nobis contentio, & qui eiſdem deſiderijs tenentur quibus & nos. Et cõtra eos qui aliquid celeriter & facili negotio adepti ſunt, cum alij multo labore nihil effecerint. Et his qui aliquid procurant quod ſi obtineant probro nobis ipſis futurum ſit. Et his qui ea poſſident quæ nobis valde apta fuiſſent. Et his qui cum parua aut nulla rei familiaris iactura ſunt ea conſecuti in quibus comparandis nos magnos ſumptus feciſſemus.

Qui ad inuidiam sũt proni.

Quibus inuidemus.

Poſt inuidiam ponitur ab Ariſt. æmulatio græcè zelus quæ eſt animi affectus quo dolemus nos non habere aliquid, quod in alio videmus, nõ quod diſpliceat in alio eſſe, ſed dolemus nobis deeſſe & prouocamur ad imitandum. Cicero ſic definit. Eſt egritudo ſi eo quod concupieris, alius potiatur, ipſe careas ſcilicet non quia ille habet, ſed quia ipſe non habes. Et ſolet ſumi in bonam partem, ſicut inuidentia in malam, hæc ſtudet vt alter bono careat, ſed æmulatio ſtudet fieri alteri ſimilis. Sunt diſpoſiti ad æmulationem, qui multa ſibi pollicentur & ſe dignos eſſe vt habeant quæ non habent exiſtimant, quales ſunt magnanimi, & iuuenes bonæ indolis. Et qui ſunt præditi ijs dotibus, quibus honos tribui ſolet. Et hi quorum maiores aut cognati aut ciues honorati ſimiliter fuerunt.

Æmulatio quid ſit.

Iuſt. 1.

Qui ad æmulationem prõpenſi.

Quæ bona æmulationi ſubdantur.

Sed quæ ſunt bona, quę æmulamur? præſertim virtutes quia his honos debetur, & ea quibus alijs prodeſſe poſſumus, vt ſunt opes, beneficia, dignitates, ſapientia & eloquentia, quia his potiti poſſumus eſſe benefici alijs. Qui ergo ad æmulationem vult prouocare aliquos, diſponat auditores eo modo quo diximus, oſtendat talia eſſe bona & tales perſonas quas volumus æmulari. Sicut D. Paulus docet Æmulamini chariſmata meliora quia nos Chriſtiani æmulatores Sanctorum in eorum virtutibus ac heroicis actionibus eſſe debemus.

Huic

Contemptus

Huic opponit contrarium affectum quem Contemptū vocat, cum quis despicit eum qui contraria mala patitur, his bonis quæ nos æmulamur, vel cum quis non æmulatur, quæ alius habet bona, sed parui æstimat & contemnit nec curat vt ea assequatur. Vt si philosophus contemneret opes, honores, ac dignitates, quas alij appetunt. Quod postremum est maximè secundum perfectum Christianæ Religionis spiritum, vt Franciscus & tam multi Sancti & D. Paulus contemnebat omnia, tanquam stercora propter Christum. Hactenus cum Arist. de affectibus speciatim egimus. Ex quibus multa sunt quæ ad praxim concionum nostrarum referri possunt. Nã Iram possumus optimè acuere in auditoribus iuxta illud Irascimini & nolite peccare, contra omnes peccatores vt idem Propheta dicebat. In matutino interficiebã omnes peccatores terræ. Et ad Mansuetudinem prouocare quæ est iræ moderatio iuxta illud Christi. Beati mites &c. Ad amorem vero Dei & proximorum sæpe conciones debent dirigi, ad odium & detestationem peccati & omnium sceleſtorum; sicut Deo odio est impius, & impietas eius. Ad timorem & fiduciam in Deum, ad confidentiam in operibus bonis, & Christiana perfectione, Verecundia est optimum frænum vt à turpitudine abducat. Gratia & Misericordia sunt affectus maximè pietati Christianæ consentanei Indignatio vero ac Nemesis potest etiam contra se ac delinquentes exerceri. Inuidia potius compescenda est. Aemulationis autem Spiritus optimè potest in bonum conuerti. In his autem locis ab Arist. enumeratis multa inueniet Orator Christianus ad suas conciones vtilia quibus commodè ad excitandos animorum motus vtatur, multa pro re nata ducendo ex allatis locis argumenta.

Phiiipb. 3.

Psal. 6.

Psal. 100.

Quomodo excitandi, aut comprimendi singuli affectus ex locis Theologicis, & primum de Amore.

Cap. XII.

SEd præter Aristotelicos, quos iam explicauimus locos habemus adhuc ex sacrorum librorum, & Patrum sanctorum voluminibus alios, non solum excitandis affectibus, sed etiam comprimendis, idoneos ex principijs supernaturalibus desumptos: vtrumque autem Christiani Oratoris est munus & mouere affectus vbi vtiles sunt, & sedare cum aduersus Dei legem & rationem insurgunt. Quamuis autem ingeniosè quispiam ad doctri-

doctrinam Aristotelis hęc reuocare possit, tamen non visa est nobis hæc industria aut valdè vtilis, aut necessaria, quin etiam ex ipsis sacris fontibus hausta aqua quodãmodo futura sit limpidior. Initium ab Amore sumamus, quem S. Aug. primam inter passiones, & aliarum originem esse docet. Est autem Amor complacẽtia appetitus in obiecto amabili, qui cũ possit esse ali quando bonus, aliquãdo malus ille excitãdus, hic oratione frænandus. Primi generis est amor erga Deum, amor rerũ spiritualiũ, amor proximorum iuxta Christi legem, secundi generis est amor sui, cui iũctus est amor nimius vitæ, sanitatis & cõsanguineorũ principiũ multorum imò omnium malorũ. Amor illicitæ voluptatis, quo, humanũ genus ad extrema vsque perniciẽ deperit. Amor mundi & rerum temporaliũ inordinatus. In vniuersum loquendo tria sunt principia, quibus amor accẽditur, quæ ad amandum Deum præcipuã vim habent. Primum principium bonitas rei amatæ. Bonum & pulchrum, ait Dion. Areop. omnibus esse desiderabile, & amabile. Idem docet Arist. ideo apud Græcos καλὸν pulchrum, seu bonum dicitur à verbo græco καλέω quod est allicere, & ad se vocare, & Deus dicitur καλὸς tanquam summè diligendus. Secundum principium est similitudo inter amantem, & rem amatam; Siquidem quæ similia sunt facilè conciliantur: sic etiam Aristot. similia similibus maximè gaudent; dum tamen vt idem Arist. excipit, quæ sunt similia, non se inuicem turbent, & impediant. Tertium principium est amari ab alio: ob id Seneca Monstrabo, inquit, tibi amatoriũ sine medicamento, sine vllius Veneficæ carmine. si vis amari, ama] estque commune prouerbium. Magnes amoris, amor. Sed de locis vnde sit amor Dei eliciendus in tertia parte agendum est plenius. Vniuersè, de omnibus amoribus loquendo, statuat Orator firmum aliquod, ac certum principium, illudque auditorum animis imprimi curet, ad quod tanquam ad certam normam, totum hoc negotium, omnium in quocunque genere amorum sit reuocandum. Principium autem hoc, communissimo illi philosophorum axiomati optimè innititur, scilicet, In omni rerum genere, Vnum aliquod primum, ac summũ dari, quod sit cæterorum in eo genere, mensura & regula sicut inter luminosa est sol, inter calida Ignis, inter eęlorum motus primũ mobile, Inter morales virtutes Prudentia, inter Christianas Charitas. Eodem modo, inter omnes amores, aliquẽ supremum ac maximum assignari oportet, per quem, de cæteris omnibus iudicium feratur, sint ne boni an peruersi, sint ne abijciẽdi, an

14. *de Ciu. Dei c. 6.* Amor bonus & Amor malus qui nam.

Tria principia Amoris.

Dio. lib. de diuin. nomin. cap. 4. par. 1. 8. *Eth. c. 5.* 7. *Moral. Eudẽ. c. 6.* 2. *Rhet. c. 4.* *Epist. 9.* *Ioan. 10.*

Amor Dei regula omniũ amorum.

di, an retinendi ſint fouendi an moderandi. Quis nam verò ſit hic primus amor, cæterorum regula amorum, facillimum eſt, determinare: Dictum eſt iam, neque à quopiam negari poteſt Bonum ac pulchrũ eſſe ipſius amoris obiectum, nec dari amorem, qui non in bonum aliquod, aut verum aut certè apparens feratur, Deum autem eſſe veriſsimum ac ſummum bonũ, à quo bonum omne manat, quis niſi amens, vel Atheus negauerit? Quid enim eſt Deus, ſi quod nullo fine concludi poteſt, quis velit definire, niſi ipſiſsima bonitas abſoluta, Ipſum pulchrum, ipſum vt Theologi loquuntur eſſentialiter Bonum? Ad quod videtur Chriſtus alludere voluiſſe, cum à quopiam, titulo magiſtri boni ſalutatus, Cum tamen qui ſalutabat, eum nequaquam Deum, ſed ſolum hominem eſſe crederet, dixit, quid me vocas bonum? ſolus Deus bonus eſt. Ex hoc igitur tam certo, tamq; rato principio, omnibus manifeſtum debere eſſe arbitror, ipſi Deo, verè ac proprijſsimè noſtrum deberi amorem, & ad hunc ipſum tanquam ad Lydium lapidem, cęteros omnes examinandos, reuocandosq; eſſe amores. Proinde ab vnoquoque noſtrũ cor & Amorem ſibi tribui, Deus ipſe, iure ſuo expoſcit, cũ ait fili prebe mihi cor tuum, cui à nobis illud meritò, & conueniẽtiſsimè reſpondeatur. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Secundò, Ex eodem principio, vrgebit & colliget Eccleſiaſtes, Cum Deus ſit maximum bonum, infinito interuallo, bonum omne creatum tranſcendens, ei ſummum quoque deberi amorem, & ſuper omnia omnino eſſe amandum; Quare, cæterarum rerũ ita moderandi amores, vt nihil ſit omnino, quod Deo æquiparemus, Certè Deus ſuæ gloriæ, noſtriq; amoris zelator amantiſsimus, id nequaquam ferrè poteſt, propterea que Arcam veteris teſtamenti, in qua Deum ipſum præſentem Hebræorum populus colebat, acerrimè tulit, à Philiſtæis in eodem templo, eodemque loco cum Idolo Dagon collocatam, nec tãtam iniuriam ferens, & ipſum idolum in fruſta conciſum, ſuper ianuæ limen pedibus calcandum proſtrauit, & populus ipſe tãti ſceleris author, multorum millium nece pœnas reportauit. Hanc Chriſtus doctrinam mundo ſignificauit, his verbis, Qui amat patrem & matrem pluſquam me non eſt me dignus, Imò addit, Qui non odit patrem & matrem, & filios & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus, quo dicto illud innuit, in ſanctum odium, conuertendum eſſe parentum, atque adeo ſui ipſius amorem, quando

Sũmus amor Deo debetur.

ſupra

ſupra vel contra Dei dilectionem ſeſe audeat erigere, Rectè ergo Auguſtinus Amandus eſt generator, ſed præferendus eſt creator. Quare, apud nos illud maneat, Dei Amori, Deique voluntati, omnia eſſe poſtponenda, vt illud cordi noſtro inſcribamus, quod eſt apud Dauidem, In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, & quod ſequitur, identidem canamus, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei, tanta conſtantia, vt ſi aliqua omnino res me contra Dei amorem ad ſe reuocare tentauerit, illud Beatæ Agnetis reſponſum, à me repetitũ accipiat, Diſcede à me pabulum iniquitatis, quia ab alio amatore præuenta ſum. Tertiò Prędicandum itẽ eſt, Deum, eſſe principium quoddã vniuerſale, à quo bonum omne quod ſit in rebus creatis, manat, Cum enim, iuxta philoſophos Bonum, & ens conuertantur, quẽadmodum quod ſunt, à Deo ſunt, Ita quicquid habent boni, ab eodem authore, ac fonte habent Deo. Ex hoc rectè ſequitur, nullum aliud bonum per ſe amandum eſſe, ſed ad Deum ordinandum, ita vt in riuulo fontem, in radio, ſolem ipſum æternum agnoſcamus & amemus: Quare ſi quis in alijs bonis quæ ſunt extra Deum, ita ſuũ conſtituit amorem, vt in eis quietem, & quaſi finẽ conſtituat, in eam incurrit, quam abuſionem maximam iudicat Auguſtinus, quæ eſt Vti fruendis & frui vtendis, & quam Greg. Nazianz. ipſius Idololatriæ originem fuiſſe aſſerit, Et in qua, peccati mortiferi veram, & vt vocant Theologi formalem rationem eſſe, non eſt dubium, Cum peccatum, non aliud ſit quam auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad bonum commutabile, Deum ipſum fontem aquæ viuæ derelinquendo & ciſternas diſſipatas, quæ ſolidi ac veri boni aquas continere nequaquam valent ſibi fodiendo: Quod ipſum, quia non prius aduerterat Auguſtinus, aliarum rerum amoribus irretitus, vehementer dolet, & ſeipſum cum lachrymis accuſat dicens ac repetens Sero te amaui pulchritudo tã antiqua, ſero te cognoui pulchritudo tam noua, tu intus eras, & ego foris te quærebam, & in iſta formoſa deformis irruebam. Ex hactenus dictis manifeſtè apparet, omnem peruerſum amorem, cuiuſmodi eſt Amor ſui, & Amor laſciuus, quia Dei amori opponuntur à nobis tanquam peſtẽ ac dirum venenum, abijciendum eſſe, Amorem vero rerum ſpiritualium, & cęleſtis ſapientiæ, ac virtutum omnium, vt qui diuinum amorem, tanquam eſca ignem foueat amplectendum, Alios autem rerum temporalium amores, vt ſunt diuitiarum, Honorum, dignitatum, ſanitatis, Vitæ etiam, ita moderandos, vt ab Dei Amore, quem diximus debere, cæ-

Pſal. 39.

Omnia propter Deum amanda.

Orat. 2. Theol.

Hier. 2.

terorum amorum esse mensurã, omnino pendeant, ita vt si quid contra Dei voluntatem & Amorem pugnent vt noxium venenum abijciantur, hoc est enim quod Christus docet si oculus tuus vel manus vel pes scandalizat te, abscinde & proijce abs te, hoc est si quis inter homines tam charus tibi fuerit, tanque vtilis ac necessarius vt est oculus Manus, aut pes, & nihilominus scandalum tibi est & à Dei amore auertit, eijciendus est, Et idem de rebus omnibus esto iudicium. Hæc de Amore genericè dicta sint, ad particulares descendamus. Ad amorem rerum spiritualium, ac vitæ Christianæ, virtutumque ingenerandum, vt etiam simul expellat amorem mundi, ac rerum temporalium, debet sæpe excurrere oratio Christiana per aliquos locos communes adhoc idoneos, cuiusmodi sunt; Primò dignitas, & pulchritudo rerum spiritualium, virtutum ac professionis Christianæ supra res omnes temporales, quæ vilissimæ sunt, & minimi faciendæ, cuius rei iudicium debemus à Deo accipere, qui est optimus rerum æstimator & arbiter, qui in scripturis sanctis docet, terrena hæc bona, esse vt paleas, vt fœnũ, vt lutum, vt stercora respectu spiritualium, quæ sub nomine auri, gemmarum, thesaurorum proponit. Ideo Salom. optaui & venit in me Spiritus sapientiæ, & præposui illam sedibus, ac regnis; & diuitias nihil esse duxi, quia omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur in conspectu illius. Et Paul. Propter quod omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora vt Christum lucrifaciam: deinde vt anima corpori præstat, ita res ad animum perficiendum pertinentes ijs quæ corpori vtiles sunt. Secundus locus est Dei voluntas, quæ nobis maximè commendat, hæc spiritualia & contra ab amore terrenorum dehortatur. Tertius locus est dulcedo ac suauitas vera, & solida quam secum affert rerum spiritualium exercitatio, & gustus iuxta illud psal. Gustate & videte quam suauis est Dominus, & illud non habet amaritudinem conuictus illius nec tædium. Non sic temporalia bona, habent enim laborem & ærumnas, & amaritudinis plurimum. Delectationes sæculi huius inquit Greg. cum non habentur excitant appetitum, habitæ verò nauseam generant; at spirituales habitæ æstimantur, & excitant adhuc maiorem sitim sui] cuius ratio est ex eodem Greg. & D. Thom. quia res cum habentur tũc cognoscuntur quales sint, ideoque experientia docet nos, quã parum omnia valeant temporalia, & quam multum spiritualia, nam illa cognita contemnuntur, & ad alia rursum temporalia suspiramus semper inquieti, hęc verò possessa habentur in pretio,

Loci ad amorem rerum spiritualium spectantes.

Dignitas.

Sap. 7.

Phil. 3.

Dei volũtas.

Dulcedo.

Psal. 33.

Sap. 8.

Hom. 36. *in Euang initio.*

p. 2. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 3.

Digitized by Google

tio,& maius adhuc ſui deſiderium excitant. Quartus: ſpiritua lia ſaturitatem afferunt animæ,& quietem vt in his ſentiat homo ſe contentum, cum contra, qui rebus temporalibus inhiant pleni perturbationibus viuant, nunquam in eis quietem, & ſaturitatem inuenientes, vt apparet in appetitu diuitiarum, ac voluptatum & honorum. Hoc eſt argumentum Chriſti ad Samaritanam, qui biberit, ait, ex hac aqua ſitiet iterum; qui autem bibet ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: cuius diuerſi effectus veritatem, & cauſam docet Bern. tractans illa verba D. Petri. Ecce nos relinquimus omnia. Anima, inquit, rationalis cæteris omnibus rebus, quæ ſcilicet non ſunt Deus, occupari poteſt, repleri non poteſt & cauſam aſſignat in tractatu de diligendo Deo: quia res aliæ præter Deum non ſunt naturales cibi animæ, vt ſi quis crederet ſatiari ſe poſſe vento; ſtultus eſſet, inflari poteſt, ſatiari non poteſt, ſatiamur illo cibo de quo Chriſtus: Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur. Et Auguſt. Deum alloquens, Anima noſtra, inquit, facta eſt capax maieſtatis tuæ, vt à te ſolo, & à nullo alio impleri poſſit. Quintus locus ſit ſtabilitas, permanentia, & æternitas præmiorum, quam ſpiritualia pariunt: ex altera parte incertitudo, ac breuitas omnium temporalium, quæ afferunt æternam calamitatem. Iſtud eſt quod etiam Samaritanæ Chriſtus dixit. Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã. Sicut hæc mundi præſentis bona ſunt ciſternæ diſſipatæ, quæ cõtinere non valent aquas; quodque peius eſt pariunt ęternitatẽ pœnarum poſt pauculos vitæ huius annos. In hoc argumento verſatur liber, qui dicitur Eccleſiaſtes, ideſt Concionator: quo titulo docet Spiritus ſanctus, Concionatores in hoc debere aſſiduè verſari, vt contemptum rerum mundi probent, ac perſuadeant, atque è contrario æſtimationem, excellentiam, & amorem rerum ſpiritualium ingenerent auditoribus. Agitur in eo libro de vanitate, ac breuitate omnium quæ tanquam bona appetunt, ſæculi huius amatores, & aſſumit hoc Thema: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Et in fine libri tanquam omnium ſummam afferens adiungit. Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo. Denique in ſacris literis tot tantaque viri iuſti priuilegia recenſentur vt ex ijs egregium libellum vir pius, & doctus Ludouicus Carbonius ex centum priuilegijs compoſuerit, ex quibus facilè erit, centum locos communes habere paratos ad hanc ipſam rem perſuadendam.

Saturitas. *Cap. 3.* *Matth. 5.* *In ſolil. c. 3* Stabilitas.

Digitized by Google

Amor proximorum excitandus. Cap. XIII.

AD amorem proximorum debet Concionator ſæpe hortari, ac impellere auditores, ſicut Apoſtoli in ſuis epiſtolis faciunt, & vniuerſa ſcriptura. Argumenta ex his locis eliciet. Primò, quia amor eſt valdè naturæ noſtræ conformis, & homini ab ipſa natura inſitus, nec eſt vlla gens tam barbara quæ nō agnoſcat hanc legem amoris in pectore humano ſcriptam; maximè cum videamus bruta animalia eiuſdem generis ſibi inuicem conſentire, nec fermè inter ſe pugnare, ſed iuuare ſe mutuò vt apparet maximè in coruis, gruibus, ciconijs. Secundò maius adhuc debitum eſt ob fraternitatem ſpiritualem, qua ſumus Chriſtiani, & habemus eundem Patrem Deum & Chriſtum: eiuſdem prætioſo ſanguine redempti: eandem doctrinam Euangelicam audimus, eadem ſacramenta ſuſcipimus, ac præcipuè eodem cibo ſpirituali in eadem ſancti Altaris menſa nutrimur, ad eandem hæreditatem & cęleſtem patriam aſpiramus. Tertiò quia ſumus membra eiuſdem corporis ſub eodem capite Chriſto, vt Paul. egregiè docet, quare debet vnuſquiſque alterum conſiderare vt membrum ſuum. Chryſoſt. hom. 14. in Ioan. Nemo, ait, priuatam quærat vtilitatem, ſed & proximi: corpus namque vnum ſumus, & inuicem partes & mēbra, & docet in proximo non quærendum ſit ne amicus, ſit conſanguineus, ſit cognatus, an vicinus, ſed quod ſit membrum eiuſdem corporis, & meum membrum, hæc eſt ſumma amicitiæ; ſicut ergo (ait) ridiculus foret qui quæreret vnde ſecum eſſet amicitia, aut propinquitas, ita qui in proximo propinquitatem attenderet, cum longè ſit maior communicatio in eodem corpore, cum omnes in vnum corpus baptizati ſimus. Quid ſignificat (inquit idem) in vnum corpus? nè diuidamur, ſed vt mutuam conſuetudinem amicitiamque tanquam vnum corpus ſeruemus, nolimus inuicem alter alterum contemnere, ne nos ipſos contemnamus, nemo carnē ſuam odio habuit, ſed nutrit ac fouet] Baſil. Eodem argumento vtitur Cōſideremus (ait) amorem, quem ſibi mutuo membra impendunt, ſe defendunt, ſe adiuuant, & dolent omnia membra inuicem malum alicuius mēbri. Rurſum Chriſoſt. vocat charitatem neruos corporis, quibus oſſa colligantur, clauos qui iungunt in tectis tabulas, ac ligna, calcem in parietibus, bitumen in nauibus. Quartò præceptum nobis à Deo & à Chriſto datum, quod peculiariter ſuū præce-

Loci ad excitando proximi amorem. Natura.

Fraternitas.

Mēbra eiuſdem corporis.

1. *Cor.* 12.

Epiſt. 68.

Præceptum Chriſti. *Ioh.* 15.

Digitized by Google

præceptum vocat, hoc est præceptum meum & nouum mandatum, & in quo vult dignosci suos discipulos. In hoc agnoscent homines quod discipuli mei estis: propter quam causam Ioannes in suis epistolis adeo commendat Christianis dilectionem, sicut ipsemet respondit, quia præceptum Domini est, & si solum fiat sufficit. Quintò, quia in hoc vno præcepto tota lex seruatur vt Paulus probat, & infert: qui diligit proximum legem impleuit, & plenitudo legis est dilectio: etiam includit amorem Dei, est enim vna virtus, & habitus vnus, charitas qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, licet duo sint præcepta, quæ inter se ita connexa sunt, vt vnum alterum inferat, & defectus vnius necessario includat alterius defectum. Sextò, fructus quem in Rep. Christiana, in ciuitatibus, in congregationibus, in religionibus, in familijs affert hic amor: omnia enim conseruat in pace, in gaudio, in mutuis obsequijs, præseruans ab omni iniuria & læsione: inde Dauid prædicat ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum: & comparat id odori & vnguento, quod corroborat totum corpus, & rori fœcundanti agros, & reddenti vberrimos fructus diuinæ benedictionis. Ad amorem quẽ proximis debemus doceat etiam Christianus Orator, multum conferre vt quisque summa diligentia curet non solum amare alios, sed vt ametur & ipse ab alijs, quomodo autem consequi id valeamus. Ambr. docet. Itaque inquit id agamus vt omni sedulitate commendemus existimationem, opinionemq; nostram, vt primum placiditatem mentis, ac animi benignitatem influamus, in affectum hominum; popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilq; quod tam facilè illabatur humanis sensibus, ea si mansuetudine morum, & facilitate animi, & moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæq; adiuuetur gratia, incredibile est, quantum procedit ad cumulum dilectionis] De hoc etiam supra ex Aristotele multa intulimus.

Plenitudo legis. *Rom.* 13.

Fructus.

Quid faciat hominẽ amabilem. *l.2. off.c.7.*

Amor sui & lasciuus reprimendus. Cap. XIV.

NOn solum autem hoc curandum est, sed etiam amor peruersus & noxius exagitandus, ac reprimendus est & vniuersè & speciatim. Sæpe aduersus peruersum amorem sui ipsius, agendum est qui secundum naturam corruptam est principium omnium malorum, & radix hominis veteris, Dicente

Amor sui origo omnium malorum. *Matt.* 10.

Digitized by Google

Christo, Qui amat animam suam perdet eam, ex qua radice pullulant multi praui amores, vt sunt nimius amor vitæ ac sanitatis, voluptatum, opum, honorum: Item inordinatus amor consanguineorum, patriæ, amicorum quibus nonnunquam vt
Gal. 10. fiat satis Deus offenditur: hinc Adamus nè Vxori displiceret diuini mandati transgressor est factus. Propterea rectè Paulus si hominibus placerem Christi seruus non essem. Loci ex quibus inuehi quis possit in hunc sui amorem peruersum hi esse possunt: Primò explicatio pernicioſæ conditionis, quia nisi comprimatur huiusmodi est, vt obscuret rationis lumen, & statuat bonum malum, & malum bonum, ac induret cor hominis ad Dei hominumque monitiones, efficiatque vt homo in huius vitæ commodis totus sit, penitusque rerum spiritualium gustū amittat. Secundò, Hic amor ipsi Deo ac diuinæ bonitati maximè contrarius est: cum enim diuina bonitas maximè se ipsam communicet, φιλαυτία non Deo non hominibus sese accómodat, sed semper quæ sua sunt quærit. Tertiò proponendi sunt
Effectus amoris proprij. pessimi eius affectus; Surripit enim Deo gloriam, ac sibi assumit, reddit animum inquietum ac turbatum, vt est equus effrenis, seu tanquam agitata fluctibus nauis, implet multis sordibus animam, vt aqua putridum fætorem exhalans est denique venenum quod animæ vires omnino depascitur, & omnia spiritualia bona, inficit. Quartò iuuabit proponere turpitudinem ac deformitatem eorum bonorum ad quæ amor proprius fertur, quæ propter vanitatem ac breuitatem ingerunt multa peccata, & consequēter amissionem cælestis præmij ac pœnas æternas, & ideo contemnenda vt Christus docuit in sermone quem
Mat. 5. habuit super montem, vbi beatos prædicat pauperes spiritu, mites flentes, misericordes, esurientes, mundos corde, patientes. Lege Aug. Quid (ait) amor rerum vanarum & noxiarum?
22. de Ciu. c. 22. ex quo mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sæuitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, atque immunditiæ, quas turpe est dicere] & alia quæ præterea subdit.

Amor lasciuus. Ex hoc amore sui alij nascuntur, vt dixi peruersi amores, præsertim amor lasciuus pestilentissimus planè & omnibus machinis oppugnandus ex his & similibus locis. Primò exsuscitat hic amor multas in animo perturbationes, quibus tanquam furijs

furijs exagitamur, vt ſunt cupiditates, maleuolentiæ, terrores ærumnę temeritates, errores, ignorantiæ; Aliquos ſcimus ex vehementi amore in inſaniam verſos, & miſere perijſſe. Secundò, Ex hoc, turpiſſima ſcelera perpetrata ſunt ſacrilegia, homicidia, adulteria, cædes, hæreſes, quibus plenæ ſunt omnes hiſtoriæ & veteres & recentiores. Tertiò conſideret quiſque dãna quę ſibi poſſunt ex hoc euenire tum animi, tum corporis, tam familiæ, tam bonis externis, quã famæ; & ſit exemplum. Salomon ſanctiſſimi viri filius, qui quoniam adamauit Mulieres, licet eſſet ſapientiſsimus factus eſt ſtultiſsimus, vt idolis gentium templa Hieroſolymis ciuitate tam ſancta erexerit. Quartò nihil eſt quod ita exterminet ex animo omnem ſenſum & amorem ſpiritualium rerum, vt hic amor, ita vt nec locus ſit orationi ac deuotioni, nec ſacramentis, nec verbo Dei, nec charitati erga Deum, vel proximum, neque vllis chriſtianis actionibus. Salubre eſt remedium honeſta occupatio: quæ ab noxia recordatione, ac ſpecie cogitationẽ auellat: rectè enim Diogenes apud Laertium dicit, amorem eſſe otioſorum negotium: mutanda verò etiam loca interdum: illud omnino verè dictum eſt. Principijs obſta ſero medicina paratur. Cum mala per longas inualuere moras. Amori contrarium eſt odium, quod ex D. Thoma eſt quædam diſſonantia & alienatio appetitus erga id quod exiſtimatur noxium, & malum, ac fugiendum, ex quo naſcitur odium inimicitię quo appetimus malum aliquod inimico inferre. Eſt autem hic affectus commouendus contra peccatum, & aliquando contra peccatores, vt paulo ante dixi, ne malo exemplo, authoritate, aut opera cæteris obſint. Sed de odio ac deteſtatione peccati dicam in tertia parte, de odio inimicorum ſedando quædam in affectu iræ perſtringam.

Loci contra hunc amorẽ.

Effectus peſſimi amoris laſciui.

Remedium.

Odium.

Concupiſcentia, & Auaritia. Cap. XV.

SEquuntur alij affectus quatuor, qui item in concupiſcibili parte ponuntur, ac primum occurrit cõcupiſcentia ſeu deſiderium. Eſt enim ex Niſſeno appetitus boni futuri nondum obtenti, vel appetitus fruendæ voluptatis: qui item modo bonus, modo eſt malus affectus. Sunt enim quædam deſideria improborum mala & vitanda, quædam iuſtorum bona & expetenda, ac proinde Chriſtiano Oratori extinguenda illa, hæc concitanda. Sed ad cõmouenda deſideria virtutum & bonorum

Lib. de Reſur. & Anima.

ſpiri-

ſpiritualium poſſunt vſui eſſe ijdem loci quos ſupra de amore ſpiritualium rerum propoſuimus. Ad excitanda deſideria cæleſtis Patriæ, Deique videndi locos attingemus cum agemus de ſpe. Itaque nunc indicemus eos, ex quibus argumenta deſumenda erunt ad malas cõcupiſcentias tollendas. Generatim loquendo, primus in hac re locus eſt, quia Dei eſt præceptum, vt per rationem ac legis diuinæ regulam eas compeſcamus. Gen. ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, & Eccleſ. Poſt cõcupiſcentias tuas ne eas, ſi enim præſtes animæ tuæ concupiſcentias faciet te in gaudium inimicis tuis. Secundò quia ſunt innumerabiles huiuſmodi concupiſcentiæ ſi eas velit homo ſequi. Hippocrates ad Damagetum deplorat conditionem hominis in eo quod eius cupiditates ſint infinitæ cum brutorum ſint finitæ: nam leones, Tygres, tauri, vbi ſunt expleti, quieſcunt, homo nunquam ſatiatur. Idem docuimus ex Ariſt. ſupra de affectibus omnibus, quos ipſe vocat innaturales ac rationales, & quia ſunt multiplices turbant multis modis hominem, & vt D. Petrus loquitur militant aduerſus animam; ſæpe etiam pugnant ad inuicem, & torquent animam ac diſtrahunt in multas partes. Tertiò quia ſunt valde inutiles ita Paulus vocat deſideria multa & inutilia, cum ſint vanitate plena, ſic apud Hierem. onager aſſuetus in ſolitudine in deſiderio attraxit ventum amoris ſui, non enim in his quæ deſiderat homo inuenit quietem vt credebat, ſed inani vento paſcitur ſemper eſuriens. Quartò adde afferre maxima damna, contraria his quæ Paul. ponit ad Timoth. Abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè piè, ac iuſtè viuamus, ſimul expectantes beatam ſpem; cum contra hi, qui deſiderijs vanis detinẽtur viuant ſine ſobrietate quoad ipſos pertinet, ſine iuſtitia quoad proximos, ſine pietate quoad Deum: vnde non beatam ſpem expectare poſſunt, ſed meritas pœnas. Quintò. Quia cum magno labore res per talia deſideria appetitæ habentur, & habitæ pudorem ingerunt, ac pœnam, & exiguo durant tempore; ſtatimque euaneſcunt: Ita Sen. Quæ ſunt diuitiæ quas non egeſtas, ac fames & mendicitas à tergo ſequatur? Quæ dignitas cuius non prætextam, & augurale, & parricidia & ſordes comitentur? Quod regnum cui non parata ſit ruina?] Hęc in vniuerſum dicta ſint, nunc in paticulari aduerſus diuitiarum cupiditatem omnium malorum radiçem quomodo ſit dimicandum addam pauca. Primus locus eſſe poteſt Authoritas ſcripturæ quæ grauiſſimè in eam inuehitur, cum vocat mammonam iniquita-

Loci contra concupiſcentiam malam generice.
Gen. 4.
Eccl. 18.
1. *Pet.* 2.
Hier. 2.
Damna malæ concupiſcentiæ.
2 *Tim.* 2.
Lib. de Tranq. c. 11.

quitatis & seruitutem idolorum, cum dicit, auaro nihil esse sce stius. Secundò, quia auaritia est radix omnium malorum, & di uitiæ conseruatæ in malum Domini sui, & qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes, & in laqueum Diaboli, & in desi- derio multa inutilia quæ mergunt hominem in interitum, ra- tio est, quia auaritia aggregat simul omnes cupiditates hono- ris, gulæ, luxuriæ. Tertiò auarum torquent continuæ curæ ani- mæ, ac corporis sine vlla quiete: quia hæc cupiditas est inexple bilis, maioremque sitim generat, Quo plus sunt potæ (ait ille) plus sitiuntur aquæ. Quartò facile pereunt etiam in vita, ob multos casus, & saltem in morte. Matth. Nolite thesaurizare vbi erugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furan- tur. Luc. Stulte hac nocte morieris, & quæ parasti cuius erunt? Quintò, cum magno labore parantur, cum magno timore con seruantur, cum magno dolore perduntur. Sextò, difficilè cura- tur hoc vitium, sicut experientia videmus in Senibus auaris. Beatus, qui post aurum non abijt, quis est hic & laudabi- mus eum? Septimò, Hæc cupiditas habet vim indurandi cor, & habet naturam illius fluminis, quod potum saxea reddit pe- ctora, quod tactis inducit marmora rebus, Rectissimè illud auaro competit in nullum eum Bonum esse, in se autem pessi- mum. Impedimentum præbent ad perfectionem: ideo Chri- stus dicit. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes. Imò quidam philosophus abijciens opes dicebat: abite pessum malæ cupiditates, demergo vos nè demergar à vobis. Nonò, Quia reddenda est ratio vsus earum, & nisi communicentur cum pauperibus, audient qui possidebant: esuriui, & non dedi- stis mihi manducare.

Loci contra auaritiam.
Matth. 6.
Eph. 5.
Eccl. 10.
Eccl. 5.
Matth. 7.
Luc. 12.
Eccl. 31.
Matt. 19.
Matt. 25.

Ambitio honorum ac dignitatum. Cap. XVI.

COntra concupiscentiam dignitatum, & gloriæ quæ dici- tur Ambitio Primus locus quod sit magna arrogantia ancupari dignitatem præsertim Ecclesiasticam se ingerendo non vocatum, contra illud. Nemo assumit (certè non debet assumere) nisi vocetur à Deo tanquam Aaron. Arrogantis enim est existimare se idoneum ad regendas animas, cum ad- ministratio hæc difficillima iudicetur à sanctis, ac virtutes & plurimas & præstantissimas præter vocationem requirat. Secũ- dus est sententia communis patrum, qui docent non esse licitũ dignitates Ecclesiæ ambire. Nam qui ambit vel est ineptus, &

Arrog antia
Hebr. 5.
Patrum au- thoritas.

patet

patet esse sacrilegium, vel iudicat se dignum & fermè est arrogantia, cum sit onus etiam Angelicis humeris formidandum. Adde quod etiam qui esset digniſſimus deberet ab alijs eligi, Honor enim debet liberè ab alijs exhiberi, nõ extorqueri. Tertiò, habet Ambitio multa secum annexa vitia; sicut enim auaris si offeratur lucri occasio, nullus solet esse præceptorum Dei, iustique siue iniusti respectus: ita Ambitiosi parati ferè sunt quaslibet occasiones arripere crescendi, etiam si cum peccatis coniunctæ sint. Sed quam multiplex vitium sit ambitio vide apud Chrysost. & Greg. Quartò, quia ex hac ambitione innumera damna in Ecclesiam inuecta sunt, & pleræque hæreses. Quintò, proponenda sunt pericula quæ incurrunt, ij maximè qui se ipsos intrudunt cum ob dignitatem vltrò quæsitam quasi ruinæ occasionem præbentes auxilio Dei se reddant indignos. Multi haud dubiè saluarentur priuati, qui damnantur in dignitate positi. Chrysost. ait, Mirabile esse si saluentur multi Prælatorum, & plures damnari. Sextò tenentur rationem reddere non solum suæ animæ, sed omnium suæ curæ commissarũ in omnibus quæ officij sui sunt. Ob id potentes potenter tormenta patientur. Vnde exclamat Orig. super Epist. ad Rom. Omnis adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se iudicandos potius quam iudicaturos, hi qui præesse volunt populis cogitarent. Septimò, Ambitio nunquam satiatur, semper ad maiora tendit. Seneca Ambitioso, ait, Non tam iucundũ esse multos post se videre, quàm aliquem ante se habere, molestum. Octauò, vt plurimum postquam in dignitatis alicuius quispiam euectus est fastigium, vita sua minus laudabili suæmet detrahit existimationi, ac famæ: qui enim in excelso vitam agunt (aiebat Cæsar apud Salustium.) eorum facta ab omnibus notantur, suntque expositi censuræ multorum, inuidiæ, detractionibus, odio. Nonò, Honor & dignitas cito perit vt flos, in psalmo dicitur perijt memoria eorum cum sonitu. Decimò, Varijs fluctibus agitantur ambitiosi, vt mare, tum ob multas distractiones, tum ob æmulos, tum vt adulentur superioribus. Vndecimò, Exemplum Christi qui quæsitus ad regnum fugit, & priuatam egit vitam subditus parentibus, tum Sanctorum qui fugiebant dignitates, & postquam coacti subierant tanquã graui sub onere ingemiscebant. Ambrosius populi vocibus Episcopus Mediolanensis postulatus nocte ex Vrbe aufugit. Chrysostomus, teste Metaphraste, veritus nè in honores eueheretur, in solitudinem secessit. Sanctus Martinus, auctore Sulpitio, ne

Ambitionis mala.

Lib. 3. de Sac. par. 2. past.

Homil. 34. in Epist. ad Heb.

Hom. 3. in Acta.

Pallad. in hist. laus. c. 12.

Possid. in vita Aug.

Diaco-

Diaconatum quidem ſuſcipere voluit, ne dum Epiſcopatum niſi coactus. D. Gregorius vt habet Ioannes Diaconus in eius vita, electus in Summum Pontificem non ſolùm fugit, ſed etiam ſtatim ad Mauritium Imperatorem compellauit ne conſentiret electioni. S. Ammonius Eremita, aurem ſibi præcidit ne Epiſcopus fieret. S. Malachias, vt ſcribit D. Bernardus, niſi Epiſcopi congregati illi Anathema comminati fuiſſent, non ſuſcepiſſet Epiſcopatum: Omnem enim, inquit locum ſublimem velut præcipitium reformidabat. Auguſtinus, cognita ſui Epiſcopi morte, fugit ab Vrbe. Hæc de ambitione & concupiſcentia, cui contraria eſt abominatio, ſeu fuga, quæ eſt de malo futuro, vt eſt timor: ſed timor eſt mali futuri ardui ac difficilis, abominatio abſolutè vt malum eſt de qua nihil eſt dicendum. *Pſal. 9.*

Exempla Sanctorum contra ambitionem.

Delectationes Corporis. Cap. XVII.

SEquitur ergo delectatio ſeu gaudium, vel lætitia, quæ eſt motus in bonum, vt iam eſt præſens, vel quaſi præſens, ſitq; cum dilatatione cordis ex rerum iucundarum præſentia, ſicut triſtitia ex præſentia rerum moleſtarum animum contrahit: & poteſt eſſe tam bona quàm mala pro natura operationum, quas ipſæ delectationes conſequi ſolent. Voluptates corporis, vt plurimum damnantur, quia nimis ſolent allicere, & vehementer commouere ſenſus & appetitum, qui acriter commoti facilè rationem perturbant: lætitia verò ſpiritualis optima eſt, & ſæpiſſimè ſuadetur in ſcripturis, de hac paulò inferius vbi de triſtitia agam, opportunius erit diſſerere.

Loci contra delectationes corporis generice.

Nunc contra delectationes corporis vniuersè hi loci vtiles erunt. Primò, Rationis vſum impediunt, & prudentiam, vt Ariſtot. docet, offundunt enim caliginem intellectui, & faciũt vt ſuperior pars cuius eſt dominari appetitui & ſenſibus miſerè ſeruiat, cum ſui maxima ignominia, tanquam regina nobilis, procacibus ancillis. Intellexere id Ethnici, inter quos Tullius. Cum homini (ait) Deus nihil mente præſtabilius dederit, huic diuino muneri ac dono nihil eſſe tam inimicum quàm voluptatem, nec in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Secundò conſequenter virtutes fermè omnes peſſimè tractant. Sunt enim blandiſſimæ dominæ quæ ipſas quoque virtutũ actiones ad ſe referant. Auguſt. affert quandam picturam ex philoſophis diſputantibus cõtra Epicureos qui in voluptate ſummum bonum ponebant, & tamen virtutes probabant, ſed voluptatis fine

7. Eth. c. 11

Lib. de Senectute.

Lib. 5. de Ciuit. Dei. cap. 20.

Digitized by Google

fine metiebantur. Pictura huiusmodi erat. Voluptas in sella regali quasi delicata Regina quædam consedebat, eique virtutes vt famulas subijciebant, obseruãtes eius nutum, & eius Imperio famulantes; sæpe enim prudentia, & ratio cogitant quæ ad voluptatem valere possint, sæpe temperans est homo, vt postea magis voluptate fruatur. Describit autem ibi Augustinus quomodo voluptas virtutibus imperet, & subdit, nihil hac pictura dicunt esse ignobilius, & quod minus ferre possit bonorũ aspectus, & vera dicunt] Potest eam Christianus Orator describere vt belluam aspectu blandam, sed diro imbutã veneno, vt quos attigerit enecet. Philo. Iud. voluptates (inquit) ferocientes persæpè canum more abblandiuntur, sed repente mutatæ morsũ infigunt insanabilem. Sic describit voluptatem Seneca, Sæpius (ait) inuenies latitantem ad tenebras, captiuam circa balnea, & sudatoria, mollem, eneruatam, mero atque vnguento madentem, pallidam offuscatã, medicamentis pollinctam, ideſt illinitam, metaphora ducta ab his qui mortuorum corpora pollinciunt, hoc est lauant & vngunt sicut contra ait virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris stantẽ puluerulentam, sed coloratam, callosas habentem manus] Tertiò, peruertunt totum hominem, non solum in animo, cum sit voluptas esca malorum, vt eam Plato vocat, sed etiam in corpore. Sæpissimè enim morbi & dolores ex voluptatibus corporis generantur, ex quo meritò Architas Tarentinus, vt refert Cicero nullam aiebat capitaliorem pestem quam corporis voluptatem à natura datam hominibus. Quartò, Considerandum est voluptates celerrimè effluere, nec diu eas posse durare. Ita enim facilè abijcientur. Est præceptum Aristotelis vt Valerius Maximus vocat vtilissimum, vt præsentes voluptates tanquam abeuntes, ac fessas consideremus, non vt stabiles. Huc tendit totus liber Ecclesiastis vt ostendat vanitatem breuissimam omnium voluptatum, quam suo exemplo docet Salomon cum eas expertus plenissimè fuisset. Nec solum celerrimè euanescunt, sed tristitiam solent in animo post sese relinquere, quod Boet. eleganter expressit cum canit Habet hoc voluptas omnis, stimulis agit fruentes, Apiumque par volantum, Vbi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci, ferit icta corda morsu. Quintò, Proponendæ pœnæ quæ apud inferos manent eos, qui voluptati nunc seruiunt. Vera est enim regula: Quantum fuit in delitijs, tantum date ei tormentum, ac luctum. Loco igitur breuissimę delectationis ponatur ante oculos æternitas pœnæ secundum

Lib. de Gigan. circa medium.

Lib. de vita beata, cap. 7.

Lib. de Senectute.

Lib. 7. c. 2.

3. de Conſ. Metro. 7.

Apo. 18.

illud

Digitized by Google

illud Gregorij Momentaneum est quod delectat, æternum est quod cruciat.

Gulæ ac Luxuriæ concupiscentia. Cap. XVIII.

SPeciatim verò contra delectationes agi sic poterit. Incipiendo bellum aduersus Gulam, & Primus hic locus potest contra eam assignari. Quod primam omnium expugnari ipsam, necesse sit, adeo vt sine eius victoria frustra in cætera vitia pugnemus. Gregor. Neque enim (ait) ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edometur & infra. Incassum contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra eius mœnia, cuius insidians habetur.] Cuius rei causas & rationes videre potes apud Cassia. Qui enim carnem fouet, perdit spiritũ cum contraria sint, & ex nimio cibo vires sumere omnes passiones sensitiuæ partis satis patet, & consequenter omnia vitia: frustra munis castrum, si portam hostibus apertam relinquis. Secundus. Est hoc vitium insatiabile. Vix sufficiunt omnia elementa, & animalia, & reliquæ res. Solicitantur omnes mundi partes, excogitantur artes condimentorum, nec tamen venter dicit vnquam sat est. Nullus ita durus creditor, ita acerbus exactor: omnibus enim creditoribus præterquam ventri potest satisfieri lege Clem. Al. Vbi ait etiam de gulosо, non habere nisi buccam & ventrem & maxillas. Et D. Paulus ventrem dicit esse Deum gulosorum, cum omnia referant ad has delitias. Clim. ait, Dæmonem aliquando insidere nostro stomacho, & facere vt nunquam videatur expleri ac satiari. Tertiò. Reddit hoc vitium hominem rerum spiritualium incapacem & animũ hebetem, quod ostendit Clem. ex Platone vbi multa habet contra hoc vitium. Merito possumus gulosum comparare ciuitati obsessæ, vbi magna fit perturbatio, hostibus in eam ingredientibus, ita in animam vino & crapula ingrediente. Quartò. Ex hoc vitio proximè nascitur luxuriæ libido teste Bas. Hiero. Climacus ait, post cibum dicit inimicus: Apprehende illum; occupa, ac disturba, nam ventre repleto, in eo eijciendo non multum laborabis. Plane vt columna innititur in sua basi sic libidinis vitium in satietate quiescit. Quintò. Ex eadem gula tanquam matre pessima, filiæ nascuntur, quas supra enumerauimus ex Greg. Sextò. Ex eadem adhuc multa alia vitia pullulant. Bas. vt enim fons aquæ si in plures sit riuulos dissectus vicina

Lib. 5. Mor. c. 13. Gula primo expugnanda.

Lib. 5. c. 13 14. & 20.

Gula insatiabilis.

Li. 2. Ped. c. 1.

Philipp. 3.

Ex Gula Luxuria nascitur.

Basil. l. de Virg.

Hier. l. 2. cõtra Iouin. Epist. ad furiam, et Eustoch. Cli. Gradu 14.

Gulę effectus

Bas. Serm. de Abdicat. rerũ.

Digitized by Google

cina omnia loca herbarum viriditate conueſtit, ſic vitium gulæ ſi per cordis tui venas ſe diſtraxerit indeque ſenſus tuos omnes irrigarit, & libidinum multarum ſyluam in te conſeuerit animum tuum ferarum habitaculum efficiet.] Septimò. Etiam corpori multum nocet, affert enim morbos & mortem accelerat: Seneca quærit: cur tam ſubito moriamur? quia inquit mortibus viuimus, eſt enim venter hominis, ſepulchrum multorum animantium mortuorum. Octauò. Eſt hoc vitium proprium belluarum viliſſimum & breuiſſimum cum non ſit niſi voluptas trium digitorum, vt ille dicebat. Quid autem abſurdius, quàm tam vili delectatiuncula cæleſtes commutare delitias, ac pretio tam fugaci ac turpi, addicere ſe æternæ mendicitati cum Epulone qui guttulam aquæ petebat, nec poterat impetrare? Nonò. Exempla etiam afferri poſſunt Chriſti, qui ſæpe cibi inopia laborauit, in morte felle, & aceto potatus: præterea omnium ſanctorum, quorum nullus eſt, qui non Seriò vitium hoc domuerit, & eorum qui ſe dedunt vitæ ſpirituali: ſtatim enim contra hoc vitium bellum primo loco ſuſcipiunt.

Contra Luxuriam argumenta.

Longe peior magiſque abominanda luxuriæ delectatio, contra quam debet Chriſtianus Orator inuehi magna quidem cũ modeſtia, & verbis, pudore caſtiſsimo ornatis, ſed ita efficaciter vt eius turpitudinem omnes abominentur, & horreant: quam poteſt ex his locis oſtendere. Primò. Ex eo quod Deus qui eſt ſumma puritas ſummè odit hoc vitium, vt patet quia mundum propterea diluuio perdidit. Pentapolim igne, ac ſulphure incendit. Fere tota tribus Beniamin deleta eſt occaſione huius vitij. Et Num. 26. vigintiquatuor millia occiſa de Iſrael, & Tob. 6. Septem mariti Saræ interfecti. ob eam cauſam Deu. 23. nolebat ſacrificium ex mercede Meretricis ſibi offerri, & ibidem ne vlla eſſet Meretrix de populo Iſrael. Secundò. Appareret eius turpitudo quia vel ſola nuditas corporis affert ſecum verecundiam, vt patet Gen. quia Adam nudatus poſt peccatũ erubeſcebat & abſcondebat ſe, ob id ſolum quod nudus eſſet, & Deus contexit eum pellibus. & Gen. quia Noe fuit viſus à filio Cham nudus, eſt maledictus à patre. Cicero, ait, pudicos erubeſcere dum de impudicitia loquuntur. & apparet hic pudor, quem natura hominibus indidit in ipſis impudicis, vt vel hinc cognoſcant peccati turpitudinem. Etiam multæ ferę ipſa natura duce ſentiunt aliquem naturalem pudorem, vt de Elephante refert Elianus. Tertiò. Quia corpora noſtra ſunt templum Dei, in quibus Chriſti caro Deificata ſeruatur. hoc autem tem-

Deus ſumme odit Libidinem.

Gen. 6. & 7. Iud. 20.

Gen. 19.

Gen. 3.

Lib. de legibus.

Li. 2. c. 22.

1. Cor. 6.

templum prophanatur, & maculatur huius vitij turpitudine, imo, vt ait idem Paulus sunt membra Christi. Sumam ergo membrum Christi, & faciam membrum Meretricis? Absit. Quartò. Ex hoc vitio innumera scelera nascuntur, ea proponit Greg. quæ supra videre potest, qui velit. Istud est à Deo apostatare, vt scriptura loquitur. Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapiẽtes, vt Salomonem. Quintò. Præter hæc, alia innumera damna infert, nam consumit patrimonia, vt hedera plantas ac parietes: bonam famam pessundat, aufert salutem corporis, obscurat aciem mentis; memoriam debilitat; tollit pacem interiorem animæ; & Seminarium est inimicitiarũ exteriorum. Iob. Ignis est (ait) vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Sextò. Est vitium hoc valde curatu difficile, eoque magis formidandum, vt insanabiles corporis morbi timentur. Est enim hæc intemperantia nimis vehemens, & eum quem semel inuasit profundissimo cæno inuoluit, vnde vix vnquam finit emergere. Septimò. Optimum erit, vt sæpe Concionator cum se se offert occasio castitatis, eius celebret pulchritudinem & gloriam, vtilitatem ac præmium. Habemus exempla tot Virginum in vtroque sexu, in quibus amplificandis liberior excurret oratio, sine vllo dicendi, sermonumque rubore, & sæpe cum maiore fructu tam ad coercendam incontinentium turpitudinem, quàm ad alios inflammandos tantæ virtutis amore.

Luxuriæ effectus. *Lib. 30. Mor. c. 16.* *Iob. 31.* Luxuria difficile curatur.

De gaudio, & tristitia. Cap. XIX.

DAtur aliquod gaudium, & lætitia bona, nempe lætitia spiritualis in Domino, in bona conscientia, in operibus bonis, in fernore spiritus. Datur & alia mala, quæ habet nimium risum, scurrilitatem, superuacaneas remissiones, vana & inutilia colloquia, quæ merito dici potest dissolutio animi, ac mentis distractio; vanitas ac leuitas quædam, ac defectus spiritus boni. Lætitiam, & gaudium spirituale ac sanctum, Primò. Sacra Scriptura sæpe commendat, & nos ad ipsum inuitat, & adhortatur. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. In Psal. autem frequentissimè. Lætamini in Domino & exultate iusti. Iubilate Deo omnis terra; Lætetur cor quærentium Dominum, & alia quæ significant hanc esse Dei voluntatem, vt nõ ex tristitia aut ex necessitate seruiamus. Hilarem enim datorẽ diligit Deus, sicut domini temporales tales etiam expetunt

Lætitia duplex bona & mala.

Lætitia bono gaudio. *Phil. 4.* *Psal. 31.* *Psal. 61.* *psal. 104.* *2. Cor. 9.*

famulos. Secundò. Ex hoc gaudio magna Deo gloria nascitur, & eo modo significamus, nos magnificare eum Dominum cui tam hilares seruimus. Tertiò. Est magna proximorum ædificatio, dum vident nos alacri animo Deo famulantes. Quartò, Opus cum lætitia factum recipit ex ea parte maius meritum, quia etiam fit cum maiori diligentia, & animi propensione: Et Arist. docet delectationem opus perficere, sicut decor iuuẽtutem perficit, & ipsamet delectatio vires addit ad operandũ, sicut contra tristitia eneruat. Quintò, Lætitia facit hominem
Psal. 50. in omni bono opere perseuerantem; nam Dauid petit primò dari sibi lætitiam salutaris, & statim orat confirmari spiritu principali. Sextò, lætitia hæc in bono opere est effectus bonæ conscientiæ, & simul eiusdem, est signum: indicium quoque acquisitæ virtutis, & habitus est operari cum voluptate: quare hor-
Pro. 15. tandi sunt homines ad bonam conscientiam. Secura mens quasi iuge conuiuium, sicut ex mala conscientia oritur tristitia vt patet de Cain. Septimò, Ob hæc omnia, videtur Deus hoc priuilegium concessisse ijs, qui in ipso delectantur, vt orationes eorum
Iob. 22. acceptæ sint. Iob. Tunc super Omnipotentem delicijs affluues, & eleuabis ad Deum faciem tuam; rogabis eum & exaudiet te.
Eccles. 35. Et Eccles. qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur, & deprecatio illius, vsque ad nubes propinquabit. Iterum delecta-
Ps. 36. re in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Octauò, Dele-
Isa. 58. ctari in Deo res est præstantissima. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ. Claudit aditum tentationibus inimici, & omnibus ferè peccatis, quæ solent fieri delectationis causa. Postremò. Non deerunt multæ materiæ ex quibus occasio sumatur excitãdi hoc gaudium in Domino; præsertim Dei ipsius bonitas, charitas, misericordia, & beneficia tam multa à Deo nobis collata, maximè per Christi redemptionem, per quæ consolatur nos Spiritus sanctus, & dat pignus in cordibus nostris ad spem futurorũ bonorum, in quibus spè gaudemus. Scripturæ sacræ studium ad id aptissimum
Rom. 15. est quemadmodum hortatur Paul. vt per consolationem scripturarum spem habeamus.

Tristitia seu dolor, 2. *de fide Orth. cap.* 14.

Tristitia est passio per quam detestamur malum, quod vel rè, vel opinione sit præsens: Quatuor eius species à Damasceno assignantur: Misericordia, quæ est tristitia de alieno malo tanquam proprio. Inuidia quæ est tristitia de alieno bono. Angustia, cum aliquo modo ita constringimur, vt nõ appareat euadendi locus. Acedia, quæ est tædium in opere bono. possunt etiam-

etiamnum addi tres aliæ Pœnitentia, quæ eſt triſtitia de peccato commiſſo. Nemeſis, cum iudicamus aliquem indignum bono quod habet: Et zelus de bono alieno quatenus illud deeſt nobis. Caſſ. præter illam quæ pro ſalutari pœnitentia peccatorum noſtrorum & aliorum, vel pro ſtudio perfectionis, vel pro deſiderio ſuſcipitur futurorum bonorum, docet omnem aliam triſtitiam tanquam ſæculi, & quæ mortem inferat, æqualiter repellendam eſſe, ac ſicut fornicationis ſpiritum ac philargirię de noſtris cordibus penitus eſſe excludendam; ex quibus patet dari triſtitiam aliquam bonam, vt eſt pœnitentia & miſericordia, aliquam malam & fugiendam. De pœnitentia & miſericordia agam in tertia parte. Hoc loco de triſtitia mala generatim ac ſpeciatim tęperanda. Generatim hi loci idonei erũt. Primò, Auctoritas ſacrarum literarum, quibus Dei omnibus voluntas manifeſtatur, cui maximè diſplicet triſtitia ſpiritus. Eccl. Triſtitiam non des animæ tuæ. Et omnis plaga triſtitia cordis. Secundò, Damna quæ affert magna ſunt. Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi: non enim ſolum triſtitia de malo nihil omnino minuit, ſed etiam affligit, & conficit hominem, grauiusque malo ipſo, eſt malũ. Nec ſolum vt ait S. Bern. omnis boni eſt impedimentum, ſed etiam eſt cauſa, & radix multarum tentationum & malorum: nam ex ea ſæpiſſimè ira naſcitur. Qui enim eſt triſtis, facilè oblata occaſione iraſcitur, impatiens eſt, turbatur valdè, vt aliquando non videatur iudicio pollere. Eccl. Non eſt ſenſus vbi eſt amaritudo. Aliquando inducit puſillanimitatem atque adeo deſperationem, vt in Caim & Iuda: Et Paul. ait, Triſtitia huius ſæculi mortem operatur. lędit communem ſocietatem: nam quos triſtitia occupat, reddit moroſos, aſperos intractabiles alijs, tollens ſuauitatem, & affabilitatem morum; etiam corporis valetudini obeſt plurimum, comprimit cor, impedit omnes corporis animique functiones. Tertiò, Valdè placet Dęmoni hic ſpiritus triſtitiæ, ideoque conatur hominẽ eo obruere, vt demum ad voluptates carnis ac mundi inde traducat, totumque perdat, perſuadens eo modo ab illo mœrore libe ratum iri. Eſt D. Franciſci veriſſima doctrina, & experientia compertum eſt, cum homo eſt triſtis, immitti à Dæmone turpes cogitationes, ita triſtitia eſt nidus & cauerna Dæmonis. Quod idem magnus ille Antonius ſuis aſſerere ſolebat. Quartò, Extinguit ſpiritus triſtis, ſpiritum Dei, quia ille omnino habet cõtrarias conditiones. Hic enim ſpiritus Dei eſt ſuauis, humanus,

Triſtitia bona & mala. *Lib. 9. de Inſt. renũ. cap. 12.*

Contra triſtitiam malam, argumenta.

Eccl. 30. *Eccl. 25.* *Prou. 25.* *De int. domo. c. 45.* *Eccl. 25.* *2. Cor. 7.*

Digitized by Google

benignus, benefaciens, ſtabilis, intelligibilis, acutus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens: & contra, ſpiritus triſtis eſt aſper, inſatiabilis, obſcurans intellectum, difficilis ad bona, eneruans vires, denique ſpiritus triſtis exſiccat oſſa, præſertim animæ, ideſt eius potentias, & inhabilem reddit ad orationē, *Leu.* 10. & ad opera bona. Vnde Aaron. Quomodo ait poteram placere Deo in cæremonijs, mente lugubri? Quintò, Proponenda eſt animo triſti vanitas, & breuitas omnium bonorum huius mundi, vt contemnantur: ita enim ſi amiſſa fuerint non afferēt triſtitiam: Nam quod non magni fit poſſeſſum, nec triſtitiam affert amiſſum. Quocirca qui in Deo cor ſuum, & ſpem collocat, de eo gaudet, nec dolet ob amiſſionem bonorum, quæ nō *Io.15.et 16* amat. Ad hoc gaudium hortatur Chriſtus vt gaudium veſtrum ſit plenum, & gaudium veſtrum nemo tollat à vobis. Sextò, Reuocanda eſt in memoriam præſentis vitæ miſeria & cogitandum. Primum re vera nihil nobis præter noſtram voluntatem obeſſe: quare omnem calamitatem, habere quidem nomen mali, & ſpeciem, non autem vim: imò multas virtuti commoditates afferre. Deinde id ferre conditionem vitæ præſentis, in qua nemo eſt tam compoſitæ fælicitatis, vt non aliqua ex parte cum ſtatus ſui fortuna rixetur. Itaque paratos eſſe decet omnes ad ea toleranda, quæ omnibus communia ſunt. Septimò, excitandi ſunt homines vt voluntatem ſuam cum Dei voluntate conforment, & intelligant nihil caſu aut fortuito fieri, ſed omnia (ſolo peccato excepto) à Dei prouidentia pendere, & ad finem gloriæ ſuæ ac noſtræ ſalutis tendere debere. Nec ſanè difficile erit triſtitiam animo depellere, ſi animus ad Deum *Luc.* 22. per orationem confugiat: dicatque cum Chriſto Veruntamen *Iac.* 5. non mea voluntas, ſed tua fiat. Sic D. Iacob. hortatur, triſta- *1. Reg.* 16. tur, ait, quis in vobis, oret, & pſallat. Sic Dauid cythara Dæ- *Pſal.* 118. monium. Saulis expellebat, & de ſe affirmat, Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Et quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me, ſpera in Deo *Pſal.* 41. quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus. Itaque inducendi ſunt omnes, vt in omni occaſione mæroris ad Dei voluntatem ſe tanquam ad firmiſſimam ancho- *Li. 9. Inſt.* ram applicent. Multa contra ſpiritū triſtitiæ docet Caſſ. Et pla- *cap. vlt.* ne ſpiritualis vita, maximè Spiritus Sancti gaudijs eget. Octauò iam tradamus aliquot remedia quæ ſolēt triſtitiam ſubleuare. Contra triſtitiam quæ remedia. Ea ſunt. Primò quod non tam ipſum malum quam opinio, & æſtimatio mali ſolet afferre triſtitiam ita docet Plutarchus,

Cice-

Digitized by Google

Cicero, Secundò præmeditatio mali. Nam quæ ex improuiſo obueniunt magis opprimunt, at iacula præuiſa minus feriunt. Tertiò, Cum adeſt malum, cogitandum eſt tunc temporis magnas nos virtutes exercere poſſe, ſcilicet patientiam, magnitudinem animi, vnionem cum Deo, & alia. Quartò cogita talem eſſe rerum humanarum conditionem. Quintò, cogita eum qui mæret non adhibere malo remedium, ſed ſeſe fruſtra conficere. Sextò, reuoca in memoriam te alias paſſum ſimilia, & euaſiſſe: ita & præſentis angoris finem futurum. Septimò, cogitanda, quæ delectationem, modo vetita non ſit, afferunt, optimum erit illud Pſal. Memor fui Dei & delectatus ſum. *In Tuſc.* *Pſal. 76.*

De Triſtitia Inuidia & Acedia. Cap. XX.

TRiſtitia Inuidiæ peſsima eſt, cuius turpitudo ex his locis perſuaderi poteſt. Primò. Ex natura & actibus eius. Quid deformius quàm gaudere malo, dolere bono, contra illud Iſa. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonũ. Quid indignius quàm lætari ſi res male ſuccedant, dolere ſi proſpere? Contra illud maxime proprium naturæ principium: Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus? Secundò. Ex cauſis quæ ſunt, ſuperbia, cupiditas, alienatio animi, odium. Tertiò. Ex effectibus qui ex inuidia naſcuntur, vt ſunt reticere res aliorum bene geſtas, & cum adeſt occaſio detrahere, de virtutibus aliorum imminuere, perperam interpretari, irridere per ironiam, detegere culpas, impedire alios, de ſtatu deijcere. Quartò Inuidia maximè aduerſatur Deo, cuius bonitas eſt ſe communicare cum omnibus: Item Beatis, qui aliena fælicitate lętantur, vt ſua; legi naturæ quæ iubet vt eadem alijs faciamus, quæ nobis fieri vellemus; Charitati Chriſtianæ, quæ, vt Paulus ait, non æmulatur, non agit perperam, non quærit quæ ſua ſunt, congaudet, & miſeretur. Quintò, Hominem maximè ſimilem diabolo facit, qui totus eſt in noſtris malis curandis & impedienda ſalute. Sextò ſuum etiam auctorem rodit & cruciat, cumque ſit iniuſtiſſima contra omnes, in hoc eſt iuſtiſſima, quod inuidum flagellat, ac punit, & perſequitur, lege Cypr. de zelo & inuidia. Baſ. Chryſ. Damaſc. &c. *Contra triſtitiam Inuidiæ loci.* *Iſa. 5.* *Rom. 12.* *1. Cor. 13.*

Acedia eſt triſtitia ſeu tędium in bono opere, ex qua naſcitur deſidia, ac ſegnities. hanc expellendam ex animis inſiſtat orator, & adhibebit pigris ac deſidioſis calcaria ex his locis. Primò explicando ac deſcribendo actus eius indignos homine *Triſtitia Acediæ arguitur.*

Digitized by Google

ſapiente atque induſtrio, vt ſunt dedere ſe otio ac ignauiæ, non occupari rebus vtilibus, fugere laborem, inutilia cogitare conſectari ludos ac ludicra ſine vllo fructu, vanis colloquijs tempus terere, aliorum vtilitati ac beneficio non ſeruire, proximum in negotijs non iuuare, ſuſcepta negotia negligenter tractare, res ſpirituales frigidè admodum exercere, conſueta ac pia chriſtianæ Religionis officia prætermittere, & alia huiuſmodi, ex quibus ſatis apparet quam ſit ſpiritus hic Acediæ fugiendus. Secundò triſtitia hæc pugnat cum natura rerum omnium, quæ ſemper aliquid operantur, & præſertim hominis cuius perfectio in operatione ſita eſt. Tertiò affert ſecum hæc triſtitia & tædium multa mala teſte Salomone: Multam malitiam docuit otioſitas, qui enim talis eſt non ſolum diuinis rebus non occupatur, ſed etiam obijcit ſe periculo multarum tentationum ac peccatorum. Pigredo immittit ſoporem. Quartò Proponendum eſt nos in hac vita à Deo poſitos vt milites, vt agricolas, vt operarios, & nobis conceſſum vitæ præſentis tempus, vt per actiones, fælicitatis æternæ præmium promereamur, alioquin excludendi ab eo tanquam deſides. Quintò, Otium & pigritia multas ſecum afferunt moleſtias. In deſiderij eſt omnis otioſus, & deſideria occidunt pigrum Vult & non vult piger. Sextò exempla Chriſti & Sanctorum proponenda qui tam multa ac tanto Spiritus feruore peregerunt. Septimò, Tempus vitæ breuiſſimum. mortem ſemper impendere, multum nobis ſupereſſe ad ſatisfaciendum, æternitatem nobis repoſitam futuri præmij vel pœnæ. Dæmones non dormire: tam multos egregiè laborare in rebus terrenis ac momentaneis. Denique exaggerare poterit contra hoc vitium, quam ſit omnino abſurdum, rectè facere cum moleſtia, opera enim bona delectationem habent, & alacriter fieri debent & eo modo diuturniora ſunt. Hactenus de paſſionibus partis concupiſcibilis.

Ecel. 33.

Prou. 19.

Prou. 21.

Prou. 13.

Spes & deſperatio. Cap. XXI.

Spes quid ſit.

IN parte animæ quæ Iraſcibilis dicitur, quinque paſſiones ponunt Theologi, quarum eſt primum par, ſpes & eius cõtraria Deſperatio. Eſt autem ſpes commotio huius appetitus ad proſequendum arduum, ſed quod poſſit, difficultate victa, venire in poteſtatem: & quamuis, vt paſſio, eſt in appetitu ſentiente, tamen nos extendemus quæ dicturi ſumus, etiam ad ſupe-

Digitized by Google

ſuperiorem animæ partem & ad ipſam theologicam ſpei virtutem. Ad oratorem chriſtianum pertinet in concionibus erigere auditorum animos ad ſpem veniæ peccatorum, & conſequendæ ſalutis æternæ, & fiduciam in Deo collocandam in ſuis actionibus, in oratione, in rebus aduerſis, præterea etiam eoſdem à collocanda in rebus creatis, & ſe ipſis fiducia reuocare. Ad excitandam ſpem & fiduciam in Deum generatim Primus locus eſt, diuinorum librorũ authoritas, quibus maximè nobis id ipſum commendatur. Plenæ ſunt ſcripturę nouæ, ac veteres maximè pſalmi Dauidici, Mihi adherere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam. Spera in Deo & paſceris in diuitijs eius; quoniam in me ſperauit liberabo eum, protegam eum. Deus meus in te confido non erubeſcam. Expectans expectaui Dominum & intendit mihi. Quis ſperauit in Domino & confuſus eſt? Vt enim ſanctus Paulus maxime verſatur in fide prædicanda cum operibus, ita regius pſaltes in prædicanda ſpe ac fiducia. Habe fiduciam in Domino in toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ, & ipſe diriget greſſus tuos. Secundo proponenda eſt dignitas & excellentia huius virtutis quam maxime Spiritus ſanctus celebrat. Eſt plane fiducia ac ſpes in Deum (vt Climacus vocat) ante theſaurum, theſaurus indubitatus, eſt maximè propria Chriſtianorum virtus, quam Philoſophi neſciuerunt. Ipſa eſt quæ fortes facit. Dominus illuminatio mea & ſalus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Fiduciam faciet mirabilis illa, & digna quæ in æuum celebretur Machabæorum Parens quæ vna die ſeptem filios propter ſpem quam in cælis habebat repoſitam, diuinæ maieſtati, ſingulis addens animos, inuincibili fortitudine conſecrauit. Teſtantur id ipſum innumerabiles Martyrum exercitus, qui huic ſpei ac fiduciæ, innixi tormenta, cruces, ac mille mortes cum ſumma alacritate contempſerunt. Affert magnam animi tranquillitatem, cum liberet ab omni moleſtia inter ipſa pericula, & aduerſa, cum per eam omnẽ ſolicitudinem noſtram (vt ait D. Petrus) in illum proijciamus, cui ſcimus curam eſſe de nobis, & qui omnes capillos capitis noſtri numeratos habet, ita vt ne vnus quidem cadat, ſine voluntate ipſius. Imò non facit ſolum tranquillos & hilares; ſed etiam vt ipſis gloriemur, rebus aduerſis, ita Paul. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit, vt fidenter eam audeat,

Argumenta in ſpẽ, & fiduciã in Deũ.

Pſal. 72.
Pſal. 36.
Pſal. 90.
Pſal. 24.
Pſal. 39.
Prou. 3.
Gradu 30.
Pſal. 26.
2. *Mach.* 7.
1. *Pet.* 5.
Luc. 21.
Rom. 5.

idem Apoſt. vocare anchoram animæ tutam ac firmam.

Heb. 6. Tertiò, Proponenda eſt ſumma Dei bonitas, benignitas, charitas, inexplicabilis erga homines. Huic enim inniti debet fiducia. Bonitas enim Dei eſt maximè ſui communicatiua, adeo *Matt. 25.* vt patrem eum vocemus. Nolite, ait Chriſtus, vocare vobis patrem ſuper terram, vnus enim eſt pater veſter qui in cælis eſt; nec vllus eſt pater ſuper terram, qui in amore & benignitate Deo poſſit comparari, adeo vt filium ſuum noſtræ humanitati conceſſerit, vt Creator ipſe, creaturæ fieret frater, quod Chriſtus ipſe ſic colligit, Si vos cum ſitis mali noſtis bona da- *Matth. 7.* ta dare filijs veſtris, quanto magis pater veſter cęleſtis? Quartò, Dei potentia ponenda ante oculos infinita, cui nihil poteſt reſiſtere, cui res omnes creatæ dicto ſunt audientes, vt ſic fiden- *Eſther. 13* tes, dicere poſſimus: Domine in ditione tua cuncta ſunt poſita, *Matth. 5.* & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, Dominus vniuerſo- Prouidentia Dei. rum tu es. Et illud Domine ſi vis potes me mundare. Quintò, Prouidentia eius deſcribenda, à qua ſecuri pendere debemus, qua de rè multa Chriſtus ad Apoſtolos dixit, ne ſcilicet de Victu & corporis cultu ſolliciti eſſent, ne ante tyrannos & in- *Matth. 6.* periculis vitæ. formidarent: & probat multis argumentis hanc ſuam in ſuos, particularem prouidentiam, quam tot exemplis & experimentis confirmatam habemus in ſanctis, vt nullus relinquatur dubitandi locus. eſt enim illud manifeſtum nunquam *Pſal. 36.* vidi Iuſtum derelictum, probat quidem Deus ſuos ſeruos, aliquando etiam exercet in periculis, nunquam derelinquit. Sex- Promiſſiones Dei. tò, Promiſsiones diuinæ ſunt conſideranda. Deus enim ſæpiſſimè promiſit opem ſuam, miſericordiam, ſalutem æternam his qui ſibi fidunt & ſeruiunt: nec poteſt Deus mentiri, nec fal- *2. Tim. 2.* lere; neque enim Deus eſt vt homo. Paul. fidelis Deus ſe ipſum *Pſal. 199.* negare nō poteſt. Pſal. Iuſtus Dominus in omnibus verbis ſuis, *Ioa. 10.* & ſanctus in omnibus operibus ſuis; Ipſe dixit: Ego cognoſco oues meas & vitam æternam dò eis. Ego veni vt vitā habeant & abundantius habeant. Petite & accipietis, quærite & inue- *Matth. 7.* nietis, pulſate & aperietur vobis.

Actor. 4. Septimò fiducia maximè innititur Chriſto noſtro Saluatori, Redemptori, Aduocato, Mediatori, Sacerdoti, & ſacrificio, de- *Acto. 4.* nique noſtro, Hoc planè eſt nomen in quo oportet nos ſaluos fieri, & nullum aliud, vt omnis qui viuit, & credit in eum, non *Ioan. 3.* pereat, ſed habeat vitam æternam. Eſt enim dies aduentus Domini planè dies redemptionis noſtræ, reparationis antiquæ, fę- *Ioan. 6.* licitatis æternæ. hoc eſt nomē in quo quicquid petierimus patrem,

trem, impetrabimus, quo modo (argumentatur Paulus) non cum illo omnia nobis donauit? vt lætus quilibet possit canere cum Propheta. Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Iesu meo. Octauò, Optimum est argumentum, ex his beneficijs quæ à Deo accepimus, & in quibus Dei opem experti sumus, erigere fiduciam in futurum, vt cum iam tanta perceperis, ait Eusebius Emissenus per ea quæ agnoscis præstita, discas sperare promissa, & spem rebus nutrias, & de consequendis futuris per ea, quæ consequutus es, interroges, ac perceptorum experimentum, proficiat tibi in testimonium sperãdorum, ac sic collata beneficia pro retribuendorum fideiussoribus habeas, ac Dei tui potentiam præsentemq; bonitatẽ, quasi futurorum teneas cautionem. } Hoc argumento sæpe Dauid se ipsum vrget ad fiduciam. Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis, subdit, propterea non timebimus dum turbabitur terra. Nonò, Habemus auxilia, & intercessiones Beatissimæ Virginis, & Angelorum, & Sanctorum, quæ nobis Deus concessit ad maiorem fiduciam excitandam adiutis eorum patrocinio, qui reddent nobis Deum propitium. Decimò, Denique etiam bona opera nostra quæ facimus ad gloriam Dei, labores & molestiæ, quas pro Dei amore toleramus, bona conscientia, sine qua spes degenerat in præsumptionem vanam, fouere possunt fiduciam nostram, non quidem primario, sed secundario. Vnde spes nostra respectu Dei debet esse certa, respectu nostri habet aliquid timoris admixtum, cum Deus nobis vel potius sibi deesse non possit, nos verò nobis ipsis sæpe desimus.

Rom. 3. *Psal.* *Hom. 2. de Symbolo.* *Psal. 25.*

Non solum autem Sacer Orator fiduciam in Deum excitare debet, sed reuocare homines ne in se ipsis, ne in caducis huius vitæ bonis, aut in rebus creatis confidant. Primò, Quia id maximè Deo displicet vt homines, ipso posthabito, ad alia confugiant, adeo vt per Hier. grauiter conqueratur obtestãs cœlos super hoc quod se dereliquerint fontem aquæ viuæ, & foderint sibi cisternas dissipatas. Et Væ filij desertores vt facerẽt consilium, & non ex me, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis. Et rursum, Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes & habentes fiduciam in quadrigis, & non sunt confisi super sanctum Israel. Secundò, Quia res omnes creatæ fragiles sunt, sicut arundo confracta cui si quis innitatur, cadit, & perforat manum eius, vt dicitur apud Isaiam, sunt vt aquæ præterfluentes, in quibus nõ potest solidum statui fundamen-

Auocanda spes à rebus creatis.

Hier. 2. *Isa. 30.* *Cap. 31.* *Isa. c. 36.* *Iob c. 31.*

Digitized by Google

Iob 31. damentum. Ideo Iob. si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. Tertiò, Malè cedunt res his, qui non in Deo sed in suis viribus, & creaturis confidunt. Obstruunt enim *Hier. 17.* sibi fontem auxilij diuini. Ideò dicitur, Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. erit enim quasi myrice in deserto, & nō videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas.

Spes Veniæ peccatorum excitanda. Cap. XXII.

Spes veniæ his argumentis nititur.

AD spem veniæ peccatorum excitandam contra tentationem desperationis adiumento hæc erunt. Primò, Deus ipse est qui peccatores inuitat, vt redeant ad se, vt conuertantur, *Isa. 1.* Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos. Lauamini, mūdi estote & venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fue- *Ezech. 18.* rint rubra quasi vermiculus, quasi lana alba erunt. Nolo mor- *Ezech. 33.* tem morientis dicit Dominus Deus reuertimini, & viuite. Iterum impietas impij non nocebit ei. Et quare moriemini? & ite- *Hier. 3.* rum. tu autem fornicata es cum amatoribus multis, Verumta- *Matth. 9.* men ad me reuertere dicit Dominus. Christus ipse affirmat se non venisse vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Quorsum vocaret, inuitaret, vrgeret, si non esset paratus veniam dare accedētibus? Misit Prophetas vt suo *Luc. 24.* nomine inuitarent, sicut Ionam ad Niniuitas. Misit Apostolos *2. Cor. 5.* vt prædicarent pœnitentiam, & remissionem peccatorum, Paulus clamat. Pro Christo legatione fungimur, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo. Secundò, promittit toties & tam clare veniam pœnitenti, quàm nisi concederet mendax esset, & *Greg. Ora. de plaga grand.* fallax, quod absit suspicari. Greg. Nazian. Ioelis sententiam proferens, quis scit si cōuertatur Dominus & benedictionē re- *Ioel. 2.* linquat? subiungit: ego planè scio, & sum diuinæ misericordiæ sponsor. cum enim ira diuinæ naturæ aduersetur, ad misericordiam conuertetur. Tertiò, Ponat sibi peccator ante oculos pelagus infinitæ Dei misericordiæ, cuius comparatione omnia peccata mūdi sunt multo minus quàm vna guttula aquę Oceano col-

no collata. Istud est; Proijciet Deus in profundum maris omnia peccata vestra, ideo Dauid petit sibi remitti ea ratione præsertim, quod hæc sit virtus tam Dei propria, vt nullo alio titulo magis glorietur, quàm vt vocetur misericors & miserator Dominus, longanimis, & multæ misericordiæ. Quartò conuertendus est oculus peccatoris ad Christum, cuius merita sunt infiniti valoris, cuius benignitas est tanta, vt paratus sit etiam pro singulis, si opus esset, iterum mori. Ioan. in sua Epistola huc respicit. Filioli nolite peccare, sed & si quis peccauerit Aduocatum habemus Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & totius mundi. Dicat peccator cum Augustino in med. opus manuum tuarum, Domine, ne despicias, vulnera manuum tuarum precor vt aspicias, & salua me. Quintò, considerandа est gratiæ præuenientis, iustificantis, & adiuuantis operatio. Nam Deus est qui inspirat, pulsat cor, excitat dormientem peccatorem, disponit ad pœnitentiam, dat lumen intellectui per fidem, iustificat, corroborat contra tentationes, animat contra abiectionem animi, ac desperationem, mouet lacrimas. Spiritus est (ait Paul.) qui postulat pro nobis, quorsum igitur tam multa, nisi vellet parcere pœnitenti? Sextò, reliquit in Ecclesia claues, & instituit Sacramentum confessionis, & pœnitentiæ tam facilè, tam commune, tam efficax, vt nullam habere possit peccator excusationem si velit peccatorum absolutionē. Septimò, Tot habemus exempla penitentium in scripturis, & historijs sacris, quæ nos ad idem præstandum moueant, nec est quod desperet etiam flagitiosissimus peccatorum. Et si desperatio veniæ nascatur ex grauitate peccati, vt in Caim, qui dixit, maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear; proponatur ob oculos magnitudo meritorum Christi, secundum illud Iob. Vtinam appenderentur peccata mea cum meritis Christi. Si oritur diffidentia ex multitudine peccatorum, intelligat illud esse plusquam certum. Peccata præterita non nocent, si displicent, & quod Christus respondit Petro: Non dico tibi septies, sed septuagies septies: Si obijciatur longitudo temporis, quo fuit in peccato, audiat illud Ezech. In quacunq; hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius non recordabor, si dicis exigua valde Deo præstita obsequia, audi Prophetā: Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum maioribus, si non sis de magnis, cū pusillis tamen eris diuinæ benedictionis particeps. Nonò, Denique intelligat peccator nihil esse peius illius peccatoris statu, qui de Diuina misericordia desperat.

Micb. 7.

1. Ep. c. 2.

Rom. 8.

Cap. 6.

Matt. 18.

Ezech. 18.

Psal. 113.

De ti-

De Timore Dei, & mundano peruerso. Cap. XXIII.

2. Rhet. c. 5. Lib. 2. c. 15 Orthod. fid. Timoris species sex.

ALterum par affectuũ in parte Irascibili est Timor, & Audacia. Timor (vt cum Arist. diximus) est perturbatio ex opinione futuri mali & ardui nata. Huius sex species numerantur à Dam. Desidia vel pigritia, quæ est timor laboris molesti, ideoque fugimus vel differimus. Erubescentia, quæ est metus admittendi aliquid turpe nè dedecore afficiamur, & de bona existimatione excidamus. Verecundia de opere iam male perpetrato ob eundem finem. Quanquam alij erubescentiã de perpetrato; Verecundiam de proposito opere explicant. Admiratio, idest timor alicuius mali magni in quo difficile sit ferre iudicium, quam latius Aristoteles in Rhet. diffinit esse suspensionem animi cupientis scire causam rei quam nescit. Stupor, qui est timor alicuius mali noui, & cuius nullam habeamus experientiam. Agonia, quæ est timor magni alicuius mali cuius non apparet modus euadendi. Alij addunt terrorem, qui est timor magni mali, minis ab aliquo incussis. Audacia, vero est contraria timori, & est contemptus imminentis mali. Timor aliquis bonus est, vt timor Dei, & ille qui ex pœnæ diuinæ consideratione oritur, & multo magis qui est filialis. Aliquis malus qui solet vocari timor mundanus.

Timor Dei his argumentis nascitur. Psal. 33. Deut. 10. Eccles. 12. Matth. 10. Eccl. 1. Iob. 28. Eccl. 1. Pro. 28. Psal. 118. Hom. 15. ad Pop. Anth.

Ad timorem Diuinum inducendum argumenta suppeditabunt hi loci. Primo sacrorum librorum auctoritas, quæ adeò nobis timorem Dei inculcat. Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Et nunc quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas Deum? Faciendi plures libros nullus est finis, finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time & mandata eius obserua, hoc est omnis homo. Item timete eum qui postquam occiderit corpus, potestatem habet animam mittere in gehennam. Secunndo. Excellentia, & thesaurus timoris Domini, de quo mira habent Scripturæ sacræ, vt sic nos ad eum alliciant. Initium sapientiæ timor Domini. Plenitudo sapientię timor Domini. Timor Domini ipsa est sapientia: Beatus vir qui semper est pauidus. Tertio. Effectus timoris huius; nam reuocat à malis, & calcar addit ad bonum exequendum, ipse præseruat & munit contra peccatum. Ideo Bas. in primo cap. prou. assimilat clauis qui tenent hominem ne se commoueat contra Deum, ex illo Psal. Confige timore tuo carnes meas.

Chrys.

Chryſ. adſtringit hominem Deo, & efficit diligentem, ac ſolertem in operibus, quæ ad Dei honorem tendunt: Efficit humilem, reuerentem, fortem, cautum, ne perdat Deum, omnia terrena contemnentem propter Deum, non ſecus atque dum in tempeſtate ad tuendam vitam incolumẽ proijciuntur merces. Iob. ſemper (ait) quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum. Quartò. Inducit timorem conſideratio maieſtatis Dei, eius dominij, prouidentiæ, & aliarum perfectionum. Ideo Moſes poſtquam hortatus eſt ad Dei timorem ſubdit; En Domini tui cælum eſt, & cælum cæli, terra & omnia quæ in ea ſunt: & deinde ſubdit, quia Dominus Deus noſter ipſe eſt Deus Deorum, & Dominus Dominantium; Deus magnus, & potens, & terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera. Quintò. Conſideratio præſentiæ Dei, qui ſemper nos videt, ſemper nobis adeſt, multum ad hoc valet. Nam ſi præſentia hominum in opere malo gignit timorem, & verecundiam, quid efficiet præſentia Dei ſi rectè conſideretur, qui maximè odit omne peccatum; & cuius oculis omnia nuda ſunt & aperta, promptũq; eſt vlciſci? Sextò. Proponenda eſt ante oculos Iuſtitia Dei, qui adeo peccatum, odit vt pœna æterna puniat, & horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, quod fit in ſecundo aduentu Chriſti. Proponenda ſunt multa peccantibus iam irrogata ſupplicia, vt Angelis malis, primis parentibus cum tota poſteritate, toti mundo per diluuium immiſſum Sodomæ, Egypto, &c. Septimò. Timere nos oportet cum habeamus tot hoſtes nobis inſidiantes, Dæmones & nos ipſos pugnantes contra nos, nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſenſus contradicit rationi: præterea tot pericula, & occaſiones malorum ex mundo nos ad ſe malis exemplis allicientes. Octauò. Proderit attenta conſideratio futuræ & incertæ mortis, iudicij tàm particularis quàm vniuerſalis, inferni ad quem, tam multi condemnantur. Nonò. Peccatorum noſtrorum conſideratio: nam de præteritis dicitur. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. Multa ſunt occulta: Delicta quis intelligit? Decimò. Exempla multorum ſanctorum, qui ceciderunt, qualis fuit Dauid, licet eſſet ſecundum cor Dei. Salomon licet plenus tanta ſapientia; nec deſunt alia multa exempla, & antiqua & recentia quæ in hunc finem ſcribuntur, vt cautiores reddamur, & nobis timeamus. Rurſus. Exempla ſanctorum, qui quò magis in ſanctitate proficiunt, & maiori lumine à Deo illuſtrantur, eò magis metuunt timore filiali. Ita docet Greg. ſanctus: quò magis altiora conſiderant,

Cap. 31. *Deut. 10.* *Hebr. 4.* *Eccl. 5.* *Pſal. 18.* *l. 5. Mor. c. 20.*

eò

eò magis formidare, & alibi, Iusti, ait, ne Deum sentiant iratum, tranquillum timent: mali nec feriri pertimescunt, cum feriuntur, ideo eis timor non parit requiem, sed timorem pœna importat.

Eadem diligentia, qua ad timorem castum, & sanctum hortatur Orator suos Auditores, eniti etiam debet, vt timorem malum ex animis excutiat, siue is vocetur timor mundanus, cum quis metu amittendi bona temporalia, siue carnalis, cum metu alicuius mali corporis, aut etiam mortis, Dei præcepta transgreditur, siue aliunde oriatur, cum ex animi abiectione aliquis fugiens laborem, ac difficultates, non audet graue aliquod opus in Dei gloriam aggredi. Ad expellendum timorem hunc, Primò, quia clauus clauo truditur, plurimum oratio valet, quæ timorem Dei firmat in anima. Plus enim timendus est Deus, ne offendatur, quàm faciendum aliquid contra Deum ex vano timore. In timore Domini fiducia fortitudinis: hoc argumento vsus Christus dixit, Nolite timere eos qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere: timete autem eũ qui potestatem habet animã & corpus perdere in gehẽnam. Et Susãna Angustiæ (ait) sunt mihi vndiq; si enim hoc egero mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras, sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Hic Dei timor si vigeat, nulla res vnquam tanta continget, quæ hominẽ à recto detorqueat, dicunt enim secum ipsi illud Tertull. Nulla est necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi.] Secundò. Omnes etiam loci qui ad excitandam in Deum spem superius sunt allati, huic item negotio seruiunt. Hoc genus argumenti frequentissimum, vti ibi diximus, est apud Psalmos Dauidicos vbi sese sanctus Rex contra huiusmodi timores multis modis confirmat. In Domino confido, ait, quomodo dicitis animæ meę transmigra in montem sicut passer. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, & subdit. Nõ timebis à timore nocturno à sagitta volante, &c. Super aspidẽ & basiliscum ambulabis, & quæ sequuntur. Tertiò, Poterit afferri turpitudo timoris vani. Est enim hæc passio inter omnes alias vilissima, propria mulierum, puerorum, ac ne belluarum quidem omnium, sed maximè ignobilium, non Aquilæ, nõ Leonis; quique huic perturbationi succumbunt nihil præclarum, nihil vnquam christiana dignum præstantia possunt efficere. Quartò, Ex timore pleraque peccata ortum habent, teste Augustino

Contra Timorem malum.

Prou. 14.

Matt. 10.

Dan. 13.

De Coro: Militis.

Psal. 10.

Psal. 90.

Digitized by Google

gustino in illud Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt, omnia, inquit peccata procedunt aut ab amore male inflammante, aut à timore male humiliante, ideſt, animũ deijciente: illa sunt incensa igni, hæc suffossa, & vtraque peribunt male à Deo increpante. Chrysost. Hoc, inquit, omnia peruertit, hoc vniuersum orbem terrarum perturbauit, quoniam respectu hominum omnia facimus: & in bonis operibus nulla nobis cura est, vt laudatorem Deum habeamus, sed laudẽ nobis à conseruis inquirimus; in sceleribus rursum, Deo contẽpto, homines formidamus. Quintò, Timor malus sæpe obscurat intellectum, & tenebras offundit. Timor, & tremor venerũt super me, & contexerunt me tenebræ. Impedit verã libertatem operum, vt videmus contingere in Iudicibus, qui timore magnatum, iudicium peruertunt. In Prælatis qui non audent corrigere vbi, & quando est opus. In Concionatoribus, qui tacent vbi loquendum est, quibus illud conuenit. Væ mihi quia tacui: & plerisque alijs, qui mentiuntur, peierant, veritatem occultant, adulantur & alia indigna committunt. Sextò, Considerãda rerum diuinarum præstantia, & vtilitas, quantòque pluris facienda sit Dei voluntas & gratia, quam omnia temporalia bona, præsertim cum hæc sint vilissima, maculent animã, non dent quietem, Deus autem sit omne bonum nostrum, quo saluo salua erunt omnia. Septimò, non timendæ corporis calamitates, ac pœnę, cum pariant animæ, ac corpori, etiam æternã fælicitatem; Dicente etiam Paulo. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Imò caro ipsa est frenanda, & domanda, cum sit spiritui contraria. Octauò exemplum Christi, qui licet mortem horreret naturali instinctu, tamen fortiter, subijt pro nostra salute: & exempla innumera Martyrum, ac Virginum, puellarum, puerorum, confessorum, & omnium Sanctorum, qui prompto animo & magno, ærumnas, tormenta, & omnes difficultates superarunt.

Aug. in ps. 79.

Hom. 12. in epist. ad Corinth. 1.

Psal. 14.

Isa. 6.

Rom. 8.

Audacia contraria est timori, est commotio appetitus irascibilis ad prosequendum bonum arduum cum contemptu imminentis mali, atque difficultatis. Seruit autem audacia spei, & pugnat contra timorem vanum atque inordinatum animi abiecti, & vilis. Potest autem etiam vt aliæ passiones esse bona & mala: bona est si sequatur præceptum rectæ rationis ac Dei voluntatem, & Diuino auxilio innitatur, Aristoteles affirmat eos esse audaciores, qui rectè se habent erga diuina, qui sibi diuinam opem promittere possunt, & concordat hæc sententia

Audacia.

2. *Rhet. c. 8.*

cum

Psi 17. cum illa. In Deo meo transgrediar murum. Nascitur enim hæc audacia ex spe ac fiducia in Deum. Audacia mala ac temeraria est, cum quis præter rationem obijcit se periculis supra vires: quod est temerarium: tales autem qui temerè aggrediuntur, ait. Arist. in principijs esse audaciores, sed in ipsis periculis desitere, quia non cogitarant: contra qui cum ratione aggrediuntur in progressu animosiores fieri. Esset etiam audacia peruersa malè viuere, neque timere iustitiam Dei, & de eius misericordia temerè præsumere, quod est vnum ex peccatis in Spiritum Sanctum. De hac passione non est quod alia dicam; nam loci ad excitandam audaciam bonam, sunt ijdem, quos assignaui ageus de spe: Contra audaciam peruersam valent illi loci qui vtiles sunt ad rectum timorem mouendum.

3. Eth. c. 3.

Contra Iram loci, & Remedia. Cap. XXIV.

Ira naturalis ad quid data.

Nisf. lib. 4. de Philos. c. 13.

Da. lib. 1. Orth. fid. c. 16.

Basf. Hom. de Ira.

Quomodo excitatur Ira.

SEquitur ergo vltimò loco Ira. quam primò Arist. posuit, quæ data est nobis, & insita naturæ ad propulsanda impedimenta, & superandas difficultates, quæ se nobis ingerunt, quò minus assequamur illud bonum, quod appetimus. Vnde Greg. Niss. vocat Iram armigeram concupiscentiæ: Dama: Cõcupiscentiæ & rationis satellitem. Basil. facultatem irascibilẽ appellat militem, & mentis Apparitorem ac concupiscentiæ & rationis satellitem, & Irã compatat armis. Excitatur hoc modo: cum quispiam per imaginationem apprehendit impedimentum aliquod circa id, quod concupiscit, excitatur bilis, ex cuius euaporatione feruet sanguis, maximè circa cor, & ex calore sanguinis sumit animal vires, & accenditur ad propulsandum impedimentum illud, & hæc est ira quæ solet materialiter definiri, vt sit accensio sanguinis circa cor; sed eius formalis definitio quam ex Aristot. supra attulimus est, appetitus vindictæ, cum dolore, propter apparentem in se, vel suos contemptum; qua in re conuenit cum odio inimicitiæ aliquo modo, cum tamen odium sit in concupiscibili; sed in hoc differt ira ab odio, quod ira respicit compẽsationem iniuriæ sibi illatæ, istud enim est vindicta; sed odium tendit in malum & exitium rei quem odit, ac detestatur, facilis tamen est transitus ab ira ad odium: Est enim odiũ sæpe effectus iræ, & Cicero vocat odium iram inueteratam. Significat etiam Aristoteles in allata definitione causam iræ esse contemptum, quia apprehendit se paruipendi ab aliquo, vnde nascitur Tristitia, & indę Ira, idest appetitus

petitus vindictæ, ideſt vt compenſetur iniuria, vnde qui ſunt excellentiores, ſunt magis proni ad iram, & multo magis, cum ab inferiori aduertunt ſe contemptui haberi. Ponuntur autem tres ſpecies iræ apud Dam. & Niſſenum, quam etiam diuiſionẽ ſignificat Ariſt. Prima dicitur à Damaſc. fel. ideſt, ira ſubitò exardeſcens: ſecunda Mania, quæ eſt diuturna & perſeuerans ob diuturnam iniuriæ memoriam. Tertia furor nunquam quieſcens, quouſque vindictam ſumat. Qui prima ira capiuntur, dicuntur ab Ariſtotele acuti, celeres, bilioſi: qui ſecunda, amari & acerbi, qui tertia difficiles ac moleſti. Ira non ſemper eſt mala, datur enim ira bona, non ſolum cum iraſcimur contra noſtra peccata, & contra nos ipſos ob prauos habitus, & incompoſitos affectus, & vitia noſtra, vt videtur ſentire Caſſian. qui hanc ſolam iram bonam videtur agnoſcere, verum etiam cum alijs indignamur correctionis gratia ob eorum delicta & offenſas, quæ in Deum fiunt, eſt zelus gloriæ Dei, & ira ſancta.

Iræ tres ſpecies. *Niſſ. 4. de Ph. c. 13. Dam. l. 2. c. 16. Orth. 4. Eth c. 5.* Aliquãdo ira eſt bona. *l. 8. de ſpiritu iræ.*

Loci ad compeſcendam iram malam in vniuerſum loquendo hi ſunt. Primò, Turpitudo iræ, eò quod ſit quædam paſſio, & perturbatio mixta ex multis alijs: & ferè omnes affectus perturbati concurrunt in iram, vt non ſit mirum ſi adeo totum hominem turbet, ac deijciat. Irato non deeſt triſtitia, quia affligitur de ſui contemptu; non abominatio, & odium in eum qui iniuriam infert, non amor & deſiderium vindictæ. Adeſt & delectatio cum gaudet in malo, & tãquam mel dulce ſentit, quod eſt felle amarius; ſimiliter timor aliquis iram ſociat, & audacia & temeritas ad vindictam compellens; ſpes etiam vltionis, haud ſine aliquo veſtigio deſperationis, ob pericula & difficultates. Ideo Sancti comparant iram belluis immanibus, leoni, ac viperæ, inſaniæ, arreptitijs, fulmini, igni, torrenti, ebrietati, veneno. Secundò, Perturbat totum hominem interiorem, & exteriorem: nam memoriam cruciat recordatione perpetua, aliorumque facta dictaque omnia perperam interpretatur. Cogitationes irati, teſte Greg. ſunt viperæ generationis mentem comedunt matrem ſuam]nam ira parit in corde amaritudinem, moroſitatem, omnes, vt dixi fermè paſſiones cæteras. exterius etiam immutat, ac peruertit hominis figuram, oculos, caput, frontem, ſupercilia, aures, linguam, motus corporis. Signum autem grauiſſimi morbi, quando immutatur homi nis vultus, teſte Plutarco, adeo vt ſeipſos horrerent iracundi, ſi ſeipſos in ſpeculo viderent. In verbis omnia perturbata. Videas aliquando ſilentium pertinax, non reſpondent, rumpere

Contra iram Argumenta. Turpitudo iræ. *Li. 5. Mor. cap. 30.* *Lib. de cohibenda Ira.*

Digitized by Google

vocem nequeunt, aliquando muſſitant, & iactant verba mordacia, aliquando euomunt maledicos clamores, minas, blaſphemias, probra, contumelias. In operibus impedit ira omnes bonas actiones, maximè rationem cum tollat quietem, & peruertat rationis bonum vſum: impellit ad grauiſſima peccata, inde enim cædes, effuſio ſanguinis, homicidia, ſtrages familiarum, vrbium, regnorum. Tertiò, Ex hac perturbatione naſcitur iactura omnium virtutum; & ruina omnium bonorum. Vide hunc locum benè tractatum à Greg. 5. *Mor. c.* 3

Remedia ad iram ſedandam.

Quartò, Proponat Concionator aliqua remedia ad iram cohibendam: cuiuſmodi ſunt ad ſedandam iram in alijs. Primò ne homini irato obſiſtamus, Date locum iræ; nam ignis igne magis accenditur. Contra reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. Nautæ non pugnant aduerſus tempeſtatem maris. Remedia in remiſsionibus morborum adhibita proſunt, ait Seneca. Secundò, humilitate ſiue animi demiſſione, alterius ſedatur Ira, agnitione & accuſatione propriæ culpæ, veniæ deprecatione. Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manibus illius. Ad frenandam iram in nobis remedia ſunt. Primò, Remouenda ſuſpicio eſt, & opinio, quod ea quæ facta ſunt in noſtrum contemptum ſint facta. Sic Seneca. Secundò, Modeſtè & cum animi demiſsione, de nobis ſentiendum: ira enim ex ſuperbia naſcitur. Baſil. Ne te rebus magnis parem exhibeas, neminem te peiorem exiſtimes, & curata eſt ira. Tertiò, Plutarchus Cogitandum (inquit) multa quoque à nobis perperam fieri, ſic minus iraſcemur alijs. Quartò ſæpe proponamus non iraſci per dies, menſes, annos ex eodem Plutarcho. Quintò, fugiendæ ſunt occaſiones iræ, & commercia iracundorum. Sextò, ſilentium eſt iræ remedium ac portus, ita Baſil. loco citato ſiſte, inquit, ſilentio malum: Vnde Seneca eodem libro maximum eſt iræ remedium, mora. Septimò, legere vel audire aliquid ad iram frænandam, eſt vtile pharmacum huic ægritudini. Octauò, Auertenda eſt, ac diſtrahenda cogitatio ad alia ſtudia, ac negotia. Sonus aliquando prodeſt; muſica quæ ſit placida ac quieta, potus aquæ frigidæ, ſed hæc non huius loci, optimum remedium Oratio ad Deum.

Rom. 12. *Prou.* 18. *Gen.* 16. *Lib.* 2. *de Ira c.* 29. *&* 30. *Homil. de Ira.* *Plut. li. de ira cohib.* Plutar. Loco citato.

Contra Vindictam & odium inimicorum. Cap. XXV.

Loci ad cohibendũ animũ vindicandi.

SVnt præter hos & alij loci ex quibus argumenta deſumamus, vt abtrahamus homines à vindicta & odio inimicorum,

rum, à perſequendis iniurijs, vt inducantur ad pacem & parcendum potius. Primò eſt præceptum diuinum de diligendis inimicis, quod cum magna auctoritate à Chriſto nobis imponitur. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, cui non obedit, qui modum iræ non ponit; imò Chriſti ipſius & legis diuinæ contemptor eſt, & criminator, quaſi Deus indecorum aliquid, aut impoſsibile ac valde durum præcipiat. Deus autem quanti faciat hoc præceptum, inde apparet, quia vult relinqui ſacrificium inchoatum quod ei offertur, & prius reconciliari fratri, nos autem nihil curare magis oportet, quam vt facto impleamus, quod oramus quotidie, fiat voluntas tua. Secundò, Deus hanc legem apud ſe certam & ſtatutam habet, non dimittere iniurias ſibi à nobis illatas, niſi nos etiam dimittamus, nobis ab alijs irrogatas, vt patet ex varijs ſcripturæ locis. Auguſtinus, ad tam magnum tonitruum, qui non expergiſcitur, non dormit ſed mortuus eſt.] Tertiò, Promittit autem veniam ſe eis daturum, ſi & nos inimicis ex corde ignoſcamus, vnde optandum nobis eſſet (modo nullam demus occaſionem) habere aliquas iniurias, quas proximis remittamus; vt ſecuri à Deo veniam impetremus, præſertim cum nulla ſit comparatio inter iniurias quas nos paſsi ſumus ab alijs, & eas, quas per peccata nos Deo intulimus. Quartò, Docet Theoph: magnum hoc eſſe incitamentum, vt Deus qui in omnibus eſt noſtrum exemplar ad imitandum, tamen hac vna in re ipſe noſtrum exemplum imitari velit: quid enim eſt quod dicitur, ait Niſſ. vt dicamus Deo quod ego feci, fac; imitare ſeruum tuum Domine pauperem & egenum, qui regnum vniuerſarum rerum obtines, remiſi debita, ne tu quidem exigas, ſupplicem repellere veritus ſum, ne tu quidem ſupplicantem repellas, lætum & hilarem dimiſi meũ debitorem, talis item tuus fiat, ne tuum debitorem triſtiorem reddas, par ambobus remiſsio decernatur, tuo ſimul & meo debitori, & infra ſolui ſolue, dimiſi dimitte, magnam ego proximo exhibui miſericordiam, imitare tu Domine ſerui tui humanitatem] Eleganter canit D. Proſper in ſuo metro.

Matth. 6.

Matth. 5.
Marc. 11.
Eccleſ. 28.
Iſa. 1. Mich. 3.

In Enchirid. c. 74.

In Matth. c. 6.

In orat. Dominicã Niſſ.

In Epigram: de lege charitatis.

Det peccatori veniam peccator, & æqua
Conciliet Dominum conditione ſibi.
Cuius iudicium de noſtro examine pendet,
Quod ſerimus metimus; quod damus accipimus.

Quintò, Non video quomodo is, qui non parcit, poſsit orationem Dominicam cum libertate ac ſpiritu pronuntiare, & ad Patrem noſtrum confugere pro ſuis neceſsitatibus, & vera-

Digitized by Google

citer dicere, dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus: plane videtur aut mentiri, aut irritare Deum, vt non dimittat ſuo exemplo. Sextò, Qui parcit, ſentit animi quietem magnam; cum cõtra, is qui perſequitur iniurias furijs agitetur Satanicis, & poſtquam vltus fuerit à conſcientia remordente cruciabitur, vt Caim qui tremore perpetuò laborauit, & vagus fugiebat faciem Domini. Septimò, Peſſimum remedium eſt, alia iniuria vlciſci in eum, qui fecit iniuriam; qui hoc facis duplex malum committis; in te peccas & in fratrẽ, neque malo mederis tuo, imò amplius recrudeſcit malum, vulnuſque tibi nouum infligis. Vindicta vtrumque deteriorem facit, manſuetudo, & patientia, & te ipſum illuſtrem reddit, & alium ſanat. Octauò, Plut. librum ſcripſit de vtilitate capienda ab inimicis, & homo Ethnicus probat, valde turpe eſſe, erga inimicos iram fouere, & docet eſſe ſtultum, ex inimicis fructum non colligere, cum non deſint multę vtilitates, quas colligamus, inter has enumerat prudentiam, & cautelam corrigendi errores noſtros, quos in nobis inimici obſeruant melius quàm amici, diligentiam ad bene operandum ex eadem cauſa. Octauò, Multæ & præſtantiſſimę virtutes conueniunt cum parcitur, inimicis, reſque licet in ſe difficilis ſit, eſt tamen actio nobiliſſima, & maximi apud Deum meriti, eſtque genus quoddam inſigne fortitudinis, quia homo ſe ipsũ vincit, qua victoria nulla maior, aut melior. Deinde magna eſt virtus mãſuetudinis, & beneficentiæ reddere pro malo bonum, & beneficijs deuincire inimicos, quod eſt carbones ſuper caput ipſorum congerere, quæ virtus apud gentiles etiam multam habet laudem. Ageſilaus, teſte Xenophonte, dicenti cuidam officium eſſe Regis, amicis præmia, inimicis mala reddere, melius, ait, dixiſſes officium eſſe Regis, ex inimicis amicos ſuis beneficijs reddere. Fab. Maximus abſurdum eſſe aiebat ſi cum equos & canes venaticos familiaritate, ciboque cicuremus, potius quàm catenis & verberibus, homines feroces animo, non humanitate & beneficijs conciliemus: propoſitum debet eſſe boni viri, tamdiu ſerrè ingratum, donec fecerit gratum. Decimò, Exemplum Dei & Chriſti Domini & Sanctorum, imò etiam multorum Ethnicorum debet adhoc ipſum maximè excitare. De Patientia Dei in tolerandis inimicis, tot idololatris, & tot peſſimis, mira docet Tert. & Cypr. in libris, quos de patientia ſcripſerunt. Origo (ait Cypr.) & magnitudo patientiæ Deo auctore procedit. Diligẽda res homini quę Deo cara eſt, bonum quod amat, maieſtas diuina, commendat. Si

In Orat. de laudibus Ageſilai

Lib. de bono Patientiæ initio.

Deus

Digitized by Google

Deus nobis & Pater, & Dominus est, sectemur patientiam Domini, pariter & Patris, quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres] magna est hominis gloria, vt nobis dicatur: vt sitis filij patris vestri; Exemplum hoc, & mansuetudinis, & patientiæ vterque Doctor egregiè tractat, nec desunt multa in hoc genere quæ imitemur. Et hic sit finis huius tractationis de affectibus.

Oratio morata quæ Oratoris bonos mores indicat. *Cap. XXVI.*

EX tribus capitibus, vnde Arist. docet fieri persuasionem, vt supra significauimus, ex rebus, ex auditoribus, ex oratore ipso, tractata iam duo sunt. Ad primum pertinent omnia argumenta quæ ex locis duci diximus in singulis concionum generibus. Ad secundum tractatio de mouendis affectibus, de quibus item multa diximus. Ad tertium genus refertur quæ dicitur oratio morata de qua agendum iam restat, quam cum eodem libro non immeritò iungendam arbitramur, quia etiam hic de affectibus est sermo. Hanc autem eam esse docet Cicero, quæ bonos & amabiles mores Oratoris significat, & repræsentat, & alibi eam esse affirmat, quæ accommodatur ad mores, naturam & genium, seu ingenium auditorũ, facile namq; persuademur cum ea audimus, quæ nostris moribus & sententiæ congruunt. Itaque duobus maximè modis oratio morata dicitur, ac de vtroque nos aliqua subijciemus. Primum ergo opinionem bonam conceptam de virtutibus, ac sanctitate Concionatoris, maximam vim habere ad persuadendum experientia docet, & confirmat omnium sapientum authoritas. Ambr. Aduertamus, ait, quod in acquirendis consilijs, plurimum adiungat vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentia, vsus, frugalitatis gratia, quis enim in cæno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat?] Fertur Demosthenes, cum ad dicendum contra eum Phocion assurgeret, dicere solitus ad familiares suos, Mearum securis orationum exurgit. Incertum est autem (inquit Plutar.) de oratione illius sic sentiret Demosthenes, an de vita & existimatione, quod permultis, & prolixis circuitibus, vnum verbum & nutũ existimaret probati viri esse validiorem. Videmus planè aliquos ex Concionatoribus, facili negotio ad se attrahere multitudinem populorũ, solo nomine sanctitatis, etiãsi nec multa polleant doctrina, nec

1. *Rhet. cap.* 3.

In Partit.

Opinio de Oratoris virtute multum valet.

2. *de Offic. c.* 12.

Digitized by Google

vlla penè eloquentia. Sed quoniã id ſatis notum eſt,& à me alibi oſtenſum, hoc loco pluribus confirmare neceſſe nõ eſt, præſertim cum hic non de perſona Concionatoris, quod in prima parte factum eſt, ſed de ipſa oratione ſit ſermo, quæ morata dicitur,quæ debet ſignificare mores ipſos dicentis quaſi è ſpeculo redditos. Illud omnino certum eſt,Concionatorem ſimulatum, qui quos non habet bonos mores oſtentare velit, & ſibi & auditoribus, & verbo Dei quod prædicat, multum afferre damni: Sibi quidem quia grauius à Deo iudicabitur, vt hypocrita,qui ſub perſona ficta & pallio ſanctitatis ſe contegat: auditoribus verò, quia etiamſi initio facile ſit aliquos decipi,tamen nihil occultum quod non reueletur, & vbi aduerterint homines, eum obtendere verbis quod non eſt, nullam ei fidem adhibebunt: primum, quia odioſa eſt ſimulatio, nec credimus ijs quibus ſumus offenſi; deinde quia quos mendaces moribus auditor viderit, eos putabit facile oratione quoque mentiri. Nam (ait Tullius) frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè. Vnde fit vt etiam verbo Dei inferatur iniuria, cum enim homines aliud audiunt ab ore, aliud agnoſcunt in perſona dicentis, putant eſſe nimis ardua & factu difficilia quæ dicuntur, cum nec eum qui docet videant ſeruare quæ dicit, & poſſint obijcere, cur ergo ea quæ dicis ipſe non facis? Imo (quod longè deterius eſt) ſuſpicatur populus per amplificationem, & verbi cauſa,dici ea omnia, quæ prædicantur de fugiendis peccatis, de ſeueritate diuinæ iuſtitiæ, de grauitate & æternitate pœnarum apud inferos; ſic enim tacitè ratiocinantur, ſi verè hæc ita putaret eſſe, vt prædicat Concionator, num ille ità viueret? Chriſtus Dominus in ſua perſona ſignificauit ac probauit innocentiam cum diceret, quis ex vobis arguet me de peccato? Amorem veritatis. Si veritatem dico vobis, quare non creditis? Animum liberum ab omni affectu inanis gloriæ,Ego non quæro gloriam meam,ſed eius qui miſit me. Videat ergo etiam atque etiam Eccleſiaſtes, vt has virtutes in ſe verè habeat, & non ſit affectata quædam hypocriſis. Nulla ſimulatio locum in pulpito habere debet, multo minus ſanctitatis. Deus non eget mendacijs noſtris, ipſa planè probitas vbi vera eſt ſe prodit, prematur licet interdum,& occultetur, tandem erumpit. Vbi autem vera non eſt, ſed ſimulatur, ipſa ſe ars, & malitia palam facit: & vnde quærebatur authoritas, inde contemptus refertur. Simul etiam cauendũ eſt, ne dum vult orationem moratam facere, incidat in oſtentationem,

Orator ſimulans virtutẽ quam non habet valde noceet.

Epiſt. ad Quintum fratrem.

Ioan. 8.

nem, & ſuarum laudum commemorationem. Hoc enim (vt alias etiam monui) fidem oratori non conciliat, ſed detrahit. Paraſiti eſt ſe ipſum iactare, nec vſquam oneroſior eſt ſuperbia, quàm in cathedra humilitatis. Omnes enim Chriſtiani etiam è vulgo norunt nullam eſſe veram virtutem, niſi ea in vera humilitate fundetur, & cum humilitate creſcat, & ab humilitate perficiatur. Iam in prima parte enumerauimus aliquas virtutes Concionatori maximè conuenientes, nunc breuiter attingamus, quas, & quomodo ſignificare debeat, vt fiat oratio morata, & paret ſibi aditum, etiã ex hac parte ad perſuadendũ.

Quas virtutes ſignificare debeat oratio morata.

Oratio & Sermo noſtri Oratoris debet ſignificare virtutem Religionis, & zelum quem erga cultum diuinum habet, quod fiet, ſi loquatur de Deo magna cum reuerentia, & honore, cũ oſtendit, ſi quid boni eſt in nobis, à Deo eſſe, & omnia ab eo pendere: quando inter orandum ad Deum affectu ſe conuertit, eiuſque opem ſupplex implorat. Ita videmus factum etiam ab ijs oratoribus qui Dei veri notitiam non habuerunt, forſan ab aliquibus animo ſimulato, non ex pietate vera, ſed ita ſibi volebant authoritatem conciliare apud populos, cum viderent quantum momenti in hoc poſitum eſſet; ſed noſtri Patres, & Prophetæ, ex vera Dei Religione id faciunt. Diuus Paulus, flecto genua mea ad Patrem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, vt poſſitis comprehendere, &c. Sæpe petit aliorum preces, frequenter docet ſe pro eis orare. Teſtis mihi eſt Deus quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio. Huc tendit zelus quem ſpirant verba eius de gloria Dei, & Chriſti Domini manifeſtatione. Debet oſtendere orator Chriſtianus ſinceritatem animi, vt appareat eum nil aliud quærere ex concione, quam Dei ſolum honorem, & auditorum ſalutem, vt cum D. Paulo dicat, Non noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum: ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra: ex ſinceritate ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur. Et gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei conuerſati ſumus, &c. Debet ſignificare Amorem & Charitatem, & animũ maximè beneuolum in Auditores, quem cum aduertunt & credunt eſſe verum amorem, non in verbo tantum & lingua poſitum, ſed ex ſincero affectu cordis natum, ſine labore flectuntur in omnem partem. D. Paulus ſæpe ſignificat in Epiſtolis libenter impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. Non vt confundam vos hæc ſcribo, ſed vt filios meos chariſſi-

Eph. 3.

Exemplum D. Pauli pro oratione morata in omni virtute.

Sinceritas mentis.

2. *Cor.* 4.
1. *Theſſ.* 2.
2. *Cor.* 2.
2. *Cor.* 1.

Charitas.

2. *Cor.* 12.
1. *Cor.* 4.

Digitized by Google

nos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in
Sollicitudo. Christo, sed non multos Patres. Nã in Christo Iesu, per Euan-
Gal. 4. gelium ego vos genui. Et filioli mei quos iterum parturio, do-
nec formetur Christus in vobis. Sic quando significat solici-
tudinem suam erga eos, & gaudium de bono eorum, dolorem
1. *Cor.* 11. de malo. Solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur &
Phil. 2. ego non infirmor? Si qua consolatio in Christo, si quod solatiũ
charitatis, si qua societas spiritus, implete gaudium meum.
Rom. 9. Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, optabã
Libertas in dicendo. enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Et
simul libertatem in dicendo, vt non occultet veritatem ex ti-
Rom. 1. more aliquo. Non erubesco Euangelium, virtus enim Dei est,
2. *Tim* 2. & verbum Dei non est alligatum. Rogo vos, ne præsens audeã
2. *Cor.* 10. per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam, &c.
Sic etiam Sancti Patres sæpe significant se cum libertate debe-
Iustitiæ zelus. re loqui pro ratione sui officij. Præterea vt sit sermo Concio-
natoris moratus, aperiat zelum quo flagrat virtutis iustitiæ,
quod fiet ostendendo, quam cupiat vt omnes ita viuant, vt ne-
2. *Cor.* 1. mo alium lædat in vlla re, sicut significat. D. Paulus. Non est
apud me, est & non. Neminem læsimus, neminem corrupimus.
Et cum iubet preces fundi pro omnibus, maximè verò princi-
pibus, vt quietam & tranquillam vitam agamus, cum omni ca-
stitate, vel vt græca vox sonat, cum omni grauitate, vt quisque
innocenter & modestè se habeat: Etiam cum hortatur supe-
riores, & omnes ad legum obseruantiam, ad bonorum, & inno-
centium defensionem, & eorum punitionem, qui pacẽ & æqui-
Rom. 13. tatẽ perturbant; Omnis anima potestatibus sublimioribus sub-
dita sit. Et significat zelum contra omnes impios & impietatẽ,
Rom. 1. Vtinam abscindantur qui vos perturbant; si malum feceris ti-
me, non enim sine causa gladium portat; Et ad Rom. in impie
Temperãtia, & Honestas. tatem Philosophorum pessimorum inuehitur. Præterea Tempe-
rantiam, & Honestatem declaret, quod fiet, si sæpe ex occasio-
ne, inflammato spiritu celebret vitæ puritatem, & ostendat quã
Sap. 4. placeat illud: ò quam pulchra est casta generatio cum claritа-
te, & cum nausea & stomacho insectetur omne genus impudici
tiæ, omnes actiones lasciuas & effæminatas, & omnes impu-
dicas mulieres, magnam simul verborum honestatem adhibẽs,
1. *Cor.* 7. & quemdam quasi in ore ipso ruborem. Ita D. Paulus. Vellem
Modestia. omnes esse, sicut & ego. Modestiam etiam efferat & submissio-
nem animi, loquendò de alijs honorificè, de se autem modestè,
alios præferẽdo, modo nec laus appareat affectata, nec humili-

tas

tas ficta. Facile enim in hoc genere simulatio detegitur. Diuus Paulus sæpe hoc significat, cum se minimũ Apostolorum vocat, cum omnia gratiæ Dei tribuit, cum se nihil esse testatur. Item indicet moderatum animum in appetitione honorum, opum, dignitatum, nam spiritus ambitionis, & dignitatis & cupiditatis cum aduertitur in Concionatore, fidem eius verbis adimit. S. Paulus, argentum, & aurum nullius concupiui, sicut ipsi scitis. Habentes victum & vestitum his contenti sumus. Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est, neque quærentes ab hominibus gloriam. Fortitudinem animi, patientiam, & magnanimitatẽ præseferat; Sicut D. Paulus gloriatur, & gaudet de suis vexationibus, siuè persecutionibus & paratum se dicit non solum ligari sed etiam mori pro nomine Iesu, & pro fratribus. Ostendat benignitatem & misericordiæ affectum; Paulus, facti sumus sicut si nutrix foueat filios, ita nos desiderantes cupide, volebamus tradere vobis non solum Euangelium, sed etiam animam nostram, quoniam charissimi facti estis nobis. Sæpe obsecrat, sæpe laudat, & promptum se omnibus exhibet. Prudentiam etiam Concionator demonstret; quod fiet, si ita loquatur, vt ex modo dicendi, ex verbis, & sententijs ex ordine, & circũscriptione prudens appareat. Etenim si aduertitur imprudens, non modo non persuadet, sed nec libenter auditur. Non enim aures maturæ ferunt eum, qui inconsideratè, præposterè, ineptè, inordinatè, & imprudenter verba & res videtur effutire. Significatur etiam prudentia cum aperit officia eius virtutis, actus eius tangit, quàm sint omnia cum consilio facienda monet, cũ præuenit occasiones futuri alicuius mali, & præmonet. Hæ sunt præcipuę virtutes, quæ si splendeant in sermone Christiani Oratoris, possunt ei animos auditorum ita conciliare, vt iudicent eum esse virum planè dignũ, cui fides adhiberi possit, etiam sine argumentorum, & probationum multitudine, tantum momenti est in authoritate dicentis, cum ex eius concione homines cognoscunt esse virum prudentem, benignum, moderatum, modestum, iustitiæ zelantem, honestatis amicum, non se ipsum, sed honorem & vtilitatem auditorum quærentem, sincerum, sine adulatione, sine hominum inani timore, Diuini cultus, & gloriæ Dei amantem. Hæc est igitur oratio morata, quæ duobus modis potest exerceri, vel vt Orator has virtutes, & hos mores frequenter doceat, sic enim ad eos se bene affectum esse declarat; vel si in sua cõcione adhibeat quasdam sententias,

1. *Cor.* 15.

Moderatio animi.

Actor. 20.

1. *Thess.* 2.

Fortitudo.

2. *Cor.* 12.

Actor. 21.

Benignitas.

1. *Thess.* 2.

Prudentia.

Duobus modis oratio morata exercetur.

tentias, quæ hos mores significent & contineant, quibus oratio tanquam quibusdam coloribus, ac gemmis, non solum ornetur, sed etiam confirmetur. Habent enim sententiæ præter alias excellentias, hanc etiam, quod etiam supra monuimus, vt orationẽ faciant moratam, & oratoris mores repræsentent, & sint quasi argumenta quædam ad persuadendũ, vt experimur cum legimus eorum scripta, qui sententijs abundant, qualis est inter externos Seneca, Plutarchus, & alij plerique & inter nostros ferè omnes Patres.

Sentẽtiæ gratiæ moratam reddunt orationem.

Oratio morata quæ auditorum moribus se accommodat. Cap. XXVII.

DIcebam supra Orationem moratam etiam esse, quæ moribus & ingenio auditorum consentit. Eam ob rem multũ refert nosse mores eorum, & forte huc tendit illud D. Pauli. Facti sumus paruuli in medio vestrum. Et illud cũ essem astutus, dolo vos cœpi, & illud omnibus omnia factus sum. Deberet igitur nosse Concionator mores omnium ætatum, Adolescentum, Senum, Virorum, Nobilium, Diuitum, Magnatum, Principum, Nationum, Profitentium diuersa studia, Doctorum, Mercatorum, Militum, Artificum, Agricolarum, diuersorum statuum, Coniugatorum, Religiosorum, Superiorum. Si enim velit aptè loqui, & sermonem probabilem facere, debet pro varietate morum audientium diuersos loquendi modos assumere. De moribus trium ætatum Aristot. agit in Rhet. & nos nonnulla significabimus. Iuuenes ad cupiditates proni sunt, præsertim amatores, nec solum sunt cupidi, sed etiam audacter, ac prompto animo aggrediuntur, & res difficiles ad exitum tentant, & sperant se posse perducere. Sunt mutabiles, & mutantur in horas, citò enim fastidio rerum capiuntur, & simul ac desiderio potiti sunt satiantur: acuta magis quam magna, & summa desideria habent, qualis (ait Aristot.) est aliquando sitis, ac fames ægrotorum: facilè ad iracundiam excandescunt, & iræ impetu feruntur, quia cum sint honoris cupidi, non pati possunt vllo modo ab aliquo se paruifieri, vnde & irascuntur. Sunt maximè cupidi victoriæ, & excellentiæ vt alijs præstent, sicut de Pueris etiam Cic. idẽ affirmat. Quos illi labores non ferunt, vt æqualium principes habeantur? magis desiderant honores, quàm opes, hos enim non videntur magnifacere, quia non sunt experti malum inopiæ: Non sunt maleuoli ac praui ingenij, vt solent qui

1. *Thess.* 2. 2. *Cor.* 12. 1. *Cor.* 9.

2. *Rhet.* & c. 12. Iuuenũ mores.

Digitized by Google

qui res in malam partem interpretantur, sed simplices potius, & facile credunt, cum non sint adhuc experti hominum fraudes, sunt propensi ad spem, & sibi promittunt, quod cupiunt, vt Ebrij, & magna ex parte spe viuunt, & sunt animosi, ex eo quod sunt spei pleni, & propter calidum sanguinem. Amicorũ sunt ac sodalium studiosi magis quàm cæterę ætates, & gaudẽt conuictu. In rebus suis peccant contra illud Chilonis; Ne quid nimis; nesciunt mediocritatem tenere, sunt audaces, putant se omnia scire, & omnino asseuerant quæ dicunt, & contendunt, iniurias faciunt magis ex quadam insolentia, vt honorem suum præferant. Sunt misericordes, sunt ad risum procliues, ac facetias, & sales; Passim ac temerè effutiunt quæ in corde habent, Hæc fermè de Iuuenibus Aristot.

De senibus consequenter agit, ac eos docet ferè contrarijs moribus, quàm iuuenes esse affectos: Nam hi affirmant facilè omnia, illi suspicantur potius, quam scire se dicunt, & facilè dubitant, ancipites sunt, nempè vsu docti, pronum esse decipi, & ingenio sunt maleuolo, quia in deteriorem partem potius res accipiunt, neque valdè diligunt, nec vehementer odio habent, sunt animo pusillo & timidi, ob frigidum temperamentum; pecuniarum tenaces & auari, valde cupidi vitæ, cuius penuriam habent, difficiles & queruli. Sequuntur magis commoditatem & lucrum, quam dignitatem, magis proni ad inuerecundiã, quàm ad contrarium, potius memoria præteriti quam spe futuri viuunt: ad loquacitatem propensi propter multa quæ viderunt, & audierunt, quæ iunioribus libenter narrant, quoddam magisterium exercentes. Iræ senum acres, sed languidæ, & cito dissoluuntur. Non sunt cupiditatibus obnoxij, iniuriæ si quas irrogant, præcipuè contra facultates feruntur, & patrimonia: sunt tamen misericordes vt iuuenes, sed ob aliã causam, nam hi misericordia mouentur ob amorem & naturę bonitatem, quia nollent quenquam calamitate premi; senes verò quia sua mala norunt, & timidi sunt, sollicitantur animo cũ alios afflictos cernunt, timentq; nè eadem sibi eueniant. Neque iocos amant, neque facetias. At de his qui in virili ætate sunt loquitur c. 14. quos, sicut medij sunt inter duas iam dictas ætates, ita etiam medio modo se habere affirmat, & participare aliquid de vtraque, quod nimium in vtraque est, reijcientes: Nec facilè credunt vt Iuuenes, nec difficilè vt Senes, sed credunt quibus debent: suas actiones nõ solum ad honestatem vt iuuenes, nec solum ad lucrum vt Senes, sed ad vtrumque referunt, mediocri-

Cap. 13. Senũ mores.

Cap. 14. Virilis ætatis mores.

Digitized by Google

diocriter cupidi, & iracundi, & denique sunt mores horum in mediocritate quadã positi inter mores iuuentutis ac senectę.

Vsus autem horũ quæ de ætatibus dicta sunt, hic est, vt Orator ad suadendum ita accommodet, in quibus poterit, orationem suam moribus audientium, vt eorum ingenio sit consentanea, & tunc morata erit, & facili negotio persuadebit: exempli gratia, si materia concionis patiatur, cũ apud iuuenes loquor, studebo ad misericordiam eos cõmouere, ex ijs quæ dicta sunt de hoc affectu, ea colligens, & oratione persequens, ac describens, quæ possint illum ciere. In hoc autem potius affectu insistam, quia scio iuuenes, quos alloquor, esse ad eum proclíues. Eodem modo adhortans ad virtutem, ad victoriam vitiorum, explicabo rei dignitatem, ac præstantiam. Decere viros magno animo, magna peragere, & sperare, nec moueri lucro, sed dignitate. Quia verò sunt propensi ad amorem, excitabimus ad amandum Deum, & Christum, describendo ea quæ supra diximus valere ad inflammandum amorem, quæ omnia dicuntur secundum naturam iuuenum optimè. Et quia sunt natura verecundi, hinc argumentum sumetur, vt viros pios vereantur, ac Deum, cuius oculis omnia sunt manifesta, & omnem turpitudinem auersantur: & quia spe viuunt adhortabimur ad fiduciã habendam in Deo, & magnificentiam, gloriam, & fœlicitatem cœlestis patriæ proponemus, vt eo spes suas & conatus attollant. Eodem modo si Senes velimus hortari ad contemptum rerum humanarum, proponemus quàm sint incertæ, quàm dubiæ, quam parum sit fidendum his; quod est secundum naturam senum. Si viros, multò facilius cum in medio sint. Laudando mediocritatem, extrema fugienda, docebo quod virilis ætatis ingenio est conforme. Præter ætatũ mores possunt attendi, mores eorum qui externis bonis abundãt, vel destituuntur, vt sunt nobiles, & ignobiles, diuites ac pauperes, potentes & contra, & qui prospera vtuntur fortuna, vel aduersa. De moribus Nobilium, Diuitum ac Magnatum eodem loco agit Arist. nos verò hic supersedemus, quia supra cum de statibus actum est, de eorum moribus & vitijs aliqua diximus, vnum illud hic ex Aristot. non tacebo, qui mores diuitis ait, similes esse insano alicui qui se beatum crederet, vel fortunato insipienti, quo (ait Cicero) nihil intolerabilius fieri potest.

Cap. 17. Magnatum mores.

Potentes & qui sunt in magno statu partim esse ait *similes* diuitibus, partim meliores quia mores eorum sunt magis viriles, & magis populo, cui præsunt ac statui inuigilant, & solent esse

esse modestiores, sed quando iniurioſi sunt in aliquem, non minutas aut leues, sed magnas irrogant iniurias. Denique quibus omnia prosperè succedunt, solent esse insolentiores, & in multis moribus communicant cum nobilibus, diuitibus, ac potentibus; sed hoc habent peculiare, quod videntur suam felicitatem à diuini numinis fauore sibi datam agnoscere, vnde ad cultum rerum diuinarum, sunt magis proni quàm alij. His autē moribus contrarios mores habent qui sunt ignobiles, inopes, imbecilli, qui aduersa vtuntur fortuna. Vsus horum quæ dicta sunt erit, vt accommodemus orationē ad eorum sensum quantum fas erit, & si quidem sint boni mores, vtamur ad nostram causam, si verò mali sint corrigamus, & si possumus conuertamus in bonum; Nam cum nobiles magnifaciant nobilitatem, & honorem, possumus laudare quidem nobilitatem, sed hortari, vt sanguinis nobilitatem iungant cum vera nobilitate virtutis; & generositatem celebrare, vt sciant nil turpe faciendū, & indignum nobilium moribus. Si ad diuites sit sermo, ostendam quæ sunt verę diuitiæ animi, & vt intelligant illud Diui Pauli: Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum sed in Deo viuo. Poterunt, quod sæpe aptissime S. Chryſ. facit, aliquando conferri nobilitas humana cum diuina: & diuitiæ terrenæ cum cælestibus, ostendendo singillatim quantum excellant diuina & cælestia; quam multos habeant defectus humana, & terrena. Inde enim fiet, vt qui nobilitatem, & diuitias amant, à vilioribus ad meliora animum, & vota traducant. Eodem modo dico de his qui potentatu, & prosperis rebus fruuntur, vt ad Deum ferantur, à quo hæc bona acceperunt, & agnoscant Deum esse, cui curæ sunt regna, & potentatus, & ad cælestis regni amorem pelliciantur. Contra verò cum ad ignobiles dirigitur sermo, explicabimus præsentis sæculi dignitates meritò cōtemnendas: si ad inopes, laudabimus mores bonorum pauperum, qui sunt humiles, & paucis contenti; atque eodem modo de alijs iudicandum: vbi etiam multum valet, vt similitudines & exempla ex ijs afferantur, quæ nota & familiaria sunt ijs, apud quos loquimur. Et ex his quæ perstrinximus, studeat Concionator cognoscere diuersos mores, virtutesque ac vitia hominum aliorum, secundum diuersos animorum affectus, diuersas professiones ac status, diuersarum nationum proprietates. Denique nosse mores hominum ad hoc debet Oratori prodesse, vt quantum potest, se ad eos accommodet, & conuertat in suam causam: primum in dele-

Vsus horum qualis sit.

1. *Tim.* 6.

delectu materiæ quam sit tractaturus, eam potissimum assumat, quæ moribus auditorum præsentium magis conueniat: deinde in delectu argumentorum, ac probationum, ea etiam maximè afferat, quæ eorum opinioni consentiant, quibus facilius ad virtutes trahantur. Præterea in affectibus, eos præcipuè commoueat, quos paratiores viderit, ad finem persuasionis vt amorem & iram in iuuenibus, metum ac misericordiam in senibus. Præter hæc sæpe insistendum erit corrigendis malis affectibus, ac moribus, & animis auditorum prout locus exiget, contra eos præmuniendis, admonendo vt bene vtantur, & ætatibus, & bonis externis, & statibus.

Finis Libri Septimi.

Digitized by Google

DE DISPOSITIONE, ELOQVVTIONE, MEMORIA, Et Pronuntiatione.

LIBER OCTAVVS.

Dispositio in varijs generibus Concionum.

CAPVT PRIMVM.

QVAE hucusque dicta sunt, ad inuenien-
di laborem ferè omnia tendunt, qui in-
ter partes huius facultatis est primus
& maximus. Iam verò secundus labor
& industria Oratoris est, quæ inuenerit
suo quæque loco aptè disponere. Nam
quemadmodum domum non efficiunt
congesta temerè cæmenta, sed scitè col
ligata, atque composita; ita Concio-
natorio in opere, quamlibet abundes rerum copia, nisi illas
ordo, ac dispositio digestas, & inter se commissas prudenti ra-
tione connectat, aceruus est, non oratio. Non solum in profa-
nis literis prædicatur in exercitu ordo, sed & in sacris diuina
sponsa collaudatur, quod sit velut castrorum acies ordinata.
Sapienter etiam ab aliquibus dictum est, ipsam rerum creata-
rum naturam, non nisi ordine stare, quo confuso, omnia esse
peritura. Sic oratio carens hac virtute, tumultuetur necesse est,
& tanquam sine rectore fluitet, multa repetat, multa transeat,
multa permisceat, velut nocte ignotis locis errans, casum po-
tius, quam consilium sequens. Nec dicenti solum vtilis est or-
do, ne perturbetur confusione rerum; sed etiam Auditoribus,
vt commodè cuncta percipiant: ordo enim tum rem lucidam
facit, tum vero vt memoria conseruentur audita. Quam autē
dispositionem singulæ Conciones requirant relinquitur id inge-
nio, & iudicio Concionatoris; Multiplex enim natura rerum,
variusque modus quo ordinari possunt, efficiunt, vt sicut Fab.
dixit,

Dispositio maximè pendet ex Oratoris iudicio.

Digitized by Google

dixit, dispositio Oratoria nullis præceptis comprehendi facilè possit. Aliqua tamen vt ingenium ex his ad alia excitetur, attingam, vbi pauca prius quæ conueniunt omnibus orationibus admonuero. Potest enim triplex considerari dispositio in Concione. Prima totius orationis in partes integrantes: Secunda totius orationis in partes diuisionis, seu partitionis, vbi rursus considerandæ in omni genere Concionum sua propria dispositio: Tertia singularum probationum, ac sententiarum ordo in singulis partibus. Et quidem si loquamur de Prima dispositione, omnis Concio, sicut apud Rhetores, ita disponi potest apud nos, vt habeat Exordium, Narrationem, Confirmationem, & Epilogum, de qua collocatione nobis postea sermo erit. Sed præter hãc, Secunda est dispositio quam hic magis quærimus. Explicandum est enim, vbi multa iam inuenta, & coacerua materia est ad idem pertinens argumentũ, ad quæ capita possit commodè reuocari, qua ratione distribui, atque disponi, vt ex incondita sylua, quasi eleganter dimensus, atque descriptus hortus aperiatur. Quæ planè dispositio omni Concionum generi etiam conuenit, vt initio Concionis afferatur propositio aliqua, seu partitio, quæ totum Concionis argumentum contineat, & quantum necesse est dilucidè declaretur, vt intelligant Auditores quid sit tractandum, quid intendat Concionator docere, quid persuadere, quid ab Auditoribus in illa Concione expetat; Deinde ad probationes motusque deueniatur.

Dispositio in partes integrantes.

Tota materia distribuenda in capita.

Potest etiam in syllogismi formam oratio tota referri, vt sæpe Tullius facit; nam Milonianæ ea vis est. Omnis Insidiator iure occiditur. Clodius est Insidiator, Ergo. Et pro lege Manilia. Qui habet partes Imperatore dignas est eligendus, Talis est Pompeius in quo omnia adsunt, Ergo. Eodem modo si Concio habenda sit super illo Themate, Diligite inimicos vestros, posset huiusmodi confici syllogismus, qui totam Concionem contineret. Quodcunque dicit Christus Dominus faciendum est, sed ipse dicit diligendos inimicos, igitur inimici sunt diligendi. In explicationem propositionis possunt plurima afferri, quæ doceant quàm bonus, quàm sapiens, quàm nostri amans sit Christus, quàm multis nominibus ei obtemperandum sit, quàm honesta, necessaria, quàm nobis vtilia sunt quæ præcipit, quàm in nostrum bonum omnia eius præcepta, dicta factaque tendant, ampliando à comparatione hominum, si sunt Principes, aut Viri prudentes ac sapientes, & nobis beneuoli, & alia id genus. Hoc autem pacto propositione tractata, ad assumptio-

Tota cõcio diuidi potest in vnum syllogismum.

Matth. 5.

Digitized by Google

ptionem deuenſetur, vbi poterit oſtendi quàm ſæpe quàm grauiter, quot modis Chriſtus Dominus dicat diligendos inimicos; quæ cum fuerint ſatis explicata, congeſtis ad amplificandum alijs quoque rationibus, & magno ardore aptè ad motũ propoſitis, oratio cõcludetur, vel ſuper illo; Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Vbi non licet duobus dominis ſeruire, ſeruiendum eſt meliori, ſed Deo & Mammonæ ſeruire nemo poteſt, ac melior Dominus, ipſe Deus eſt, Igitur Deo ſeruiendũ. Huius ſyllogiſmi partes ſi ſeparatim ordine tractentur, & oſtẽdatur primum propoſitio maior, quam ſit abſurdũ aſſumi Dominum peiorem, quàm ſit contra prudentiam, & communem hominum modum, quàm contra iuſtitiam, contra propriam cuiuſque vtilitatem, & alia huiuſmodi, tum ſubiungatur aſſũptio, & explicetur prima pars ex authoritate ipſius Chriſti, deinde ex natura rei, exemplis, ſimilitudinibus, ac poſtremò addatur pars poſterior, ideſt comparatio Dei & Mammonæ, & explicentur differentiæ Domini vtriuſque, vltro ſequetur concluſio, & quiſque auditorum facilè per ſeſe concludet Deo omnibus modis, nullo modo Mammonæ ſeruiendum. Eſt hic ordo valde naturæ conſentaneus, & ad docendum atque perſuadendum appoſitus. Iam pro tertia quam diximus diſpoſitione, omnibus item concionibus commune eſt, quod etiam omnes docent, inter argumenta quæ ad rem noſtram confirmandam aſſumimus, firmiſſimum quodq; primo loco ponendum, quæ verò maximè ad mouendum faciunt, & memoria volumus retineri in poſtremum locum reſeruanda, mediocria ac leuiora in mediam quaſi conijcienda turbam. Et grauiora quidem quia maiorem vim habent, ſingula tractari oportere, minora verò coaceruari, vt quod ſuapte vi nequeunt, numero efficiant. His iam prænotatis, proponendæ mihi erunt variæ diſpoſitionum formæ, tàm pro ſingulis concionum ſpeciebus, quàm etiam genericè; tum etiam varij modi in Euangelio tractando innuendi quod erit quaſi viam Oratori Chriſtiano demonſtrare, eiuſque ingenium ad bonam diſpoſitionem tenendam excitare, ſi tamẽ vnum prius admonuero. Multa quæ hîc de diſpoſitione & formis concionum dicuntur, habere magnam cum his, quæ ad præcepta inuentionis pertinent connexionem, & ſæpe ex ijſdem locis, ex quibus argumenta inuenta ſunt, tota concionis collocatio naſcitur, vt videri poſſit & meritò alicui, hanc doctrinã non minus pertinere ad inuentionem, & ad partitionem concionis, quàm ad collocationem. Quicquid ſit, ſiue hic inuentio

Ordo quis inter argumẽta.

An hæc tractatio pertineat ad Inuẽtionem.

Digitized by Google

etiam habeat suas partes, quod non negamus, siue hæc quoque partitionem & diuisionem doceant, quod facilè concedimus; Institutum meum est diuersas formas concionum assignare, ac multiplicem τάξιν significare, vt adhibito iudicio pro ratione materiæ, ac loci & personarum, statuat quod ad rem præsentem magis facere existimauerit Orator ipse. Iam igitur ad singula concionum genera veniamus.

In genere Didascalico & Exornatiuo. Cap. II.

IN genere Didascalico ordo quem tenere debemus, est idem ille qui à Theologis, ac Philosophis seruatur, desumiturq; ex eisdem locis, è quibus supra docuimus argumenta desumi. Aristoteles certè ac philosophi docent, in re primum quærendum An sit; deinde eius natura quæ sit, tertio loco proprietates quas habet, postremò causæ à quibus pendet: quam nos methodum in multis concionibus in quibus de virtute aliqua sermo sit, seruare possumus. Exempli gratia; De patientia, primò quam sit necessaria, hoc enim ad primum caput, an sit potest referri, explicando verba Pauli. Patientia vobis necessaria est; secundò quæ sit natura eius, & in quo vera patientia sita sit, quodnam habeat obiectum, quos actus; idque non concisis definitionibus, sed explicando, atque amplificando aliquarum scripturarum, & Sanctorum Patrum authoritates, in quibus natura eius aperitur; Tertiò quæ sint virtutis huius affectiones, & propriæ conditiones & attributa, quam sit meritoria, quantas secum perfectiones inuehat: Quartò quibus modis acquiratur, nam hoc est causas eius inquirere, ex quibus in animis nostris generatur. Sæpe omissa quæstione. An res sit, Theologi solent inquirere primum quid sit, eiusque definitionem explicare, tum quæ sint eius proprietates, præterea species, ac partes eius, gradus item, denique causas & effectus ostendere: cuius promptus esse potest ordo, quem in singulis materijs D. Thomas sequitur; qui planè in seruanda optima methodo excellit; Superfluum autem videtur hic admonere, non debere Concionatorem cum rigore huic dispositioni siue Philosophorum, siue Theologorum adstringi, sed pro re nata, eius iudicio liberum relinqui vt varietate vtatur, neque retinendos esse modos loquendi, aut terminos, vt vocant eorum, sed conuertendam orationem, & accommodandam ad aures populi. Pone tibi ante oculos quomodo D. Chrysost. qui ab aureo ore nomen habet, tractaret, si quem articu-

Quint. l. 8. cap. 10. An sit quid sit, & proprietates.

Heb. 10.

Alia Dispositio.

articulum D. Thomæ pro concione ſumeret explicandum: res quidem teneret, modum dicendi omnino variaret, amplificando ad popularem captum. Qua in re ſi quis eſſet benè exercitatus, haberet è Scholaſtica Theologia innumeros ad concionandum locos, & pleraque Theologica à Scholis & Academijs ad cætus quoque populares educeret.

In genere Exornatiuo, Cicero multos collocationis modos paucis verbis aſſignat, aut (inquit) temporum ſeruantur gradus, aut generum diſtributiones, aut à minoribus ad maiora aſcendimus, aut à maioribus ad minora deſcendimus, aut hęc inæquabili varietate diſtinguimus. Harum prima maximè naturalis eſt ratio, & ad hiſtoricam prope narrationem accedit, cum ſeruatur ordo temporum, & ita res diſponuntur vt euenere: vt primo loco ea dicantur quæ ortum alicuius præceſſerũt, cuiuſmodi ſunt genus, patria, parentes, & ſi qua præceſſerũt indicia à Deo, vt multa ſunt in Io. Baptiſta, & alijs ſanctis; inde, quæ ad vitam ſpectant, vt ſunt educatio, puericia, ſtudia; tum res in vita geſtæ atque virtutes. Denique mors ſi quid habet illuſtre, & quæ mortem conſequuntur. Qui ordo aliquando pro varietate locorum, & perſonarum inuertitur, & eſt ſecunda forma vt à nouiſſimis ordiamur tanquam recentiſſimis; quem ordinem commodè ſeruamus, cum poſtrema vim habent excitandi auditores, vt reliqua attentius audiant, ſic enim perſonæ quam laudamus authoritas, ſæpe apparet eſſe illuſtrior. Tertia eſt cum haudquaquam habetur ratio temporis, ſed ad quædã ſumma capita, ſiue facta, ſiue dicta referimus: vt ſi laudaturus aliquem ſanctum, dicam quomodo ſe geſſit circa Deum piè, circa proximos iuſtè, circa ſe ipſum ſobriè. Quarta forma eſt cum à minoribus ad maiora fit tranſitus, & ad maxima habita ratione dignitatis rerum, vt ſemper oratio creſcat, proponendo vtiliora, glorioſiora, magis neceſſaria. Quinta eſt cum res varias, & inæquales conteximus, vt ſi proponam in laudem S. Iob quam fuerit in rebus aduerſis fortis, quam in proſperis moderatus, vtrobique idem, ſimplex, rectus, ac timens Deum. Hæc autẽ inequalis varietas, ait Cicero, ſit cum parua magnis ſubnectimus; vt etiam ipſa appareant magna, vt cum obſcura & dubia dilucidis ac certis, læta triſtibus, vt Chriſtum paſſum & reſuſcitatum proponam, & ſimul triſtitiam cum gaudio iungam. Comparatio vel maximè in exornationibus valet, & aliquando oratio tota ex comparatione contexitur, vt ſi Io. Baptiſta cum Elia, nouus Adam Chriſtus cum veteri, Maria cum

Ordo in Exornatione. *In Partit. orat.*

Prima forma.

Secunda forma.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Comparatio.

Lib. 19. de Ciuit. c. 18

Eua, lex nona cum veteri cõparetur, ac præferatur. Sic Chrysost. comparat & præfert Monachum Regi, & Augustinus quãto digniores sint virtutes Christianæ Philosophicis. Potest etiã Orator hæc interdum tria capita rerum sibi proponere, Primò vt explicetur aliquis locus scripturæ qui ad rem faciat, desumptus vt plurimum ex Euangelio vel Epistola instantis diei, solent enim Euangelia ea, legi in Sanctorum celebritatibus, quæ aliquid doceant vel contineant, in quo Sãctus qui colitur, excellens habeatur & singularis, propter quod dici etiam solet. Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem excelsi, post tractatum scripturæ locum, ac thesim aliquam, amplificare aliquot capita virtutum eius Sancti quem laudat poterit, ostendens quàm ei conueniant, quæ supra in communi illa thesi disseruit, illud semper ante oculos habens, vt concio ad Dei magnificandam gloriam omnis accomodetur; quod enim præcipitur etiamnum militantibus, id etiam gratum est & maximè acceptum emeritis ac beatis; sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Tertiò debemus transire ad locos suasorij generis, excitando ad imitationem laudatarum virtutum, quod est præcipuum in concionibus Christianis, maximè ad promiscuam multitudinem, nuda enim ac sola laus non multum apud vulgus proficeret.

Alius Ordo tenendus in exornationibus.

Matth. 5.

In genere Suasorio & Confutatiuo. Cap. III.

IN genere suasorio ordo etiã nasci debet ex locis proprijs huius generis, quos supra annotauimus; nam suasio tunc fit cum bonum & expetendum id ostenditur, quod suadere nitimur. Quare proponendum est triplex genus boni, & primo loco posset tractari vtile, quia hoc plerosque capit; Deinde honestum, quo pauciores mouentur, tertio loco iucundum, quia item plerique iucunditate ducuntur, nisi alius ordo Oratori pro temporis & personarum ratione conuenientior videatur, cum alijs quæ his annexa sunt, vt ibidem explicauimus. Hanc methodum egregiè seruat noster Pater Hieron. Platus in libro quem inscripsit de bono statu Religionis, ad hæc enim tria capita reuocat omnia quæ docet. Præter hos locos habemus alios vnde argumenta duci diximus propria Theologis, ex quibus item potest obseruari dispositio. Aliquando enim possum ad suadendum, totam concionem in hæc tria capita partiri, scilicet

Ordo ex triplici genere Bonorum.

Aliæ formæ.

licet quàm id quod volo suadere, in Dei gloriam cedat. Secundò quam ad ædificationem Ecclesiæ, Tertiò quantum valeat ad nostram vtilitatem. Aliàs proponam alia tria, præceptum Dei, promissionem Dei, ac opem præsentem eius, minasque contrafacientibus intentatas. Quæ deinceps omnia scripturis, authoritate patrum, ac sapientum, rationibus, & exemplis cõfirmabuntur. Si verò quid dissuadendum est, ordo desumetur ex contrarijs omnino locis. Primò de turpitudine rei agendũ, quod fiet, si ostendatur quàm rectæ rationi honestatiq; aduersa sit, quantam habeat infamiam coniunctam, ac dedecus. Secundò labefactanda erit vtilitas, ostendendo damna tàm publica, quàm priuata, labores, molestias, pericula quæ impendẽt. Tertiò ostendendum rem non posse fieri, vel ægre admodum ex defectu causarum efficientium, vel adiuuantium: quamquam rarò incidit causa nostro Oratori, in qua tertius hic locus propriè valeat; tamen recte & ille traduci poterit ad dehortationes à vitijs, ostendendo quàm difficile suis cupiditatibus improbi potiantur: quàm fieri omnino nequeat, vt id quod in vitijs querunt, idest veram delectationem ac satietatem inuenant; & alia modi eiusdem. Ad suasorium genus reuocantur etiam consolationes: in quibus item ordinem parient loci, quos ijs proprios supra descripsimus. Cum verò oratio instituitur funebris, non est necesse, vt tota in laudibus defuncti insumatur, nec tota in consolandis amicis sit, sed ad vtilitatem audientium referri etiam debet. Pronus est ordo quem ibidem significauimus, vt primum, locus aliquis communis tractetur accommodatus tum dignitati demortui, tum vtilitati auditorum pro ratione temporis ac loci. Deinde aliquæ virtutes defuncti exponendæ. Tertiò conuertenda oratio ad consolandos præsentes. Quartò hortandi sunt ad aliquam virtutem, vel pium opus. Sic Hieron. de obitu Nepotiani, primo agit de morte à Christo deuicta, deinde varijs exemplis docet, quatenus sit viro Christiano dolendum in morte amicorum, & digreditur ad laudes Nepotiani. Rursum redit ad consolandum. Heliodorum ostensa miseria vitæ humanæ. Solet etiam ferè semper principio adhiberi aliqua deploratio index humani in Concionatore sensus, & apta per misericordiæ motum præparandis auditoribus ad excipienda hortamenta virtutum; lege quæ dicta sunt lib. 5. c. 16. ne eadem repetamus.

In Dissuasione Ordo.

In consolatione dispositio & funere.

Ad Heliod.

Oratio quæ in genere confutatorio versatur ad confutandũ aliquod falsum dogma, opinionem erroneam vel hæresim, de-

Ordo in confutatione.

Digitized by Google

bet ex duplici capite, sicut argumenta, ita & ordinem sumere, scilicet ex confirmatione veri dogmatis, falsique confutatione. In primis verò dilucidè & integrè ostendat sophismata & errorem aduersariorum, sumendo ex Scripturis, Patribus, traditione, Concilijs, decretis materiam, tam ad confirmandam veritatem, quàm ad labefactandum errorem. Hac in parte poterit legere eos, qui controuersias contra hæreticos scribunt, qui eo modo quo diximus veritates Catholicas roborant, & hæreses confutant. Alibi tamen diximus abstinendum esse ab hac diligentia, & labore vbi hæreses non vigent. Si verò habenda concio sit, vt à peccato aliquo homines corrigantur, ordinem assignabunt loci ijdem qui in dissuasorio genere; scilicet, turpe, impium, inutile, pernicioſum, iniucundum, difficile. Item loci theologici, argumentando ex Dei voluntate, & præceptis quæ violantur, ex Dei minis & pœnis, quàm sit contrarium Ecclesiæ, ex Scripturis in quibus multa sunt præsertim apud Prophetas. Hæc de collocatione pro singulis concionum generibus dixisse sufficiat, vt viam aperirem ad alia eiusmodi præstanda; sed vnum prius dixero quàm absoluam, nempe cõmuniter in concionibus hæc genera miscẽri, & fieri quoddam genus ex his, vel omnibus, vel pluribus mixtum, licet in vno aliquo genere magis sita sit concio, & tunc iudicio & prudentiæ Concionatoris, quæ methodus sit seruanda relinquitur. Iam dicamus de dispositione seruanda cum Euangelium tractandum sumimus.

In genere Reprehensorio.

Methodus in tractando Euangelio. Cap. IV.

POtest Euagelicæ historicæ contextus multis modis proponi atque tractari. Primò, aliquando breuissimè exponitur totum Euangelium per modum Paraphrasis cuiusdã, quod aliqui prætermittere nunquam solent, sed nisi valde presse fiat referendo summa capita, & cum lepore & claritate posset esse molestum, nisi propria loci & auditorum ratio id postulet. Nã in paruis oppidis & gratissimum solet, & commodissimum esse, rudiores enim hoc modo facilè historias Euangelicas discunt. Secundò, alias Euangelium totum percurritur & explicatur per modum Homiliæ, quæ est quasi sermo valde familiaris, & tanquam patris ad suam familiam, adhibendo aliquas licet modicas amplificationes, & exhortationes, vt faciunt multi Patres, Augustinus, Greg. Chrys. in Homilijs & plerique alij.

Primo Paraphrasis.

Secundò Homilia.

Solet

Solet autem hæc ratio, habere tres partes; primò præparationem per modum exordij disponentis auditorem; secundò partem didacticam, in qua docetur aliquid circa sensum literalem; tertiò exhortationem morum, cum aliqua precantiuncula ad Deum cum se se offert occasio. Tertiò, distribuimus in aliquot membra totum Euangelium, ac per se, singula consideramus; & quodlibet membrum habet suas distinctas considerationes, & doctrinam morum, etiamsi inter se non habeant connexionem. Hic modus sua varietate potest aliquo modo delectare, præsertim cum in multiplici argumento facilè sit, quædam in singulis partibus spectabiliora inuenire: sed non videtur valde vtilis si multum varietur, cum populus magis detineatur ostentatione illa variarum mercium, quàm fructu pascatur. Multi hanc viam sequuntur, quia facilis est, nec indiget magno ingenio: sine magno enim negocio licet ex aliqua catena Euangelij decerpere, vnde concio eiusmodi statim coaceruetur. Quartò, videtur habere plus grauitatis & ingenij, si instituatur de vna quapiam re disputatio, eaque tractetur per aliquas considerationes ex ipso Euangelij contextu erutas ad vnam eamdemque doctrinam pertinentes. Habet hic modus commoditatem multiplicem; Nam & aliquot Euangelij partes explicantur suis locis, & proponitur tractatio vna bene contexta, atque ordinata, suis constans & absoluta partibus. Ad hæc facilè amplificationes recipit, & affectuum permotionem, vnde & persuasio in qua est finis nostri Oratoris, existit. Denique hic modus est doctis, iuxta ac rudibus valde accommodatus; sit exemplum in tertia Dominica Quadragesimæ: Posset hic agi de regno tyranico Dæmonis, de quo Euangelium loquitur, & tria occurrunt, primò nomina huius tyranni, dicitur enim in Euangelio Dæmonium mutum, fortis armatus, & spiritus immundus; secundò, locus vbi exercet suã tyrannidem, qui est mundus & anima peccatrix, qui locus in Euangelio tribus etiam nominibus exprimitur, vocat enim eũ ibi Christus regnum schismaticum ac diuisum, atrium, & domum vacantem, scopis mundatam, & ornatam; tertiò modi quibus regnat, qui etiam sunt triplices, scilicet vt reddat suos subditos cæcos, surdos, ac mutos. Quintò, sæpe ipsa Euangelica historia habet suam methodum & partitionem, vt in Euangelio Epulonis satis bona methodus, & forma concionis est, si de culpa & pœna diuitis Epulonis agatur, deque patientia Lazari in vita, & requie in morte: vel ita dicamus; tria hic

Tertiò Distributio Euãgelij in capita.

Quartò Reductio Euangelij ad vnũ aliquod caput.

Quintò Methodus, ex, ipsomet Euãgelio.

Luc. 16.

Digitized by Google

docentur, primò vtriusque conuersatio in vita præsenti; secundo vtriusque migratio; tertiò vtriusque status post hanc vitam: Sicut in Dominica prima post Epiphan. diuidam Concionem in tria membra; in primo considerabo Christum à parentibus amissum; in secundo Christum quæsitum; in tertio Christum inuentum. Sextò, nonnunquam potest sumi vna quæpiam in Euangelio sententia, & ordinari concio examinando verba thematis; exempli gratia sit sententia, Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde. De tribus possum dicere; primo de actu dilectionis ex præcepto, super verbo diliges; secundo de obiecto diligendo, qui est Dominus, & Deus, & tuus; tertio de modo dilectionis, scilicet ex toto corde, tota mente, &c. Si velim agere de confessionis conditionibus super illo themate, Ite ostendite vos Sacerdotibus, proponam quatuor quę his verbis innuuntur; primo, Ite, significat accelerandam esse confessionem, & non prorogandam; secundo, ostendite, docet simplicitatem ac sinceritatem in confessione tenendam; tertio, vos, accusationem sui, non excusationem peccati, neque aliorum culpam aperiendam; quarto, Sacerdotibus, obedientiam præcipit confessario præstandam. Item in Illa verba, quærite primũ Regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis; explicabo quid nomine Regni Dei intelligatur, videlicet gloria Dei, & nostra futura beatitudo; secundo quæ sit iustitia regni huius, tertio quomodo primum quærendum sit Regnum Dei & iustitia eius, quia hæc prima ac summa sunt; quarto vt omnia terrena sint additamenta & adiuncta quædam minimi æstimanda. Eodem modo. Estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ, agam de simplicitate prudente; secundo de prudentia simplici; hanc methodum seruant in multis sermonibus D. Thomas, Bonau. Bernard. Septimò tota historia Euangelica vel maior pars, potest referri & trahi ad vnam aliquam sententiam præcipuam Euangelij, vt in Euangelio Lazari, Ecce quem amas infirmatur, de Christi amore in Lazarum, quem amorem agnoscimus ex testimonijs tum Sororum, & Euangelistæ, & ipsiusmet Christi, tum Iudæorum, & solicitudine & alijs, vt sunt lachrymæ Christi, ex affectu vocis resuscitantis. Octauò, nonnunquam vna sola vox, quæ in Scripturis vario modo accipitur, vel in bonam partem, vel in malam, occasionem præbet, vt methodum certam sequamur: verbi gratia in festo D. Iacobi, in verba Calicem meum bibetis, potest fieri sermo de duplici Calice de quo Scripturæ agunt, scilicet

Luc. 2. Sextò vna sententia Euangelij potest sumi.

Matth. 2.

Luc. 17.

Matth. 6.

Matt. 10.

Septimò ad vnã sententiã totum Euangelium.

Ioan. 11.

Octauò ex vna voce totum Euangelium potest referri.

Mundi

Digitized by Google

Mundi vel Babylonis, & Christi, sic in Euangelio Samaritanæ de duplici sapientia Mundi, & Dei, sub symbolo aquæ cum in Scripturis vtrumque significet, & sic de duplici ira bona & mala in Euangelio, Ego dico vobis non irasci. Eodem modo super Euangelio: Erat nauis in medio mari, posset considerari nauis vel vt Ecclesiam figurat, vel vt animam. D. Bernard. Septem panes quos Christus multiplicauit, docet esse miserationes Dei septem. Nonò, animaduertendum est quis sit præcipuus Euãgelij scopus, & finis, & de eo potest agi, & tunc explicabuntur partes aliquæ Euangelij circa illum, verbi gratia in primo die Cinerum intendit Christus docere intentionem rectam, quam in omnibus operibus tenere debeamus. De hac potest haberi Concio, & optima methodus erit illa quam ipsum tenet Euangelium, dũ de mala docet, Nolite fieri sicut hypocritæ tristes, & nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: de bona autẽ, tu autem cum ieiunas, vnge caput & thesaurizate thesauros in cœlo. Decimò in parabolis nõ est difficilis via, primò venari & explicare oportet scopum parabolæ, Secundò philosophari ex symbolica theologia exponendo similitudinem parabolæ, cum re quam inuoluit, vt verbi Dei cum semine, Christi cum vite, Dei cum sole. Tertiò applicare ad mores, & ad persuadendum quod Christus intendit. Vndecimò aliquando locus Euangelij habet diuersas expositiones Patrum, & methodus poterit esse ipsa loci tractatio secundum diuersas expositiones, V.g. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, quoniam dupliciter interpretes exponunt, agam de Iustitiæ Christianæ excellentia dupliciter, primò quam debeat Iustitia Euangelica, fictam iustitiam Pharisæorum & hypocrisim superare, Deinde quam antecellere etiam debeat Iustitia Christiana, Iustitiã Veteris legis. Duodecimò, ex Euangelio potest sumi occasio tractandi aliquam materiam, prout populi necessitas exiget. Ita frequenter Sanctos Patres in suis ad populum concionibus, facitare videmus qui opportunitatem de necessarijs rebus agendi, non tam ex Euangelij cursu expectant, quàm ex ipsa populi necessitate captant. V.g. super Euangelio. Quis ex vobis arguet me de peccato, possem agere de confessione: In Euangelio Dominicæ quartæ in quadragesima de misericordia: de pœnitentia, super Viri Niniuite surgent &cæt. Quod si fortè res quæ tractatur ab Euangelica historia valde discederet, ratio reddenda esset, cur ea de rè agat, ne videretur Concionator iudicio peccare. Decimotertiò, Denique potest Concionator primò

Matt. 10.

Serm. 2. *de Eu.* 7. *pasnum.*

Nonò Circa scopũ Euangelij.

Matth. 5.

Decimò in parabolis similium collatio.

Vndecimò Ordo iuxta diuersas expositiones.

Matth. 5.

Duodecimò Materia.

Ioan. 8.

Matth. 12.

Digitized by Google

Decimotertio locus aliquis communis.

primò totam Euangelicam historiam breui explicatione percurrere, secundò aggredi locum aliquem communem, vtilem immorando in rebus maioris ponderis, ea enim in quibus immoramur melius hærent. Cicero monet Oratorem, vt cum nactus fuerit aliquem locum firmissimum suæ causæ, in eo commoretur, in eum omnes ingenij neruos intendat, tertiò descendat & applicet ad particularia; Alloquatur, peccatores terreat, bonos consoletur, hortetur, affectus moueat prout materia exigit. Quartò ad perorationem veniat, per aliquam amplificationem, & exhortationem.

Dispositiones variæ concionum vniuersè loquendo. Cap. V.

ANnotabo hîc aliquas formas, & dispositiones cõmunes, quæ diuersis concionibus, vt occasio sese offert iudicio Concionatoris applicari possunt, in quocunque sint genere siue habeatur concio de Euangelio, siue de qualibet materia. Primus modus esse poterit vt primo loco tractetur thesis aliqua vniuersalis, secundo descẽdatur ad hypothesim V.g. de ieiunio loquar in genere, deinde de ieiunio quadragesimali. Thesi seruiunt loci communes, hypothesi multæ circunstantiæ particulares. Secundò in plerisque locis possum sequi ordinẽ quatuor causarum: probandum mihi est V.g. animam nostram debere in omnibus Deo adherere, & ad Deum confugere, & à Deo pendere ex illo themate, Mihi autem adhærere Deo bonum est, ostendam id, primo quia Deus est sola causa & principium animæ nostræ, quare opus habet pendere à causa sua, secundo quia est finis noster ad quem semper tendere debemus, tertio quia anima rationalis vt imago Dei debet continuam relationem ad Deum representatum habere, ad eum conuersa esse eum spectare semper; quarto ex parte causæ materialis, quod multas ob miserias ope Dei indigemus. Sic locuturus de Ecclesia vel Regno Dei examinabo has easdem quatuor causas. Tertiò, Aliquando potest materia tractari hoc ordine, vt primò dicantur ea quæ ad essentiam rei pertinent, secundo quæ ad circunstantias & accidentia: V.g. in mysterio Incarnationis & Natiuitatis, primo ipsum mysterium Verbi incarnati, quantum ad vnionem, & assumptionem, secundo circunstantia loci, temporis, modi. Sic de confessione, & sacramentis; primo essentia confessionis & præcepti, secundo modus & circunstantia confessio-

Primò thesis cum hypothesi.

Secundò ordo quatuor causarum.

Tertiò quæ ad substantiã & quæ ad circunstantias.

Digitized by Google

feſsionis. Sic de iudicio vniuerſali & particulari. Quartò, vnus aliquis actus ex diuerſis obiectis poteſt conſiderari, vt locuturus de miſericordia Dei, tractabo de triplici eius miſericordia, ſcilicet in peccatores, Pœnitentes, & Iuſtos planè multiplici. Super verba, Reddite quæ ſunt Dei Deo, dicam quid Deo, quid proximis, quid nobis debeamus reddere. Quintò ſi virtus vel actio bona ſit ſuadenda, ex multis locis & argumentis, quæ valent ad hoc, aſſumam ferè tria efficaciora, vt ſi velim perſuadere Eleemoſynam dicam primo quàm ea nos Deo ſimiles reddat, ſecundo quàm ſit homini propria, & conueniens maximè homini Chriſtiano, tertio quantis priuilegijs cumuletur à Deo in præſenti & futura vita. Sum concionaturus de ieiunio quadrageſimali aſſumam tria capita examinanda, ex multis quæ legi in ſcripturis, & apud Sanctos Patres, ſcilicet antiquitatẽ, neceſsitatem, ac vtilitatem. Sextò poſſet proponi materia tractanda per modum quæſtionis, & circa eam poſſem diuerſas afferre ſententias, non dico quæſtiones ſcholaſticas, abſtruſas, & acutas, neque opiniones ſcholaſticorum diuerſas, nam hoc nullo modo eſſe faciendum in concionibus ad populũ ſatis alibi monuimus, ſed poſſum imitari ipſorum ordinem V.g. ago de cauſa peccati, dicam aliquos referre ad influxus cœlorum, aliquos ad malam complexionem, alios ad malam educationem, alios ad tentationes demonum, & tamen veram cauſam alijs confutatis dicam eſſe malam hominis voluntatem. Si proponatur quæſtio de cauſa tribulationum, non eſt fortuna vel caſus, vel fatum, non ſunt cauſæ naturales, non Dæmones, non ſemper peccata, ſed Deus ipſe eſt qui immittit. Septimò cum ago de aliqua virtute, aut vitio ex multis de quibus diſputant ſæpè Theologi & Philoſophi, vt ſunt nomina diuerſa, natura, ſpecies, gradus, actus, proprietates, indicia, cauſæ, effectus, contraria, remedia, ſeligam duo vel tria, quæ tractem, V.g. de effectibus Sacramenti in illa verba, qui manducat me, viuet propter me. De effectibus Orationis, multum valet deprecatio iuſti aſsidua. De cauſis & conuenientia paſsionis Chriſti: oportet exaltari filium hominis. De gradibus humilitatis & peccati alicuius. De ſpeciebus gulæ, ac ſuperbiæ. De triplici iuſtitia commutatiua, diſtributiua, & punitiua in iudicibus. De diuerſis nominibus Spiritus Sancti, quæ eius proprietates & affectus ſignificant: Octauò aliquando acturus de aliquo ſubiecto, ſicut dixi de ſententia ex Euangelio ſupra, eligam vnam aliquam ſententiam & thema ſcripturæ, & colligam ordinem ex eius

Quartò actio aliqua.

Matt. 22.

Quinto Eligere aliquot argumenta præcipua.

Sexto Quæſtio cum ſententijs.

Septimò Ex tota doctrina pauca capita.

Ioan. 6.

Iacob. 5.

Ioan. 3.

Octauò Sententia ſcripturæ explicãdo verba.

Digitized by Google

eius verbis V.g. sum acturus de memoria Dei continua & eius præsentia ob oculos mentis habenda, sumam verba, ego sum Deus omnipotens, hoc primo loco examinabo, secundò. Ambula coram me, quid hoc sit, tertio & esto perfectus, quantum in hoc exercitio insit perfectionis. Sic de iudicio Dei futuro verba Salomonis sufficientem habent methodum: Accipiet armaturam zelus illius, induet pro Thorace iustitiam, pro galea iudicium certum, acuet diram iram in lanceam vbi exponam quatuor considerationes, & hic modus tractandi & ordinandi concionem est facilis, est grauis, est vtilis. Nonò potest concio tota sæpe continere vnam aliquam similitudinem, quæ rem ponat ante oculos vel parabolam vel allegoriam, vel actum aliquem humanum, & per considerationem earum rerum considerabo aliquid spirituale, vt si de confessione agam tanquam de medicina, vbi consideratur medicus qui est confessarius, Infirmus idest pœnitens, Morbi, peccata, ac medicinæ remedia, & pœnitentia peccatorum, vt considerat Guglielmus Parisiensis, vel vt est medium pacis & reconciliationis, quàm Sacerdos vt arbiter facit inter Deum & peccatorem, vt est apud eundem, sic in die resurrectionis describam arcum triumphalem, in sepulchro vnde Christus surrexit, sumpto themate ex Isaia, & erit sepulchrum eius glorioſum. Sic iudiciũ vniuersale proponam sub Symbolo libri signati septem sigillis, quæ tunc aperientur. Sic de pœnitentia describam exercitum Dei expugnãtem ciuitatem peccati. De oratione acturus dicam eam esse mercaturam & negotiationem, maximè nobilem, homini propriam, & lucri plenam. Lege apud D. Bernar. parabolam de filio Regis, vbi ad similitudinem parabolæ filij prodigi, describitur aliquis defeciſſe à Deo, & graphice describuntur omnia quæ concurrunt ad eius reductionem, incipiendo à timore vsque ad charitatem, & quomodo pater cœlestis eum in suam amicitiam receperit. Solet hæc methodus esse grata, & reddere attentum auditorem si aptè describatur. Quanquam probanda non videtur quorundam sollicitudo, qui nisi huiusmodi aliquod simulacrum reperiant existimant se nihil reperisse. Decimò non erit valde à superiore absimilis qui sequitur modus, tamen quia materia distinguuntur placet separare. Is est si proponatur ante oculos mentis aliqua pictura, siue aliquod emblema, siue imago, in qua describantur quæ alicui rei spirituali conueniant, sicut Ezechiel vidit statum viri perfecti, & Apostolici sub figura quadruplicis animalis habentis quatuor facies

Gen. 17.

Sap. 5.

Nono Aliquid per similitudinẽ & allegoriam.

Cap. 11. Apoc. 1.

Decimo Aliqua pictura vel Emblema.

Cap. 1

Digitized by Google

facies quæ significant quatuor proprietates viri spiritualis, sic Chrysost. fusè & graphicè auaritiam describit. Tertull. ingeniosè describit imaginem patientiæ: Bernar. ponit quadrigam auaritiæ, ac superbiæ, vbi explicat & rotas & equos, & Aurigam, sic ego si velim agere de qualitatibus Christiani Sacerdotis proponam Aaronem indutum vestibus suis, quibus vtebatur cum ingrediebatur in Sanctuarium, quæ vestes optimè repræsentant virtutes boni Sacerdotis, eodemque modo possunt excogitari emblemata, & imagines variæ virtutum ac vitiorũ. Ita fieri potest concio aduersus mundum sub typo infamis Ciuitatis habentis suum regem, suos milites, suos muros, plateas, vias, hortos, fontes, suas scholas, sua tribunalia, suas leges. Vndecimò potest describi & ornari aliquando in tota concione egregium aliquod exemplum, & historia grauis & accommodata ad persuadendum quod volumus. Sit mihi futura concio de obedientia quam præceptis Dei debemus, tractabo de obedientia Abrahæ in immolando filio, vbi non deerunt multæ circumstantiæ considerandæ, quæ omnia applicanda sunt ita vt populum ad obedientiam præceptorum inducam, V.g. præcepti grauitas & difficultas, Abrahæ promptitudo & filij, proponam Angelum monentem, præmium obedientiæ & alia. Abundat nostra Ecclesia illustrium virorum ac mulierum exemplis. Duodecimò, Potest tractari aliqua concio per Symbolicam theologiam, quæ applicat rebus spiritualibus corporata & sensibilia, sicut sæpe Scriptura sacra facit, vt cum dicitur: Ego sum lux Mundi. Vos estis sal terræ, tunc enim inuentis proprietatibus lucis, salis, petræ &c. optimè philosophari licebit, quam theologiam multi Patres sequuti sunt: ita loquar de sapientia super themate: quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus, explicando ex his quatuor munera sapientiæ diuinæ. Decimotertiò, Possumus vnam scripturam cum alia cõferre, vbi explicamus aliquam doctrinam, præsertim iungendo nouum testamentum cum vetere vt simus ei similes qui profert de thesauro suo noua & vetera, vt quod est prædictum in illo, in hoc ostendamus impletum, & figuram figurato optimè respondere, vt si Sacramentum Eucharistiæ exponam sub figura mannæ, vel Christum crucifixum sub figura ænei serpẽtis. Decimoquartò, Potest tractari aliqua doctrina tanquam paradoxum aliquod, sicut D. Chrysost. scribit librum, quod nemo læditur nisi à seipso, & S. Ambrosius quod solus sapiens liber, & quod solus sapiens diues. Sic possum dicere maiorẽ esse libertatem

In Matt. Hom. 29. de Patiẽt.

Vndecimò exemplũ vel historia.

Duodecimò, Symbolica Theologia.

Ioan. 8. Matth. 5. Prou. 30.

Decimotertio Paradoxum.

Decimoquarto Ethymologia nominis.

Digitized by Google

tatem Ioannis Baptiſta in carcere poſiti & ligati, quàm Herodis in ſuo regali ſolio, & mẽdicitatem Lazari eſſe diuitias, opes Epulonis eſſe mendicitatem, vbi oportebit remouere difficultates quæ apparent, & veritatem firmis argumentis ſtabilire tũ exemplorum, tum ſcripturarum; Fęlix eſt & inſignis in huiuſmodi rerum tractatione Chryſoſtomus, & ipſe maximè poterit exemplo eſſe. Decimoquintò, etiam ipſa Ethymologia nominis præbebit non materiam ſolum, ſed etiam ordinem quem tenere debeam, vt ſi locuturus de Ioanne ſumam thema Ioannes eſt nomen eius. Vbi primò dicerem, iam eſſe tempus gratiæ Euangelicæ, cum hactenus fuerit lex quæ gratiam non dabat, & hic erit locus communis; Differentia ſcilicet inter legem veterem ac nouam, cuius præ foribus adſtat Ioannes gratiam præferens, cuius imaginis pulchritudinem depingam. Secundò oſtendam quanta fuerit in Ioanne diuina gratia, tum viuendo ſanctè, tum occumbendo fortiter. Tertiò dicerem ad morum inſtitutionem debere nos omni operi noſtro, hoc nomen imponere, vt etiam Ioannes ſit nomen eius, totũ Deo attribuamus, nequaquam nobis. Sic ſi ſuper nomen Ieſu velim tractare oſtendam quod Chriſtus quantus quantus eſt, Saluator eſt totus, in verbis, actionibus, oculis, manibus, cogitationibus, habitu, doctrina, morte, Sacramentis, ſemper & vbique ſaluat nec aliud habet munus. Decimoſextò, ſolet arridere nonnunquã vt quaſi dialogus fiat in ipſa concione. Grauis Concionator olim ſolebat introducere D. Paulum, & aliquem Corinthium, V.g. vel Epheſium vel Romanum vnum interrogantem, reſpondentem alterum; Qui dialogus poteſt dupliciter fieri, primò vt ſolus Concionator loquatur, referens colloquiũ inter perſonas quas inducit, vel verè habitum, vel ſuo ingenio factum. Secundò vt ipſæ perſonæ loquentes introducantur, vt fecit Gerſon in dialogo vbi exponit cantica canticorum. Si quis in die Annunciationis vellet vti hoc modo, poſſet inducere in prima parte colloquentes Angelum & Chriſtianum hominem, vt Chriſtianus quærat, Angelus incarnati verbi myſterium explicet, & in Secunda parte concionis, rurſum Gabrielem, & Mariam vt habet Euangelij hiſtoria. Hic tamen concionandi modus habet difficultatem quia oportet maxima prudentia vti, ad ſeruãdum decorum perſonarum, ac rerum cum grauitate loci. Si quando placet Oratori vti hac methodo meminerit vbique ſe Oratorem ſacrum agere, non poetam, & in templo non in theatro in ſuggeſtu non in Scæna verſari.

Decimoquintò Concordia vel Conciliatio Scripturarum. *Luc.* 1.

Decimoſextò Dialogus.

Partes

Digitized by Google

Partes Concionis & Exordiorum ratio. Cap. VI.

PArtes Orationis quas integrantes vocamus quanquam ad inuentionem aliquo modo pertineant, cum in singulis partibus inuentio rerum locum habeat, quia tamen ordinem ex sese continent, & efficiunt, ad disposition em meritò referuntur. Solent autem ab artis Rhetoricæ professoribus enumerari sex orationis partes, Exordium, Propositio, cui annectitur Diuisio, Narratio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio, sapienter autē docet Aristoteles ex his partibus, necessarias, dumtaxat propositionem ac probationē, cæteras interdum pro ratione Orationum posse abesse: quod multo magis est verum in Ecclesiasticis hisce tractatibus nostris, in quibus rarò habet locū narratio, quæ propriè distincta pars sit: rarius confutatio, sæpe & superuacaneum Exordium est, cum res ipsæ de quibus agitur natura sua tam graues sint, vt ipsæ per se & attentum, & benevolum, & docilem satis reddant auditorem, quarum rerum gratia exordia præmitti solent. His adde quod & Aristoteles, & Cicero & alij in deliberationibus, quo plerumque in genere nos versamur, eandem ob causam quod auditor suapte sponte paratus accedat, aut nulla exigant exordia, aut quam breuissima. Itaque multo frequentius licebit nobis exordio abstinere. Si quis etiam ab Euangelij narratione alicubi incipiendum cēseat, illa loco exordij satis est, vt scilicet post breuē paraphrasim propositis capitibus rei explicandæ, statim confirmationē aggrediatur. Patres sæpissimè nullo vtuntur, Sanctus autem Chrysost. etiam purgare se aliquando coactus est, quod longioribus vteretur. Sunt qui docent. Exordium post totam paratam concionem excogitandum esse, quia cum debeat esse ex proprijs, & nasci ex visceribus causæ; melius poterit cōcioni aptari, ita videtur sentire Antonius seu Cicero, secundò de Orat. quanquam Fabius id ait debere obseruari quantum ad inuentionem, vt post alia omnia inuenta de exordio cogitetur, quamuis primo loco scribendum putet exordium. Nostrarum concionum exordia maximè eo diriguntur, vt dociles faciant Auditores, tamen etiam benevolentia & attentio sæpe captanda est.

Exordiū nō semper necessarium.

An exordiū parandū ante alias partes.

Exordium debet esse breue. Est enim vitium facile, cuius notabile prolixitas eius. Præterea etiam inde præsagiunt ipsam concionem longiorem futuram quod attentioni & benevolentiæ

Breue.

Proprium. tiæ conciliandæ multum ſolet officere. Debet eſſe proprium, vt iam dicebam, & ex cauſæ viſceribus natum, non commune omnibus concionibus, ſeu vulgare, ſed benè coherens materiæ tractandæ, & non ſeparatum, ſed quod eius dignitatem & vtilitatem aperiat. Contra quâ faciunt multi qui volumina exordiorum habent, ex quibus modo hæc, modo illa ſuis concionibus aſſuunt; Debet eſſe graue, modeſtum, ac verecundum, nam ſeſe audacem ſtatim oſtendere, vitium eſt contra naturam exordij abalienans auditores, cum facere beneuolos debeat. Nam cum omne vitium in Concionatore offendat, maximè offendit audacia, quia argumentum eſt ipſum de ſe alte ſentire, & auditores quaſi turbam contemnere. Cicero exordium inquit ſentẽtiarum & grauitatis plurimum debet habere, & omnino omnia quæ pertinent ad dignitatem in ſe continere, propterea que id optimè faciendum eſt quod oratorem auditori maximè cõmendat, ſplendoris & feſtiuitatis & concinnitudinis minimum, propterea quod ex his ſuſpicio quædam apparatioris, & artificioſæ diligentiæ naſcitur quæ maximè orationi fidem, Oratori adimit authoritatem. Sic Cicero; quid nos dicemus, momenti habere in Concionatore Chriſtiano, ſi tantum Cicero habere in ciuili oratore exiſtimauit? tamen videmus iam apud multos peruerſum quendam morem inductum, vt exordia ſint omnino magnificentia elocutionis adornata, nitore ſententiarum egregiè perpolita, verba ſonora, & ſeſquipedalia contineant, & multo ornatiora, & magis apparata quàm reliquæ ſint concionis partes, vt videantur exordia, apud aliquos ſolum ad ſpecioſam fieri oſtentationem, & eſſe holoſericum quoddam latè ſplẽdens fruſtum, vulgari panno aſſutum, denique in atrum deſinẽs piſcem, mulier formoſa ſupernè. Videtur autem vtile in exordio ſub finem ſignificare quem fructum ex ea concione colligere oporteat, ſibique & populo ſcopum qui ſpectandus ſit, à Cõcionatore præſtitui, quod ſupra monuimus, nec piguit vt rem magni momenti in memoriam iterum reuocare, vt hoc ipſum in concione ipſa reuoluat ſæpius mente, quod & fieri poteſt per apoſtrophen ad Deum petendo vt ad eum ſcopum omnes præparet ac perducat.

Lib. 1. de Inuen.

Graue.

In eos qui nimis ornate exordiũtur.

Loci Exordiorum. Loci ex quibus exordia ſolent duci ſunt, res ipſa de qua agẽdum eſt, oſtendendo eius dignitatem ac neceſſitatem, & quid eius cognitio nobis emolumenti ſit allatura, ratio temporis, loci, perſonarum quæ ſunt audituræ, perſona dicentis. A circũſtantia perſonarum. Greg. Nazian. facturus verba de cura pauperum

Homil. de Amore paup.

perum habenda initium sumit: Viri inquit fratres & commendici, omnes enim pauperes sumus, ac diuinæ gratiæ indigi, tametsi alius aliũ præcedere videatur, hunc de pauperum amore sermonem accipite. Chrysostomus à loco Flauiani Episcopi orditur laudem, quoties, ait, ad Sedem hanc derelictam & magistro vacuam respicio, simul & doleo, & gaudeo, doleo quod abesse video patrem, gaudeo quod pro salute nostra profectus sit: A laude vel gratiarum actione. Chrysost. sæpe in suis homilijs laudat auditores, quod alacriter ad res diuinas audiendas conuenirent. Sæpe etiam exorditur à laudatione Sacræ scripturæ, quam nunc dicit esse epistolam Dei ad nos missam, inde colligens quo pacto audienda sit: nunc pretiosum thesaurum, nũc spirituale conuiuium. Est locus hic à laude Sacræ scripturæ & Verbi diuini grauis & vtilis, & sæpe aptus. Potest autem interdum ipse diuinus Scriptor ex quo concionis thema desumitur, laudari. D. Petrus prædicaturus Christum, multitudini tumultuanti, non statim incipit à prophetia Ioelis, sed prius remouet falsum rumorem, à quibusdam sparsum eos qui varijs linguis loquebantur musto plenos delirare. Viri, ait, Iudæi & qui habitatis Hierusalem (hac appellatione captat beneuolentiã, erat enim hæc popularis appellatio) notum vobis sit & auribus percipite verba mea, sic attentionẽ facit, non enim hi ebrij sunt. Ab aliquo interdum euentu incipitur, nonnunquam ab impedimento quo minus auditores prompto animo audiant, submouendo illud statim in exordio sicut fecit D. Chrysost. in homil. quod nemo læditur nisi à se ipso, quia enim quod erat tractaturus videbatur paradoxum & improbabile, ob id hinc exordium sumens ita loquitur. Scio quod crassioribus quibusque & præsentis vitæ illecebris inhiantibus nouus videatur hic sermo noster ac mirus, & deridebunt nos fortasse, si tamen paululum nobis patientiæ tribuant hi quibus absurda videntur quæ loquimur, ipsi postmodum palinodiam canent. Sic acturus contra frequẽtiam iurandi, sumit initium ex Christi verbis, Sit, ait, sermo vester est, est, non, non, vt inter Christianos tanta sit fides tantaque simplicitas, vt nunquam sit opus iureiurando. nisi ad necessitatem veritatis, reuerentia adigamur. D. Basilius populum exhortaturus ad placandum Deum iratum incipit ab illa sententia. Leo rugiet quis non timebit? Deus locutus est, & quis non prophetabit? Aliquando aliqua prophetia, seu figura veteris testamenti breuiter accommodata rebus tractandis locum exordij habere poterit. Non nunquam aliquod axioma,

Homil. 3. ad pop. Anth.

Hom. 1. in Genes.

Act. 2.

Hom. nemo læditur, nisi à seipso.

Orat. de Iuramento.

Amos 3.

& communis doctrina Theologorum, aut Philoſophorum ſi ad rem valde faciat, vel etiam commune prouerbium idem præſtabit modo non ſit ſententia difficilis aut longa. Non tamen placet vt exordium ſumatur ab aliqua fabella, vel faceta quapiam re, cum debeat habere plus grauitatis, quàm leporis & feſtiuitatis. Nonnunquam in cauſa graui, & tragica principium ſumi poteſt ex abrupto, ſicut Danid. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? & alibi: Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate? Iſaias ab exclamatione & conteſtatione cœli & terræ orditur in re grauiſſima. Audite cœli & auribus percipe terra, filios enutriui, &c. Poteſt exordium ſumi ab aliqua parabola, vel exemplo, vel hiſtoria. Si velimus hortari vt peccatum vel contagium mali ſtatim propellamus à nobis, referri poterit hiſtoria ex Actibus de vipera manui Pauli adhærente, quam ille ſtatim in ignẽ excuſſit, ita nos principium veneni à nobis abijciamus antequam cor & viſcera penetret. Hodie ſolet eſſe maximè vſitatum ab aliqua ſimilitudine principium concionis facere, quæ faciat ad rei tractandæ cõmodam explicationem V.g. in die Sexageſimæ vbi Euangelium eſt de verbo Dei, poſſum dicere meritò Verbum Dei in ſcripturis, alias comparari pluuiæ, igni, malleo, &c. hodie verò ſemini. In die Purificationis poſſum oſtendere hiſtoriam huius diei repreſentare nobis cœlum quoddam vbi Chriſtus velut Sol clariſſimus ſplendeat, Luna Maria, ſtellæ Simeon & Anna prophetiſſa. In prima Dominica Aduentus ſicut quę in morte hominis contingunt, non ſolum terrent infirmum, ſed etiam circumſtãtes, ita in mundi conſumatione &c. In feſto S. Crucis poſſet introduci ſimilitudo de Inſignibus principum, quæ ipſorum cauſa & reſpectu honorantur, Chriſti autem inſigne, crux eſt. In die primo Quadrageſimæ Chryſoſt. ſic orditur. Iucundum quidem eſt nautis ver, iucundum etiam agricolis, ſed neque nautis, neque agricolis ita iucundum eſt veris tempus, vt his qui philoſophari volunt, iucundi ſunt ieiuniorum dies, ſpirituale animarũ ver, & fideliſsima tranquillitas, non tamen placet vt eandem ſemper teneamus exordiendi formam, vti faciunt quidam ſemper ab ſimili ordientes. Qui ſolent vti introductione in concionibus poſſunt eam loco exordij adhibere, ſicut idem Chryſoſt. interpretaturus pſal. ad te Domine leuani oculos meos, exordium ſumit ab eo quod vtile ſit premi aduerſitatibus. In feſto dedicationis templi poſſum ordiri à cultu Dei ad id enim templa ſunt ædificata. Quando conciones fiunt de Euangelio poſ-

Exordium ex abrupto.

Pſal. 2.

Pſal. 51.

Cap. 1.

Act. 28.

Exordium ex ſimilitudine.

Luc. 8.

Hom. 2. *in Geneſim.*

Pſal. 122.

ſunt

ſunt loco exordij colligi ſumma capita totius Euãgelij, vel certè ea quæ explicanda ſuſcipiuntur. Eſſet etiã bona exordij forma ſi in ipſo exordio fieret ratiocinatio quædam Rhetorica cõſtans ex propoſitione, ratione, aſſumptione confirmata ratione, & concluſione, præſertim quando huiuſmodi argumentatio eſſet quaſi quædam introductio parans viam ad quæſtionem noſtram, & ſtatum ipſius concionis. Denique commodus & facilis exordij modus eſt paucis aliquot ſententijs grauiter enunciatis, ea quæ tractanda ſunt deſcribere breuiter, ac dilucidè adhibita aliqua figura Rethorica, & ſignificando in illa dictione aliquod ſaltem principiũ motus, ad quod valebit ſi aliquando ad Deum precantiuncula, vel ad B. Virginem vel Sanctorum aliquem adiungatur: Nonnunquam habebit locum exordij ipſa ſimplex propoſitio, vel diuiſio futuræ concionis, quod in concionibus ad principes magnos, & auditores admodum ſapientes ſolet ſæpe laudari. Duo vel tria hodie tractabimus explicando illa, & paucula verba addendo ſi opus ſit ad attentionẽ conciliandam. D. Chryſoſt. ſæpe loco exordij ponit ſimplicem propoſitionem rei de qua eſt acturus. Homil. quæ eſt de humilitate. Ne altum ſapiamus, inquit, ò homines, ne inflemur, cum ſimus cinis, & puluis, fumus & vmbra; Homilia contra deditos delicijs, dicam, ait quot moleſtias habeant delicijs inhærentes. Inſinuationes, vt Rethores vocant in exordijs noſtris locum perraro habent. In genere tamen purgatiuo ſæpe ſunt neceſſariæ, præſertim cum apud infideles dicendum eſt, hi enim quoniam præoccupati ſunt prauis opinionibus, voluntate quoque plerumque ab Oratore alieni, prudenti inſinuatione ſunt præparandi, vt & beneuole audire velint, & animum interim, velut in æquo conſtituant iudicaturi cum audierint. Ad quæ efficaciter præſtanda nihil validius quidem dici poſſe crediderim quã id quod ſæpe inculcamus, quia valet ad omnia vt Concionator charitate Chriſti plenus ſit, illa docet, illa vrget, illa efficit, ex pleno enim & æſtuanti pectore emicant flammæ, quæ obuia quæque corda apprehendunt, verèq; replicatur illud, ſi vis amari, ama. Sunt interdum neceſſariæ inſinuationes apud ipſos quoque fideles ſi agendum ſit aduerſus aliquod vitium, quod vel latè pateat, vel inueteratum ſit, vel non perinde æſtimetur vt debet, vt ſi factiones in Ciuitate eſſent, vel cum oſtendendum eſt iniuriam condonare maximi animi, maximèq; honeſtam rem, & glorioſam eſſe. Si qua re populum Concionator offendiſſet, vel alia cauſa haud ſatis haberet propitium,

Homil. ad Pop. Ant. 38.

Ad Pop. Ant. 55. Homil.

Inſinuatio.

magnæ est prudentiæ, videre quomodo satisfaciendum sit. Sæpè enim ipsum de ea re silentium, & constantia in prosequendis concionibus animo simplici, atque composito genus est insinuationis acerrimum, & artificium sapientia Christiana dignissimum.

Stylus exordij, non sit nimis elaboratus.

Compositio ac stylus exordiorum debet habere genus dicendi moderatum, nec debet esse vt diximus nimis elaboratum ac numerosum, vt faciunt hac ætate non pauci, qui etiamsi alias partes simplici stylo tractent, tamen exordia ad exquisitam elegantiam comant, & pectunt; sunt qui & venustam descriptionem vel solis vel Auroræ, vel prati floridi, aut speciosæ arboris, aut etiam laudati animalis statim ante oculos ponunt, quæ quam sophistarum seseque venditantium declamatorum exordijs apta sunt; tam abhorrent à vera Christianæ eloquentiæ forma. Hic enim fucus non excitat animos ad motum, & deuotionem, sed abstrahit potius, vel ad inanissimam aurium voluptatem, vel ad spectaculum ingenij, facundiæque dicentis: & attentionem, quæ tota in res, ipso statim initio, defigenda erat, ad obseruationem auertit phrasicularum artificiq; leuissimi, quod perinde est atque frigidam aquam super struem lignorũ proijcere, quam cremare in animo sit. Vt omittam quod multos ea quasi ostentationis prolusio offendat, & dicentis authoritatem eneruet. Denique illa differentia tanta, quæ inter exordium, & alias concionis partes cernitur, indecora est, & vt initio significaui monstro persimilis, & cordatis viris omnino vitanda.

Pronũciatio exordij.

Pronunciatio etiam Exordij debet fieri voce naturali & temperata, de qua videre poteris infra cap. de Pronunciatione. Gestus etiam sint moderati, sed non omnino nulli. Quidam enim vtraque manu suggestum ita apprehendunt ac tenent, ac si ne fugeret, aut ne rueret formidarent. Ad extremum dubitare quis poterit, an in fine exordij sit quiescendum, vt iam apud plerosque mos in Italia tenet. Aliqui aiunt omnino, alij contra negant; ego vtro modo fiat penè iuxta æstimo. Possemus tamẽ mediam viam tenere, vt non omnino in fine exordij interquiescas, sed respires tamen, quia populus videtur expectare illam morulam, eaque videtur vtilis, & Concionatori ad vocem, & populo ad attentionem.

Propos-

Propositio, ac Diuisio, & Introductio. Cap. VII.

PRopositio ac diuisio nonnunquam distinguuntur, aliquando simul coniunguntur, potest enim propositio sine vlla partitione fieri, sæpe in exordio vbi auditor sit docilis, & post exordium ponitur partitio, nonnunquam propositio cum partitione fit, vt cum incipitur ab ipsa propositione quæ multa habet capita, vt si quis exempli gratia dicat super hodierno Euangelio tria tractabo capita, vel de humilitate dicturus in duobus præcipuè immorabor capitibus. Putarem sæpe vtile esse si partitio in fine exordij fiat, vt sic populo, excitetur maior cognoscẽdi cupiditas. Ita primum aggrediatur caput. Commune autem præceptum est, vt propositio, ac diuisio breues sint. Nam nec multa capita proponi debent, nec ita explicari vt sint veluti summaria orationis totius, quemadmodum iurisperiti faciunt in suis, vt vocant repertorijs. Nam qui ita summatim audiuit, iam se existimat concionem audiuisse totam, nec valde se præbet attentum. Atqui debent proponi ac diuidi membra generatim, vt auditor cum auiditate explicationem eorum expectet. Eòque & verba grauia esse debent, & multum significantia, adeoque dilucida & popularia vt omnes intelligant qua de re agendum sit. Nam fallit quosdam vana artificij affectatio, quil quoniam fortasse in Rethoricis figuris sustentationẽ laudari audiuerunt, præclarè se putãt dicere, si auditor, quid agatur, quòd euadere velint, suspensus inquirat ac diuinare non possit. At planè falluntur; nihil enim hoc est, nisi patientia audientis abuti, defatigare ingenium, odium colligere. Quidam etiam ita obscurè proponunt, & adeo occultis inter se membra commissuris innectunt, vt nisi valde attentus auditor, & doctus deprehendere taxim nequeat. Id quoque vitium est, cuncta ordinis bona corrumpens. Si enim non animaduertitur ordo, frustra est, nec memoriam iuuat, nec valet ad docendum, nec habet iucunditatem, quæ maxima solet existere, ex contemplatione proportionis multarum inter se partium, & aliarum ex alijs nexu, & consequentia. Extent igitur & appareant, membra, tamen sint quasi corporis vnius, non corpora plane disiuncta; si quis enim ita dicat primo explicabo vobis quæstionem Theologicam de iustificatione, secundò explicabo sententiam Euangelij Beati pauperes spiritu, tertio narrabo historiam, de quodam qui carnis tentationem superauit, qui-

Propositio, ac diuisio.

Diuisio sit clara.

Membra sint connexa.

nis per horæ ſolum dimidium dicat, potius tamen tres concio-
nes quam vnam habebit. Quippe ex vnico argumento, ora-
tionis ſpectari vnitas potiſſimum ſolet. Verum eſt, ſanctos vi-
ros propter aliquam neceſſitatem miſcere nonnunquam diuer-
Hom. 28. ſas materias; vt Chriſ. agit de iuramento & paupertate tole-
randa. Quod ipſum cuius licebit, ſi neceſſaria cauſa exiget.
Sed neceſſitas quod aiunt lege non regitur. Vitioſa etiam par-
titio eſt cum vnum ab altero membrum continetur, vel admo-
Non ſint mul ta capita. dum parum diſtinguitur. Iam numerus capitum in quæ fieri
partitio debeat, certus finiri non poteſt, cum ex ipſa re, non-
nunquam ex auditorum captu prodeat. Iure tamen bina, vel
terna vel etiam quaterna laudantur mẽbra; ſi enim plura ſint,
vel longior æquo euadet concio, vel auditor à principio longa
illa enumeratione terrebitur, & tanquam fatigatus attentionẽ
remittet. Quare prudenter qui coguntur paulo plura propo-
nere, ſimul admonent breuem fore ſingulorum expoſitionem.
Officit præterea nimis numeroſa partitio auditoris memoriæ,
atque docilitati, & ipſe concionator periculum in ea memo-
riæ ſubit. Poſtremò etiam illud ſignificandum eſt, Quamuis
maximè laudabile & vtile ſit partitionem adhibere, tamẽ poſſe
interdum omitti, vel quod argumentum omnino ſimplex eam
non recipiat, vel quod commodius videatur, explicato vno ca-
pite introduci alterum, de quo ſi auditor initio fuiſſet ad-
monitus, haud ita beneuolè accepturus fuiſſet, vt accepit iam
priore tractatione admonitus.

Introductio an neceſſaria. Aliqui poſt exordium & propoſitionem antequam quæ ſunt
dicturi confirment Introductionem, vt vocant, interſerunt.
Non eſt autem aliud introductio, niſi breuis tractatio alicuius
rei, quæ licet non pertineat ad argumentum præcipuum, eſt
tamen ita connexa ei, vt inde ferè ducatur quod dicendum eſt.
v. g. tractandum eſt mihi de beneficijs Dei erga hominem, erit
loco introductionis, quod Deus cum ſit bonum & ſummum
bonum, ſit ſui communicatiuus, cum hæc ſit natura boni, &
hinc ſtatim deſcendam ad Dei beneficentiam. Quidam ſumunt
introductionem hanc ex his quæ proxima concione dixere, vt
coniungant dicta dicendis. Alij ex prima radice aut origine
negotij de quo agitur. Alij aliunde aut ex circunſtantia ſuæ
perſonæ ſiue loci, ſiue finis, aut ex aliquo ſimili, aut ab aliquo
inſperato euentu, aut doctrina communi, & axiomate philoſo-
phico, ſeu vulgari prouerbio; Qua in re hæc mihi certa viden-
tur. Primo nequaquam imponendam legem Concionatori vt

hanc

Digitized by Google

hanc introductionem in omni concione adhibeat: sæpe enim, nulla eam necessitas postulat, solum replendæ, referciendæque concioni aut nimium producendæ est vtilis. Deinde sæpe necessariam esse quia peccatum est in exordio, nam si rectè aduertatur, non introductio, sed nouum exordium est, ita vt etiam post eam afferre partitionem plerique soleant. Id autem accidit cum exordium prius commune, separatum & otiosum fuit, quod & potuisse & debuisse omitti illa ipsa introductio id est, verum ac proprium exordium ostendit. Denique quando uere est necessaria breuem esse debere, nec longe petitam, & argumento quod tractamus valde coniunctam.

Narratio, Confirmatio, Confutatio. Cap. VIII.

NArrationibus nequaquam nos vtimur, vt Oratores olim solebant in causis iudicialibus post exordium. Nobis sæpe occasio narrandi offertur in quacunque concionis parte, cum aliquod exemplum vel è sacris Scripturis, vel è Sanctorum gestis, siue ad mores siue ad amplificationem proferimus, figuras & allegorias ex veteri testamento producimus accommodantes ad nouum, vel aliquid ex Euangelio historicum seu parabolicum explicamus. In pomeridianis tractatibus cum historicus liber explicatur commodè subiungitur exordio, vel exordij loco adhibetur pars historiæ eo die tractanda. In concionibus matutinis, rudiores apud populos vti supra monuimus, vtiliter ipsa Euangelij, quod in manibus est narratur historia. In his verò narrationibus nihil forè obseruandum occurrit præter id quod Rhetores de suis præcipiunt, vt sint breues, apertæ, probabiles. Breuitas tum præsertim curæ esse debet, cum res est notior, nam quasi furtim, Narratio multum eripit temporis, & auditor facilè notat narrantem, cum videt in re quæ omnibus solet esse manifesta, multa verba, & multum temporis insumere. Nec tamē admonendum hic censeo, vt dū breuitas placet, caueatur obscuritas, satiusque est Quintiliani consilio vt aliquid narrationi supersit, quam desit, quod supernaneæ cum tædio dicantur, necessaria cum periculo subtrahantur. Hæc planè in iudicialibus proprie valent. Illud potius admonuerim, ipsam quoque narrationis breuitatem ex ipso rei modo & ex fine propter quam adhibetur metiendam. Nam nec longa historia, cum vsum habet, aperte explicata in arctū cogenda est, nec breuis dilatanda aut nimis alte repetito prin-

Nostræ narrationes quales sunt.

Narrationis breuitas.

cipio, aut minutarum enumeratione rerum in quibus nulla vis insit, aut digressionibus interiectis. Aliter præterea narrandum cum exemplum profertur in summo ardore concionis, aliter cum antequam animus incalescat, aliter cum ad motū, aliter cum ad doctrinam, motus enim & ardor concionis, perbreuem, aculeatam, & potius indicatam quàm explicatam, narrationem, doctrina subtilem magis atque distinctam requirit. Vbique diligenter videndum, vt quæ vim habent seu motus seu doctrinæ, obseruentur cum cura & exponantur. Debet deinde Narratio esse dilucida, quod fiet si ordo ac distinctio rerum, temporumque seruetur, si verbis proprijs vtamur, nec immodicè verba ipsa coaceruemus si compositio sit, simplex nec fucata. Præterea iubent Rhetores debere narrationes fieri probabiles; nobis verò præter hanc alia prior cura debet esse, vt verę sint: Ideo non ex quouis Authore, sed magno cum delectu ex probatissimo quoque petenda quæ narramus exempla, nec facile noua euulganda miracula. Quia extat Pontificius canon aduersus eos qui falsa prædicant. In Concilio Colonienſi hæc habentur, Sanctorum historijs ne nimis immoretur Prædicator, quin potior pars Euangelio detur & Epistolæ explicandis, quod si fabulosa videtur historia ne attingat quidem, si verisimilis leuiter, eaque decerpat, quæ imitanda videantur; Miracula quoque ne imprudentius iactentur, nisi quæ scripturis prodita, aut à non leuibus scriptoribus summa cum historiæ fide narrata fuerint. Vbi igitur certi erimus quod narraturi sumus, idonea authoritate niti tum id etiam adijciendū vt narrentur à nobis apertè ad inueniendum fidem; quod fit cū authoris prolato nomine, tum locorum ac personarum appositis nominibus, ac temporibus designatis, & vbi quid minus desideretur, probabilem rei causam afferendo. Addit his Aristoteles debere esse moratam vt exprimantur mores & affectus personis, ac rebus conuenientes, & animi propolita atque consilia, id est quam ob causam quidque fieret exponātur. Cicero vult eam etiam esse suauem, hoc autem fiet si adhibeantur admirationes natæ ex rebus magnificis, ac nouis, si narrando suspendamus animos auditorum ad auiditatem reliqua percipiendi, si referantur exitus inopinati, si fiant descriptiones, quæ rem oculis subijciant, si inducantur colloquia personarū, si varij motus & affectus exprimantur, sermo & vultus & actio tota ijs consentiant, vt læta iucundè, tristia dolenter, seria grauiter exprimantur. Verè hæc præcipiuntur, sed non omnes histo-

Narratio dilucida.

Certa & vera.

Circa historias ex Cōc. Colon.

Narratio morata.

Narratio suauis.

hiſtoriæ horum modorum capaces ſunt, nec tales quiuis locus poſtulat. Prudentis Concionatoris eſt ex hiſtorijs ea ſeligere, quæ ſuo negotio maximè conſentiant. Si paria cætera adſint, ex multis quæ ſuppeditant, potiſſimum aſſumendæ quæ inopinatum exitum aut aliud habeant quod motu aliquo perfundere auditorem poſſint; dum tamen illud vitetur, quod nonnulli non ſatis effugiunt, ne dum volunt rem ita narrare oculiſque ſubijcere ac ſi gererentur, motuſque ipſi varios actione exprimunt, in hyſtrionicam incidant leuitatē. Hæc de Narratione.

Tota ſpes perſuadendi in confirmatione, atque confutatione poſita eſt, cum enim noſtra bene confirmamus, & contraria (ſi opus ſit) diſſoluimus, rectè munus noſtrum vel exequimur, vel exequi conati eſſe pro viribus videmur. Itaque quærendæ, ſunt optimæ rationes, vt quod probare volumus bene confirmetur, nam & Chriſtus Dominus cuius ſatis eſſe debebat authoritas, rationes tamen afferebat, vt cum diſſerebat aduerſus Phariſæos de violatione Sabbathi, cumque à nimia rerum terrenarū ſolicitudine reuocare volebat, & perſuadere dilectionem inimicorum. Nimirum cum homo ſit rationalis rationibus inducendus eſt. Cum aliquid multis argumētis probatur, immorandum eſt in ijs quæ ſunt efficaciora ad perſuadendum, quemadmodū qui cauſas criminales in foro agunt, vrgent præcipuas rationes, quibus victoria magis innititur. Confirmationi ſeruiunt omnia ea, quæ ſuperius de Inuentione tetigimus, communes loci, argumenta argumentationes. Neque hic in præſentia aliquid addendum erit, niſi vt probationes congruāt diuiſioni iam factæ, quæ vt dixi, paucis conſtare membris deberet, ac fermè non niſi tribus, quorum duo in priore concionis parte, tertium in poſteriore tranſigeretur. Singula autem capita ſint, & argumentis ſuis benè firmata, & ordine ſuo diſpoſita, habeant ſuam amplificationem, & applicationem aliquam ad actiones particulares. Cum ab vno capite eſt deueniendum ad aliud, tranſitioni locus eſt concludendo quod erit dictum, breuiſſimè, & proponendo quod ſequitur, vbi etiam interdum breuis repetitio, vt in epilogo ſolet, adijcitur. Aucupari ſemper in huiuſmodi tranſitu ſententiolam plus declamatoriæ leuitatis, quàm oratoriæ grauitatis habet. Affectare autem obſcuritatem vti ſupra diximus, eſt contra omnia bona quæ affert ordo, quæ pereunt cum ordo ipſe non cernitur. Variari tamen interdum tranſitio poterit, & interim ipſe auditor ad nouam attentionem breuiter præparandus eſt. Confutatio apud nos,

Confirmatio.

Confutatio.

nec

nec ſemper habet locum, nec tam rarò, nã de Concionibus quę ad alienos à recta fide habentur, & in refutatione ſectarum, ſuperſtitioſarum verſantur, dictum eſt ſupra. Inter Catholicos quoque monuimus, mentione hæreſum abſtinere. Monendus eſt præterea Concionator ne Catholicorum patrum ſententias facilè refutet, præſtat ſolidam afferre doctrinam, & cibum populo quaſi purgatum, & præmanſum porrigere, quàm coram eo præparare ac mandere. Præter hæc alius eſt refutationis vſus maximi momenti aduerſus prauas vulgi opiniones, & falſas boni apparentis rationes; Nam cum voluntas non niſi boni ſpecie ducatur ad opus, neceſſe eſt vt in eo laboret Concionator, vt falſam ſpeciem, ſiue honeſtatis, ſiue voluptatis, ſiue vtilitatis, quæ omnium peccatorum ſementis eſt, elidat & extinguat. Rectè à ſapiẽtibus tota bonæ inſtitutionis ratio in eo ponitur fundamento, vt aſſueſcant homines gaudere quibus debent, itemq; triſtari quibus oportet, quod nunquam fiet niſi veras hauſerint de malis & bonis opiniones; propterea igitur inſtructus ſit concionator Chriſtianus aduerſus ea monſtra; Cumque ad virtutẽ quampiam adhortatur, vel ad vitij fugam, expugnet impedimenta & falſas rationes boni ſimulati, quæ cæcis mortalibus miſerè illudunt, oſtendendo veras notas ſinceri boni, atque fucati, damna huius, & emolumenta illius explicando. Ex ijs locis quos ad affectus mouẽdos aſſignauimus, colligendo ea quę poſſint amorem, cupiditatem, & alios ad verum bonum motus efficere, pariterque ea quæ metum, fugam, odium, triſtitiam, veri, mali, boniq, apparentis ingenerant, iram quoque contra eos qui ad illud impellunt, verique boni adeptioni impedimento ſunt excitando. Digreſſiones vtilitatis gratia vel neceſſitatis poſſunt ac debent fieri. Greg. ſacri tractator, ait, eloquij morem fluminis debet imitari; fluuius quippè dum per alueũ fluit, ſi valles concauas ex latere contingit, in eas protinus ſui impetus curſum diuertit, cumque illas ſufficienter impleuerit repentè ſe in alueum refundit, ſic nimirum, ſic diuini verbi eſſe tractator debet, vt cum de qualibet re diſſerit, ſi fortaſſe iuxta poſitam occaſionem congruæ ædificationis inuenerit quaſi ad vicinam vallem, linguæ vndas intorqueat, & cum ſubiectæ inſtructionis campum ſufficienter infuderit, ad ſermonis propoſiti aleum recurrat.] Sint autem egreſſus breues, nec admodum frequentes, & benè cohærent quantum fieri poteſt, nec à propoſita materia animos longè diſtrahant; vitium enim meritò iudicari poteſt, ſi quacumque arrepta occaſione inter dicendũ facile

Digreſſiones quales.

In epiſtola quæ præmittitur ante libros, in Iob cap. 2.

Digitized by Google

facile à propoſito digrediaris, ac veluti fragmenta diuerſorum colorum veſti conſarcienda temerè agglutines. Ars enim hac ratione ac decorum læditur, & quod conſequens eſt, auditoris vtilitas impeditur, quorum animi ad multa diſtracti, nihil habent certi quod ſequantur, quòd vnum apprehendant, teneantque conſtanter.

Perorationis modus. Cap. IX.

EPilogus tribus modis fieri poteſt, vel per adhortationem ad aliquam virtutem, vel per amplificationem earum rerum quæ ſunt diſputatæ, vel per repetitionem colligendo quæ ſparſim propoſita ſunt, aliquando etiam hi modi tres in vna eademque miſcentur concluſione. Exhortãdo afferre poſſumus nouam rationem vel breuem & præclarã ex ſcripturis aut ſancto Viro ſententiam, quæ quaſi in corde omnium, & ore depoſita, conſeruet fructum totius concionis. Commoda etiam eris aliqua illuſtris & breuis hiſtoria, vel exempli narratio & deſcriptio. Sæpe proderit elicere ex ipſa concione documentum aliquod vtile ad praxim, & auditoribus commendare, vt id domi repetant & exerceant. In amplificatione percommodè accidet ſi excitentur affectus, obiurgando vitium aliquod, vel inculcando virtutem prout feret argumentum de quo actum eſt, addendo aliquas ſententias breues, ſed ſpirantes & efficaces & agendo magna cũ vi, nec enim amplificatio debet eſſe frigida, præſertim in fine concionis, nec longa, ne defeſſis auditoribus fructus ex moleſtia pereat. Itaque cum appareat aliquo modo commotus audientium animus abſoluat concionẽ. Repetitio apud multos & graues Concionatores hodie vſu recepta eſt, qui in fine concionis, ſumma rerum dictarum capita colligunt. Sed ea ſi ſolum enumeratio ſit, ieiuna & ſterilis videtur tendere ad oſtentationem memoriæ; Euangelici Oratoris ſimplicitati cõtrariam, nec videtur cõmuniter cum magna vtilitate, niſi quando fuerit concio in genere parænetico, vel tanquam ad meditandum, propoſita capita repetantur, vel talis materia vt multum referat ſummam rerum in memoriam reuocare, alioqui ſolet relinquere auditorem frigidum etiamſi fuerit in ipſa cõcione commotus, propterea multi viri graues non probant conſuetudinem eorum qui vt plurimum vel primam, vel ſecundam concionis partem enumeratione concludunt, cum præſertim nec ſecundum quidem præcepta Rethorum Epilogus vno tantum

Tribus modis fit peroratio.

Exhortandi triplex modus.

Repetitio in epilogo qualis eſſe debeat.

Digitized by Google

tummodo fiat. Sunt qui vt cum maiore lepore id faciant (ſicut ipſi exiſtimant) occultare conantur artem, quod tamen minus placet. Nam ſi ita obſcura eſt repetitio vt prorſus fallat, nullius eſt vſus, ſi artificium apparet ſicuti poſt paucas conciones contingit, illa affectationis ſpecies offendit. Cum autem repetitio & enumeratio hæc adhibenda eſt, videtur ita fieri debere vt Concionator nouo ac ſummo impetu conglobatis rationibus magis vrgeat ad perſuadendum, & quaſi facto agmine aggrediatur auditores, quæ validiſſima ſint, ea maximè tanquam iacula intorquendo. Nam & Fabius monet quæ enumerantur dicenda cum pondere, & aptis excitanda ſententijs, & figuris vtiq; varianda, ne recta repetitio otioſa ſit & eſſe debet breuis, ne iam non enumeratio, ſed vt idē ait quaſi altera fiat oratio.

Grauis ſententia in vltima parte Epilogi.

Commendatur cōcionis totius terminus quando vltima verba continent grauē aliquam ſententiā, quæ ſua vi & dignitate animos excitēt ad Dei amorem, ad peccati odium, ad timorē, ad Deum laudandum ad erubeſcentiam præteritæ vitæ malè actæ, denique quæ ad deuotionem maximè accendant, & memoriæ inſideāt: Chriſtus Dominus ſermonem quem ſuper montem habuit duplici ſimilitudine terminauit, qua hortatur ad opere complendum audita. Omnis qui audit verba mea & facit ea; ſimilis eſt viro ſapienti qui ædificauit domum ſuper petram, & contra qui audit & non facit ſimilis eſt ædificanti ſuper arenam. Nazianzenus laudationes Sanctorum ſolet concludere oratione ad eum quem celebrat conuerſa. Chriſoſtomus ſolet precari vltimis verbis aliquid boni Auditoribus, & concludit vt plurimum dans gloriam Sanctiſsimæ Trinitati. Ridiculum aut lepidè dictum nemo opinor ſanus, concionis ſacræ, clauſulam faciet, vt auditores cum riſu diſcedant, quos ſuſpirantes ac gemebundos, demiſſo pallentique vultu, nouæ coquentes, vitæ conſilia abire oportuit. Bonus ſæpe totius concionis terminus erit per apoſtrophen ad Chriſtū vel ad Patrem aliquando, & ad Beatam Dei Matrem vel Sanctos præſertim in eorum feſtis diebus. Item aliquando poterit conuerti oratio ad peccatorem exorando, vt peccatum dimittat & ad Deum redeat. Benè quidam poſt exaggeratā peccati grauitatem, & pœnas inferni, & atrocem Chriſti paſſionem adiunxit. Creditis ne hæe vera eſſe, & concionem dimiſit. Nec alijs malè ceſſit, excitato ingenti terrore, ſermonem repentè abrumpere & quodammodo præ ſtupore obmuteſcere. Vtile eſt interdum admonere vltimis verbis vt ſtatim ſemel oratio-

Matth. 7.

Vltima verba cōcionis.

nem

Digitized by Google

nem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, aut aliam precationem Deo offerant ad impetrandam contritionem, vel emendationem certi alicuius vitij, vel aliud huiuſmodi pro argumenti tractati ratione. Si quando videas commotos auditorum animos & tibi quoque feruor adſit, poteris abſoluta concione, & ea quæ additur precatiuncula, paucula ad hunc modum verba ſubiungere. Eia fratres quiſque apud ſe ſtatuat mortem potius ſubire quã deinceps Deum offendere, vel quiſque in corde ſcribat illud, malo mori quàm peccare.

ELOQVVTIO

Tria dicendi genera, & eorum exempla ſacra. Cap. X.

QVamuis plura alij dicendi genera enumerent, tamen ad tria optimè reuocari, non ſolum Ciceronis, ſed etiam D. Auguſtini ſententia eſt. Quæ verò alij præter hæc vocant genera dicendi, ea nos virtutes orationis dicimus, quales ſunt perſpicuitas, grauitas, vehementia, ſimplicitas, vrbanitas, & alia. Sunt autem hæc tria genera, Submiſſum, Temperatum, & Grande. Quamuis autem Chriſtiani Oratores ex ſuggeſtu fermè nõ niſi magna proponant, cum ea tractent quæ grauiſſima Dei Myſteria continent, & ad æternam ſalutem conſequendam referuntur, vel interitum animæ in totam æternitatem cauendum; tamen non omnia grauiter ſunt dicenda, ſed cum docendus eſt Auditor, ſubmiſſum dicendi genus locum habet, temperato vtendum cum aliquid laudamus, vel vituperamus: cum verò reluctantes mouere volumus tum demum grande admouendũ. Hoc genere Auguſtinus feliciter ſe vſum dicit, cum ageret de re ad ſpeciem non magna, de aqua frigida pauperi ex charitate danda: Nonne, inquit, accidit, vt cum de hac rè loqueremur ad Populum, & Deus adfuit, vt non incongruè diceremus, tãquam de illa aqua frigida quædam flamma ſurrexit, quæ etiam frigida hominum pectora, ad miſericordiæ opera facienda ſpe cœleſtis mercedis accenderẽtur?] De his tribus generibus ita idem Auguſtinus ſentit. Genus ſubmiſſum acumen requirit, & locum habet cum aliquid eſt docendum, & quæſtio aliqua ſoluenda occurrit: Moderatum magis ornamenta recipit in laudibus, & vituperationibus; ſublime requirit motus, & ſuo pondere plerunque voces premit, & lacrymas exprimit. Idem alij docent, Sene. in Epiſt. ſublimi, ait, genere vtendum eſſe, cum

4. *Doctr. Chriſt. c.17.*

Virtutes orationis plures.

Genus grande.

Lib. 4. de Doct. Chriſtiana, c.19.

Loco citato c.23.

Digitized by Google

cum compellendus quis eſt, vbi verò non hoc agendum, vt velit, ſed vt diſcat, ad ſubmiſſiora verba veniendum eſt, facilius intrant, ſed hærent, nec enim multis opus eſt, ſed efficacibus, ſeminis modo ſpargenda ſunt, quod quamuis exiguum ſit, cum occupauit idoneum locum, vires ſuas explicat, idem facit ratio, non late patet ſi aſpicias, in opere creſcit: eadem, inquã, eſt præceptorum conditio, quæ ſeminum. Exemplum in triplici dicendi genere ponit Auguſtinus, vbi docet de vna eademque re magna, agi ſubmiſsè, cum aliquid docetur, temperatè cum aliquid vituperatur ſeu laudatur, cum vero aliquid agendum eſt, & ad eos loquimur qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna ſunt, dicenda ſunt granditer & ad flectendos animos congruenter, & ſubdit quid enim Deo ipſo maius eſt? nunquid ideo non dicitur? aut qui docet vnitatem Trinitatis debet niſi ſubmiſſa diſputatione agere, vt res ad dignoſcendum difficilis, quantum datur poſſit intelligi? Numquid hic ornamenta, & non documenta quæruntur? Porrò cum laudatur Deus vel in ſe vel in ſuis operibus, quanta facies pulchræ ac ſplendidæ dictionis oboritur in genere dicendi moderato? At ſi Deus non colatur, vel Dæmonia & creaturæ colantur, id verò, vt quàm impium ſit, intelligant, atque vt ab hoc malo auertantur homines debet vtique granditer dici.] Apparent autem paſſim hæc dicendi genera in diuinis literis, & apud ſanctos Patres horum ſunt frequentiſſima exempla. D. Lucas. Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ò Theophile, quæ cæpit Ieſus facere, & docere vſque in diem, & quæ ſequuntur multa ſtylo demiſſo dicuntur, qui eſt hiſtoricis frequens, ſic Paulus. Dicite mihi qui eſtis ſub lege, legem non legiſtis? Scriptum eſt enim quod Abraham duos filios habuit, vnum de Ancilla, & vnum de libera, ſed ille qui de Ancilla ſecundum carnem natus eſt; qui autem de libera per repromiſſionem, quæ ſunt per allegoriam dicta, & rurſus Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius, non dicit & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus: hoc autem dico teſtamentum confirmatum à Deo Ambr. cum agit de Spiritu ſancto rem magnam tractat, vt nimirum Spiritum ſanctum Patri & Filio æqualem demonſtret: ſubmiſſo tamen dicendi genere vtitur, quoniam res ſuſcepta, non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotiones affectuum, ſed rerum documenta deſiderat, Et in principio ſtatim primi libri ponit ſignum Gedeonis offerentis hædum, & Chriſto applicat, vti-

turque

Exemplũ in triplici genere ex Aug. 4. *Doctr. Chr. c. 19.*

Exépla ſubmiſſæ orationis. *Actor. 1.* *Gal. 4.* *Gal. 3.*

Lib. 1. de Spiritu ſãcto.

Digitized by Google

turque hoc ſubtili dicendi genere. Commotus, ait, oraculo Ge deon, cum audiſſet quod deficientibus licet populorum millibus, in vno viro Dominus plebem ſuam ab hoſtibus liberaret, obtulit hædum caprarum, cuius carnem ſecundum præceptum agni, & azima ſuper petram poſuit, quæ vt virgæ cacumen, quam Angelus Dei gerebat, contigit, de petra ignis erupit, atque ita ſacrificium quod offerebatur abſumptum eſt, quo indicio declaratum videtur, quod petra illa typum habuerit corporis Chriſti, quia ſcriptum eſt, bibebant de ſpirituali, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus, iam tunc igitur in myſterio declaratum eſt quia Dominus Ieſus in carne ſua totius mundi peccata, crucifixus aboleret, & quæ ſequuntur. Cypr. docens in calice ex traditione miſcendam aquam vino, inter alia. Sic ait Admonitos autem nos ſcias, vt in calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis prior Dominus fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur, vino mixtus offeratur, & alia quæ in genere tenui & infimo ſunt. Exemplum tẽperatæ orationis docet Paul. ſeniorem ne increpaueris, ſed obſecra, vt patrem, iuuenes, vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores: & iterum obſecro vos, fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentẽ, rationabile obſequium veſtrum, & totum quod ſequitur cum aliquo ornamento dicitur. Rurſus nox præceſſit, dies appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum. Et de filio Dei loquens, qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius portans omnia verbo virtutis, &c. Cui enim Angelorum dixit Deus, filius meus es tu &c. In Canticis hortus concluſus ſoror mea Sponſa, hortus concluſus, fons ſignatus &c. Et ecce tu pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, & quæ ſequuntur. In eodem genere Cypr. Nunc, inquit, nobis ad virgines ſermo eſt, quarum quo ſublimior gloria eſt, maior eſt & cura; flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentũ gratiæ ſpiritualis, læta indoles laudis & honoris, opus integrũ atque incorruptum, Dei imago, reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Ambr. proponit Mariam eis in hoc genere, Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiã mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum, corde humilis verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto diuitiarum ſed in prece pauperis ſpem ponens; Et rurſum: quando iſta vel vultu læſit parentes?

Iud. c. 6.

Cypr. de Sacramẽto calicis.

Exempla tẽperatæ orationis. *1. Tim. 5. Rom. 12.*

Rom. 13.

Heb. 1. cap. 24.

Lib. de habitu Vir.

De Virg. lib. 2.

Digitized by Google

rentes? quando diſſenſit à propinquis? quando faſtidiuit humi-
Lib.5.c.2. lem? nihil torum in oculis, nihil in verbis procax) Idem Ambroſ. loquens de piſcibus. Non laborat in maximis Deus, non faſtidit in minimis, nec doluit natura parturiens Delphinos, ſicut nec doluit cum exiguos murices, cocleasque produceret: Numera ſi potes omnium piſcium genera, ſeu minutorum, ſeu maximorum, &cæt.]

Exempla grã diloqui generis. Exemplum grandiloqui generis apud Iſa. Audite cœli, & auribus percipe terra Dominus loquutus eſt, filios enutriui, & exaltaui ipſi autem ſpreuerunt me, & ſubdit: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequã, filijs ſceleratis &c.
Iſa. c.1. Et addit vſque quo percutiam vos vltra? Hier. obſtupeſcite cœli ſuper hoc & portæ eius &c. Duo mala fecit populus meus,
Cap. 2. & alia. Et Paul. ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies
2. Cor. 6. ſalutis. In omnibus exhibeamus noſmetipſos in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, & multa in hunc modum ſubijcit, poſtea: Per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, & alia his ſimilia. Et ſubdit: Os noſtrum patet ad vos, ò Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Eodem modo grandi-
Rom. 8. ter agit cum, ait; Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperãtur in bonum, nã quos præſciuit & prædeſtinauit cõformes fieri imagini filij ſui quos autem prędeſtinauit hos & vocauit, & iuſtificauit &c. Quid ergo dicemus adhæc? ſi Deus pro nobis & cum ſubdit; Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti tribulatio? anguſtia? an fames? an nuditas? In hoc genere grandi
Serm. 1. de Inno. Auguſtinus loquitur de Innocentibus occiſis. Naſcente Domino ait luctus cępit non cœlo, ſed mundo, indicitur Matribus lamentatio grande martyrium crudele ſpectaculum &c.

Li. de habitu Virg. Cypr. contra mulieres quæ vultus, pigmentis colorant. Si quis, ait, pingendi artifex vultum alicuius, & ſpeciem & corporis qualitatem æmulo colore ſignaret, & ſignato iam, conſumatoque ſimulachro, manus alius inferret, vt iam formata, iam picta, quaſi peritior reformaret, grauis prioris artificis, & iuſta indignatio videretur. Tu exiſtimas te impunè laturam tam improbę temeritatis audaciam? Dei artificis offenſam? &
Lib. 1. de Virg. multa quæ ſequuntur. Ambr. etiam contra eaſdem. Hinc, ait, illa vitiorum incentiua naſcuntur, vt quæſitis coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formidãt, & de adulterio vultus, meditantur adulterium caſtitatis, quanta amentia hic effigiem mutare naturæ, picturam quærere? & dum verentur ma-

ritale

ritale iudicium perdiderunt suum, & alia quæ vehementi dictione persequitur.

Sed etiam videndum quomodo triplici hoc genere vtēdum, quod ex eorum inter se differentia facile apparebit; differunt enim vsu, materia, & dictione: Primò, vsu, quia submissum genus in probando, moderatum in delectando, vehemens in flectendo vsurpatur. Secundò, Materia, quia graue rebus magnis seruit, infimum tenuibus, moderatum mediocribus. Tertiò, Dictione, quia genus dicendi submissum requirit sentētias acutas, crebras, eruditas, perspicuas, verba propria & communia, non multas figuras vel amplificationes, iuncturas, & periodos solutas ac breuiores, dictionem facilem ac dilucidam, pronunciationem modestam, & distinctam, actionem, non illam quidē vehementem, sed non frigidam, verum sicut in re seria loqui solemus. Genus sublime exigit sententias graues cum emphasi, verba grandia, metaphoras illustres, Epitheta magnifica, compositionem aliquanto longiorem, figuras quæ seruiunt amplificationibus, & affectibus excitandis, vt sunt interrogationes, exclamationes, requirit actionem vehementem, vocem accommodatam rerum grauitati, vel indignitati; Genus moderatum inter vtrumque medium est; requirit sententias non sublimes, non infimas, sed mediocres verba suauia, ornatum & actiones, & omnia moderata. Illud etiam notandum, hæc tria dicendi genera in eadem concione intermiscenda esse ferè semper; ita vt in graui genere oranti, necesse sit interserere aliquā temperatè & submissè dicta, præsertim initio, vt ea quæ dicuntur granditer, ex eorum fiant comparatione grandiora, & tanquā vmbris luminosiora reddantur. Neque verò diu potest ferre Auditor, si longa texatur oratio in vehementibus affectibus, quāobrem recurrendum est ad moderatum dicendi genus, vt rursus ad grande redeatur, & varietate dicendi non solum delectetur, sed etiam trahatur animus ad id quod suadet oratio. Qui igitur parat concionem reputet secum, qua in parte debeat vti genere demisso, vbi etiam moderato, vbi sublimi, eāque partem, vbi agendum demissè est, dilucidè cum aliquo acumine tractet; vbi moderatè, paulo amplius ornare poterit; cum verò granditer dicendum, quæret, quæ inuent ad vehementes motus: quod si verba occurrant ornata, illa ex rerum & sententiarum grauitate nascantur, magis quàm arte, ita vt auditoris non distrahatur animus à rebus ad verba, sed potius à verbis feratur ad res. At cum in vitium ducat culpæ fuga si ea-

Inter hæc tria genera discrimē triplex.

Hæc tria genera miscenda.

ret arte, assuefcat etiam in his tribus generibus ita se exercere, vt dum sublime vult tenere, non efferatur in turgidum & inflatum, videtur enim hoc vitium affectare, sed non habere grauitatem dicendi; Dum moderatum contendit assequi duo caueat vitia, alterum ne sit genus dictionis dissolutum sine structura vagum & fluctuans; alterum ne ornatu nimio lasciuiat, & pigmentis inanibus eneruetur. Denique in demisso genere videat, ne humi repat exilisque, & ieiuna dictio sit, neue potius sermo plebeius, quam personæ grauis oratio.

Eloquutio emendata & dilucida. Cap. XI.

Li. 8. c. 10. Eloquutionis quadruplex virtus. Puritas sermonis.

ELoquutio ait Bab. quadruplici virtute debet vestiri, scilicet vt sit emendata, dilucida, ornata, & apta; quibus quatuor vitia contraria sunt, barbarum, obscurum, inornatum, ineptum. Pura & emendata erit, quæ Grammaticorum præceptis conueniat, & verbis tenatur linguæ, qua vtimur communi vsu, receptis. Hæc autem cura negligenda Christiano Oratori non est, ne si inquinatè loquatur, ac barbarè, vel contemnatur, vel risum aliquando moueat, vbi non debet: sed cura sit moderata: Oportet proprietatem sermonis, & vsum communem non reconditum, & putidum consectari: Neque velim Concionatorem nostrum occupari in lectione impudicorum librorum, & Poetarum, & admiranda militarium successuum ludibria, describentium, vt verba selectissima exquirat, imò monendus est, ne det occasionem auditoribus suspicandi tales scriptores leues, & minus pudicos ab eo tractari. Satis erit ex libris pijs, qui in manu sunt omnium, obseruare linguæ vim ac proprietatem, nec erit exercitatio inutilis aliquid in patrium sermonem ex latino conuertere. Sermo naturalis omnium sententia valde ad persuadendum accommodatus est: sed quantopere declinanda sit in toto Euangelicæ eloquentiæ genere, affectationis suspicio, satis alibi est dictum, nec displicet inculcare. Deinde claritas, ac diluciditas in tota oratione, & maximè in docendo peculiari studio est à Concionatore curanda. Aristoteles hanc primam virtutem orationis ponit, & ratio est euidens, nam ideo sermo est homini datus, vt sensa animi sui alijs aperiat: quare nisi sermo intelligatur suo fine carebit. Quod si prima ac summa orationis virtus est perspicuitas, quis non videt quàm sit vitiosa si egeat interprete? Augustus. Quid prodest, inquit, loquutionis integritas quam non sequitur intellectus audientis,

Diluciditas.

4. de Doct. Chr. c. 10.

dientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligitur?] Eo etiam magis oratio ex suggestu sit clara necesse est, quod in alijs loquutionibus ait idem Augustinus est cuique interrogandi potestas, vbi autem omnes tacent, vt audiatur vnus, & in eum intenta ora tenent, ibi vt requirat quisque quod non intellexit, nec moris est, nec decoris, ac propterea debet maximè tacenti subuenire cura dicentis: solet autē ex motu aliquo inter auditores cognosci an satis perceperint, tamdiuque immorandum est, quamdiu appareat eos percepisse] Idque adeo necessarium est, vt rectè dictum sit à Cicerone neminem extulisse eum verbis, qui ita dixisset, vt qui adessent intelligerent, quid diceret, sed contempsisse eum, qui id minus facere potuisset. Meritò Lactan. & D. Hieron. notant Tertulliani obscuritatem, contra Cypriani perspicuitatem cōmendant. Debet autem esse ea dilucidtas vt rudes, ac mulieres quātum fieri potest intelligant, quæ dicuntur. non enim paucorum causa doctiorum, negligenda est multitudo. Facit etiam hæc claritas ad delectandum, & attentum reddendum auditorem, & vt domum redeat instructus, non solum vt eorum, quæ audiuit, sit memor, sed vt opere exequatur, quod benè percepit.

Lib. 1. inst. c. 10.

Ad Paul. Epist. 13.

Porrò claritatem efficiunt verba propria, & vsitata, modo abstineatur à sordidis ne dum obscænis. Qui docet, ait, Augustinus vitabit omnia verba quæ non docent.] Intelligat autem Concionator cum recens accedit ad aliquam ciuitatem scisciandum sibi esse ex aliquo perito, num quæ ibi fortè vocabula sint, vitio aut vsu gentis turpe quiddam, aut aliud quàm alibi, significantia vt possit cum vsus incidit, deuitare. Ipsa compositio periodorum sit naturalis, non obscurata hyperbolis, amphilologijs, multitudine verborum. non habeat longas periodos, vocum transpositione circumductas, vtatur ordine & distinctione, proponat vbi opus est, quid velit probare, nam propositio illustrat: transitiones adiuuant cum ipsæ cæcę non sunt. Item, repetitiones, interrogationes, interpretationes rerum quæ obscuriores sunt, definitiones, partitiones, ac similes figuræ. Prætereà vt dilucidè quis dicat non debet esse valde religiosus in quibusdam verbis omittendis, quæ licet, sint ornatiora minus tamen intelliguntur; qui appetit intelligenter loqui, inquit, Augustinus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid benè sonet, sed quid benè indicet, quod ostendere intendit, & citat dictum cuiusdam prudenter monentis, cum de claritate ageret esse in ea quamdam diligentem negligentiam.] Hæc tamen,

Quidnam faciat oratione dilucidā. *4. de Doct. Chr. c. 10.*

Ibid.

(addit Auguſt.) ſic detrahit ornatum vt ſordes non contrahat.] Miſer eſt, ait Fab. & vt ſic dicam, pauper Orator, qui
Prol. l. 8. nullum verbum perdere poteſt.] Proderit item ad dilucidita-
tem, præmeditari quibus verbis, quali modo debeat, quod di-
cit, explicare. Sententiæ item debent explicari, per interpreta-
tiones ac ſimilitudines, & rationibus quoque corroborari; non
enim benè docetur auditor, niſi ratio afferatur idonea, cui in-
nitatur doctrina. Si ſententia aut doctrina paulo difficilior tra-
26. Mor. cap. 1. ctatur vitium non eſt idem repetere. Nonnunquam ait Greg.
Doctores Sancti crebrò repetunt, ſi qua obſcurius dicunt, vt
quæ occulta prædicant auditorum cordibus voce hac iteratio-
nis infundant.

Eloquutio ornata & apta. Cap. XII.

VT ſit ornata eloquutio, non eſt neceſſe eam in verbis ha-
bere elegantium exquiſitam, vt magis verba, quam res
Lib. 8. c. 2. ornatum oſtendant; eſt certa eiuſdem Fabij ſententia; iacere
Quid ornatâ eloquutionẽ reddat. ſenſus in oratione, vbi verba laudantur. Sed ſint propria, &
tranſlata verba; Metaphora namque ſuo loco poſita habet mul
tum ſplendoris, & Scriptura ſacra iis ſæpiſſimè vtitur, ſit antè
tranſlatio facilis, non longè petita, rei de qua agitur, accom-
modata, nec tamen frequens, ne abundantia pariat ſatietatẽ.
adhibeantur & ſuo loco epitheta, quæ grauia, & ſignificantia,
& propria ſint; cauenda tamen & hic nimia frequentia, quæ
propria eſt Poetarum. Porrò paſſim adijcere ſuperlata, præſer-
tim vbi opus non eſt, potius orationem abijcit. Noſter B. P.
Ignatius in familiaribus colloquijs fugiebat hoc tanquam vi-
cium, quod ſapit oſtentationem, & leuitatem omnia admiran-
tis, idem putarim in concione fugiendũ, niſi rei grauitas aliud
poſcat. Putant aliqui in his conſiſtere eloquentiam, cum ve-
rè nihil longius diſtet. Ea enim demum eloquentia eſt, quæ
ſuum cuique rei pondus tribuit, non quæ cuncta hyperbolicè
effert, aut minuit.

Aliqui ad ornandam concionem maximè in compoſitione ac
ſtylo laborant, vt periodos habeant benè rotundas, ornatas,
ac numeroſas. Ego hoc labore noſtrum Eccleſiaſtem magna
ex parte, ſi non omnino leuauero, velim eum eſſe contentum
ſtylo Eccleſiaſtico, & graui! Auguſt. de numeris loquens cõ-
4. de Doct. Chr. c. 20. poſitæ orationis, & numeroſis periodis, ait; in noſtris authori-
bus hoc mihi plus placet, quod ibi eos rariſſimè inuenio: &

idem

idem, Cauendum est, ait, ne diuinis grauibusque sententijs dū additur numerus, pondus detrahatur.] Multa diximus initio huius secundæ partis hac de re, sed detur quæso etiam nunc facultas pauca quædam addendi, vt res omnium animis melius imprimatur. Audiamus quid magnus ille Rhetor Quintilianus ab Oratore suo requirat. Ornatus viri sit fortis, & sanctus, nec effeminatam leuitatem, nec fuco eminentem amet colorem, sanguine & viribus niteat, An ego fundum cultiorē putem, in quo mihi quis ostenderit lilia, & violas, & amenos fontes surgentes, quàm vbi plena messis, aut graues fructu vites erunt? steriles platanos, tonsasq; myrtos, quàm maritatos vlmos, & vberes oleas præoptarim?] Clemens Alex. affirmat oratione valde ornatā verborū floribus, esse conuiuiū nullis ornatū epulis, bellarijs tantum & secundis mensis & condimentis quasi quibusdam adulterijs epularum instructum. Bas. vocum elaboratam posituram, numerorum conuenientiam, ad vnguē exploratam collocationem irridet, negatque christianis licere periodorum quasi fabros esse ac tornatores. Theodoretus; Laudat Pythagoræ dictum, qui oratores fucato eruditos artificio Syrenas nominabat, quæ dulci quidem sed pestifero cantu transeuntibus insidiantur. Nolim ergo Concionatorem laborare in compositione periodorum, quas artificiosa semper structura, circumacta, & inter se comprehensa, operoso fine connectat, quas quidem sicut scribunt, ita pronunciant ad verbum. Sed nihil magis affectum siue dicentis, siue audientis enervat: nam is qui dicit quia occupatur in periodis rotundandis, vel memoria repetendis, vt certis alligatus verbis quasi compedibus, mentem in affectum, quem vult excitare, incalescereque ipse, & libere ferri, minimè potest. Is verò qui audit & artificio abstrahitur à rei cogitatione, & opinionem apud se Concionatoris eleuat, ac denique moueri non potest, quia aptè ad motum Concionator non dicit. Quæ cum sæpius nonuerim, nolo quispiam suspicetur me negligentiam suadere, & periodos omnino damnare. Nam nihil insultius est, nihil claritati, & iucunditati magis aduersum, quàm oratio quæ dissoluta feratur sine vllo fine, nusquam insistens, nusquam sententiā absoluens, sed alia atque alia annectens puerorum more, qui non nisi per coniunctionem (&) sermonem norunt producere. Scio concussas aptè verbis sententias tanquam, amento, hastas fortius intorqueri. Videō quid habeat grauitatis S. Leonis rotunditas: quam etiā Ecclesiæ precationes fere numerosè claudantur

Lib. 8. c. 3.

Lib. 1. Str.

Li. 2. Exā.

Lib. de Grec. affect.

Numerus nō sit affectatus.

dantur. Non igitur numerum damno nisi, vt initio de eloquentia dixi, immodicum, corruptum, eneruem. Is autem est, in quo faciendo cura & labor apparet: qui non validius vibrat sensus, sed hebetat: qui auribus solum inani sono blanditur. Hic igitur planè repudietur. Adsit autem sua sententijs circũscriptio, verba non temerè fundantur, sed ita disposita vt clarius explicandæ rei, vel motui ciendo conueniant: vbique pietas, affectus, naturalis vis, & quoddam virile robur eluceat. Neque debet concio, imitari stylum, & modos loquendi Poetarum. Negat id Arist. Oratori suo, alijque omnes antiqui scriptores artis: tanto igitur magis interdictum est nobis, quãto disciplinæ christianæ sanctimonia, ethnicam superat grauitatem. Sit autem compositio & stylus æqualis & vniformis, seruata interim in varijs dicendi generibus sua eloquutione. Nam quod de exordijs supra dicebamus, hoc in alijs quoque orationis partibus quidam committunt, qui cum aliquantum selectis verbis, & aptis numeris dixerint, inde paulatim labuntur, ac tandem in abiectam compositionem desinunt. Denique quoniam Rhetores de numerosa oratione multa scribunt, ego his paucis contextus ero, curandum quidem esse, vt oratio habeat sua interualla, & respirationes, cauendum tamen, primum à versu. Deinde ab affectato numero, illum solum dico esse laudabilem, qui sententiæ seruiat, & validius feriat, & altius infigatur. Vt semel de tota eloquutione dicam: habeat aliquã elegantiam sine affectatione, candorem sine fuco, grauitatem sine tumore. Splendeat aliquibus figuris tanquam coloribus, sit mediocriter acuta non hebes, non redundet luxuria verborum, sed neque sit sterilis, sit suauis, non ingrata, sit modicè accurata, non vilis nec abiecta, & humi repens. Ante omnia sit viuida, spirans, succi plena, & roboris: modo vbique sit etiam apta. Tum verò eloquutio apta est cum verba rebus, & res personis, loco, temporique respondent; & vt vno verbo explicem, cum decorum seruatur. Quæres, Decorum quid sit? Id nimirum quod decet. namque vt in vita decorum consistit in quadam æquabilitate omnium actionum prout personis, loco tempori, ac statui cuiusque conuenit, ita in concionando decorum est quædam æqualitas, seu proportio, & congruentia orationis, vt conuenit rebus, personis dicentis, & audientis, locis ac temporibus, cum grandia stylo sublimi, moderato mediocria; tenuia infimo, seu acuto exponuntur. Quo loco vera est Ciceronis sententia. In omni re posse quid deceat facere,

Ornatus qualis esse debeat.

Apta eloquutio.

Decorum tenendum.

Digitized by Google

re, artis & naturæ esse, scire quid quemque deceat, prudentiæ, idque vt in vita, sic in oratione difficillimum esse. Igitur vt decorum seruetur spectanda est persona dicentis, sit ne iuuenis, an senex. Paulus Timotheum docens: senes, ait, ne increpaueris, sed obsecra vt patres. erat enim ille iuuenis: sine persona priuata, an publica. Episcopus & vir magnæ authoritatis, aliqua cum decoro dicet, quæ non deceant alium: nouus concionator, an vetus sit; cuius etiã existimationis ac famæ. Deinde considerandæ auditorum conditio. Aliter enim ad subditos, aliter ad Religiosos dicendũ est, aliter ad sæculares, ad pueros, ad senes, ad mulieres, ad doctos. Huc spectat illud Eccl. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum iniusto de iustitia, cum timido de bello; Habenda est ratio temporis, nam tempore tristi læta proponere esset contra illud: Musica in luctu importuna narratio. Si quis in sancta hebdomada vellet in concione de Christi Domini passione ostendere omnibus lætandum esse, quamuis pius etiam lætitiæ affectus elici ex ea possit, tamen tunc tempus non est, cum Ecclesia habeat omnia ad luctum, ad commiserationem, ad dolorem composita. Sed dicamus etiã qui sint in dicendo inepti, vt oppositа iuxta se posita magis elucescant, & proximum virtuti vitium eã magis eminere faciat. Ij planè sunt qui difficiles, & obscuras quæstiones tractant, qui effutiunt inconsideratè, quæ non debent, qui longas digressiones assumunt, qui subtilia prædicant ad sese ostentandos, qui in rebus lenibus, & facilibus tempus terunt, qui res parum vtiles ac futiles congerunt, qui fabellas, & ridicula facile intermiscent, qui varietatem in oratione non habent, qui genera dicendi non intermiscent pro rerum quas tractant dignitate, & qui linguam Hebræam, vel Græcam nimis affectant, qui coacernant epitheta, vel synonima, qui nimium verbis ac syllabis inhærent, qui denique eandem rem satis intellectam crebrius inculcant. Præterea est inepta oratio quando genus dicendi non est qualitati rei, ac naturæ accommodatum, vt si genus orationis sublimè paruis rebus adhibeatur, lætum tristibus, asperum lenibus, modicum grandibus, submissum concitatis, supplicibus mordax, violentum iucundis; Hæc namque decorum non habent, sicut nec habitus triumphalis fœminas decet, & monilibus, quæ sunt fœminarum ornamenta, viri deformantur. Est enim similis vesti oratio, & alia pueros, alia senes; alia viros, alia fœminas, alia magistratus, alia milites; vestium forma decet: Sique hæc permutes, vt senilibus pueros, muliebribus viros,

Decorum personarum. 1. *Tim.* 5.

Eccl. 37.

Decorum temporis. *Eccl.* 22.

Inepti quinã sint.

ros, militaribus magistratus induas, non solum decorum sed etiam vsus perit: Ita cum eloquendi genus pro multiplici rerum varietate varium ac multiplex sit, nisi fuerit accommodatum, & aptum, non modo res non illustrabit, sed potius obscurabit, ac destruet.

Figurarum vsus, & exempla sacra Troporum. Cap. XIII.

Figuræ multum valent.

FIguræ in oratione, si loco apponuntur, sunt instar colorum in pictura. Nam quemadmodum hæc vbi delineata est, & solum adumbrata, longè abest à perfectione, tum autem perficitur, vbi singulæ partes excitantur, & distinguuntur coloribus suis. Ita iacet oratio simplex, ac plana, quam non conformat, illuminant, excitant figuræ. Eam ob rem, eas dicendi magistri, colores, lumina, flores, insignia orationis appellant. Et Fab. docet nō esse inter minima Oratoris vitia, si figuris careat, perinde ac si humanum corpus, honesta forma, & habitudine, seu proportione destitueretur. Valent autem non solum ad delectationem, & attentionem, ac doctrinam, sed etiam vehementer ad motum. Nam rectus quidam dicendi modus, & valdè vsitatus, sæpè non excitat attentionem, non afficit animum: at oratio quæ per tropos à propria significatione ad aliam cum virtute ac splendore sermonem commutat, & à communi, ac primum se offerente dicendi ratione remota, in aliam nouam atque artificiosam dictionis formam sese conformat, erigit aures cōmouet mentes; Prudenter circa figurarum vsum tria docet Quintilianus. Primum est, vt figuræ subsit digna res, ac Sententia. Sunt, inquit, qui neglecto rerum pondere, & viribus sententiarum, si vel inania verba in hos modos deprauarint, summos se iudicent artifices, ideoque non desinunt eas nectere, quas sine sententia sectari tam est ridiculum, quam quærere habitum gestumque sine corpore] Secundum, vt figuræ non solum opportunè, sed etiam moderatè adhibeantur, alioqui non modo non ornant, sed ineptias Oratoris indicant; nam & vultus mutatio, inquit, oculorumque coniectus multum in oratione valent; sed si quis ducere os exquisitis modis, ac frontis, ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur, sic ait si crebrò his generibus vtemur, puerili videbimur eloquutione delectari:] quod verè dictum non rara ostendunt exempla eorum, qui totam benè dicendi rationem, & artem in cuiusdam verbi crebra

Lib. 9. c. 3. initio.

Tria circa vsum figurarum.

Lib. 9. c. 3. in fine.

Digitized by Google

bra repetitione rati consistere, nullum finem repetendi faciunt insulsè plane, ac pueriliter, & ineptissimè. Tertium, vt habeatur ratio rei, quæ tractatur; Nam vbi atrox causa est, quorsum similiter cadentia? cum in his rebus, cura verborum deroget affectibus fidem, & vbicumque ars ostendatur, veritas abesse videatur. His positis cum harum figurarum frequentissimus sit vsus in sacris literis, & apud Christianæ Religionis Sãctos Patres, valeantque multum ad omne Christiani etiam Oratoris munus, allatis nostrorum exemplis placuit illustrare hanc partem minimè contemnendam, imò vero necessariam.

Præter exempla autem, pauca erunt adijcienda, quia hæc ijs scribuntur, qui vel ab adolescentia, quæ de figuris dici possent, ex Rethorum officinis hauserunt, vel nullo negotio possunt per seſe cognoscere. Ac primo loco constat diuinos libros abundare varijs tropis: quorũ aliqui assumi solent significationis gratia, alij magis ad decorem & ornatum.

Translatio.

Inter præcipuos tropos est verborum translatorum vsus, grẽcè metaphora; quæ non est aliud, ait, Augustinus, nisi de re propria, ad rem non propriam, alicuius verbi vsurpata translatio.] Ducitur autem tum ab animatis ad inanima, tum ab his ad animata. Porrò illæ metaphoræ illustriores videntur, quæ ad res sensus expertes traducuntur, significando in ijs aliquem motum, atque operationem viuentium, præsertim sumptæ ab hominibus; vt, obstupescite cœli; Omnis creatura ingemiscit, & parturit, flumina plaudent manu. Quid est tibi mare quod fugisti? S. Augustinus. Cernitisnè quò tendat, quo manus porrigat hęc disputatio? Sed & aliundè sumptæ magnam venustatem, atque vim habent: & passim in scripturis occurrunt. Quare fremuerunt gentes? Tunc exultabunt omnia ligna syluarum. Si sumpsero pennas meas diluculo. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Sub vmbra alarum tuarum protege nos. Apposita est gemina illa Leonis Papæ, cum ad Petrum conuersus ait; Ad hanc ergo Vrbem, tu Beatissimè Apostole Petre, venire non metuis, & syluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum constantior, quam cum supra mare gradereris ingrederis. Aristoteles laudat metaphoras quod multum habeant perspicuitatis, iucunditatis, & dignitatis. maximè eas commendat, quas vocat secundum energiam, ideſt quibus res inanimas induimus tanquam animatas. Rationem quare translatio multum auditores delectet, affert Cicero quia in oratione apparet ingenij specimen quoddam, dum quæ ante pedes

Lib. 2 contra mendacium c. 10. *Hier. ad Rom. 8.* *Psal. 97.* *Psal. 113.* *De natura & gratia c. 20.*

Exẽpla trãslationum.

Psal. 2. *Psal. 95.* *Psal. 138.* *Psal. 35.* *Psal. 16.* *Serm. 1. de Apost. Petro et Paulo.* *3. Rhet. c. 2.*

Quare trãslatio multũ delectat.

3. *de Orat.* pedes ſunt tranſilit, & alia longè repetita ſumit, ipſe verò auditor in verbis translatis alio ducitur cogitatione, neque tamẽ aberrat, quæ maxima eſt delectatio, vel quia omnis translatio ad ſenſum ipſum admouetur; Ex Ariſtotele autem ratio eſt, quia non ſolum qui audit ex verbis translatis plura intelligit, ſed etiam diſcit per quamdam ratiocinationem conferens rem de qua eſt ſermo, cum ea, ex qua ſumitur translatio, & animad uertens proportionem, & concludens quodammodo hanc eſſe illam: Nihil autem eſt, Ariſtotelis ſententia quod ita delectet, ſicut eſt facilè diſcere. Propterea ille præcipit, vt metaphoræ neque ex obuijs ſint, neque ex nimium reconditis, quia per illas vt nimium faciles, nihil videmur addiſcere; per has vt obſcuras, vel nihil diſcimus, vel cum labore. Laudat autem eas maximè in quibus proportio cernitur; Nam cum omnes in aliqua proportione ſitæ ſint, in quibuſdam tamen ea planius elucet, cum viciſſim liceat permutare: vt cum dicimus ſtellas flores cœli, flores terræ, ſtellas, & vt ille ait: Scutũ Bacchi eſt phiala, Martis phiala eſt ſcutum. Et alibi: ſeruus eſt inſtrumentum animatum, inſtrumentum eſt Seruus inanimatus. Quo genere ita delectatur Ariſtoteles, vt ne in Acroamaticis quidem abſtineat. Nam locum dicit eſſe vas immobile, vas autem mobilem locum. Debet igitur id vnde ducitur metaphora habere ſimilitudinem, ac proportionem cum re ad quam accommodatur, Quod ſi interdum durior aut audacior ſit, ſolet molliri, appoſitis particulis, quodammodo, vt ita dicam, & ſimilibus. Videndum eſt autem ne ex humilibus rebus petantur, aut ſordidis, aut quæ menti fœdas ſpecies obiectent. Exemplum tranſlationis ſit ex Cypr. Dominus, inquit, prudentes nos eſſe iuſſit ne aduerſarius vigilans, & ſemper inſidians vbi in pectus obrepſerit, de ſcintillis conflet incendia, de paruis maxima exaggeret, & dum remiſſis, flatu molliore, blanditur, procellis excitatis ruinas fidei, & ſalutis, ac vitæ naufragia moliatur.

Metaphoræ illuſtriores ſecundum Ariſtotelem.

Phyſ. 4.

Lib. de zelo, & liuore initio.

Allegoria. Translationi adiungitur ſermo per allegoriam, cum aliud verbis dicitur aliud ſignificatur; Nec multum differt Allegoria à metaphora, niſi quod hæc miſcet translata cum proprijs, illa vtitur translatis per totam orationem. Sed Allegoria, ſicut & metaphora, de vicino ſumitur: quod ſi longius obſcuriuſque ſumatur, tunc allegoria degenerat in Aenigma. Hic autem dicendi modus per allegorias eſt vſitatiſſimus in ſacris literis.

Ioan. 4. Leuate oculos & videte, quia regiones albæ ſunt ad meſſem.

Abraham

Digitized by Google

Abraham duos filios habuit, vnum de Ancilla, alterum de libera, quæ ſunt per allegoriam dicta. Cuius ventilabrum in manu ſua eſt, & purgabit aream ſuam. In chamo & freno maxillas eorum conſtringe. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.] Item, egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Sint lumbi veſtri præcincti. Baſil. Oportet (ait) mentem velut gubernatorem affectibus præſidere, & carnem velut nauigium inſcendere, & cogitationes velut clauos erudite circumuertere, & vndas generosè conculcare. Ambr. attollat licet emiſſus latebris coluber perfidiæ caput, & ſerpentinis euomat venena pectoribus. Illuſtris quoque eſt illa, quam S. Baſil. fusè perſequitur, vbi mortem S. Ioannis Baptiſtæ vocat tragediam; Hanc, inquit, tragædiã decollationis, Diabolus excitauit, Herodes confecit, Herodias ſaltauit; Baptiſta deſcendit in certamen, Euangeliſta narrauit, nimirum vbi diabolus victoriam deſperauit in Ioannem, vertit arma, & Herodianis affectibus pro armis vſus viam aperit ad Baptiſtæ mortem. Eandem cędem Ioannis Baptiſtæ tanquam ludum gladiatoriũ, aut beſtiarum deſcribit B. Petrus Chryſologus. In areã ait vertitur domus; Menſa migrat in caueam: fiũt de pranſoribus, ſpectatores: funere mutatur conuiuium: fit cibus cędes, & vinum tranſit in ſanguinẽ; Finis apponitur natali, in ortu exhibetur occaſus: conuiuiũ in homicidium commutatur: Organa tragediã perſonant ſęcularem, intrat beſtia in puellam, quærit amputare, non ſaltare: diſcurrit fera, non fęmina: ſpargit iubas per ceruicem, non capillos: membra dilatat anfractibus: ſæuitiæ creſcit augmentis: fit grandis crudelitate, non corpore: & ſingularis fera vſque dum capiat prædã: fremit ore, dentibus frendit: Ferrum non ſuſcipit, ſed producit. Allegoriæ affinis eſt Ironia, quia illa aliud vult ſignificari, aliud dicit, hæc autẽ contrarium vult intelligi, ſæpe ad irriſionẽ accommodata, vt clamate voce maiore, forſitan autẽ longius abeſt, aut dormit, vt excitetur. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Eſt etiã huic ſimilis Antiphraſis. Benedic Deo, & morere. His etiã ſimilis eſt Parabola, Paræmia, Aenigma. Parabolæ ſatis ex Euãgelijs notę ſunt. Homo quidã fecit cœnam magnã, & miſit ſeruos ſuos. Simile eſt regnũ cœlorũ decem virginibus. Sagenæ miſſæ in mare. Theſauro abſcõdito. Negociatori quærenti bonas margaritas. Paræmiæ ſunt illæ. Canis reuertẽs ad vomitũ. Nunquid & Saul inter Prophetas. Luc. vtique dicetis mihi: Medice cura te ipſũ. Super arenã ædificare. Enigma eſt. De comedente exiuit cibus, & de

Gal. 4. *Luc.* 3. *Pſal.* 31. *Iſa.* 5. *Iſa.* 11. *Luc.* 12. *Baſil.* *In* 2. *cap.* *Lucæ.* *Orat.* 15. *Serm.* 127. Ironia. 3. *Reg.* 18. *Gen.* 3. *Iob* 2. *Luc.* 14. *Matt.* 25. *Matt.* 13. 1. *Pet.* 2. 1. *Reg.* 10. *Luc.* 4. *Matth.* 7. *Enigma.*

Digitized by Google

*Iudic.*14. & de forti egressa est dulcedo; Sanguisugæ duæ sunt filiæ, quæ
*Prou.*30. dicunt affer, affer, Antequam obtenebrescat Sol, & lumen, &
Luna, & reuertantur nubes post pluuiam, quando commouebuntur
*Eccl.*12. custodes domus, florebit amygdalus, impinguabitur
locusta, dissipabitur capparis, & totus ille textus, vbi de senecta loquitur. Sunt etiam tropi Metonymia, & Synedoche.
Metonymia. Synedoche. Exemplum primi est. Auribus percipe terra: vbi id quod con-
*Isai.*1. tinet ponitur pro ipsis hominibus, qui sunt in terra. Exem-
*Ioan.*2. plum secundi est. Verbum caro factum est: vbi caro, quæ est
pars, ponitur pro toto. Conflabunt gladios suos in vomeres,
*Isa.*2. & lanceas in falces: vbi id, quod sequitur significat id, quod
præcedit: scilicet erit pax, quando instrumenta bellica in instru-
*Psal.*111. menta pacis vertuntur. Peccator videbit & irascetur; vbi vnus
Antonomasia ponitur pro omnibus. Rursus ad tropos pertinent. Antonomasia, Epithetum, Periphrasis. Exemplum primi; Cum videritis
Epithetum. Periphrasis. abominationem, id est Antichristum. Rex virtutum dilecti, id
*Matth.*24 est filij. Sic pro Paulo ponitur Apostolus, pro Christo Redem-
*Psal.*67. ptor, pro Moyse legislator. Exemplum secundi. Misericors, &
*Psal.*102. miserator Dominus, longanimis & multum misericors. Et,
*Psal.*72. quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde? Exemplum
tertij. Pro Iob. dicam: vir simplex ac rectus, timens Deum
& recedens à malo. Bas. vocat auarum fraudatorem, raptorem bonorum Dei, & pauperum. Scimus quoniam si terrestris
Ser.2. in Diuites Auaros domus nostra huius habitationis dissoluatur, id est corpus. est
2.*Cor.*5. enim circumloquutio quædam. Hactenus de Tropis.

Figuræ verborum, & exempla sacra. Cap. XIV.

IAm figurarum quoque præcipuarum afferam exempla, & à figuris verborum exordiamur. valde frequens est Repetitio, & multipliciter fit, prout varijs locis ponitur vox, quæ iteratur. Aliquando enim reperitur in initio; vt Paulus: Periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in solitudine,
Repetitio multis modis fit, periculis in falsis fratribus. Seminatur in corruptione, surget
2.*Cor.*11. in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria,
1.*Cor.*15. seminatur in infirmitate surget in virtute, seminatur corpus
animale, surget corpus spirituale. Vox Domini super aquas:
*Psal.*28. Vox Domini confringentis cedros. Vox Domini concutientis desertum. Illa est perelegans, qua Ecclesia vtitur ex Greg. in vigilia Paschæ. Hæc nox est, quæ peccatorum tenebras purgauit. Hæc nox est in qua destructis vinculis mortis, Christus ab

Infe-

Digitized by Google

Inferis victor ascendit. Hæc nox est, quæ hodie per vniuersum mundũ &c. vide longe pulcherrimã apud S. Nazianzenum in repetitione vocis populę mi, quam deinde concludens incredibilem, inquit, ex vobis, hoc frequenti, & sæpe repetito nomine voluptatem capio. Illa etiam S. Leonis præclara, dum repetit. Traxisti Domine omnia ad te &c. Nonnunquam repetitio in fine fit; Paulus: lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt. Aliquando vtrobique. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Greg. implet Spiritus sanctus puerum, & Cytharedum facit: implet pastorem armentarium, & Prophetam facit. Aliquando idem verbum in tota periodo cum gratia repetitur. Ber. accipiunt curas, vt viuant sine curis. Similitet cadens & similiter desinens est illud Augustini, Comparans diem natalem Martyris cum ipsa morte. Illo die ex fastidioso matris vtero in hanc lucem processit, quæ oculos carnis illecebrat: isto autem die ex profundissimo carcere in illam lucem discessit, quæ visum mentis illustrat. Ad prætiosam mortem iustè viuendo venit, ad glorioſam vitam iniustè moriendo perrexit. Ber. clamat mundus, ego deficio; clamat caro, ego inficio, clamat Dæmon, ego decipio, clamat Christus ego reficio, similis est Geminatio, siue Conduplicatio, cum varijs modis verba iterantur, vt habeat oratio maiorẽ vim. Cõsolamini, consolamini. Consurge, consurge. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas quæ continere non valent aquas. Gradationis exemplum est apud D. Paulum. Tribulatio patientiam operatur: patientia probationem: probatio verò spem: spes autem non confundit. Hugo: Cogitatio praua delectationem parit: delectatio consensum: consensus operationem: operatio consuetudinem: consuetudo necessitatem: Augustus. Creatus est homo, vt summum bonum intelligeret: intelligendo amaret: amando possideret: possidendo frueretur. Hieronymus, Lucerna, lampadis comparatione, pro nihilo est: lampas stellæ comparatione, non lucet: stellam lunæ confer, cœca est: lunam soli iunge, non rutilat; solem Christo confer, tenebræ sunt. Agnominatio est. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ber. Dæmon futuram hominis gloriam vidit, & inuidit. Cypr. oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos Dæmon infecit. Synonima plura ponuntur aliquando ad maiorem vim, vt sequens vox sit, quasi prioris interpretatio. Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum,

Orat. in Ap pulsũ. Aegipt. Episc.
Serm. 8. de Pass.
Heb. 11.
Philip. 4.
Geminatio.
Isa. 40.
Isa. 52.
Ierem. 2.
Gradatio.
Rom. 5.
In Apo. ad Pamach.
Agnominatio.
Matth. 16
De habitu Virg.
Synonima.
Psal. 27.

Digitized by Google

meum, & ſæpe fit iteratio non verbi tantum, ſed plurium idem
Pſal. 5. ſignificantium. Non habitabit iuxta te malignus, neque per-
Iob. 3. manebunt iniuſti ante oculos tuos. Nonne diſſimulaui? non-
Antitheta. ne ſilui? nonne quieui? Antitheta ſunt, quæ ex contrarijs conſtant, vel differentibus, quæ ad inuicem opponuntur, & multis modis, non in verbis ſolum, ſed etiam in ſententijs ponuntur,
Cant. 1. 2. vt. Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulcher es dilecte mi. Sicut lilium inter ſpinas ſic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios homi-
1. Cor. 4. num. Paul. Maledicimur, & benedicimus, perſequutionem patimur & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus. ſi ſecun-
Rom. 8. dum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis viuetis. Illa pulcherrima. Quod in præſenti
2. Cor. 4. eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Pſal.
Pſal. 36. mutuabitur peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur &
Ser. 124. de Diuite & Lazaro. retribuet. S. Petrus Chryſolog. Induebatur, inquit, Diues purpura, Pauper liuore: Diues byſſo, Pauper ſqualore: auro Dines, Pauper fœtore: Diues plumeo decumbebat ſigmate, iacebat duriſſima Pauper in terra: Diues ructabat epulas, fame pauper anhelabat: fundebat vina Diues, Pauper lachrymas; ſatiatus Diues proijciebat panes; micas Pauper eſuriens non
Oppoſitorũ vſus. habebat. Vſus oppoſitorum magnam habet & venuſtatem, & vim, & magnam nobis ſuppeditat ſyluam Chriſtiana Religio, cum ea coniũgimus, quæ ſibi aduerſari videntur, ſiue de Chriſto Domino loquamur, ſiue de ſanctis Martyribus, ſiue de contemptu rerum terrenarum, & exempla apud Sanctos extant plu
1. Cor. 1. rima. Paul. nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mun-
2. Cor. 12. di? Et cum infirmor, tunc fortior fio. Sic humilitas Chriſtiana
2. Cor. 6. dicitur glorioſa, ſic diues paupertas, dicente Paulo: tanquam
Orat. in Maximũ philoſ. nihil habentes, & omnia poſſidentes. Huc facit locus Gregor. Nazianz. qui virum philoſophica mente præditum ſimilem dicit arbori, quæ vt eſt in fabulis exciſa floret, aduerſus ferrum certat, morte viuit, & ſectione pullulat, & cum abſumitur creſcit, ſic Philoſophus afflictionibus inclareſcit, ac vitæ moleſtias virtutis ſegetem exiſtimat, contrarijſq. rebus ornatur.
Correctio. Correctio, cum corrigimus quod dictum eſt, & aliud loco eius
Iob. 38. ponimus. Interroga me, & ego reſpondebo tibi, vel potius ego
Serm. de Magdale. hom. 33. in Euang. interrogabo te, & tu reſponde mihi. Greg. Quid igitur miramur, fratres, Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? ſuſcipientem dicam, an trahentem? ſed melius dicam trahentem

tem & ſuſcipientem. Diminutio. Manus Domini tetigit me, plus ſignificat, quam vox dicat, & Paulus. Poſt celebrata reſurrectionis præmia ampliſſima, concludit. Itaque, fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino: ſignificans non modo non inanem, ſed ſupra modum fructiferum eſſe. Reticentia. Si cognouiſſes, & tu. Anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſque quo? Diminutio. *Iob.* 19. 1. *Cor.* 15. Reticentia. *Luc.* 19. *Pſal.* 6.

Figura ſententiarum, & exempla. Cap. XV.

APud aliquos qui figuras ſententiarum enumerant, multæ referuntur, quæ ad locos argumentorum, vel argumentationes pertinent magis; vt ſunt Definitio, Deſcriptio, Diuiſio, Diſtributio partium, Enthimema, Dilemma, Expoſitio, Enumeratio; Aliquæ præterea à nobis poſitæ ſunt, cum de amplificatione, de affectibus, & de partibus orationis loquuti ſimus, vt ſunt: Incrementum, Congeries, Comparatio; Item ſententiæ, ſimilitudines, exempla, Apologi, Parabolæ. Præterea inter figuratas ſententias, meritò ponimus omnes illos dicendi modos, ſeu figuras, in quibus à communi forma dicendi, ita diſcedimus, vt, cum poſſemus aliter dicere, tamen ex arte recipiat oratio noſtra diuerſum quaſi habitum ab vſitato, & ordinario. Hoc enim eſt figuratè loqui. Poſſent multa afferri exempla, nec videntur omninò tacenda, quia hæc ſunt, quæ faciunt illuſtrem concionem, & excitant motus animorum. Habent orationes, aliquid figuratæ loquutionis, cum inter dicendum ſignificamus nos aliquid optare, & in votis habere, vt Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua. Cum adhortamur. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum. Dehortamur. Nolite fieri ſicut equus & mulus. Comminamur. Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam. Exultamus. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Commiſeramur. Quomodo ſedet ſola Ciuitas plena populo, facta eſt quaſi vidua Domina gentium. Expoſtulamus. Vſque quo, Domine, clamabo ad te, & non exaudies? Obiurgamus. Hæccine reddis Domino populè ſtultè, & inſipiens? Deteſtamur. Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Obſecramus. Obſecro vos ego Paulus

Multæ ſpecies figuratæ loquutionis. *Hierem.* 9 *Iſa.* 48. *Iſa.* 1. *Pſal.* 31. *Iſa.* 5. *Habac.* 2. *Thren.* 1. *Habac.* 1. *Deut.* 32. *Gal.* 6. 2. *Cor.* 10.

Digitized by Google

2. Cor. 10. Paulus per modestiam & mansuetudinem Christi. Inuitamus.
Psal. 128. Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Precamur
Psal. 68. bona, benedictio Domini super vos. Imprecamur mala,
Psal. 31. fiat habitatio eius deserta. Et erubescant impij, & deducan-
Iob. 27. tur in infernum, muta fiant labia dolosa. Iuramus. Viuit
Psal. 131. Dominus, quia donec supereſt halitus & spiritus in me. Si
Luc. 19. dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitatio-
Psal. 108. nem, donec inueniam locum Domino. Ominamur, & prædi-
Psal. 30. cimus mala. Venient dies in te, & circundabunt te inimici
Psal. 50. tui vallo. Deprecamur Deum, & tu Domine, Domine fac
Psal. 91. mecum propter nomen tuum. Esto mihi in Deum protecto-
2. Cor. 1. rem & in domum refugij. Promittimus. Docebo iniquos vias
Rom. 1. tuas, & impij ad te conuertentur. Admiramur, Quam magni-
1. Cor. 1. ficata sunt opera tua Domine? nimis profundæ sunt factæ co-
Ita ad Phi gitationes tuæ. Gratias agimus. Benedictus Deus, & Pater
lip. Coloss. Domini nostri Iesu Christi: Et alibi ita orditur. Primum qui-
Thes. Tim. dem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro vobis om-
nibus. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei,
quæ data est nobis in Christo Iesu: & fermè vbique D. Paulus
gratias agit. Ex quibus intelligimus quàm S. Apostolus existi-
maret initium aptum, hoc tam pium non artis humanæ, sed
Sancti Spiritus artificium, quod Deum & homines simul con-
ciliare possit, & ipsis deinde Epistolis sæpe gratiarum actiones
Saluianus. interserit. Aliquando reprehendimus. Habet acrem reprehen-
Lib. 7. de sionem cum comparatione Saluianus. Pudeat vos Romani vbi-
Prouid. in que populi, pudeat vitæ vestræ: nullæ penè vrbes, lustris, nullæ
fine libri. impuritatibus vacant, nisi illæ tantum in quibus Barbari esse
experunt. Et miramur si miseri, qui tam impuri sumus? mi-
ramur si ab hoste viribus vincimur, qui honestate superamur?
miramur si bona nostra possident, qui mala nostra execrãtur?]
Sic Christus ad Apostolos, adhuc & vos sine intellectu estis?
Matth. 15. Indignamur. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ.
Psal. 6. Omnes hi modi & formæ dicendi meritò dicuntur figuratæ lo-
quutiones, & vt apparet habent maiorem vim, quàm si esset
sermo simplex, efficiuntque, vt Concionatoris oratio non lan-
gueat, sed habeat spiritum quendam, ac vitam, si tamen Con-
cionator induat ipse etiam diuersos affectus, & variam vocem
atque actionem, prout sententiæ sic figuratæ requirunt; nam
qui obsecrat, indignatur, obiurgat, miratur, optat, precatur,
non debet eo modo dicere, vt qui simpliciter aliquid, vel do-
cet, vel proponit: sed se quoq; ipsum in varias figuras, ac colo-
res,

Digitized by Google

res, & quasi personas conuertere. Sed præter has quædam sunt sententiarum figuræ, quas vt præcipuas, & in oratione, si rectè adhibeantur, maximè dominantes paulò fusius illustrari decet exemplis. Sit prima ex his Emphasis. Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis? Me igitur non timebitis, qui posui arenam mari terminum suum? Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Hæc figura orationi magnam vim adhibet, cum verba, vel Scripturæ sacræ, vel alia ponderãtur diligenter, adhibito etiam eo modo pronunciandi, & gestuum, quem res ipsa exigit. Apostrophe etiam ad omnes affectus, tàm lenes, quàm graues multum valet. Quid est tibi mare, quod fugisti? & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum? Et filij hominum vsquequo graui corde? Vtitur Apostrophe ad absentes cum descriptione quadam efficaci D. Bern. Vbi appellat ad Tribunal Christi Iesu Tuum (inquit) Domine Iesu tribunal appello: tuo me iudicio seruo: tibi committo causam meam. Domine Deus Sabaoth qui iudicas iuste, & probas renes, & corda, cuius oculi sicut fallere nolunt, ita falli non possunt: tu vides qui tua, vides qui quærunt, & sua] Egregia item est illa eiusdem ad corpus. Propterea noli ò corpus, noli præripere tempora: potes enim impedire animæ salutem suam, operari non potes: Et paulo post. Nobilem hospitem habes, ò caro, da honorẽ hospiti tanto &c. D. Chrys. alloquitur crucem, & vincula Sanctorum Petri, & Pauli. Apostrophe cum fit ad Deum, debet fieri cum magno affectu, & reuerentia, ac dulcedine in verbis, & voce, ac gestu. Si fiat ad Christum in Sanctissimo Sacramento, & opportunè, & cum affectu fiat, alloquendo Dominum ac si præsens oculis cerneretur, vt auditores aduertant sibi Deum adesse præsentem, vix dici potest quantus motus sic excitari possit, in animis omnium. Apostrophe ad Christum crucifixum, cum fit in fine concionis, vel alias, non debet esse longa, nec fiat in omni concione, aut nimis crebrò, sed vbi Cõcionator sentit se aliquo modo commotum, vt & alios commoueat. Cum Apostrophe ad homines fit, siue obiurgando peccatorem, siue familiariter quodammodo interrogando, & cõmunicando quæ ad eius animam spectant, siue interdum laudando, si locus requirat, debet apparere in Concionatore sincera amoris significatio, ac desiderium, ac zelus salutis eorum. Multum valet tempestiua exclamatio. Paul. ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius. Et ò generatio incredula, quamdiù vos

Emphasis. *Psal.* 8. *Hier.* 5. *Isa.* 9.

Apostrophe. *Psal.* 113. *Psalm.* 4. *Epist.* 1.

Serm. 6. *de Adu. Domini.*

Homil. de SS. Petro, et Paulo.

Exclamatio. *Rom.* 11. *Matth.* 17

Serm. 48. *ad fratres in here.* patiar? Augustinus, ô auaritia abyssus insatiabilis, semper famescis, semper doles, semper tristaris in cunctis? ô pestis interminabilis, ô famelica rabies, ô rabies omni fine carens, Locum ferè habet post rei narrationem, vel probationem: interdum, cum res magna proponitur in media narratione per parentheſim interijcitur, explicando affectum quem tota narratio continet. Post narrationem subijcitur Acclamatio, græcè Epiphonema quæ sententiam continet. Cum exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo Eusi. Em: quam beata ætas, quæ nec dum Christum potest eloqui, & iam pro Christo meretur interfici. Hyperbole. Aquilis velociores, Leonibus fortiores? Venit Ioannes Baptista neque manducans, neque bibens; Qui modus loquendi non continet mendacium, sed significat rem, de qua est sermo, tantam esse, vt explicari nisi per excessum, non possit. Ambr. agens de S. Agnetis ætate, fuit ne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. Nouum martyrij genus, nondum idonea pœnæ, iam matura victoriæ.

Epiphonema *Psal.* 2. *Euseb. de Innoc.* Hyperbole. 2. *Reg.* 1. *Matth.* 11.

Sequuntur alia figuræ Sententiarum. Cap. XVI.

Transitio. TRansitio est figura, quæ ad ordinem ac diluciditatem necessaria sæpe est, non solum vtilis. Valet etiam ad docilitatem captandam, & renouandam attentionem, quia reficit animum auditoris, Aristoteli in suis libris frequentissima, & viris doctis. Diximus paulò ante nonnihil de ea. hæc addantur quasi exempla. simplicissima est vt si dicam: satis multa de primo capite: veniamus ad alterum. Illæ magis artificiosæ sunt, satis multa de malis, quæ ab ira proueniunt, nunc de commodis dicamus, quæ mansuetudo affert. Si præcesserit sermo de alicuius virtutis nobilitate, V.g. castitatis: Atqui frustra erit omnis sermo de excellentia castitatis, nisi quædam attexamus contra luxum in cibo, ac potu, & vestitu, vel magna sunt quæ diximus, longè maiora quæ restant dicenda. Vidimus quæ fugienda, iam quæ facienda videamus. Vidimus mali grauitatem, quæramus opportuna remedia. Nihil videtur posse addi ijs quæ diximus de peccati grauitate, & tamen leuissima solũ attigimus. Audite iam quod præcipuum est, & similia prout ordinis ratio fert. Chrysost. Nec verò peccata solum purgat oratio, sed pericula etiam grauissima depellit. Præoccupatio, multi dicunt quis ostendit nobis bona? Signatum est, &cæt.

De orãdo Deo lib. 1. Præoccupatio. *Psal.* 4.

Nun-

Digitized by Google

Nunquid iniustus est Deus? Absit. Interrogatio: quæ sit multis modis. Affirmantis est. Nonne Deo subiecta erit anima mea? q.d. omnino ita erit. Quare fremuerunt gentes? ridentis est. Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate? indignantis est: Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum? admirantis est. Quid retribuam Domino pro omnibus? dubitantis est. Quare tristis es anima mea? Corrigentis, vel adhortantis est. Aliquando fit interrogatio cum responsione, quam vocant Subiectionem. Hieron. Paupertatem times? sed beatos pauperes Christus appellat. Laborem times? at nemo Athleta sine sudore coronatur. de cibo cogitas? sed fides famē non timet. quo in genere, quia pulcher est, quāuis abundemus nostris, nolo tamen locum Senecæ omittere, vbi hortans vt si quid ab aliquo patimur, excusemus, ait Puer est? ætati donetur: nescit an peccat. Pater est? aut tantum profuit, vt illius iā iniuria ius sit; aut fortassis ipsum, hoc meritum eius est, quo offendimur. Mulier est? errat. Iussus est? necessitati, quis nisi insipiens succenseat? læsus est? non est iniuria, pati, quod prior feceris. Iudex est? plus illius credas sententiæ, quam tuæ. Rex est? Si nocentem punit cede iustitiæ, si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto? imitaris illud, si iratceris. Morbus est, aut calamitas? ergo leuius transiliet sustinentem. Deus est? tam perdis operam, si iratceris, quàm cum illum alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui iniuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari.]

Rom. 3. Interrogatio. *Psal.* 61. *Psal.* 2. *Psal.* 51. *Psal.* 8. *Psal.* 115. *Psal.* 41. Subiectio. *Epist.* 1. *ad Heliod.* *Lib.* 2. *de Ira c.* 30. Cōmoratio. *Psal.* 50.

Commoratio cum circa idem diù moratur oratio. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: rursus, Et secundum multitudinem miserationum tuarum, iterum addit, Amplius laua me, Et adhuc à peccato meo munda me. Tibi soli peccaui. Præceptum est Ciceronis, vt quando locum aliquem præ manibus habemus, in quo præcipua vis persuasionis est, ibi commoremur, & varijs cum sententijs modisque versemus. Recte & modo laudatus Seneca de oratione sui Philosophi loquens, respondet. Hunc (inquit) illorum affectum (loquitur de contemptu pecuniæ) vbi videris, vrge, hoc preme, hoc onera, relictis ambiguitatibus, & syllogismis, & cauillationibus, & cæteris acuminis irrisi ludicris. Dic in auaritiā, Dic in luxuriam. Cum profeciſſe te videris, & animos audientium affeceris, insta vehementius. Verisimile non est quantum proficiat talis oratio, remedio intenta, & tota in bonum audientium versa.] Adijciamus & Plin. minoris, qui magnus

Epist. 108. In loco necessario, & graui debet oratio persistere, & commorari.

l. 1. *ep.* 20.

ſanè fuit Orator, ſententiam. Præuaricatio eſt tranſire dicēda: præuaricatio etiam curſim, & breuiter attingere, quæ ſunt inculcanda, infigenda, repetenda. Nam pleriſque longiore tracta tu vis quædam, & pondus accedit: vtque corpori ferrum, ſic oratio animo non ictu magis, quā mora infigitur.] In libro ſuo Eccleſiaſtes toties redit ad eandē ſententiam, quod omnia ſint
Ad Demetr. vanitas, & afflictio ſpiritus. Hieron. finem iungo principio, nec ſemel meminiſſe contentus. Ama ſcientiam ſcripturarum,
Contra Iulianum. & amabit te ſapientia Nazian. diu immoratur, quod ſtudia humaniorum literarū Chriſtianis interdixerit Iulianus, & hoc
Suſtentatio. maximè vrget. Suſtentatio eſt, cum ſuſpenſos aliquandiu tenemus auditorum animos ad excitandam expectationem, antequàm rem dicamus, vt clarius, vbi audierint, eius vim naturamque intelligant: vt ſi dicam. Accuſauerunt Phariſæi Chriſti Diſcipulos, at quo crimine? Num quod graue aliquid commiſerint, & peſſimo plebem exemplo offenderint? Num quod tēplum violauerint, Moiſen execrati ſint? Quid fuiſſe putatis criminis? Non lauant manus cum panem manducant. Vbi quid magnum, & inexpectatum dicere volumus, figura hæc apta eſt.
Extenuatio. Extenuatio. Reg. Quem perſequeris Rex Iſrael? canem mor-
1. *Reg.* 24. tuum, & culicem vnum. Conceſſio eſt cum aduerſario aliquid
Conceſſio. concedimus ex his, quæ obijcit; Proba me, & ſcito cor meū,
Pſal. 138. & vide ſi via iniquitatis in me eſt. Auguſt. quò vobis ambulare vias difficiles & laborioſas, quærite quod quæritis; ſed ibi quærite, vbi eſt: beatam vitam quæritis in regione vmbræ mor
Epiſt. 1. tis? ſed ibi non eſt. Bern. vbi concedit Abbates Cluniacenſes habuiſſe facultatem à Sede Apoſtolica, ſed nihil hoc eis profuturum apud Deum. Inuerſio, cum quod obijcitur aſſumimus pro
Inuerſio. nobis. Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, &c.
Matt. 15. Saluianus loquens contra quoſdam Chriſtianos, qui ſeruos Dei
Lib. 8. *de Prouid. in fine.* perſequebantur, licet non occiderent. Latrones (ait) hoc prouerbio vti ſolent, vt quibus non auferunt vitam, dediſſe ſe dicant; ſed in Vrbe illa, non tàm hominum fuerunt hæc beneficia, quàm legum: interfici enim indemnatum quemcunque hominem, etiam duodecim tabularum decreta vetuerunt, Ex quo agnoſcitur, quod magna illic prærogatiua Dominicæ religionis fuit, Vbi ideo tantum ſeruis Dei licuit euadere, quia à pagano iure defenſi ſunt, ne Chriſtianorum manibus trucidarentur.] Reticentia eſt, cum aliqua dicimus, & alia ſignificamus
Reticentia. taceri à nobis. Hieron. Prudens lector intelligit quid taceam,
Li. De Spe Baculis. & quid magis tacendo loquar. Cypr. pudet, (ait) referre, quæ dicun-

dicuntur, pudet accusare, quæ fiunt, agentium strophas, aduersariorum fallacias, mulierum immunditias, scurriles iocos, parasitos sordidos. Est item figurata loquutio libertas quædam bona in loquendo. Iob. Quare posuisti me contrarium tibi? Nunquid bonum tibi videtur &c. Quare impij viuunt &c. *Iob 7.* *Iob 21.*

Descriptionum species, & prudentia in eis seruanda. Cap. XVII.

POstremo loco earum figurarum exempla subijciam, quæ orationem maximè illustrant, & amplificant, & magnam vim ad commouendos animos habent. Eæ sunt, quæ rem ante oculos ponunt, describentes res, personas, actiones, & facta, quæ communi vocabulo dici possunt Descriptiones. Huc pertinet Prosopopœia, cum persona introducitur. Ætopeia, quæ mores exprimit, ac describit. Imago, quæ ad modum picturæ rem colorat, ac depingit. Sermocinatio, cum sermo personæ datur, seu veræ, seu fictæ. Euidentia, quæ rem euidenter sub oculos ponit, quæ dicitur Græcis ἐνεργεία. Hæc enim in descriptionibus curare oportet, vt rem euidenter representemus, ita vt videre videantur oculi, & aures audire, id de quo est sermo, tanquam non narretur, sed in conspectu ipso geratur. Non enim, satis efficit (inquit Quintilianis) neque, vt debet, planè dominatur oratio, si vsque ad aures volet, atque ea sibi iudex, de quibus cognoscit, narrari credit, non exprimi, & oculis mentis ostendi.] Et paulo post, modum ita describendi ponit, cum ait. Atque huius summæ (iudicio quidem meo) virtutis, facillima est via. Naturam intueamur: hanc sequamur: omnis eloquentia circa opera vitæ est: ad se refert quisque, quæ audit, & facillimè accipiunt animi, quod agnoscunt] illud aduertendum est, solere quosdam Concionatores terere tempus in descriptione rerum inutilium, & his delectationem aucupari aurium. Nunc Aurora in quadriga describitur, aurea refulgẽs coma. Nunc irati maris tempestas, Nunc gemmeus camporũ ornatus, Nunc floridus gemmarum splendor, Nunc luscinię cantus, & alia modi eiusdem. Plato. irridet eos pontas, qui in eo positi sunt, vt currũum fragorem, ventorum sibilum, grandinis strepitum, tubarum clangorem, voces canum, & auium exprimant, probas autem, & honestas hominum actiones negligant. Multò æquius quàm Poetæ irridendi sunt illi, qui loquentis Dei referentes personam, & tempore abutuntur, & suo mu-

In quibus rebus Descriptiones fieri debent.

Lib. 8. c. 3. Energia quo modo fiat.

Descriptiones leues fugiendæ. *Lib. 3 de Repub.*

Digitized by Google

nere, dum describunt conflictum armorum, apparatum palatij, triumphum Imperatoris, venationis industriam, plantarum & animalium formas, & alia eiusdem generis, cum (vt idem subijcit plato) prohibitum sit insanire, aut insanientibus se similem reddere. Non equidem nego aliquas huiusmodi descriptiones apud Sanctos Patres nonnunquam reperiri, sed id faciunt, vt ex his aliquid spirituale manifestum appareat, & motum animorum excutiant, non vt eloquentiã in rebus vanis exerceant. Quare in applicatione earum rerum sensibilium toti sunt, quod cum fructu, & cum gratia etiam fit. Sed multi hodie propè accommodatione neglecta, & vtilitate posthabita, id solum artificiosis descriptionibus agunt, vt aures oblectent audientium, suamque facultatem ostentent, & si quid applicant, id parum est, cum in similitudine multum artis adhibeant, & de his hic loquor. Quid quæso hæc ad euangelizandum? Quid nugis ad seria, & Sacra? Quid agit ars histrionica, & Poetarum nenię in suggestis Christianorum, vnde Christus crucifixus prædicari debet? An desunt eloquenti grauia argumenta, in quibus ingenium, & linguam occupet, & quantumcumque habet facultatis, exhauriat? An angustus est ad spatiandum diuinarũ scripturarum campus? An desunt inter homines vitia, quæ corrigantur, quibus ciuitates Diaboli, iniquorum opera, accẽsæ sunt longè vehementius, quam fornax Babilonis? Quanto vtilius, & nobilius sese exerceant, describendo statum miserabilem peccatoris? Luctas in morte? Martyrum pugnas aduersus tyrannos? Dæmonum tentationes? peruersos mores hominum mundanorum? religiosæ vitæ tranquillitatẽ? Christi patientis labores? damnatorum pœnas, & sexcenta alia, quorum exemplis referta sunt Sanctorum Patrum volumina? Sed ponamus aliquot descriptionum exempla, quæ non puto molesta legentibus fore, tum quia id existimo in Concionatoris facultate præcipuũ, vt norit, quæ dicit, quasi ante oculos ponere, atque euidenter ostendere, tum vt è scripturis, ac Patribus habeat, vnde hanc, vt Fabius vocat summam virtutem imitetur.

Descriptiones locorum Actionum Personarum ac Morum. Cap. XVIII.

PRimò solent fieri aliquando rerum descriptiones, vt locorum temporum, regnorum, rerum creatarum denique omnium. In lib. Hester describitur conuiuium Assueri. Cap. 1.

Iussit

Iussit Rex septem diebus conuiuium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu confitum erat, & pendebant ex omni parte, tẽtoria aerei coloris, & carbasini & hyacintini, sustẽtata funibus byssinis, atque purpureis qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur: Lectuli quoque aurei, & argentei super pauimentum smaragdino, & pario stratum lapide dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat: bibebant autem qui inuitati erant aureis poculis, nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum. Isa. 30. describitur Inferni baratrum sub nomine Tophet, Præparata est ab heri Tophet à Rege præparata, profunda, & dilatata nutrimẽtum eius ignis, & ligna multa, flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam. Ambr. Describit Reipublicæ benè cõstitutæ formam in Apibus, & earum Regis dignitatem, & obedientiam, quam ei præstant omnes exactissimam. Post hæc, exercitia quoque earum circa flores colligendos, & mellis opus. Processus est (inquit) per rura redolentia, vbi inhalantes horti floribus, vbi fluens riuus per gramina, vbi amæna riparum, illic ludus alacris iuuentutis; illic campestre exercitium, illic curarum remissio; opus ipsum suaue floribus; de herbis dulcibus fundamenta prima castrorũ ponuntur Quid enim est aliud fauus, nisi quædam castrorum species? Denique ab his præsepibus apum, fucus arcetur, quæ castra quadrata tantum possunt habere, in quibus minutæ, ac rotundæ cellulę connexione sui inuicem fulciuntur. Quis Architectus eas docuit hexagonia illa cellularum, indiscreta laterum æqualitate componere? ac tenues inter domorum septa ceras suspendere, stipare mella, & intenta floribus horrea nectare quodã distendere? Sic Dei magnificentiam & gloriam ostendit. *Li. 5. Exã. c. 21.*

Secundò, Aliquando fit descriptio actionum variarum. Iob 39. describit equum paratum ad bellum, gloria narium eius terror: terram vngula fodit: exultat audacter: in occursum pergit armatis; contemnit pauorem: nec cedit gladio: feruens, ac fremens sorbet terram: nec reputat tubæ sonare clangorem: vbi audiuit buccinam, dicit vah: procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & vlulatum exercitus. Isa. 3. descriptio est luxus, ac superbiæ muliebris, & pœnarum, ob id eis impendentium. Pro eo, quod eleuatæ sunt filiæ Syon, & ambulauerũt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Syon, & Dominus crinem. Descriptiones actionũ.

earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia &cæt. Et erit pro ſuaui odore fœtor; & pro criſpanti crine caluitium; & pro faſcia pectorali, cilicium. Auguſt. deſcribit necem Sanctorum Innocentium. Grande martyrium, inquit, crudele ſpectaculum, eximitur machæra, & nulla interuenit cauſa, ſola ſtridet inuidia, teſtis eſt ipſa natura, quæ pugnabat in martyres, cum tyrãnus iactaret infantes. mater crines capitis diſſipabat, quæ ornamentum capitis amittebat, pugnabat mater, & carnifex, ille trahebat, illa tenebat, & alia quæ ſequuntur. Ambroſ. item deſcribit curas & ſolicitudines famulorum, qui ſeruiunt Domi nis guloſis in parandis cibarijs. Obſonator, inquit, eſt, qui antequam luceat, fores pulſat alienas, & tanquam bellum immineat, excitat dormientes, turbatum vides; anhelantem aduertis: interrogas quæ cauſa turbationis? Poſcit, inquit, Dominus meus, vbi vinum melius væneat, vbi phaſianus pinguior, vbi piſcis recentior: curſitat per diuerſa, & cum inuenerit, ſummo curſu properat: & poſt pauca: Curritur ad coquinam. Fit ingens ſtrepitus, fit tumultus, tota exagitatur familia; maledicunt omnes, quod nulla eis requies. tandem aliquando dà nequiem coquo; Sileat aliquando domus à multis perturbationibus huc illucque diſcurrentium; vacet fumo, & ſemiuſtulatorum nidore non coquina; ſed carnificina; putes prælium geri, non portari prandium, ita ſanguine omnia natant. Baſil. Deſcribit hiſtoriam cuiuſdam mendici vendentis vnum ex filijs in ſumma ægeſtate; quam etiam narrationem habet Ambroſ. & vterque ſumma eloquentiæ vi ad excitandam in pauperes miſericordiam, & odium contra diuitum crudelitatem vtitur. D. Chryſoſt. vt oſtendat periculum, quod animarum paſtores ſuſcipiunt, deſcribit maximi belli apparatum: dein ipſas prælij calamitates; inde colligens quanto grauius ſit bellum, quod nobis inferunt tartareæ Dæmonum Phalanges, quantò acriores impetus: cui tamen bello Sacerdos imperitus, ac rudis præficitur.

Serm 8. de Sanctis.

l. De Elia, et 1er. c. 8.

In Diteſcentes.

De Nabu. c. 5.

Vlt. lib. de Sacerd. in fine.

Deſcriptio perſonarum. *Ioſ. 9.*

Tertiò, Perſonarum ſæpe fiunt deſcriptiones. Ioſ. deſcribuntur Gabaonitæ, quaſi peregrini de longe venientes. Tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & vtres vinarios ſciſſos, atque conſutos, calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittatijs conſuta erant, induti veteribus veſtimentis panes quoque quos portabant ad viaticum, duri erant, & in fruſta comminuti. Iſa. 30. proponitur Dei iudicis

Digitized by Google

dicis persona. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum, labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans. spiritus eius quasi torrens inundans vsque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum. Describitur Esther cum duabus ancillis cap. 15. cum supplex accessit ad Assuerum: & Iudith c. 10. cum sua Abra ad Olophernem. 1. Reg. 17. Persona describitur Goliæ. Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum, nomine Goliath altitudinis sex cubitorũ, & palmi, & cassis ærea super caput eius, & lorica squamata induebatur. Porrò põdus loricæ eius quinque millia siclorum æris erat, & ocreas æreas habebat in cruribus, & quæ sequuntur, stansque clamabat aduersus phalangas Israel: quare venistis parati ad bellum?

Quartò, maximè autem solent personarum mores cum fructu describi; tam in bonum, quàm in malum, significando proprietates earum singulares. Prou. 6. Homo apostata vir inutilis; graditur ore peruerso; annuit oculis; terit pede; digito loquitur; prauo corde machinatur malum; & omni tempore iurgia seminat. Chrysost. depingit viri mansueti mores ex vna parte, & irati ex altera; comparans iratum foro, vbi est multus euntium, & redeuntium clamor, camelorum, mulorum, argentarijs, & ærarijs vtrinque cudentibus. At mitis solitudini, ac montis vertici similis est, auram habenti suauem, purum radium, pura fontium fluenta, multas florum amenitates, ac plantis vernantium pratorum, & hortorum floribus frondentium, & aquis viridantium, irriguis, vbi aues canoræ concentũ efficiunt musicum, & zephyrus arborum folijs sensim aspirãs, & rosæ, ac violæ, ac flores se leniter inclinantes, & aqua à vertice montis per riuos sponte defluens, & subiectis lapillis quieto sono sensim obmurmurans voluptatem oculis hominum ingerit. Subijcit Chrysost. applicationem; neque enim, ait (& noter Concionator verba) vt prata describeremus, nec vt ad ostẽtationem verba produceremus hanc attigimus similitudinem, sed vt appareat, quanta sit viri mansueti, & longanimis voluptas, qui zephiri lenitatem, & quietem imitatur, & admonitio eius, nihil habens austerum canoras aues imitatur, & alia ibi amplificat. D. Bern. describit detractores hoc modo. Aliorum acta curiosè obseruant, derogandi non imitandi causa; torquentur in bonis seniorum suorum, malis pascũtur. Videas ambulare seorsum, conuenire sibi, & sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium: vna vni coniun-

Descriptio morum.

Hom. 29. ad Pop. Antioch. contra iracundientem.

Irati & mansueti descriptio.

Serm. 24. in Cant. Descriptio Detractoris.

Digitized by Google

coniungitur, nec ſpiraculum incedit in eis, tanta eſt lidido detrahendi, audiendiue detrahentem. ineunt familiaritatem ad malè dicendum, concordes ad diſcordiam, conciliant inter ſe inimiciſsimas amicitias, & pari, conſentaneæ malignitatis affectu, celebratur odioſa collatio, ſicut egere quondã Herodes & Pilatus in die Dominicæ paſsionis. Inuidum deſcribit multis verbis Cyprianus Vultus minax; toruus aſpectus, pallor in facie; in labijs tremor: ſtridor in dentibus; verba rabida; effrenata conuicia; manus ad cędis violentiam prompta, etiamſi à gladio interim vacua, odio tantum furiatæ mentis armata.]

Deſcriptio Inuidi. In libr. de zelo & liuore.

Iratum verò depingit Sen. Vt autem ſcias non eſſe ſanos, quos ira poſſedit, ipſe illorum habitum intuere: nam furentium certa indicia ſunt. Audax, & minax vultus; triſtis frons; torua facies; citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra, & vehementius acta ſuſpiria; ita iraſcentium eadem ſunt ſigna, flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordijs ſanguine: labia quatiuntur; dentes comprimuntur: horrent, ac ſubriguntur capilli: ſpiritus coactus, ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus; gemitus, mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & complosæ ſæpius manus; & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque minas agens: fœda viſu, & horrenda facies deprauantium ſe, atque intumeſcentium: neſcias vtrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme.]

Lib. 1. de Ira. c. 1. Deſcriptio Iracundi.

Deſcriptiones per Imaginem, & ſermocinationem. Cap. XIX.

QVintò, ſæpiſsimè deſcriptio fit cum appoſita ſimilitudine, vt magis appareat; & ſolet dici Imago latinis, εἰκὼν apud Græcos. Matth. Quoties volui congregare, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Iob. Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedit, fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius: ſtringit caudam ſuam quaſi cedrum, nerui teſticulorum eius perplexi ſunt: oſſa eius velut fiſtulæ eris: cartilago eius quaſi laminæ ferreæ: ſub vmbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus, & alia. D. Chryſ. in primam ad Cor. 9. habet deſcriptionem peccati: ſi quis, ait, rex barbarorum ſeruus fiat, omnium eſt miſerrimus, ſic qui in peccato viuit; barbarum namq; peccatũ eſt, & ſubijcit, ſi quis pictor effingeret, non ſanè mihi errare videretur, ſi in hunc modum id pingeret; fœminã quandam

Deſcriptio per Imaginẽ. *Matth. 23 Iob 40.*

Deſcriptio peccati. *D. Chryſ. Hom. 9. in 1. ad Cor.*

infe-

Digitized by Google

in feræ similitudinem, barbaram, ignem efflantem, horrendã, nigram, quales externi poetæ scyllas effingũt, Innumeris enim manibus, nostris insidiatur cogitationibus, & inopinantes aggreditur, omnia dilacerat more canum, clanculum mordentiũ. Et consequenter in particulari depingit aliquem ex peccatoribus, quem (inquit) vultis priori loco pingamus, num cupidum & rapacem hominem. Vide ipsum Chrysostomum si placet. Nazian. loquens dè matre Machabeorùm: Non secus ac auicula, inquit, pullos suos arripiente angue, aut alia quapiam insidiatrice bellua, circumuolabat, stridebat, obsecrabat, certantes adiuuabat, nihil deniq. nõ dicebat faciebatq. quo illos ad victoriam paratiores, instructioresque redderet. cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorũ excipiebat, reliquias adorabat, hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat. Aug. proponit quandam tabulam, quam contra Epicureos ponẽtes finem in voluptate, ad ingerendum eis pudorem proponebant alij Philosophi, quam supra proposui in alium finem, nec est ne cesse repetere. Ad eundem modum, ait (Augustinus) posset depingi tabula, vbi virtutes, humanæ gloriæ seruiant; licet enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, & multum inanitatis habet: Vnde non ei dignè seruit Soliditas quædã, firmitasq; virtutum, vt nihil prouideat prudentia, nihil distribuat iustitia, nihil toleret fortitudo, nihil tẽperantia moderetur, nisi vnde placeatur hominibus, & ventosæ gloriæ seruiatur. Hugo volens ostendere aliquorũ Deum (vt Paulus ait) esse ventrẽ; dicit horum templũ esse coquinã, altare mẽsam, ministros esse coquos, sacrificia pecudes, aues, pisces cum varijs odoribus, & saporibus, loco thimiamatũ. Est eadẽ figura apud Ambr. vbi Herodem alloquens, cum ei Io. Baptistæ caput allatum est, ait, Intuere, Rex acerbissime, tuo spectacula digna conuiuio: porrige dexteram, ne quid seuitiæ tuæ desit, vt inter digitos tuos riui defluãt sacri cruoris. Cerne oculos in ipsa morte, sceleris tui testes, auersantes conspectũ delitiarũ: clauduntur luminã, nõ tàm mortis necèssitate, quã horrore luxuriæ. Os aureũ illud exãgue cuius sententiã ferre nõ poteras conticescit, & adhuc timetur.

Hom 7. de Mach.

Li. 5. de Ciuit. c. 20.

Ibidem. Descriptio Vanægloriæ.

De Claustro Animæ lib. 2. c. 9. Descriptio Gulæ.

Lib. 3. de Virgin.

Sextò, Sapissimè in his describendi modis datur personis sermo, seu verè, seu fictè. Prou. 1. Sapientia foris prædicat: in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti, quæ sibi sunt noxia cupient? conuertimini ad correptionem. Sap. 2. Dixerunt Impij apud se cogitantes non rectè: exiguum, & cum tedio

Descriptio cum sermocinatione.

Digitized by Google

dio est tempus vitæ nostræ, venite ergo & fruamur bonis, quæ sunt, vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Sic possumus introducere Christum eleemosynam petentem. Da mihi ex eo, diceret Christus, quod tibi dedi. Quid enim attulisti, quando venisti? Omnia quæ creaui, creatus, hic inueniſti: nihil attulisti, nihil hinc tolles. De meo mihi quare non donas? tu plenus es, & pauper inanis est. Primordia vestra attendite: ambo nudi nati estis. multa hic inueniſti. nunquid tecum aliquid attulisti? De meo, quæso, da, & reddo: habuisti me largitorem. facito debitorem, habeam te fœneratorem. Pauca mihi das plura reddam; terrena mihi das, cælestia reddam: temporalia mihi das, æterna reddam: te ipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. Idem Augustus per Prosopopeiam inducit Ecclesiam Philadelphiæ, se, suamq. causam defendentem. Ambros. Introducit mare, quod conqueritur contra auarum, & inquietum mercatorem. ò inexplebilis auaritia mercatorum cedit tibi pelagus, & mare inquietudinem tuam non potest sustinere, toties recurrentibus mercatoribus exaratum. Erubesce Sidon (ait Mare) hoc est, meos fluctus negociator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior. Erubesce velut pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores venti sunt, quàm nostræ cupiditates: illi habent otia, sua, nunquam vestra quærendi studia feriantur aliquando otiosa tempestas est, nunquam vestra nauigia otiosa sunt. Versatur vnda sub remige, quando quiescit à flamine] Est & elegans eiusdem Ambrosij Prosopopeia. loquens de Beata Tecla proiecta Leoni ad deuorandum. Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi, muto testificari sono, quod virginis corpus violare non posset, Ergo adorabat prædam suam bestia, & propriæ oblita naturæ, naturam induerat, quam homines amiserant. Videres quadam naturæ transfusione, homines feritate indutos sæuitiæ, imperare bestiæ, bestiam exosculatam pedes virginis, facere quod homines facere deberent; tantum habet virginitas admirationis, vt etiam Leones mirentur. non impastos cibus flexit: non citatos impetus rapuit; non stimulatos ira exasperauit: non vsus decepit assuetos: non feros natura possedit: Docuerunt religionem, dum adorant martyrem: Docuerunt castitatem dum virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur; demissis in terram oculis tanquam verecundantibus. ne mas aliquis, vel bestia virginem nudam videret. Hier. introducit Blesillam mortuam alloquentem matrem suã Paulam.

Lib. 1. contra Epist. Parm. c. 6. De Elia & Ieiunio c. 19.

Lib. 2. de Virgin. Prosopopeia.

In epist. de obitu Blesillæ.

Digitized by Google

Paulam. Si vnquam me amasti mater &c. Iterum introducit Christum ad eandem Paulam sermonem habentem. Irascéris Paula, quod tua &c. Sicut etiam Basil. in hom. super illa verba diuitis, qui nocte se alloquens dicebat. Quid faciam? destruam horrea &c.

Memoria. Cap. XX.

MEmoria quam sit Concionatori necessaria palam est. qui enim ab ea multum laborat, vix ad hoc munus idoneus iudicari potest: sed cum á natura magis, quàm ab arte pendeat, nec multum præceptis iuuetur, paucis hanc partem absoluam. Quæ de artificiosæ memoriæ locis, & imaginibus traduntur, si cui placent ex authoribus petat, fortasse commodius plerisq. succedet, si non alligent sese huic arti; sed ipsimet sibi, vt res feret, signa aliqua forment. Hæc mihi communia videntur fore subsidia. Primum. Cura, vt quæ dicturus es rectè intelligas. Cum enim memoria intellectiua non aliud sit, quàm vis quædam retinens, & conseruans, quæ intellectus percipit, difficile retineri possunt, quæ non benè percepta sunt. Frequenter etiam versare necesse est, quod recordari vis, quia consuetudo est altera natura, & Aristoteles lib. de Memoria, & Reminiscentia ait: memoria est positio sub ordine, & frequens meditatio per reminiscentiam. Secundò. Aduerte, in rebus, quas dicturus es, methodum, & ordinem aliquem vel naturalem, vel quem ipse ex arte posueris. Si enim rectè diuiseris, non facilè recolendo ordinem rerum, aberrabis: quæ etiam rectè composita sunt, memoriam serie sua ducunt. Tertiò. Vbi est commodum licebit ordinem in alphabeti notare literis, & priuatim cum varij citandi sunt numeri, proportionem interea aliquam obseruare, quod mihi sæpè vsui fuit. Quartò. proderit in membrana vbi concionem scripseris, capita rerum ad marginem adijcere literis claris, vel etiam in breue compendium totam concionem colligere, tantum capita excerpendo. Quod enim manu scribitur, quasi memoriæ imprimitur. Ne sis autem addictus verbis, tanquam ex scripto pronuncies. Nam posset ea cura inter dicendum anxium, & titubantem reddere, valdèq. turpe est in publico dicentem hærere, præterquam quod, vt sæpè diximus, quæ memoriter pronuncian-tur, non possunt cum ea vi proferri, qua opus est, neque auditorum animis benè imprimi, maximè cum vitia reprehendantur.

Quę nam iuuare possint memoriam.

Inteiligentia & ordo iuuant.

In summa capita redigere

tur. Animaduertunt auditores quasi cantilenam cani: quare nec commouentur, nec fidem adhibent dictis. Quintò. seligo tempora addiscendi. Inter omnia vnicum est tempus matutinum, cum liberior curis est animus, & recens viribus: & corporis etiam habitus ad obsequendum animo, valdè accommodatus. Quam ad rem modus in cibo, & potu semper est vtilis. Locum etiam delige fermè solitarium ab strepitu, & interuentoribus, segregatum. Bonum est voce submissa quasi murmure vti; quia & silentium affert alias cogitationes, & illa immurmuratio, expressioq; verborum altius menti res infigit. Non tamen laudo, vt eodem die, ante concionem clara voce declames solus, ne accedas ad suggestum iam lassus, & exhausto priuatim affectu, frigidior in publico sis, vt ego euenire quibusdam comperi. Rectè Fabius admonet, vbi longior oratio sit, ediscendam per partes, quæ tamen non sint perexiguæ, ne nimis multæ sint, quas deinde repetitus ordo confundat. nec debet memoria fatigari, sed interponi aliquod tempus, quo recreetur. Animus sit vacuus à curis: vacet ab alijs negocijs, quia in plura dispersa vis, minor est ad singula. Sit liber à perturbationibus, Mirum enim quantum hæ memoriam turbant. Ipse plurimum obest minuus timor: quare futurus Concionator maturè exercendus, publica aliqua actione esset. Sed ipsa exercitatio quotidiana memoriæ, est præcipua, maximaque ars ad firmandam, augendamq. eam, quæ excolendo, sicut alia omnia, augetur. Sextò. Vespere ante somnum tacitè summam concionis percurrere. eandem, vbi vigilaueris, recolere, puto esse percommodum, non tamen probarim, vt à cœna, labores in ediscendo memoriter tempore destinato quieti. Importunus est enim labor, importuna vigilia. Quod si nocte etiam præcedente concionem, vigiles, postridie, neque animi, neque corporis vires ad agendum, dicendumq. cum alacritate, vi, ac robore, quibus opus est suppetunt.

Tempus memoriæ aptū.

Per partes addiscendū est. *Lib. 11. c. 3*

Animus liber à turbatione.

Pronunciatio Emendata, & Dilucida. Cap. XXI.

QVantam pronunciatio habeat vim ad docendum, delectandum, mouendum, denique persuadendum ostendit maximus latinorum Orator, qui dixit actionem esse, quæ dominetur. & maximus item Græcorum, qui primas ei partes, & secundas, & tertias dedit. Quintilianus quoque affirmat mediocrem orationem commendatam viribus actionis plus habituram

Quãta sit, in bona Pronũciatione vis.

Digitized by Google

bituram momenti, quàm optimam illa deſtitutam: non enim tàm refert qualia ſint, quæ intra nos compoſuimus; quàm quemadmodum efferantur. Quiſque enim, vt audit, mouetur: & omnes affectus langueſcant neceſſe eſt, niſi voce, vultu, totius corporis habitu inardeſcant. Apparet id in hiſtrionibus, quorum actio adeo mouet, etſi ſpectator ſciat fabulam agi. quid igitur fiet vbi fides adhibetur rebus tam ſerijs, tam grauibus, & ad ſalutem æternam tantum valentibus, quas noſter Orator tractat, ſi eis cõmoda pronunciatio, actioque vitam, ac ſpiritum addat? Vt autem actio talis ſit, requirit in ea Quintilianus eaſdem virtutes quatuor, quas in Eloquutione itidem expoſcebat, vt ſit emendata ſeu pura, dilucida, orna, & apta.] Puritatem habebit, ſi vox Concionatoris erit facilis, vrbana, non abſona, non ſtridula, non ruſtica, non aſpera, non dura: cum motus etiam membrorum, ac corpus, geſtuſque fuerit modeſtus, vrbanus, naturalis, non affectatus, non agreſtis. Quando Concionator ita vocem moderabitur, ac motus, vt neque in pronunciando, neque in geſtu erret. nam ſi emittat ſonum vocis nimis acutum, & ſupra quàm ipſe poſſit, expreſſum, vel ſi cælum nominet manu ad populum extenta, vel ſi per Apoſtrophem auditores alloquatur, & tamen conuertat ſe in cælum, vel ad parietes, vel terga auditoribus vertat, vel ſi nimis agitet caput, profectò errata hæc contra emendatam actionem, ſolæciſmos, & barbariſmos dixerim. Modus etiam pronunciandi huc pertinet; nam quilibet, quantum poteſt, curare debet, vt emendet pronunciationem regionis, & patriæ, cum habet aliquid vitij, vt ſolent habere multæ nationes contra puritatem communis, laudatiq. ſermonis.

Lib. 11. c. 4

Puritas vocis

Puritas in geſtu.

Secundò, vt ſit dilucida, quantitas, & qualitas vocis efficiet. Et quidem quoad magnitudinem ſpectat; monet optimè S. Auguſtinus. menſuram vocis eſſe auditorium. Quantum enim fieri poteſt, curandum eſt, vt ab omnibus percipi poſſit, etiam ab his, qui in extrema parte conſeſſus aſtant. Quare videtur bona eſſe illa regula, vt Concionator eos arbitretur ſe alloqui. Baſ. orat. 6. de inſt. & admon. Vocis (inquit) tonus medius eſt ſeruandus, vt neque lenitate ſua auditum effugiat, neque intentionis magnitudine ſit moleſtus, & licet de colloquijs agat priuatis, tamen etiam eadem quantitas, & menſura in publicis concionibus tenenda eſt. Obſeruet autem quiſque penituſque cognitam habeat naturam ſuæ vocis, vt probè teneat quantum eam contendere, quantum poſſit attollere: aduigiletque

Pronũciatio dilucida. Mẽſura vocis

Orat. 6. de Inſtit. & Admon.

Digitized by Google

letque inter agendum, ne ſupra vires intendat. Si enim fuerit violenta, offendet aures, & ipſe nō poterit in dicendo diù perdurare. Nec ſolum ipſe diligenter hoc aduertat, ſed etiam ab aliquibus, ex his qui audiunt iudicium quærat, præſertim in

Vocis qualitas. vocibus, quæ cum aliquo clamore, & vi proferuntur. Ad qualitatem autem pertinet, vt vox ſit clara, non obtuſa, ſonora, non præpinguis, ſit explanata, quæ omnes literas, ac voces nō

1. De Offic. c. 23. tamen putidè exprimat. Ambroſ. requirit puram & ſimplicē vocem in omni loquutione, canoram autem eſſe (inquit) naturæ eſt non induſtriæ, ſit tamen diſtincta pronunciationis modo, & plena ſucci virilis, vt agreſtem, & ſubruſticum fugiat ſonum, non vt rithmum affectet ſcænicum, ſed miſticum ſonet.] Quidā prima periodi verba, vel primas literas dictionis elata voce proferunt, & indè eam in fine deprimunt, ita vt dictiones decurtent, ac deuorent, eaque re tum verba, tum ſententiæ pereant:

Lib. 3. de Orat. Eleganter Cicero. Nolo, inquit, exprimi literas putidius, nolo obſcurari negligentius, nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata, & quaſi anhelata grauius proferri.] Monet etiam Quintilianus ſpiritum, nec debere citius recipi, ne ſententiam concidat, neque eo vſque trahi, donec deficiat.

Ornata, & Apta. Cap. XXII.

Vocis varietas qualis. VT autem pronunciatio ſit ornata, debet varietatem habere, vt aliquando lenis, aliquando vehementior, modo interciſa & lentior, modo accelerata, modo tranquilla, modo concitata; Nihil enim odioſius eſt ijs, qui vno eodemque tenore totam concionem pronunciant, nihil auditorem moleſtius defatigat, quemadmodum varietas iucūdiſſimè recreat. Quod in eloquutione figuræ ſunt, quæ loco adhibitæ ornatum ei pulcherrimum adferunt, qui legentem ſine ſatietate delectet: id eſt varietas pronunciationis in actione, quæ [illegible]uis ſemper quaſi figuris aures, & animos audientium tenet. Et ſanè pronunciatio debet naturaliter ſequi res, quæ tractantur & alia debet eſſe cum narramus, alia cum mouemus affectus, alia indignantis, alia commiſerantis. Contra hanc varietatem pronunciandi ferè tyrones ſiue ex timore, ſiue ex verecundia peccant. Sunt, qui lamentabilem ab initio vocem aſſumunt, & ita porrò omnia, quaſi cum quadam perpetua querimonia ad finem vſque perducunt. Nonnulli poſt pauca verba ſtatim à principio in clamores excedunt, perſeuerantque continenter, rati fortaſ-

sè id

Digitized by Google

sè id esse piè; & efficaciter concionari, quod re vera nec declamare quidem est. Planè hac in re velim, vt Concionator intelligat, concionari nihil aliud esse, quàm aliquos de sua salute, ac perfectione publicè alloqui. Quando autem inter nos priuatim colloquimur, non eodem semper loquēdi modo vtimur, sed alio narramus, vel docemus, alio interrogamus, vel respondemus; aliter contendimus, vel indignamur; aliter consolamur, miseremur; aliter congratulamur. Idem igitur in suggestu præstandum est, nisi quod vti oportet maiori aliqua vi, sicut & amplificationes rerum, ac verborum sunt maiores, & vox magis attollenda est, quia multi sunt, quos alloquimur, vt ab omnibus exaudiri queat; Et inde fiet, vt pronunciatio non solum ornata, sed etiam apta sit. Ea enim est apta, quæ varijs dicendi generibus sese accommodat. Nam quemadmodum tria dicendi sunt genera, infimum, mediocre, sublime, ita gradus in voce præcipui sunt tres: grauis, cum aliquid sedata voce pronunciandum est, cui exaduerso opponitur Acutus, qui habet acrimoniam; inter vtrumque est medius, cum loquimur voce clara, ac suaui, supra grauem aliquantulum, & infra acutum. Qui tres gradus, seu modi, vel Toni vt vulgò apud aliquos vocari solent, distingui, & exerceri debent, pro rerum, quæ dicuntur, varietate. Nam affectus vehementes, indignatio, & contentio requirunt genus acutum, & exclamationes: cum docemus, & narramus vsui est grauis, & familiaris, quietè agens, sicut docemus in scholis, non præcipitanter, sed nec frigidè, nec lentè, quasi verbā de ore emortua cadant. Debet enim doctrina, non sanè quidem vim, quàm motus requirit, sed tamen habere vim vt solent dicere, qui rem grauem & ex corde dicunt, & seriò loquuntur. Ad cohortandum, consolandum, exornandum, & quoties motus lenes ciendi sunt, media vox tenenda est, quibus in vocibus rectè variandis, debet Concionator ità exercitatus esse, vt sensim, & quasi sine sensu possit ab vno ad alium transire, quod non solùm auditoribus vtile erit, vt vegeti semper, & quasi recentes audiant, sed ipsi etiam docenti proderit, vt minus in dicendo defatigetur. Nam vt, ait Aristoteles, quēadmodum plus laboris habet via semper æquabilis, quàm si modò plana, modò aliquantulum decliuis, vel modicè erecta fuerit; ita vox, quæ subindè variatur, minus est laboriosa dicenti. Quare eò accuratius, qui exercendis iuuenibus præsunt, dare operam debent, vt ij intelligant vim, naturamque harum inflexionum, & assuescant vocem ita affingere, prout rei affectus,

Apta pronunciatio.

Tres vocum inflexiones.

In Problem.

ctis, qui excitandus est, ratio feret, vt tanquam ab narratione, exordientes initio, rem explicent voce perfamiliari, sed viuida: tum paulò acriori doceant, moxque aliquantulum lenes affectus impellant, ad extremum concitata, ac vehementi motus graues inflamment. Apta etiam erit pronunciatio si sese accommodet diuersis partibus. Exordium enim plurimum voce sedata, & naturali pronunciandum est, & ea voce, ad quam sæpe redeundum sit, cum opus fuerit vocem variare inter dicendum. Qua in re præter eos, qui statim in clamores erumpunt, etiam peccant qui voce affectata, & quasi ficta vtuntur, naturalem sonum suæ vocis adulterantes. Aliqui, cum primum exordiuntur sese quodammodo in præceps dantes, vno spiritu, totum continenter euoluunt voce nimis accelerata, quod vitium est. Alij contra in aliud extremum incidunt, voce adeo lenta vtuntur, quasi iam lassi sint ipso primo ingressu orationis. Alij nimis submissam adhibent, tanquam, nescio quid sibi ipsi immurmurent, quod nolint exaudiri; Nonne, vt cæteræ orationis partes, ita exordium fit, vt exaudiatur? Imo ipsum etiam, partibus cæteris parare audientiam debet. Narrationes, prò rerum & personarum descriptionibus, variam vocem exigunt, variamque celeritatem, ac tarditatem. In docendo, persimilis scholis adhibenda tractatio, sine languore, & frigore, sed cum neruis, ac pondere, vique moderata, clara voce, ac distincta, sine clamoribus ac tumultu. Ad excitandos graues affectus, vox debet esse acris, vrgens, vehemens, celerior, altior; ad lenes autem aliquantulum lenta, & producta cum aliqua morula, & modicè inflexa: Hæc enim vox leniter afficit animum, & lachrymas sæpe ciet, si rerum, quæ dicuntur naturam sequatur, sitque naturali, & non adulterina arte affecta.

Apta pronũciatio in Exordio.

Pronunciatio familiaris, & sine cantu. Cap. XXIII.

TAmetsi ex dictis facilè est intelligere, quàm fugienda sit ea pronunciatio, quæ à naturali, & familiari longè discedit, & habet quendam sonum voce propè ad cantum inflexa, tamen dicendum est planius. Nonne irrideretur in priuatis cõgressibus salutando aliquem, vel quippiam petendo, vel priuatum quempiam monendo, si quis hoc modo, & tali voce vteretur, quali pueros vti videmus in classibus grammaticæ, cum memoriter poetarum carmina coram alijs recitant, vel præcones in edictorum suorum publicationibus in foro? Atqui sugge-

Fugienda omnis pronunciatio non familiaris.

gestus,

geſtus, quod ſit altior, neutiquam debet immutare modum dicendi naturalem. Præterquam quod, non poſſunt aures ſine moleſtia, quempiam ita loquentem, vel ad breue ſpatium audire. Neque ſolum moleſti ſunt, qui ita dicunt: ſed etiam, quod ipſiſmet experimento licet animaduertere, vbi ſemel ei ſe tenori velut nauigio permiſere, vix ſui potentes ſunt: Porrò vel inuiti auferuntur, & peregrè voces inflectere, & in alium transferrè modum queunt. Pronunciatio autem familiaris, habet præterea illud emolumentum, vt ſi cui vox minus dulcis, & aliquantulũ aſpera ſit, non ita offendet; minus enim apparet aſperitas, & naturali illa conformatione, gratiaque lenitur. Statim igitur in ipſo orationis initio Concionator modum vocis aſſumat, quo ſolet inter domeſticos vti, ita tamen, vt poſſit ab omnibus exaudiri: & præmeditetur, cum ſuggeſtum aſcendit: nam ſi initio aberret, non facilè ſe corriget. Exiſtimet ſe habiturum non declamatoriam orationem, ſed familiarem, ac domeſticã exhortationem, & ſedeat tanquam Doctor, & non deambulet in pulpito, quaſi in venatione clamaturus. De cantu verò. (Ait Quintilianus) inutiliuſne adhibeatur, an fœdius ſe neſcire, ſed idem aſſerit quemdam obſcuriorem cantum è Ciceronis ſententia poſſe aliquando permitti. Fortè ſit, qui in noſtris concionibus credat habere gratiam, & vim; mihi certè nullo modo videtur, eiuſdem opinionis video eſſe multos viros prudentes, qui de hac facultate rectè ſentiunt, qua propter reprehendendus magis eſt, quàm laudandus, niſi perraro admodum fiat, & modico tempore, & modicè deflexa voce, in amplificatione aliqua, & motu, vnde ſtatim ad naturalem vocem reditus fiat. Nec videtur accommodatus ad mouendos animos, niſi in muſica, quæ vario concentu, & plurium vocum modulatione, aures demulcet, & cor afficit: ſed in cõmuni alloquutione, & in ſuggeſtu non experimur eam vim habere. Imò ſæpe frigidè auditur, & ſoluuntur potius cantu affectus, niſi fortè quando eſt excitatus auditor, vt tenera, & dulcis vox cantus in Concionatore valde commoto penetret ad audientium corda: ſed tunc etiam, niſi fallor, pronunciatio accommodata rebus, & affectui, qui tractatur, magis quàm cantus afficeret. Præter hæc admonendus eſt Concionator, ne nimis crebro paſſimque per totam concionem clamores edat: qui enim ſæpe clamat defatigatur, cumque opportunum erit edere clamorem non facilè poterit. Deinde auditores etiam defatigantur, & cum habeant aſſuetas aures clamoribus, non facilè vbi

Vox qualis aſſumẽda ſtatim ipſo Cõcionis initio.

Cantus in concione abſurdus.

Non multi ſint clamores.

opus est commouentur. Tertiò, Qui crebris clamoribus sine dediti, non possunt commodè docere. Pauca ferè afferunt, eaque confusè, & sine ordine effundunt. Tempestiui tamen clamores perutiles sunt, præsertim si vox sit clara, dulcis, robusta, non aspera, non obtusa, non exilis & nimium acuta, & si habeat à natura vim quamdam, quæ penetret cor audientis, & afficiat, & quod caput est, ex animi sensu, spirituque, ac zelo clamor erumpat, in re graui, quæ probè explicata probataque rationibus sit. Hoc inquam modo si adhibeatur clamor, mirabiles motus efficiet.

Celeritas, & tarditas indicendo fugienda. Cap. XXIV.

VItium est, si nimis in dicendo Orator festinet, quasi quẽpiam insectantem irrequietus fugiat. Vbique meminerimus consuetudinis naturalis. An homines in vsu communi ferunt, si quis cum præcipiti celeritate loquatur, præsertim vbi negotium magni momenti agitur? Scio habere nescio quid admirationis apud multitudinem, illum quasi torrentem facundiæ. Sed audi quam huic vitio notam adscribat S. Hieronymus, Verba, inquit, voluere, & apud imperitum vulgus, sui admirationem facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ, quicquid non intelligit, plus miratur.] Indoctorum hominum dicit esse, suique admirationem captantium, & plebeculam vilem decipientium: ac verè decipitur, cui solidam frugem expectanti, inanes, ac personantes siliquę porriguntur. Audi etiam Senec. Audisse te scribis Serapionem Philosophum, cum isthuc applicuisset, solere magno cursu verba conuoluere, quæ non effundit, sed premit & vrget: plura enim veniunt, quam quibus vox vna sufficiat. Hoc non probo in Philosopho, cuius pronunciatio quoque sicut vita, debet esse composita. Nihil autem ordinatum est, quod præcipitatur, & properat.] Videtur autem densa illa, & præceps oratio, ingenti imbri similis, qui repente effusus terram eluit, non humectat: vel similis mari, continuis fluctibus agitato, vbi vnda vndam trudit, ac prorui, nec vlli requies, aut mora est, sed statim ab alia superueniente propellitur. ita planè dum multæ sententiæ, aliæ super alias rapidè euoluuntur, statim antecedentem premit sequens, & aufert, vt nihil audiri, aripere

Ad Nep. Epist. 2.

Epist. 40.

Digitized by Google

rapere & seruare possit. Vnde fit, vt huiusmodi concionesadmirationem apud vilem plebeculam, vti ex S. Hieronymo diximus, nihil tamen fructus pariant, & possit quidem auditor testis esse, malea se audiuisse, quid tamen audierit referre nequeat. Addit Seneca huiusmodi orationis cursum, nihil habere vtilitatis, inanitatis, & vani multum: nam oratio (inquit) quæ sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet: remedia non prosunt, nisi immorentur, lenienda sunt, quæ me exterrent, compescenda quæ irritant, discutienda quæ fallunt inhibenda luxuria, corripienda auaritia, quid horum raptim potest fieri? Quis Medicus ægros in transitu curat?] Rursus affirmat nè voluptatem quidem habere vllam, talem verborum, sine delectu ruentium strepitum, sed vt pleraque (inquit) quæ fieri posse non crederes, cognouisse satis est, sic istos qui verba exercuerunt abundè est semel audiuisse.] Neque tamen dum celeritas fugitur, in contrariam incidendum est tarditatem, vt ita dicas, quasi verba adnumeres. Optimè enim in eadem Epistola idem Seneca. Sic habeto (inquit) istam vim dicendi rapidam, atque abundantem, aptiorem esse circulanti iudices, quàm agenti rem magnam, ac seriam. Aeque stillare illam nolo, ac currere, nec extendat aures, nec obruat, nam illa quoque inopia, & exilitas minus attentum auditorem habet tædio interruptæ tarditatis, facilius tamen insidit, quod expectatur, quàm quod præteruolat.] Et infra Q. Haterij in dicendo cursum, longè abesse vult ab homine sano: Nunquam (inquit) dubitauit, nunquam intermisit. Semel incipiebat, semel desinebat.] Et contra laudat Fabianum, quia disputabat expeditè magis, quàm concitatè, vt possis dicere facilitatem esse illam, non celeritatem.] Idem habet præceptum alibi. Sicut currere non debet, ita neque stillare, ne videamur ipsi nos audire, & circumspicere nostrum sermonem. Nam tarditate illa extenduntur aures, affectus omnes languescunt, & auditores, dum supini securique mouentur, oscitatione soluuntur. Itaque optima est moderatio, vt liceat etiam respirare cum opus est. Sic recreatur Orator, sic auditor reficitur: Orator facilè vocem à contentione, & clamore ad sedatum, & naturalem modum remittit, & prout expedit, variat, quod alij efficere non possunt, quemadmodum per procliuè currentium, non vbi visum est, gradus sistitur, sed incitato corporis impetu se rapit, ac longius quàm voluit effertur, sic *Epist. 32.*

Digitized by Google

illa dicendi celeritas, nec in ſua poteſtate eſt, nec decora orationi Euangelicæ quæ ponere debet verba non proijcere.

Fugienda elevatio, ac depreſſio vocis, & quod naturam ſequi debemus. Cap. XXV.

QVintilianus docet, Primam rectè pronunciandi rationem eſſe æquabilitatem, ne ſermo ſubſultet imparibus ſpatijs, & ſonis, elata ſummis, acuta grauibus commiſcendo. Huic pronunciationis virtuti contrarium eſt vitium eorum, qui inter concionandum, modo attollunt, modo deprimunt vocem, itaut vndatim fluere videatur, vel claudicare perenni inæqualitate variata. In hoc vitium ducit pleroſque contrarij vitij fuga: Nam dum vnum eundemque perpetuum in dicendo tenorem declinant, plus æquo permutant: Exiſtimant alij conferre plurimum varietatem illam ad motum, ſed toto errãt cœlo, quia hic modus dicendi, vt ita dicam arcuatus, planè inſulſus eſt, & ad omnia Oratoris officia inepiſſimus, cum non ſit commodus vt doceat, neque vt delectet, neque vt moueat. Tollit enim illa æqualis inequalitas doctrinæ dilucidatem, dum multa clamoribus obſcurantur, eademque moleſtiam ſimul maximam parit, facilè enim cuiuis eſt obſeruare inter auditores, nihil eſſe quod eis magis in Concionatore diſpliceat, quàm cum intentis in eum auribus non poſſunt percipere quid dicatur. Ad hæc ſi diſplicet illa perpetua æquabilitas, quam vnitonium aliqui vocant, neceſſe eſt vt hæc conſtans inconſtantia diſpliceat multò magis, quia peius naturalem loquendi modum corrumpit. Quis enim vnquam in humanis congreſſionibus hunc modum vel tenuit, vel audiuit.

In concione vox, & modus loquendi maximè naturalis ſeruandus.

Atqui iam ſuperius admonui, ſed inculcandum rurſus, eam vniuersè loquendo, ſeruandam pronunciationis regulam, vt quiſque ita dicere ſtatuat, & conetur, vt ipſa nos docet natura in quotidianis ſermonibus loqui, cum ſanè haud aliter concionari debeamus, ac loquimur, niſi elata magis voce, curaque maiore ob amplitudinem loci, & auditorum multitudinem. Quamobrem magnus poteſt meritò iudicari error, deprauare vſum loquendi, quem à natura ſumus edocti magiſtra, cum iuuari ab arte natura, ac perfici debeat, non vitiari. Multos ego animaduerti, & quidem bono ingenio, qui ſi naturam ſequerentur, quod facillimò negotio præſtare poſſent, optimè

optimè pronunciarent, cum tamen artificij ſpecie decepti, multum laborent, vt quod habent boni, perdant, multumque in voce ac geſtu peccent, quæ non ſolum viris prudentibus, ſed etiam omnibus manifeſta ſunt. Si vis appoſitè, & aptè dicere pro ſuggeſtu, audi, & obſerua homines in foro, & inter ſe loquentes: audi ipſas inter ſe colloquentes mulieres, vel narrantes aliquid, vel indignantes, vel conquerentes, vel commiſerantes, vel flentes vel hilares, & nullo negotio diſces, quomodo ſint varij affectus, varijs modis, ac variata voce, ac geſtibus exprimendi: ſequamur ergo eam rationem, quam natura ipſa, nemine docente, præſcripſit, nec committamus, vt quod in nobis ingenij, doctrinæ, facundiæ eſt, vitio iudicij, & ſtudio prauo artis tunc pereat, cum ferrè fructus debebat.

A communi turba diſcendum eſt.

De Geſtibus. Cap. XXVI.

MVlta quæ hactenus de pronunciatione diximus, in geſtum quoque conueniunt: & ipſum alioqui pronunciationis vocabulum vtrumque ſolet & geſtum, & vocem complecti. Sunt tamen pauca de geſtu etiam propriè indicanda. Non debet eſſe valde artificioſus, ita vt appareat ea in re Cõcionatoris cura. Nam ea oſtentatio ſignificat aliquid leuitatis, & multum detrahit pietati auditorum: ſed debet eſſe naturalis, ac ſimplex, vt videatur, omnino natus, & ex rebus quæ dicuntur, & ex affectu dicentis. Nimia geſticulatio vitio verti debet, cum nec decorum id patiatur, & ſcenæ potius, quàm ſacri ſuggeſti actioni conueniat. Domitius Afer Manlium quendam multum in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus iactantem, togam iacientem, ac reponentem, non agere dixit, ſed fatagere. Actio enim Oratoris eſt, fatagit autem, qui fruſtra miſerèque conatur. Cicero in Oratore præcipit, vt Oratoris ſtatus ſit erectus & celſus, rarus inceſſus, nec ita longus, excurſio moderata, eaque rara. Actio ergo non debet eſſe ſcænica, vel hiſtrionica, vt ſi quis deſcribens venatorem, eum velit omnino repreſentare: non militaris, ſeu gladiatoria, quaſi eſſe in palæſtra, & agone exerceret. Caput haud leniter circumagat, quaſi eſſet porta in cardine, ſed cum modeſtia & grauitate; brachia non vltra caput extollat; Manus, ſi cum decoro moueantur, valde actionem ornant, vt prudentes dicat Quintilianus, cæteras partes loquentem adiuuare, hæ verò prope eſt (ait) vt ipſæ loquantur; Digitos non iactet, ac

Geſtus naturalis ſit non ſit valde artificioſus.

Motus membrorum, & corporis qualis.

Manus.

disparet, vt dici possit digitis micat ille trisulcis. Manuum haud frequens cõplosio audiatur. Nõ vno tantum vtatur brachio, tanquam alterum debile sit, nec crebrius suggestum feriat, nisi in re graui, & atroci. Nam nimia illa percussio impedimento est, ne verba aliqua, quæ vim ad commouendos animos habent, exaudiantur: exurdat aures, obdurat affectus.

Totius corporis motus.

Non nimis corpus abijciat, ac submittat. Non saltitet, nam abesse (inquit Fabius) à saltatore plurimum Orator debet. Bracchia, & corpus nimium extra suggestum proijcere habet aliquid indecori.

Collum.

Collum nec debet in altum erigi, quia sic fatigatur vox, neque pectori mentum affigi, quia minus claram reddit vocem presso gutture;

Frons.

Non contrahat rugas in fronte, & naribus. Labiorum nulla trepidatio, nullus nisi ad loquendi ministerium, eorum motus sit, isque non multus.

Deambulatio.

Fabius reprehendit frequentem, & concitatam in vtramque partem suggesti mutationem, quasi Orator esset in lintre. Non cursitet aut deambulet per suggestum, quasi per porticum, ne vt olim quidam & ipse interrogetur quot millia passuum declamarit. Adde quod peccata melius exaggerantur manibus, capite, oculis, voce, quàm deambulatione, tanquã res fieret per transitum, non seriò, consistendum est in gradu, quasi collato pede,

Oculi.

oculi non deberent circũferri; quasi velit Orator omnes agnoscere, aut notare. Habent autem oculi magnam vim in dicendo, quia sunt indices animi, vt rectè Plinius dicat, in oculis animum inhabitare. Ibi apparet amor, odium tristitia, gaudium, ira, misericordia;

Li. 11. *c.* 37 *natur hist.*

Vultus.

Vultus accommodari debet rebus, nunc seuerus, nunc hilaris, nunc tristis, in omnibus grauis, ac maturus, vt nunquam habeat aliquid dissolutum, aut indecorum, quod oculos offendat videntium. Nam in cæteris sui muneris partibus Orator docet, mouetque, quia auditur; in gestu motuque & oculorum, ac vultus habitu, quia videtur. Vnde, & hæc tantò sunt acriora, quantò segnius irritant animum demissa per aures, quàm quæ ipsis subijciuntur oculis.

Vultus ad Auditores sit conuersus.

In suggestu ita debet moueri, vt quantum fieri potest, habeat semper conuersam faciem, & os ad omnes auditores. Quidam tectum potius respiciunt, ac parietes, quasi ibi essent aures: alij dum se ad dexteram, vel ad sinistram conuertunt, alteri parti auditorum terga obuertunt; hoc præterquã quod inurbanum est, facit, vt qui in ea parte sedent, vix quid dicatur, percipiant, & suspicari possint sese contemni. Sic igitur noster Ecclesiastes in medio suggestu consistat, vt omnes auditores quantum fieri

potest,

Digitized by Google

poteſt, eius os intueri queant. Eodem modo cum ſe ad Imaginem crucifixi, vel ad Sanctiſſimum Sacramentum vertit, ita ſubducere ſe, atque componere debet, vt aliquo modo faciem ad maiorem partem auditorum conuerſam habeat. Denique In toto hoc genere actionis imitetur eum quem Philo Iudæus loquens de Alexandrina Eccleſia ſub D. Marco, quam tamen ipſe ſuam Iudaizantem eſſe putabat, vt alibi tetigimus ita deſcribit. Tum (ait) progreſſus in medium natu maximus, & ſacrarum literarum peritiſſimus, vultu ad grauitatem compoſito, voce moderata, non ſine magna prudentia, ſecus quàm Oratores, aut ætatis noſtræ Sophiſtæ oſtentatores eloquentiæ, verba facit, vt quibus magis cordi ſunt exquiſitæ ſententiæ, diligenſque & accurata literarum enarratio, quæ non ſummis inſidat auribus, ſed per auditum penetret in animum, ibique firmiter inhæreat. Certè talis grauitas & modeſtia decet eum, qui tam grauem perſonam ſuſtinet; & in quem oculi omnium ſunt conjecti, vbi ſi quid peccatur tam multi teſtes notant, vt quod in ſuggeſtu committitur in foro rideatur, & in priuatis tectis materia nugarum fiat, qui debuit eſſe grauitatis magiſter, & morum.

Lib. de vita Cont.

Finis Libri Octaui.



PARS

PARS TERTIA CONCIONATORIS Prudentia, & Induſtria.

LIBER NONVS.

Diuiſio huius Tertiæ Partis.

ORATORI Chriſtiano adeò neceſſaria Diſcretionis virtus, atque prudentia eſt, vt meritò illud Sancti Iacobi in eum conueniat, ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt Vir. Hæc cauſa fuit cur à cæterarum virtutum tractatione, de quibus in prima parte diſſerui, hanc præcipuè ſeparandam duxerim, & huic Tertiæ parti reſeruarim. Abſoluetur autem Tertia hæc pars duobus libris, quorum alter erit de Prudentia, qua tum circa ſe, ipſe vti Concionator debet, tum de ea, qua erga Auditores. Poſtremò circa materiam ipſam in triplici via. Alter verò de Induſtrijs aget, quibus orator vtetur ad fructus ex concionibus hauriendos. Eritque hæc Tertia pars veluti cæterarum partium Appendix; quare licebit mihi præter inſtitutionem etiam aliqua interſerere, quibus prudentis Oratoris Induſtria poſſit adiuuari.

Iacob. 3.

Digitized by Google

Quam sit necessaria prudentia Oratori. Cap. Primum.

DIscretio, vt B. Antonio placet, maxima virtutum est, vt quæ omnium humanarum actionum mensura sit, dux, & arbitra: D. Bon. & Ber. super Cant. Discretio, ait, non tam est Virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrix affectuum, & morum doctrix, Tolle hanc, & virtus vitium erit, eoque magis necessaria est Christiano Oratori, quo grauius est concionandi munus, magisq; publicum, & plura vt ritè præstetur requirit; nam per imprudentiam multa peccantur, quæ facile auditores multi animaduertere, atque adeò ipsis oculis conspicere possunt, & experimento constat hanc ob causam multos multorũ censuræ, & obtrectationibus, ne dicam risui expositos esse. Atque equidem sic existimo, ex omnibus disciplinis, & artibus nullam esse quæ maiori prudentia, & consilio egeat, quam hæc concionandi facultas; quanti enim consilij est de rebus grauissimis vnum dicere, promiscuo audiente populo, atque ita temperare dictionem non solum, vt ingenijs, auribus, ac Iudicijs satisfiat, sed etiam aptè ad propositum finem congruenter, loco, auditori, temporiq; dicatur; quoniam cæterarum actionum homines spectati, & probati, vt est apud M. Tullium; si quando aliquid minus benè faciunt, quã solent, aut omnino noluisse, aut valetudine impeditos nõ potuisse consequi id, quod sciunt, putantur. Oratores non itè, itaq; excusationem vix vllam inueniunt. Verum enimuero quã necessaria prudentia in hoc munere est, tam difficulter doceri potest præceptis & institutionibus, à natura enim maxima ex parte pendet, & quodã rectè existimãdi de singularibus rebus, prout vsus fert, innato iudicio. Eloquentiæ fundamentũ meritò prudentiam statuit idem Tullius, quam facultate præclaram, arte mediocrem confitetur. Qui illud etiam rectè docet semper eloquentiæ moderatricẽ fuisse auditorum prudentiam, si quidẽ ea debet esse Oratoris prudentia, vt ad auditorum prudentiã, ac rectum Iudicium sese accomodet. Principio igitur illud ego adnotarim multũ referre, vt prudens Concionator dotes sibi à natura inditas in dicendo bene cognoscat, atque eas arte, & Industria perficiat, nihilq; supra vires, & ingenium audeat. Aliqui firma latera, ac vocẽ robustam habent, hi in genere contentioso persistant. Quibusdã genus dicendi fusum congruit, alijs magis cõcisum, & interruptum. Hi feruntur natura ad affe-

Cass. Coll. 2. Abb. Moysis c. 2 In Phar. l. 2. c. 27.

Prudentiæ in Oratore summa necessitas.

Prudẽtia difficilè docetur.

Suas vires cognoscat Orator.

ad affectus lenes excitandos, illi ad vehementiores, nõnulli ido nei magis ad docendũ ſunt, quã ad commouendos animos. Mul tum igitur refert, ſi benè ſe ipſum quiſque, & quid valeat, & quantum ex omni parte dignoſcat, & in eo ſe maximè genere exerceat, in quo proficere plurimum poſſit, hæc autẽ ſui notitia adhoc etiam valde proderit, vt ſe ipſum, vel moderetur, vel vr geat. Qui natura ſunt vehementiores, ac liberiores in dicẽdo, debent ſibi modum adhibere, cũ præſertim in vitia, ſceleſtosq; homines inuehuntur, ne diſcretionis limites excedant. Memini me audiſſe Concionatores, qui cũ eſſent naturæ feruidioris, dũ peccata arguebant, eo ferebantur impetu, vt ſenſibus penè ab alienati, multa dicerent per amplificationẽ, quæ multorum au res, & animos offendebant, quin etiã Viris ſenſatis adeò fuere graues, ac moleſti, vt aliquando coacti fuerint ſuperiores ijs ſi lentium indicere, vel in alias Ciuitates amandare. Qui autem natura ſunt remiſsi, ac lenti, in quibus non eſt bilis, ſed phlegma dominatur, debent quibuſdam quaſi calcaribus ſe ipſos exſtimulare fortius, & audacius loqui. Hanc planè prudentiæ nor

Tit. 2. mam in Chriſtiano Oratore optimè docet nos D. Paulus, qui Titum monet, vt arguat cum omni Imperio. Timotheo autem

2. *Tim.* 4. præcipit, vt arguat cum omni patientia. Quid eſt, ait Grego-

In Ezech. l. 1. *Hom.* 11. rius, quod vni imperium, alteri præcipit patientiam, niſi quod alterum lenioris ſpiritus, alterum verò feruentioris eſſe conſpe xit? leni per authoritatem iniungenda erat ſeueritas imperij. Is autem qui ſpiritu feruebat, per patientiam temperandus fuerat, ne ſi plus iuſto efferueſceret, non ad ſalutem vulnera ta reduceret, ſed ſanata vulneraret.

Auditorum ingenia cognoſcenda.

Secundò ad prudentiam Concionatoris pertinet non ſolum ſe ipſum, ac vires ſuas habere perſpectas, ſed etiam Auditorũ mores, & ingenia explorare ſedulo, & pro eorum modo, ſeque, ſuaq; omnia cõparare, vt inde fructũ percipere vberiorẽ poſ-

Hom. 11. *in Ezech.* ſint; Vnde idem Greg. penſare (inquit) doctor debet, quid lo quatur, cui loquatur qualiter, & quantũ loquatur. Si enim vnũ horum defuerit, locutio apta non erit & affert illud Leuit. ſi rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti. Recte offert Cõcionator, ſi accedat cũ bona intentione, ſed non recte diuidit,

Lib. 20. *Mor. c.* 2. ſi diſcretione careat, Et alibi, Debet (ait) ſubtiliter is qui do cet, perſpicere ne plus ſtudeat, quam ab audiente capiat, prædicare, debet enim ad infirmitatem audientium ſemetipſum contrahendo deſcendere, ne dum paruis ſublimia, & idcirco non profutura loquitur, ſe magis curet offendere, quam audi-

toribus

Digitized by Google

toribus prodeſſe. Non cuiuſuis eſt ò Viri, (inquit Nazianz.) diſ- *Orat. 1. de*
ſerere, non inquam cuiuſquam eſt, non adeo vilis, ac protrita *Theol.*
hæc res eſt; & eorum qui adhuc humi reptant. Addam etiam
non cuiuſuis temporis, nec apud quoſuis, nec de quibuſuis,
ſed certo tempore, & apud certos homines, & aliquo vſu hoc
faciendum eſt.] Hæc & plura egregiè in horum explicatione
Nazianz. quibus manifeſtus fit error eorum qui difficiles quæ- Imprudentia
ſtiones ex Scholaſtica doctrina depromptas multitudini propo- quorundam,
nunt. Si enim ipſimet Theologiæ ſtudioſi poſt multas diſputa- qui difficiles
tiones, & retractationes capere eas vix poſſunt, quorſum in- quæſtiones
populari concione tractantur, niſi demum id agitur, vt hi qui tractant.
concionãtis doctrinam percipere non potuerunt, exiſtiment vi-
rum eſſe eum raræ eruditionis, atq; ingenio peracutum. Alter
Greg. Concionatores cõparat gallo, cui Deus dedit intelligen- *3. Mor. c. 4*
tiã, vt diſcernat noctis horas, antequã fundere cantus incipiat;
& doctori datur virtus diſcretionis, vt aduertat quid, quibus,
quando, quomodo inſtruat.] Aug. etiam Angeli Dei ſunt prædi- *In Pſal. 44*
catores veritatis, qui in ſchala Iacob aſcendebant, & deſcende- *Gen. 28.*
bant; aſcendunt, vt erigant magnos; deſcendunt, vt nutriant par-
uos. Vide aſcendentem Paulum, ſiue mente excedimus Deo, *2. Cor. 5.*
Vide deſcendentem, ſiue ſobrij ſumus vobis; Vide aſcenden-
tem, Sapientiam, loquimur inter perfectos: Vide deſcen- *1. Cor. 2.*
dentem, lac vobis potum dedi, non eſcam] Riccar. de S. Vict. *1. Cor. 3.*
ſic explicat illud Apoc. 11. Metire templum, & altare, & ado-
rantes in illo, docet nihil aliud eſſe, quam ſemetipſum audito-
rum intelligentiæ accommodare. Quod etiam Chriſtus innuit *Luc. 12.*
illis verbis, quis eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit
dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici
menſuram? In quæ verba Greg. Exprimitur (ait) modus verbi, *3. p. paſt.*
ne cum anguſto cordi incapabile aliquid tribuitur extra funda- *c. 5.*
tur, & confirmat ex 1. Cor. c. 3. & Exod. 34.

Debet Concionator medicũ imitari pro varietate non mor-
borum tantum, ſed habitudinum cuiuſque diuerſa remedia, ac
medicamenta comparantem. Nam ille planè imperitus ſit, qui
omnibus vno eodemque collyrio mederi contendat. Imitare
D. Paulum, qui admirabili, ac diuina, qua præditus erat ſapien-
tia, & prudentia, omnibus ita accommodare ſeſe ſtudebat, vt
diceret omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem, *1. Cor. 9.*
quaſi quidam Protheus ſpiritualis in varias ſeſe figuras, atque
ora conuertens, doctis, & indoctis (aiebat) debitor ſum: græ-
cis, & barbaris: nec ſecus, vt quoddam ſpeculum omnes in ſe-

rerum

rerum formas representabat, vt omnes ad Christum adduceret. Confirmant autem id præceptum etiam profani Eloquentiæ magistri, quorum Fabius in libro suarum institutionum docet, ad prudentiam spectare Oratoris, vt si quando iudicauerit expediens causæ, non sit astrictus præceptionibus artis. Res duas (inquit) in omni actu spectet Orator, quid decet, quid expediat, expedit autem sæpè mutare ex illo constituto, traditoque ordine, aliqua, & interim decet, vt in statuis, ac picturis videmus variari habitus, vultus, status. Tertio ad prudentiam item pertinet, vt non solum benè loquatur, sed etiam ad rem, de qua sermonem instituit. Vetus narrat historia, quod cum quidam diserte diceret ferreturque volubilitate verborum, causamque omnino non tangeret, prudens auditor, ac Iudex benè (inquit) benè, sed quorsum istud tam benè? Quarto Bernardus discretionem hanc requirit, ne immoderato feruore plus æquo excedat. Discretionis virtus ait absque Charitatis feruore iacet, & feruor vehemens, absque discretionis temperamento præcipitat, feruor ergo discretionem erigat, & discretio feruorem regat. Quinto facit etiam ad rem doctrina Basil. vbi docet duplicem esse prudentiam, alteram falsam, quæ versutia est, promior ad proprium commodum, & ad simpliciores, credulosque decipiendos, & habet sermonem varium, artificij plenum ad ea tantum, quæ colloquentibus placent: sed vera prudentia est cognitio eorum, quæ agenda, vel nō agenda sunt, quam qui ritè sectatur, nunquam ab officio virtutis abscedit, & habet sermonem sobrium, simplicem, atque vniformē. Denique aio hanc prudentiam ex quatuor pendere veluti principijs ac fontibus. Natura, Doctrina, Experientia, & Consilio virorum prudentum: in hoc enim munere nemo sibi ipse est satis. Vtendum igitur libenter consilio sapientum, & Auditorum, quia plura vident oculi, quam oculus; & melius alienæ aures de nostris vocibus, quam nostræ iudicant. Quia tamen non est omnium rectè iudicare sæpèque accidit, vt quod alter probat, improbet alter, delectus adhibendus est eorum, quos consulamus, vt prudentes pijquè sint, & liberè moneant.

Lib. 2. c. 13 Inst.

Prudētiæ est aliquando artis præcepta relinquere.

Loquatur ad rem.

In Cant. serm. 23.

Nimius feruor est contra prudētiā.

In princ. prou. Homil. 41.

Quatuor fontes prudētiæ cōcionatoris

Ecclesiæ Canones ad Concionandi Officium spectantes. Cap. II.

ANtequam ea quæ ad Christiani Oratoris prudentiam faciunt exponam, operæ pretium futurum esse reor, si Conciliorum summorumque Pontificum decreta piè, ac religiosè sancita,

ſancita, quæ ad hanc rem de qua agimus pertinent, vnum veluti ſub aſpectum propoſuero, vt ſint fideli obedientiq; Concionatori, pro regula, normaq; ſanctæ prudentiæ, & quoniam quæ pertinebant ad Ius poteſtatemq; legitimam concionandi in prima parte dicta ſunt hunc in locum, quæ ſuperſunt præterea congeremus. Supradiximus ex Patribus, & Concilijs, atque adeo ex ſacrarum literarum authoritate, quam ſit Epiſcopis munus hoc proprium. His atque alijs Eccleſiarum Rectoribus, qui moderandis gubernandisque animis præſunt, præcipit Tridentina Synodus, vt nimirum Dominicis, feſtisque diebus, qui ſolemni ritu coluntur palam, ſermones habeant. Quod ſi minus Parochi munus ſuum peragant, ad Prælatos pertinere ſacroſanctum Concilium decernit, vt eos cogant, & in eos, etiam ſi ſe ſolutos & exemptos dictitarent, modo extra Diœceſim non ſint, Eccleſiaſticis cenſuris ſeuerius animaduertant, niſi poſt tertium menſem monitis paruerint, & beneficiorum redditibus, quæ poſſident alium iuuent, qui eorundem loco ad populi Dei vtilitatem Concionetur. In Eccleſijs vero quæ ſubiectæ ſunt Monaſterijs ſub nulla Diœceſi exiſtētibus, præcipit per Metropolitanum tanquam delegatum in hoc ſedis Apoſtolicæ eos compellendos eſſe, qui curam gerunt animarum, vt idem ſeruent, & pueros etiam doctrinæ Chriſtianæ rudimentis imbuant. Et vniuersè loquendo quicunque ex officio ſunt Paſtores, quorum eſt non ſolum vigilare ſuper gregem, ſed etiam eundem paſcere ad hoc tenentur, neque alia indigent facultate, cum id eis ex officio incumbat. Nec ſolum ſacerdoti, ſed etiam Diacono conuenit ſi promotus fuerit ad aliquam curam animarum, vt docet Sylu. V. Prædicator. Mulieribus non conceditur, vt Paul. docet, & docent D. Thom. & Anto. Dat cauſam Ambr. in Luc. quia conſtantia ad prædicandum, eſt inferior ſexus, ad exequendum infirmior. Sanctimoniales poſſent aliquam habere exhortationem, vt matres etiam familias ad ſuos domeſticos, neque enim hoc eſt munus prædicationis aſſumere, ſed errantes docere, quod eſt Charitatis officium. Idem Conc. Trid. decreuit vt Regulares cuiuſcunq; ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita & moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint, Concionatoris officiū exercere non poſſint, neque etiā in Eccleſia ſui Ordinis. Itē teneri eos hac obēta facultate, ſe Epō ſiſtere, & benedictionē petere antequā Conciones aggrediantur, & ſi concionaturi ſint in Eccleſijs, quæ non ſunt ſuorū ordinū, præter facultatē ſuperiorū, aliā ab Epō eſſe obtinendā.

Epiſcoporū munus.

Seſſ. 5. c. 2.

Caiet. v. mulierum peccata.

1. Cor. 14. & 1. ad Tim. 2. Luc. c. 24.

Seſſ. 5. c. 2.

Examen.

Facultas Epiſcopi requirenda.

Quod

Quod præceptum in vniuersum sancitum est in Conc. Lateranen. vbi Innocentius Tertius statuit, neminem sine legitima facultate posse vsurpare diuini Verbi prædicationem, vt patet C. excommunicamus, extra de hæret. additq. eos qui prædicationis officium vsurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodari, & nisi quam citissimè resipuerint, alia pœna plectendos. Canon est non latæ sententiæ, sed ferendæ, & pœna erit ex arbitrio Superioris, vt ibi notat Glossa quam Doctores sequuntur. Idem Conc. Trident. præcipit, vt nullus omnino, nec regularis, nec secularis contradicente Episcopo etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, cõcionari præ-
Sess. 5. c. 2. sumat. In eodem Conc. si concionator errores, vel scandala disseminat, Episcopum debere ei interdicere concionandi munus, etiam in Ecclesijs sui Ordinis. Addit vt Episcopi curent, ne quis concionator, vel falsis criminationibus, vel aliàs per calumnias diuexetur. Ibidem ne patiatur Episcopus aliquem in sua Dioecesi concionari regularem, qui extra claustra viuat, neque etiam Presbyterum secularem, nisi ipsi noti sint,
In 1. Clem. §. quibus, de priuil. & moribus, & doctrina probati. Clemens V. præcipit religiosis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis districtè inhibet, ne suis sermonibus Prælatis de-
Detrahentes Prælatis. trahant, vel retrahant laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia, & accessu, nec promulgent indulgentias indiscretas. Qui verò contra attentare præsumpserint, subiaceant pœnis illis, quæ iuxtà suam regulam vel statuta pro grauibus criminibus imponi consueuerunt, super quibus Superior dispensare non possit absque manifesta necessitate. Detractio hæc de Prælatis intelligitur cum est nominatim vel expressè, vel ità, vt dubium non sit quin de Prælato sermo habeatur, & de hac detractione dicitur in C. scientia. 2. quæst. 7. huiusmodi Concio-
Genes. 9. natores damnari sententia Cham filij Noè, qui patri fuit iniurius, dum eius pudenda fratribus manifestauit. Idem Cle-
In Clem. cupientes, de pœnis. mens excommunicationem latæ sententiæ fulminat in Religiosos, qui suis sermonibus, vel alibi dicunt aliquid eo animo, vt retrahant auditores à solutione decimarum, quæ verè debentur Ecclesijs, quæ planè excommunicatio incurritur, etiã si effectus sequutus non sit. Ibidem præcipitur religiosis, vt certis diebus, si fuerint requisiti à Rectoribus Ecclesiarum, moneant populos de solutione decimarum. Leo Decimus in
Sess. 1. Concilio generali Lateranensi quatuor statuit: primo, vt concionatores explicent scripturas, iuxta Doctorum explicationem

nem, quam Ecclesia, vel vsus diuturnus comprobauit, neque quidquam contrarium afferant, vel à veritate alienum, aut dissonum. Secundo, ne præsumant prædicare tempus præfixum futurorum malorum, vel de Antichristo, vel diem Iudicij, neque alia huiusmodi constanter asseuerare. Tertio, neque suas reuelationes, aut inanes diuinationes, aut miracula falsa. Quarto, vt abstineant ab Antistitum & Superiorum scandalosa detractione, coram laicis, neque abscindant vestem Christi inconsutilem, & ponit excommunicationem ipso facto, & interdictum perpetuum à prædicatione, præter alias pœnas in iure constitutas. Sed eas censuras non fuisse receptas, probat Nauar. tamen res est grauis, periculisq. obnoxia, vt patet. Xistus Quartus excommunicat de facto eos, qui dicunt hæresim esse, vel peccatum mortale asseuerare B. Virginem conceptam esse sine peccato originali, vel contra esse in peccato conceptam. Quam excommunicationem renouauit Conc. Trid. & Pius V. addit etiam pœnas suspensionis, priuationis, & inhabilitatis.

Cap. 27. n. 10.
In extrau. Graue nimis, de rel. & ven. §. de Cõcept. B. Virg. Decreto de pecc. orig. in fine.

Peccata, quæ committi possunt in Concionibus. Cap. III.

ADdi hic etiam possunt præcipua peccata, quibus prouidè Concionator in suo obeundo munere obnoxius est. Primo, quod iam dictum est si concionetur sine auctoritate, vel ordinaria, vel delegata, quod peccatum Caiet. sentit esse mortale, & colligit ex cap. excommunicamus. §. quia verò, extra de hæret. & ex Concil. Lateran. sub Leone X. vbi sub pœna excommunicationis id prohibetur. Secundo, si non satisfacit officio concionandi, omittendo concionem diebus Dominicis, & festis, quod peccatum non est mortale, nisi maxima negligentia intercederet, & populus ex omissione offensionem magnam incurreret. Tertio, si quis existens in peccato mortali concionetur, non præmissa confessione, vel saltem contritione, affirmauit Caiet. esse peccatum mortale, sed alij negant secluso scandalo, & contemptu. Sot. & Med. & idem Caiet. videtur reuocare sententiam. Quarto, qui mercenaria cupiditate Concionatoris munus exercet, vel turpi lucro, vel propter inanis gloriæ auram. Caiet. vbi supra, tunc ait esse mortale cum affectus respicit hoc tanquam vltimum finem, vel cupiditas pecuniæ vsque ad simoniam peruenit,

In extrau. sup speculam. Const. 119.
In Summ. verb. Prædicatoris peccat.
Sess. 9.
In 2. 2. q. 187.
In 4. d. 9. art. 6.
Cap. de pœnit. q. 6. dubio vlt.
In Sum. v. prædicatoris peccato.

Mercenarius Cocionator.

uenit, si verò non ita sit, sed adest aliqua vanitas inanis gloriæ, vel inordinata cupiditas mercedis, est peccatum veniale maius vel minus pro ratione desiderij. Quinto, est sententia D. Thomæ, & communis Caiet. ibidem, Duran. Riccar. Adr. Nauar. Sot. Vict. posse contingere simoniam in concionando, cum scilicet hanc actionem venalem habent. Nec est eadem ratio, quæ est de scientia Theologiæ; nam hæc doceri potest ob precium, ratio est, quia Theologia est scientia humano, & naturali studio conquisita; at fides, quæ in concione docetur, supernaturalis est. Nec obest, quod Theologia habet principia supernaturalia fidei, & docet etiam fidem; nam, secundum D. Thom. duplices sunt actus supernaturales, aliqui sunt tales ratione principij supernaturalis: verbi gratia, Episcopo competit consecrare, benedicere; Diacono legere Euangelium; & tales actus vendere est simonia, & huiusmodi est prædicatio quæ natura sua supernaturalis actio est, & Hierarchica, ad salutem animarum, & vitam æternam à Deo instituta. Alij sunt actus supernaturales ex parte finis non principij, vt est legere Theologiam, quod licet ordinetur ad rem spiritualem, tamen ipsa naturalis scientia est; neque enim est simonia vendere rem naturalem, etiam si ordinetur ad finem supernaturalem, nisi Ecclesiæ constitutione prohibeatur.

2.2.q.100. art.1.

Simonia in Concione committi potest.

Lib.9. de Iust. q.5. art.1.

Quod.8.q. 6.art.11.

Illud esset potius hac tempestate deplorandum, pleroſque ob temporalis lucri spem, huic sese concionandi muneri addicere, & sibi ambire loca, & pulpita vbi fama sit, meliores expensas, & maiora lucra sibi obuenire, eaq. varijs modis obtendere planè contra diuini Verbi dignitatem, maius hoc arbitror esse malum, quam vt à me paucis dici possit. Conqueritur Deus, quod Sacerdotes in mercede docerent, & Prophetæ in pecunia diuinarent. Saltem illud vtinam experientia non satis constaret, huiusmodi concionatores lingua potius & ornatu verborum, quam ex affectu cordis verba facere, nec tàm laborare, vt animas ad Deum reuocent, quam, vt prurientes delectent aures. Ex quo etiam & illud satis est manifestum, auditores oscitanter ac perfunctoriè eos audire, ieiunos, ac sine fructu post multarum concionum auditionem remanere, sed hæc obiter ex occasione dicta sint. Sexto, omne mendacium in concione esse peccatum mortale, sensit Caietan. quod non est verum, nam mendacia in citando, vel auctores, vel loca, non sunt talia; si autem esset contra mores, aut

Mich. 3.

Mendacium in Concione.

In Summ. verb. prædicatorum peccata.

aut fidem, vel falsa narrarentur miracula, aut fictæ reliquiæ proponerentur; tunc esset peccatum mortale ex Concilio Lateranensi sub Leone X. & Nauar. Septimo, esset peccatum mortale prædicare propositiones erroneas, temerarias, ac scandalosas, piarum mentium offensiuas. Octauo, sacræ Scripturæ verba ad prophana conuertere, ad scurrilia, & fabulosa est contra Decretum Concil. Trident. de vsu sacrorum verborum, quod omnibus in communi prohibitum est; quanto magis esset intolerandus error, si in publico suggestu coram populo imprudentissimus, ne dicam impudentissimus id faceret prædicator, quod esset sacrarum Scripturarum diuinam maiestatem, & sacrosanctam Spiritus sancti earum auctoris diminuere auctoritatem, atque adeo prophanare. Esset denique peccatum veniale, & aliquando posset ad mortale pertingere, siquis tempus in nugis, & facetijs, & quæstionibus inutilibus tereret, vtilibus omissis.

Cap. 25. n. 142.

Verba Scripturę ad scurrilia conuertere pessimũ. *Sess. 4.*

Quam in rebus, & verbis consideratus Concionator esse debeat. Cap. IV.

IAm verò, vt huius prudentiæ quasi partes, quas paulo ante posui singillatim exponam, ab ijs exordiar primum, quæ ipsam Oratoris personam magis attingunt. Atque hoc primo loco præceptum sit, vt noster Orator, singula quæ dicturus est, secum ante sedulo, & accuratè perpendat; nec solum sententias rerumq. momenta, sed verba ipsa diligenter ad trutinam exigat. In tanta enim auditorum frequentia, cum primis est cauendum, ne quid inconsideratè, ac temerè excidat, cum tot sint ferè censores, ac Iudices, quot auditores. Volat autem irreuocabile verbum, nec raro perniciosior est lapsus linguæ quam corporis. Et sanè diligenter considerandum est illud Antonij ex Tullio præceptum, plus enim habet in recessu vsuq. momenti, quam prima specie videatur, quod Oratori maximè cauendum, & prouidendum putat, ne quid causæ obsit, permulta esse in omni parte orationis circũspicienda, ne quid offendat, ne quo irruat. Ac demum quid multa, inquit, omnis cura mea solet in hoc versari semper (dicam enim sæpius) si possim, vt boni aliquid efficiam, sin id minus, vt certè ne quid mali. Quod si vehementer cauendum est Oratori prophano; quanto magis sacro, tam bonas tractanti, tamq. graues causas. Ob id quædam subtilius adno-

Prudentia, circa personam Oratoris.

Præcogitet singula quæ dicturus est.

2. *de Orat.*

tãda sunt, quæ ad hanc prudentiam Ecclesiasticã iter præmuniant. Ac primũ cum loquendum de Deo est, de Christo Seruatore, de Beatissima Virgine, & Sanctis, ita decorum seruandũ est, vt nullum excidat ex ore verbum, non modo à Dei cultu, & veneratione, & sanctorum dignitate alienum, sed ne tanta quidem maiestate indignum. Quidam comparauit Deum abiectæ cuidam volucri, quæ in foramine abscondita videt, & non videtur, cum vellet explicare quemadmodum Deus nos videat, & ipse à nobis non videatur. Alius nescio quis, Deum Patrem carnificem filij sui fuisse dixit in eius Passione. Alius parabolam filij prodigi ad Christum accommodans, explicabat etiam quomodo pasceret porcos, quomodo omnia consumpsisset luxuriosè viuendo. Hæc ego non ingenij acumina, & subtilitates vocem, sed imprudentis hominis ineptias. Ecclesiæ Doctores, præsertim verò quos illa celebrat, dignum est honorificè nominare Sanctorum appellatione, vel *alijs honestis* titulis appositis, non enim parem debemus facere Aristoteli Diuum Augustinum, aut sanctum Chrysostomum Ciceroni. Cum turpia in peccata dicendum est, vel de quacumque alia materia sordidiore, multum modestiæ, verecundiæ, & prudentiæ adhibendum est, ad rerum, verborumq. delectũ, & obiurgandi rationem, ne auditorum animis fœdæ imagines obijciantur, neve ij qui in tenera ætate versantur, quæ prius ignorabant, addiscant. Neque etiam in explicatione locorum aliquot Scripturæ sacræ, vbi de rebus ad amorem pertinentibus agitur, qualia in Canticis sunt, oportet ad minutas nimis, & enucleatas rationes descendere. Etenim ea est aliquorum peruersitas, vt etiam è salutaribus pharmacis, venenum hauriant ad mortem; adeò vt S. Prosper dicat, antiquorum decreto fuisse pluribus interdictam quorumdam sacrorum librorum lectionem, ne animi contaminarentur, quod olim apud Sapientes etiam Hebræos lege cautum fuisse, sanctus Nazianzenus refert, vnde quanta est fomitis nostri corruptio, tanta fuit sanctorum cautela, vt contra vitium incontinentiæ magno zelo agerent, sed magna sobrietate, & castitate, & grauitate in loquendo vterentur. Vituperantem aliquando peccata incontinentiæ audiui quibusdam sub tropis, & allegoricis verbis, quæ multo nocentius castas aures offendebant, quam si apertis vocabulis vsus esset; nam imaginatio diutius immoratur, & hæret in applicatione earum rerum, quæ sub allegoria significantur. Iure item quidam repre-

Cum honore de Deo, & Sanctis loquendum.

Peccata turpia verecundè arguẽda, sed cũ zelo.

Lib. 3. c. 6. de vitæ cõt.

Orat. de moderat. in disp. seruãda.

Digitized by Google

reprehensus est, qui cum laudaret D. Thomæ Aquinatis integritatem, describeretq; prostitutæ mulieris historiam, quæ ad eius pudicitiam labefactandam immissa est, enarrabat verba, & colloquia, quibus impudica fœmina constantissimi iuuenis animum in suam sententiam pellicere conabatur. Neque placet quod aliqui Concionatores faciunt, vt sæpè conuertant se ad mulieres, & sermones ex suggestu habeant de eorum pigmentis, pompa, atque ornatu, præsertim cum id per facetias, & quendam leporem factitant, nam præterquam quod eius loci grauitatem nihil nisi serium, seuerumque, ac sanctum decet, facile est in aliquid impingere, quod possint Auditores in malam partem interpretari. Adde quod nec fructus inde quicquam colligitur. Nam in istis rident viri, mulieres verò ioci gratia dici arbitrantur. Abstineant igitur omnes ab huiusmodi nugis, quæ multò magis in Concionatore luuene vitiosæ, damnandæq. sunt. Præterea boni Concionatoris exigit prudentia, vt prouideat ne quid damni ex eius verbis tametsi veris colligere Auditor per aliquam consecutionem possit, vt si quis dicat Confessionis præcepto non obligari populum, nisi semel in anno, afflictationes corporis, sæculari præceptas non esse, nec viris coniugatis contemplationem; Christiano satis esse præcepta Dei seruare, quæ ad salutem sunt necessaria, licere corpus delicatè tractare, modò sit in rebus licitis, quæ nequaquam sint contra Dei præcepta, ieiunia quæ non Ecclesia præcipit, & alias voluntarias pœnas, licet bonæ sint, non tamen esse necessarias, neque in his perfectionem consistere, Deum cor maximè quærere à nobis, & virtutes internas, ac similia. Hæc quamquam verè dici possint, tamen occasionem inde sumunt multi non magni ea faciendi, contra potius curandum est Concionatori, vt ad ea rectè omnes afficiantur. Cum enim post peccatum & corruptam naturam, tanta in homine procliuitas ad mala remanserit, opus habet his asperitatibus ad remedium, sicut qui ex graui morbo emersit, nisi præcipua se custodia, ac dieta tueatur, facilè in morbum reuoluitur. Et licet verum sit in his externis pœnitentijs non sitam esse perfectionem; tamen certum est instrumenta ad eam esse, & à sanctis viris in eum finem adhibitas. Eodem modo, qui diceret iusiurandum esse licitum, atque actum Religionis, & sanctos iurasse, neque adderet aliud, hic occasionem præberet multis facilè iurandi, cum deberet potius docere non esse iurandum, nisi in graui

Cautela maxima in his, quæ dicuntur adhibenda.

necessitate, summaq. cum reuerentia. Caueat ne significet aliquid quod ex confessione habet; licet enim non sit reuelare confessionem cum illud est tale, vt nullo modo sciri possit, tamen aliqui offenduntur; & possent credere facilè, quæ in confessionibus audiuntur referri, aut manifestari. Sit ergo in omni sententia Concionator maximè cautus, & omnem fugiat ambiguitatem. Hic etiam addiderim, vt cum Matrimonium laudat, semper aliquid de excellentia castitatis attexat, cum de prædestinatione agit, etiam liberi arbitrij, cum de libero arbitrio, gratiæ faciat mentionem, cum vitia prauorum Sacerdotum castigat, de Sacerdotis dignitate aliquid adiungat. Cum vitæ religiosæ laudes celebrat, dicat etiam coniugatos bonos saluari, cum Dei prædicat misericordiam, adnectat aliqua de iustitia contra eos qui misericordia abutuntur, ac vicissim vbi Dei aduersus peccata seueritatem demõstrat, sermonem de misericordia inferat, vt contraria cõtrarijs moderetur. Huc illud pertinet, vt nihil admisceat, quod improbi perperam trahere possint in malum sensum ob difficultatem, vel obscuritatem. Si verò inter concionandum aliquid dictum sit, quod falsum esse post dimissam concionem cognouerit, debet omnino alia Concione corrigere, ne falsa doctrina auditorum animis hæreat, neque id debet esse mirum, cum Concionatores sicut alij homines errare possint, quam cautionem his verbis docet Augustinus plerumque nos ipsi recolentes, quæ dixerimus reprehendimus aliquid, ita curandum est, vt illi sensim corrigantur, qui non Dei verbis, sed planè nostris in aliquam lapsi sunt falsitatem.] Ibidem docet quando aliquod verbum ob asperitatem vel nouitatem, aut quia malè intellectum est, offendit Auditores debere curare Concionatorem (si Auditor sanabilis est) vt quam primum auctoritatum & rationum copia, sine vlla dilatione sanetur.] Quantum vero ad sententias, & res, multa sunt quæ non debet è suggestu Auditoribus proponere, aut de illis differere, vel quia sunt falsa, vel quia periculosa, vel quia male sonantia, vel quia possunt magis offendere aures populi, quam ad pietatem excitare. Hæc enim allata coram promiscua multitudine imprudenter, & absque matura consideratione, non solum damnum, aut errorem in Auditoribus generare queunt; sed ipsi concionantis personæ, magnam possunt imprudentiæ notam inurere, & ob eam causam hoc loco à me nonnulla afferentur exempla, vbi de prudentia ad Oratoris nostri per-

Si quid male dictum, quo modo corrigendum.

De cathechiz. rud. c. 11.

sonam

sonam spectante agitur quamuis etiam ad materiam reuocari possent, quorum similitudine, & alia huiusmodi penitus esse præcauenda, & effugienda intelligat; sæpè enim vidimus Concionatorum sententias aliquas dictaq; ad sacrum Inquisitionis tribunal fuisse delata, & meritò ipsos vel punitos, vel reprehensos ob nimiam licentiam, ac loquendi temeritatem.

Sententiæ, ac Doctrinæ, quæ in suggestu à Concionatore disputandæ non videntur. Cap. V.

PRimo loco tanquam basim eorum, quæ hoc capite proponimus, statuimus verba Concil. Trident. in decreto de Purgatorio, vbi hæc dicuntur, *Apud rudem plebem difficiliores, ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciũt, & ex quibus plerunque nulla fit pietatis accessio à popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quæ specie falsi laborant, euulgari ac tractari non permittant; ea verò quæ ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & fidelium offendicula prohibeant*] super hac sacrosancti Concilij doctrina innixi multas afferemus, quæ occurrunt sententias, quæ secundum hanc Concilij censuram, vel prætermitti omnino, vel leuiter tangendæ videntur in nostris popularibus Concionibus. Primum non expedit de concordia prædestinationis, ac liberi arbitrij agere, cum hæc veritas non facilè possit tractari populari modo. Non agatur an prædestinatio sit ex præuisis meritis, nec ne. Cur hic sit prædestinatus non ille; an prædestinatus possit reprobari, vel contrà reprobatus saluari; hæc enim vix Theologi intelligunt. An ad eum peccati statum homo peruenire possit, vt Deus deneget auxilium suum; An liberum arbitrium possit omnia, vel aliqua opera moralia præstare, sine auxilio speciali; An facienti quod in se est per liberum arbitrium, Deus det infallibiliter gratiam, & quomodo, Cur Deus permittat peccata, quæ tamen posset impedire: Nunquam disputet, nec proponat quæstiones examinandas circa res, quæ in symbolo Apostolico continentur; sunt enim hi articuli Christianæ Religionis prima principia, quæ non debent in disputationem vocari apud Christianos, sed tantum explicari. Neque est necessarium, aut vtile disputare de prouidentia Dei, eo modo, quo solet agi contra infideles eam negantes, sed satis est docere ad fiduciam ingeneran-

Sess. 25.

dam. Philosophorum antiquas sententias multis iam annis per antiquos Patres explicatas, & explosas in medium non proferat, non curet dicere secundum Aristotelem, mundum esse æternum, vel animam ex eiusdem sententia esse mortalem, cum immortalem esse Aristoteles potius doceat. Nunquam dicat secundum philosophiam aliquid esse contrarium fidei nostræ, nam veræ philosophiæ, nihil habet fides contrarium, cum verum vero non repugnet. Non vocet in controuersiam, an mendacium officiosum sit licitum, nefas enim est affirmare illud licere, sicut neque defendi potest hominem in hac vita posse peruenire ad Apathiam; Non disputet an deturiam de facto Paradisus terrestris; Disputare de subsistentia, & existentia Christi in festo Incarnationis ex proposito, non est popularis materia, & an in Christo fuerit humana existentia cum in Scholis hæc quæstio tractanda sit, non coram populo, nisi quis obiter pauca delibaret. In quo consistat ratio formalis peccati originalis, & qua ratione in posteros Adæ transfundatur seriò disputare coram populo non videtur conueniens. Item An melius vel deterius sit esse in Inferno, quam omnino non esse. Efficacia gratiæ in quanam re sita sit. Plures Christianos saluari, quam non saluari non credo esse veram sententiam, & sancti Patres Augustinus, Chrisostomus, & alij, contrarium potius docuerunt. Cambia Bisuntina, & Nundinalia vt modò fiunt esse illicita vel licita; ne laboret statuere. Cum enim ex multis conditionibus, & disputationibus hæc pendeant, arduum, ac difficile videtur præcisè aliquid audiente multitudine pronunciare. Nec videtur tractandum non teneri peccatorem statim conteri, posse autem aliquem nolle conteri, non tamen posse velle esse in peccato; quis non videt hasce argutias esse à plebis auribus prorsus abhorrentes; Nec facilè statuat nisi in re satis manifesta, aliquam actionem esse peccatum mortale, cum sæpe multæ conditiones ad hoc requirãtur, satis ad rei põdus est dicere graue esse peccatum. Item an ad sacramentum confessionis sit necessaria perfecta contritio, quamuis id aliqui affirmarint non tamen videtur proponendum: sicut illa sententia, quæ affirmat occasiones aliquas peccandi, etiam si sint proximæ non impedire confessionem, Cum antiquiores contrarium docuerint. Non debet ita inuehi contra negociatores, vt dicat aliquomodo mercaturam esse illicitam; Angelos habere corpora subtilia, & aerea, quidam veterum Doctorum senserunt tamen

Digitized by Google

men omnino contrarium est tenendum esse incorporeos, Cœlos non esse plures non est dicendum, licet aliqui antiquorum ita sint locuti, Nec est dicendum hominem per peccatum imaginem Dei amittere, cum imago si propriè loquamur, sit secundum substantiam naturæ, similitudo autem quæ in gratia consistit amittitur, Omnia opera infidelium moralia, esse peccata, est Caluini hæresis. Ignem inferni esse metaphoricum non potest dici. Petrus negans Christum, non potest verè excusari à peccato, licet D. Ambros. excuset. Peccatores qui sunt in peccato mortali habentes fidem Ecclesiæ, non esse eius membra dici non potest. An fuerint tres Magdalenæ, inutile est differere in concione; Communior sensus Christianorum vnam agnoscit sororem Lazari, & peccatricem. Posse dari absolutionem sacramentalem absenti per literas, prohibuit Clemens VIII. summus Pontifex. Eucharistiam susceptam in peccato mortali scienter, postea ex opere operato suum habere effectum, cum hominem pœnitet sui peccati, puto esse falsum. De causis Indulgentiarum ad valorem necessarijs, non videtur nimis exactè agendum. Omnes Apostolos in Passione Christi fidem amisisse, non credo esse verum. An homo teneatur remittere iniurias in foro exteriori, non est causa tractanda in populari suggestu, nam licet pars negans possit locum habere, tamen potest esse occasio fouendi inimicitias, his qui potius ex odio, aut ira accusant, quam ex alia iusta causa, hæc & similia melius, ac tutius tacentur in Concionibus, quam disputantur, tum quia ipsæ res non videntur scitu necessariæ, tum quia difficilè est eas, ita considerate enucleare in populari conuentu, quin aliquod verbum effugiat, quod minus cautè vel fundat orator, vel accipiat auditor; quare, quod initio monui, rursus inculcabo, non ex mea solum, sed omnium sapientum sententia, vt Concionator non solum res, præmeditetur, atque diligenter perpendat, sed etiam dicendi modos, & phrases, ac verba, præsertim in rebus, quæ maiori consideratione indigent, neque facile inter dicendum, quæ tunc primum occurrunt effundat, alioquin continget, vt vbi impetus ille resederit, melinsq. rem considerauerit multa eum dixisse pœniteat, posteriores quippe cogitationes, vt est in prouerbio sapientiores sunt, & sanè sapientis non est dicere non putaram. Dandum tamen aliquid in hac parte Concionatoribus antiquis, rectèq; in hac facultate versatis, si modo, & hi iudicio satis maturo polleant, nec sint in loquendo præci-

Nõ facile dicat, quę dicẽdo occurrũt non premeditata.

Digitized by Google

præcipites. Cæterum communis regula tenenda plerumque est ijs præsertim, qui magis ingenio, quam iudicio præditi sunt. Estq. hæc doctrina tutior secundum quam recte exponitur illud Psalmi verbum: Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis. Illi certè ante lucem surgunt, qui mutiliter verbum proferunt, quod quæliter proferri debeat nulla meditatione didicere, vnde consilium datur, surgite postquam sederitis scilicet, vt per quietem meditando verbum colligant, quod per laborem locutionis non in vanum, sed in audientium lucrum spargant Greg. sic ait. Quietis quidem in subditorum profectu doctor exhibet, aut de exemplo electorum accipit, aut magisterio sacri eloquij, aut reuelationis internæ, ac secretæ Contemplationis, nam si contemplationis reuelatione caruerit in ordine prædicationis, sit perfectus non erit] Huc facit exemplum Christi, qui per noctem in oratione vigilabat, & interdiu concionabatur.

Psal. 126.

Sub finem lib. 3. expo. in 1. Reg.

Luc. 6.

Omnis Ostentatio vana fugienda. Cap. VI.

INter dicendum maximè abhorrere debet sacer orator ab omni verbo gestuq. vel dicendi modo quo significetur nimium sibi placere in eo quod dicit, tanquam gloriam suam, quærat non Christi. Mirum quantum ea ostentatio de persona Concionatoris deq; Verbi diuini dignitate, atque adeo de fructu Concionum detrahit, facit hoc contra quosdam elatos prædicatores, qui magnificant verbis philacteria, quod Greg. Nazianz. notauit; Non is (inquit) qui sapit verbis mihi sapiens erit, neque qui linguam habet volubilem, animum vero ineruditum sepulchrorum instar, quæ extrinsecus sunt ornata & speciosa intus autem mortuorum cadauera, & multum recondunt fœtorem, sed ille, qui pauca de virtute loquitur, multa verò ostendit operibus, fidemq. sermonis per vitæ roborat actionem, si quidem longe mihi præstabilior est formæ pulchritudo, quæ conspici potest, quam quæ sermonis pingitur industria, & sapientia, quæ non tantum sermonibus splendet, sed quæ operibus collucet, intellectus enim bonus facientibus eam, & non prædicantibus eam, ait diuinus Propheta.]

In orat. de plaga grã. initio.

In Prædicatores, qui suanimis magnificè vẽditãt.

Solent aliqui sententiam aliquam adeò magnificè venditare, vt nihil eiusmodi antea se audiuisse dicant, & magna quædam, & singularia se dicturos polliceri, nec rarò parturiunt montes

montes, & inaſcitur ridiculus mus. Quicqqid igitur iactantiã ſonat, & ſui exiſtimationem, à Concione reſecandum eſt. Audi Chriſ. Non vos oportet hominum malè dicta timere, ſed potius ne ſimulatores eſſe videamini, tunc enim infatuati eritis & conculcati.] Nihil perinde animos Auditorum offendit, vt cum quis eximia de ſe prædicat. Audi Gregorium, ita inquit, prædicare arrogantes omnes ſolent, cum quodam enim fastu proferunt hoc quod ſingulariter ſe intellexiſſe credunt, vnde fit: vt eorum prædicatio concors ſibi manere non poſſit, quoniam quod rectum loquentes ſeminant, peruerſe tumentes impugnant.] Verum quid mirum eſt ſanctos viros humilitatis magiſtros ita loqui, omnium eadem eſt etiam Ethnicorum ſententia, quorum de numero Quintil. fugiendam docet eſſe oſtentationem, quod ex audientibus afferat non faſtidium modo, ſed odium. Inuident humiliores, rident ſuperiores, improbant boni.

Ho. 15. in Matth.

Mor. l. 24. c. 8. initio.

Lib. 11. c. 1

Cæterum Chriſtianus Orator non ſolum in ſuggeſtu, ſed vbiq; omnem elationis, & vanitatis ſignificationem declinabit, in inceſſu in veſtitu, ſeu nimis delicato, ſeu artificioſè compoſito, qui præſefert grauitatem non ſimplicem, & Apoſtolicam, ſed affectatam, ac ſæcularem in rebus, quæ ſingulare quid coniunctum habent præter ceteros; vnde apparet non eſſe contentum victu, vitaque cõmuni. In contentionibus, & reprehenſionibus nimijs, in contẽptu aliorum inferioris conditionis; hæc & alia vbique vitãda ſunt: illa propriè in ſuggeſtu. Nimis delicata, curioſiusq. criſpata veſtimenta, aut ſuperpellicea, ſalutationes Concionis, aut Procerum putidæ, diuturnaq. illa dicendi in initio, manibus ſuggeſtu prælienſo, oculorum in totam coronam circumactio, ſeu mora, aptando pileo, ſuperpelliceo, manicis, & id genus. Inter concionandum olet iactantiam deambulare per pulpitum cum quadam artificioſa grauitate, adhibere omnes geſtus ex arte, vt appareat cura in ea re poſita, nunc alteram manum vel brachium à tergo reponere, vel ambabus manibus ad latera vtrinq. in amphoræ modum deductis deambulare; dilatant non nulli eleganter, & de induſtria tunicam, ſeu partem ſuperpellicei, vel ad cubitum vſque colligunt, vel ſub alterum brachium, bellè proijciunt. In verbis eſt maius periculum, vt ſi loquatur de ſua familia, de honoribus ſibi alicubi exhibitis, de Concionibus à ſe in pleriſq. locis Italiæ vel alterius Prouinciæ habitis, de ijs magnificè loquẽdo, de officijs quæ geſſit, de

Fugienda oſs elationis ſignificatio etiam extra pulpitum.

Signa elationis in ſuggeſtu.

In verbis ſigna elationis

de diuersis mundi partibus à se peragratis, de multis annis in hoc munere insumptis. Item indicia sunt superbiæ, nimiũ sibi plaudere, & placere in his quæ dicuntur, aliquid (vt dicitur) inflatis buccis amplificando, vt quidam, scio hic adesse, (aiebat) prædicatores, qui me audiunt; notent hoc dictum, vt suo tempore etiam cum sua gloria vtantur, & qui scribunt, notent diligenter non solum quæ dicuntur, sed modum quo à me dicuntur, quia hoc plurimum refert. Deterius etiam est quando suas Conciones aliorum Prædicatorum concionibus præferunt, pessimum, cum in eos inuehuntur, significantq; plus posse in suis concionibus Auditores, quam in alijs addiscere. Ostentationis est ne dicam stultitiæ, agere Medicum, Astrologum, Cabalistam, Alchimistam. Cum nescio quis Christum in Ascensione pertransisse singula signa Zodiaci significare vellet, in enumeratione eorum adeò est perturbatus, vt visus sit Auditoribus exisse de linea eclyptica non sine motu trepidationis suæ, & cum Auditorum tum risu, tum commiseratione. Idem est cum repletur concio subtilitatibus Philosophicis, aut Theologicis, quia viri cordati intelligunt ea non nisi ad ostentationem esse, cum à populo non percipiantur. Item cum sæpe citant locos ex lingua Græca vel Hebræa, vel Chaldæa, vel cum nimij sunt in epithetis Antithetis, gradationibus. Præterea caueat modestus Orator, ne significet se quasi diuinum, & futurorum coniectorem, ac si spiritum prophetiæ, vel visiones haberet, aut ecstases pateretur. Hæc ne obliquè quidem attingat, vt solet à nonnullis temerè fieri, non habeo, inquiunt, spiritum Prophetiæ, tamen illud moneo, & cætera huiusmodi, quæ exempli gratia tantum dicta sint, infinitæ enim sunt errandi viæ, cum virtus ex integra causa, vitium ex singulari defectu nascatur. Ex quibus omnibus intelligat Ecclesiastes, optimum esse consilium & optimam regulam, vt de se nulla ratione loquatur, sic enim censeo, de se ipso coram multitudine loqui, nec ineptiarum aliquid admiscere, rem factu difficillimam esse. Quod si inter priuatos sermones laus in ore proprio sordescit, certè se ipsum aliquo modo iactare ex edito loco coram multitudine est hominis publicè parasitantis, & gloriam inanem tuba aucupantis. Legere poterit cui placebit Plutarchi opusculum, vbi hæc inter alia inueniet, neminem esse, qui non putet rem esse valdè illiberalem, ac molestam de se ipso aliquem ita loqui, vt sibi dignitatem, ac laudem vendicet, eorumq.

Nemo faciat se quasi diuinum.

Numquâ, aut rarissimè de se loquatur.

De sui laude tom. 2.

ora-

Digitized by Google

orationem esse inuisam, & grauem, quam omnes auersamur, & dimitti ab eis, & respirare properamus. Addit pleraſque huius vitij deformitates. Prima est, quod impudentes eos iudicamus, cũ pudere oporteret eos potius si ab alijs laudarentur. Secundo, iniustos esse qui sibi id tribuant, quod non à se, verum ab alijs tribui debuit. Tertio, qui seipsum laudat, Auditores in angustias conijcit, vt nec tacere, nec loqui audeant; explicat item & enumerat diuersas occasiones, quas ad se laudandum, amor sui immoderatus arripit, quales esse solent cum res nostras feliciter gestas narramus, cum negocium aliquod transegimus, cum aliorum in nos beneuolentiam, & beneficia recensemus, cum alios vel arguimus, vel laudamus, in his valde est facilè in nostras laudes excurrere. Itaq. si ab alijs laudemur, dicebat Demosthenes apud Quintilianum, erubescere nos decet, nos verò impudentiæ arguamur, si nostra laudemus.] Cæterum cum iactantia ita fugienda sit, non tamen probarim, vt seipsum Concionator frequenter accuset demissionis gratia, nam aut iudicat non credituros eos qui audiunt, & tunc videtur ambire virtutem humilitatis, aut putat credituros, & tunc haud satis prudenter, necessariam suo ministerio æstimationem, & auctoritatem eleuat, sed profectò in sui vituperatione sæpè potest inesse affectata quædam humilitas, quæ res magnam habet superbiæ significationem, & optimè admonemur etiam vulgari sententia, Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse. Itaque concludamus caput cum Aristotelis sententia, quam Valer. Maxim. citat in hæc verba, de semetipso in neutram partem loquendum esse prædicabat Aristot. quoniam laudare se vani, vituperare stulti esset.]

Iactantia, & magnum vitium in concione. *Lib.* 11. *c.* 1. *Lib.* 1. *c.* 2.

Patientia & Mansuetudo. Cap. VII.

SEd quemadmodum molestum est Concionantem de se, suisq. rebus cum laude loquentem tolerare, ita si indignantem, & querulum experiuntur, indignatione etiam ipsi in eum commouentur Auditores. Egregia est illa animaduersio Gregorij, qua vult Concionatorem esse alterum Heliam, cui dici possit: Currus Israel, & auriga eius. Doctor, ait, qui mores populi & per patientiam sustinet, & sacri eloquij verbis docet, & currus dicitur, & auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agitat; currus, quia

Lib. 2. *in Ezech. ho.* 21.

quia mala sustinet, auriga quia populum bonis admonitionibus exercet.] Non est profectò non est pro dignitate loci, atque personæ, vt Concionator in pulpito cõqueratur, si quid fortè audierit à quopiam contra se dictum; frequenter enim vsu venit, vt quod non erat publicum, omnibus manifestum fiat, & plures contra eum existant censores, talesq. defensiones aduersus eos, qui minus honorificè de eo locuti sunt, haud facilè probantur ab omnibus, quin potius aliorum iram, ac stomachum prouocant ad notanda in posterum, quæ prius bona fide accipiebant. Multa melius dissimulantur, quàm trahuntur in litem, præsertim nisi agatur de rebus ad verbum Dei pertinentibus, neque sit contra concionatoris famam in re graui; tunc enim quid sit faciendum prudentia, & modestia, & sancti Spiritus vnctio docebunt. Sine consultatione quidem nihil temerè agendum, aut loquendum. Nec dubites illud omnino esse certum in causa propria neminem esse æquũ Iudicem, imò cum quid contra nos dictum est, tunc magis curandum est, vt patientiam præ nobis feramus. Cyprianus: Magis optamus (inquit) & cupimus contumelias, & iniurias singulorum clementi patientia vincere, quam sacerdotali licentia vindicare.] Et Gregor. Eo tempore, inquit, quo à proximis contumelias accipimus ex falsitate, taceamus, ne ministerium iustæ correctionis, in arma vertamus furoris.] Nũquam etiam probaui, cum aliquos audiui de paucitate Auditorum conquerentes, nam hæc ipsa querimonia obesse plurimum potest frequentiæ, cum ex hoc qui præsentes adsunt, colligant conciones eorum alijs displicere, quæ opinio numerũ non auget, sed minuit. Potius igitur obserua vnde sit paucitas, quidq. sit in te quod minus placeat, idq. corrige. Illud etiam admonitione est dignum, ne vllum impatientiæ aduersus comitem signum edat, siue palam cum is aliquid admonet, siue cum minus aptè componit subsellium. Quamuis enim ad talia populus subrideat; viri tamen graues nequaquam probant, sicut etiam offenduntur potiùs, si viderint Cõcionatorem impatienter conturbari ob strepitum aliquem, qui publicè fiat, sunt enim qui vel leui quopiam motu, seu vagiat infans, seu canis allatret, turbantur, & signum præbent leuitatis. Monere quidem cum res vehementer, diuq. obturbat, cum modestia, & lenitate mentis aliquid, & licet, & ædificat, impatientiæ verò signa ostendere magis, & Concionatorem ipsum, & Auditores perturbat. Præterea absti-

neatur

Cõcionator non sit querulus.

Lib. 3. ep. 9.

In Euan. hom. 18.

Conqueri de paucis Auditoribus indignum.

Digitized by Google

neatur ab omni verbo, quod vel certum hominem, vel familiam, vel ciuitatem offendat; aliquando profert Cõcionator verbum contra aliquos in vniuersum, & Auditores facilè aduertunt in quos propriè sit dictum, & facilè, tum qui perstricti sunt, tum cæteri irritantur, nonnumquam videntur verba Conclonatoris notare Ciuitatem, aut nationem, quod cum pestis vitandum est, maximè enim abalienat, vt quidam pessimè auditus est, vbi dixit homines illius loci incolas esse natura timidos. Docet prudentia, docet charitas, docet ars ipsa Rhetorum, ita omni ratione prouidendum Oratori, ne qua re significet se parui æstimare Auditores, imò significanda est beneuolentia erga omnes, & bona, quam de omnibus habet existimatio, citra adulationem. Cæterum vituperanda sunt vitia, homines honorandi, quod tum in omnibus hominibus, tum præcipuè in ipsis Auditoribus obseruandum est. Etiam atque etiam caueat Concionator ab omni leuissimo verbo, quod in Auditorum iniuriam, aut contemptum recta, vel ex obliquo possit trahi, vt si Auditoribus ignorantiæ notam inurat, & inuitet, vt ad se veniant, & discant quod non intelligunt, id enim plurimum obest; & non semel audiuimus abalienatos populos, ob vnam aliquam voculam impatienter, & iracundè, seu contemptim prolatam. Denique Mansuetudo est virtus, quæ hominem reddit Deo gratum, populis amabilem, mitibus possessio terræ promittitur: Dionys. epist. ad Demophilum, castigat eius ferociam, affirmans, Iosephum, Moysem, Dauidem, apud Deum gratiam inuenisse, quoniam mansueti fuerunt.] & Paulus docet, seruum Dei debere esse mansuetum ad omnes. Et Dominus, Discite à me, inquit, quia mitis sum, & humilis corde. Capiti huic sigillum apponat Cassiani grauis sententia: Sublimioris, inquit, præstantiorisq. virtutis est persecutionibus, ærumnisq. vallatum manere semper immobilem, & aduersum se sæuientibus cunctis, certum de præsidio Dei, atque intrepidum perdurare, humanisq. incursibus, velut armis inuictæ virtutis accinctum gloriosissimè de impatientia triumphare, & acquirere quodammodo de infirmitate virtutem, quia virtus in infirmitate perficitur.]

Neminem vllo modo notet verbis.

Epist. ad Demophil. 8. 2. *Tim.* 2. *Matt.* 11.

Collat. 24. *cap.* 25.

Feruor

Feruor Spiritus in dicendo. Cap. VIII.

QVoniam industriam & prudentiam in Concionante in hac appendice aperimus, placet hoc loco monere aliquid circa Spiritus feruorem in ipsa actione, ac dictione tenendum, præsertim cum pauca hactenus à nobis hac de re, tam necessaria, tamq. graui, atque ad negotium nostrum, tanti momenti, sint disputata. Certè in Concionatore Spiritu magis quam propria sententia, lingua loqui debet; hinc fiet vt verba eius, igne diuino inflammata omnium corda calefaciant, vt verè illud dici possit ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Greg. in illa verba: Scintillæ quasi aspectus æris candentis, comparat prædicatorum voces his scintillis, quia, inquit, vita prædicantium sonat & ardet, ardet desiderio, sonat verbo, de candente ære scintillæ prodeunt, quia eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt.] Ex his D. Antonium Patauinum fuisse accepimus, cuius fama cum ad viginitiduos latrones peruenisset, curiositatis, non pœnitentiæ studio ad eius concionem accesserunt, à quo ita inflammati sunt, vt omnes pariter ex perdito illo vitæ statu resipuerint. Et hoc ipsum à nobis exigit Deus, quod Hieremiæ contulit: Ecce ego dedi verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna, & vorabis eos. Cæterum multos dicit Bernar. esse magis de sublimi fumantes, & tales docet esse eos, qui verbis dediti elatione fumant, & tepidè agunt sine flamma & Spiritu charitatis.] Cui deest hic spiritus feruor, is videtur potius mutum Concionatoris simulachrum, quam Concionator. Multum momenti in hoc feruore spiritus positum est ad fructum ex verbo Dei colligendum, vt sit Concionator fœcunda mater filiorum si ipse ferueat, aut tanquam mulier sterilis, si eo destituatur. Sed non est omnino facile exprimere quidnam sit hic spiritus, ex quo fructum Concionis credimus magna ex parte pendere; certè non est vox alta, vel clamores, vt etiam alibi monuimus, aut vehemens agitatio in suggestu, neque etiam gemitus quidam, quia omnino credimus hæc posse præstari etiam sine spiritu, & sine fructu, quamuis etiam ex vehementia spiritus hæc soleant aliquando prouenire, & sint nonnunquam eius effectus. Existimabit aliquis, & bene esse charitatem, vel potius charitatis ardorem vnde nascitur zelus diuinæ

Hom. 3. in Ezech.

Hier. c. 5.

In probe. vitæ Sancti Malachiæ.

Feruor Spiritus in cõcione quid sit.

Digitized by Google

diuinæ gloriæ, & salutis animarum qui viuificat, & exacuit verbum Dei, & facit tanquam gladium penetrabiliorem omni gladio ancipiti, pertingentem vsque ad diuisionẽ animæ, ac spiritus. Vnde rectè quidam interrogatus, quidnam esset maximè necessarium ad Concionatoris officium ritè obeundum, respondit, ardentissimo Christi Iesu amore flagrare, hic enim amor si adsit, quid ni egregiè omnia perficiantur? Posset fortè dici planius esse quandam vim, seu viuacitatem dicendi cum energia, & efficacia, quamdam animi excelsitatem, præstantiamque, ac libertatem trahendi homines ad Christum, & adducendi peccatores à malo vitæ statu ad gratiam, ad omnem virtutem, & Christianam perfectionem, atque adeo corda penetrandi natam ex charitate Dei, quæ tãquam ignis non se continet intus, sed per os ex abundantia cordis emittit voces, tanquam è fornace flammas. Eminet verò hic spiritus, & feruor non solum in doctrina, quæ efficacitatem habeat, sed etiam in modo dicendi cum pondere, qualis erat Christi sermo, qui docebat tanquam potestatem habens, stupebant omnes super doctrina eius, quia cum potestate coniunctus erat sermo ipsius, & D. Pauli, qui de se ait, Sermo meus non in persuasibilibus humanę sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, hoc est, non in apparatu magnifico verborum, sed in quadam arcana & interna potestate à Spiritu sancto operante, & Apostolorum, qui in Act. orabant: Domine da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum Dei. De qua potentia diuini verbi ait idem Paul. Arma, inquit, militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia, id est, quæ à Deo habent vim suam, Deoq; deseruiunt ad destructionem munitionum, quasi dicat, nihil tam munitum, quod non deijciant etiam omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, Nihil tàm acutum, quod non retundatur si adsit spiritus. Est hic spiritus robustorum, secundum Isaiam instar turbinis impellens parietem, hoc idem mihi videtur dicere idem Paul. quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus Dei, nos autem non spiritum huius mũdi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est spiritualibus spiritualia comparantes, hoc est, sicut in concionibus spiritualia tractamus, ita etiam spiritualiter id præstemus, quod ille perficit qui intus, & extra se spiritualem exhibet, iuxta naturam rerum spiritualiũ, quas tractat. Sicut & D. Petrus docuit: Si quis loquitur quasi sermones Dei, ergo secundum hoc præceptum res spirituales

Vis, & efficacia in dicendo.

Hebr. 4.

Luc. 4.

Exemplum Christi, & Pauli.

1. *Cor.* 2.

Act. 4.

2. *Cor.* 10.

Isai. 25.

1. *Cor.* 2.

1. *Pet.* 4.

les afferre debet in concione, & ſpiritualiter efferre, eo ſcilicet modo, qui ſpiritum Dei ſpiret, hoc planè facit qui nihil aliud in concione quærit, quam ſpirituales reddere homines, id eſt Dei amantes, qui in ſacra doctrina nihil miſcet prophanum, qui Euangelium non tanquam hominis verbum, ſed vt verè eſt, tanquam verbum Dei tractat, qui tum actione, tum verbis, ac ſententijs ad pietatem inuitat Auditores, adeò vt omnia ſpiritu Dei plena videantur. Denique ita debet Concionator loqui, vt de eius verbis dici poſſit: Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt, id eſt, ſint verba viua, non mortua, & ſpiritum habeant viuificantem, vt non poſſint qui audiunt facile reſiſtere, ſicut de S. Stephano Scriptura teſtatur. Non poterant reſiſtere ſpiritui qui loquebatur, & ſicut ad verba Petri concionantis compuncti ſunt, & dixerunt, quid faciemus viri fratres? Hoc autem debet Concionator à Deo etiam atque etiam flagitare, cuius eſt linguam, mentemq. dicentis mouere, corda, & voluntates audientium flectere. Vnde Auguſt. Cum (ait) homines pro correctione in viam iuſtitiæ reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum ad ſalutem, niſi ille, qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris, & arbuſculis operante incrementum dat Deus?] Et Chryſoſt. Da mihi nauim vacuam gubernatores, nautas, funes, anchoras, omnia diſpoſita, & nuſquam eſſet Spiritus venti, nonne tardat omnis quantuſcumque eſt apparatus ſi deſit operatio ſpiritus? Ita fieri ſolet, licet ſermonis ſit ampla ſupellex, & mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, non adſit autem Spiritus ſanctus, qui vim ſuppeditat, otioſa ſunt omnia.] Quod ſi quis à me quærat, quonam artificio, aut qua via hunc ſibi ſpiritus feruorem comparet noſter Orator; Donum Dei eſſe reſpondebo, & ab eo communicari per aliquod eius ſpeciale auxilium; nec talentum naturale ad hoc eſſe ſatis, quamuis natura, diuinæ ac ſupernaturali motioni ſeruiat optimè, vt ſit ipſa ſubiectum gratiæ, ſed debet à nobis precibus à Deo impetrari. Hinc Chryſoſt. in ea verba ſancti Pauli, qui loquitur lingua, oret vt interpretetur, ait, hic oſtendit penes ipſos eſſe quo pacto Domino potiantur. Oret, inquit, hoc eſt, quod penes ſe eſt inducat. Si diligenter enim poſtulabit, potietur, poſtula igitur non linguæ ſolum, ſed interpretationis etiam donum, vt prodeſſe omnibus queas.] Meditationem eſſe valde vtilem, non oportet repetere, quia in meditatione exardeſcit ignis, ſicut & aliqua carnis caſtiga-

Ioan. 6.

Actor. 6.

Actor. 2.

Lib. de correct. & gratia. c. 14.

Hom. 2. de Spiritu ſancto.

Quomodo poſſit feruor hic comparari.

In 1. Cor. 14. ho. 35.

Pſal. 38.

ſtigatio, vt alibi tetigimus. Iuuabit præterea conſideratio peccatorum populi, vt Chriſtus videns ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens, Si cognouiſſes & tu. Item videns violatum templum, zelo exarſit, ſic Eſdras ad Deum orauit, & Elias ex eodem zelo, qui natus eſt ex peccatorum conſideratione, & iniuria Dei; ſpes fructus & conuerſionis animarum vim dabit ſpiritui. In Eliſeo per melodiam & pſaltem, ſpiritum prophetiæ ſuſcitauit Deus, ſic muſica deuota diſponit aliquando animam; lectio item librorum ſpiritualium, ad hunc feruorem in nobis excitandum, emolumento erit, vt legere Chryſoſtomum, Bernardum, Soliloquia D. Auguſtini, opera Ludouici Granatenſis; ſed omnino deuitet libros verboſos, curioſos, ac vaniloquentiæ deditos, ne quid ſibi de hac pice adhereat, quod eſt facillimum. Ad hæc auferenda ſunt quæ ſpiritum extinguunt, vt ſunt Ambitionis ſpiritus, & honorum ac rerum temporalium cupiditas. Rurſum quædam vita mollis, dum delicatè corpus nutrimus, & ſenſuum oblectamenta ſectamur. Præterea qui diuinum hunc ardorem concipere velit, otioſis in colloquijs non immoretur, nam hæc ſpiritum fugant, neque in negotijs quæ non ſint ſpiritualia, neque in frequenti hominum conſuetudine, quia hæc animum auocant á Spiritu, & diſtrahunt. Denique qui anhelat ad feruorem ſpiritus in dicendo, fruſtra nititur, niſi verè cum ſpiritu vitam gerat, & rebus ſpiritualibus ſedulò ſit addictus. Nam in his qui verè non ſunt tales, feruor ille aduentitius, qui aliquando apparet, eſt affectatus, non ſincerus, nec verè ſpiritualis, extrinſecus agitat Concionatoris voces, & aures verberat Auditorum, ſed neque horum, neque illius animas penetrat.

Luc. 19.
2. *Eſdr.* 1.
4. *Reg.* 3.
Impedimẽta feruoris.

Curet vt attentum habeat Auditorem. Cap. IX.

QVod attinet ad ipſos Auditores etiam aliqua occurrunt admonenda, præter ea, quæ alibi poſita ſunt. Inter quæ illud primo loco dicamus, vt curet Orator noſter attentum ſemper habere Auditorem; non enim ſolum in exordijs id præſtare oportet, ſed magis adhuc inter dicendum. Imò verò tenenda eſt Ciceronis regula, præcepta principiorum in tota oratione ſeruanda eſſe; nam & beneuolum, inquit, Auditorem facilius facere poteto, cum ſum in curſu orationis, quàm cum omnia ſunt inaudita. Docilem autem, non cum

Prudentia erga Auditores.
2. *de Orat.*

Digitized by Google

polliceor me demonſtraturum, ſed cum doceo, & explano; Attentum verò crebrò tota actione excitandis mentibus, non ita prima denunciatione facere poſſumus. Docet idem cum
3. *Rhet. c.* 14. Cicerone Ariſtoteles in curſu nimirum orationis, cum Auditores attentis parum animis adſtant, renouandam tunc eſſe attentionem. Scripturæ item ſacræ ſæpè dociles, attentoſq;
Iob. c. 33. & 36. Auditores faciunt. Audi igitur Iob eloquia mea, & omnes ſermones meos, ſuſtine me paululum, & indicabo tibi. Chri-
Luc. 8. ſtus etiam clamans dicebat, qui habet aures audiendi audiat. Et iterum: Audite & intelligite. De qua attentione
Lib. 4. *expoſ. in* 1. *Reg. c.* 10. perpetuò in concione conſeruanda. Gregor. Verba quæ Doctor loquitur in libro ſcribere, eſt Auditorum ſuorum mentibus attentè commendare, quaſi ſcribere volebat, Dominus quæ dixerat, quando dicebat, mementote ſermonis mei, quem
Lib. 5. *c.* 2. ego dixi vobis.] Et exponens illa verba Samuelis, State & iudicio contendam. Stare, ait, Auditoribus eſt intentionem mentis ad verbum Prædicatoris erigere, meritò ergo ſtare præcipiuntur, quia Doctor nihil exhortando proficit, ſi Auditor mentem ad ea, quæ loquitur non intendit.]

Quomodo attentio conſeruetur.

Conſeruatur autem attentio, & renouatur, ſi ſerio, ſi cum ſpiritus feruore, ſi iucundus, & efficax in dicendo, agendoq; ſit qui loquitur; ſi familiari ſermone, vt ſupra diximus, vtatur. Quidam enim ita agunt in pulpito, ac ſi non eſſet ſermo ad præſentes, ita toti ſunt in declamationibus, quaſi ſeſe in ſolitudine, vel in maris littore clamando exercerent, adeò vt ne vultum quidem ad Auditores conuertant. Poterit aliquando attentos ſibi reddere ſi eos moneat, cum res aliqua maximè vtilis dicenda ſit, ſi cum admiratione alicuius rei inexpectatæ, ac magnæ, narrationem proponat: Tranſitiones etiam valent plurimum ad hanc animi attentionem renouandam. Nonnumquam conuertat ſe ad Deum per apoſtrophem, eius opem implorando, vt ipſe Auditorum paret corda, & illuſtret mentes, cum res eſt magni ponderis: hæ planè collocutiones inter concionandum non ſolum attentionem excitant, ſed etiam Auditores mouent, vt rebus ſe obedientes
In probe. lib. 4. præbeant: Quintilianus, Nemo, ait, miratur poetas maximos ſæpe feciſſe, vt non ſolum initijs operum, ſed etiam longius proueĉti, cum aliquis grauior locus tractandus erat, repeterent vota, & noua precatione vterentur. Quanto id melius noſtri Concionatores facere debent, vt diffiſi proprio ingenio, cæleſte numen implorent, non ſolum initio, ſed cum aliquid

aliquid graue ſunt explicaturi, & mirum eſt dictu quantum profit hæc obſeruatio, quod etiam Ethnici Oratores facere ſolent. Aliquando interroget ipſoſmet Auditores, aliquando ſuſpendat ſermonem tacito quodam ſilentio, quo magis Auditor, attentis auribus quid ſit dicendum expectet. In vniuerſum oratio diſtincta, partitaq; & variata, multum ad attentionem facit, cum capita non admodum communia ſunt, & vno abſoluto ad alterum quaſi nouo ſpiritu tranſitur; & diſputationi narrationes & mores, affectuſq; nunc lenes, nunc vehementes, cum vocis ac geſtuum mutatione aptè miſcentur; nam tenor æquabilis non aures modo fatigat, ſed & ſomnum inducit. Sit excitatus, vigeat, agatq; Orator, qui experrectam, attentamq; ac ſemper quaſi recentem concionem cupit. Cum Auditor oſtendit ſe non libenter audire, bonum eſt conſilium, Auguſtini, Sæpè fit, inquit, vt qui primò libenter audiebat, vel audiendo, vel ſtando fatigatus, non iam laudans, ſed oſcitans labia diducat, & ſe abire velle etiã inuitus oſtendat, quod vbi ſenſerimus, aut renouare oportet eius animum, dicendo aliquid honeſta hilaritate conditum, & aptum rei de qua agitur, vel aliquid valdè mirandum, & ſtupendum, modo breue ſit, maximè ſi extra ordinem inſeritur, ne morbum faſtidij, cui ſubuenire volumus etiam augeat ipſa medicina.] Et rurſum ibidem: Cum Auditor, inquit, non attendit, dicatur aliquid contra incidentes cogitationes ſæcularium negociorum, aut hilari, aut triſti modo, vt ſi ipſæ ſunt quæ mentem occupauerant, cedant quaſi nominatim accuſatæ.] Addamus his quaſi corollaria quædam. Primum, vt dum concio habetur, ne attentio aliunde impediatur, ſemper adſit in templo aliquis, cui ea cura demandata ſit, vt ſi quid ſtrepitus, aut turbæ cooriatur, cohibeat, curetq; vt omnes quieti ſint, & locum ad ſedendum habeant. Clemens hoc docet Diaconi fuiſſe munus, ſpeculari ne quis murmure obſtreperet. Hoc videtur eſſe quod in Num. dicitur, Leuitarum officium erat populum componere. Secundum, ne ſuggeſtum ſit plus iuſto ſuper Auditores elatum, nam cum maximè referat, vt Concionator quaſi familiariter populum alloquatur, cum nimis eſt Auditore ſuperior, experientia cõſtat, magis ſe ad declamatorium quemdam cantum, quam ad actionem ſeriam, & familiari perſimilem ſeſe accomodare. Neque illud diſplicet, quod Auguſtinus ibidem in Inſtructione Catechumenorum admonet etiam in Concionibus ſeruetur,

Lib. de catech. rud. c. 18.

Conſt. lib. 8. c. 11.

Num. 18.

tur, curandum vt Auditores in audienda concione ſedeant, ne ſtando defatigati, vel recedant, vel non attendant. Poſtremò ad attentionem facit plurimum Breuitas concionis, quæ Concionatori ſummæ eſſe curæ debet. Certum quippe eſt omnibus breuitatem eſſe gratiſſimam; nam eos qui libenter audiunt ipſa fames non expleta delectat, cæteros autem longitudo ad tædium vſque defatigat. Qui nimium prolixi ſunt, eo etiam ſunt odioſi, quod abuti videntur Auditorum patientia. Diuus Franciſcus hortatur ſuos, vt cum breuitate ſermonis loquantur, ac re ipſa conſtat grauatè ad eos audiendos adiri, qui horam dicendo excedunt. Perſuadeat ergo ſibi Concionator, vix ſe poſſe perſuadere quicquam his, qui non æquo animo, & ſine quadam auiditate verbum Dei auſcultant, ſermonis quippe ſatietas (inquit Nazianz.) non minus auribus inimica eſt, quam immodicus cibus corpori. Atqui copia ciborum ingeſta, & ſatietatem, & nauſeam parit; alimenta quæ non redundant, tum ſumuntur auidius, tum ſalubrius concoquuntur.] Propterea ex omnibus quæ in præſenti ſuccurrunt, ſeligat optima quæq; alijs in aliud tempus reiectis, vt qui dono mitteret amico fructus, non tam curaret copiam, quàm vt eximij eſſent, & vtiles, ac guſtui grati, licet pauciores, verum eſt tamen pro varijs Dei donis, & cuiuſq; in dicendo vi, vnum, idemq; ſpatium vni eſſe prolixius, quàm alteri, & poſſe alios alijs melius, ac diutius concionem attentam habere; ſemper tamen conſultius eſt, vt cum fame diſcedat Auditor, ſic enim fiet, vt audita commodius retineat, & libentius redeat. Auguſt. item his qui multa habent proponenda populo hoc dat conſilium. Eligantur, ait, quædam mirabiliora, quæ ſuauius audiuntur (intelligo ego modo ſint vtiliora) & hæc tamquam inuolucris oſtẽdere, ſtatimq; à conſpectu abripere non oportet, ſed aliquantulum morando, quaſi reſoluere, & expandere inſpicienda atque miranda animis Auditorum. Cætera verò celeri percurſione miſcendo contexere, ita fiet, vt illa quæ maximè commendari volumus, magis emineant, nec ad ea fatigatus perueniat, quem narrando volumus excitare, nec illius memoria confundatur, quem docendo debemus inſtruere.]

Concionis breuitas.

Orat. in S. Bapt. init.

De catech. rud. 3.

Liberè

Digitized by Google

Liberè ac seriò dicat Ecclesiastes. Cap. X.

ARbitror autem ei Auditorem attentas præbiturum aures, qui seriò ac liberè agat in suggestu. Planè libertas in dicendo videtur apprimè necessaria Concionatori, vt cum auctoritate, ac sine timore causam suam, seu Dei potius proponat, ita vt dominari in omnium animis videatur, verecundè tamen non insolenter. Quod si populus eum timidè agere aduertat facilè iudicat esse in ea facultate Tironem, vel minus sincerè annunciare verbum Dei. Ambros. nihil ait in Sacerdote tam periculosum apud Deum, tàm turpe apud homines, quam quod sentiat non liberè denunciare; siquidem scriptũ est: Et loquebar de testimonijs tuis, & nõ confundebar, & ad Ezech. fili hominis dedi te speculatorem domui Israel, & audies de ore meo verbũ, & annunciabis eis, & allegans illud Isaiæ, Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion, non decet (inquit) qui euangelizant omnibus gratiam, & salutem timidè id facere, ac summissè, quasi latere studeant, sed tamquam in excelso, & omnibus conspicuos, clara voce, quæ aures penetret vt tuba, & quæ sit metu libera. Basil. in sententijs moralibus docet cum summa libertate prædicandam esse doctrinam Dominicam, & dandum testimonium veritati, licet aliqui sint, qui nos id facere prohibeant, & quoquo modo, vel ad mortem vsque persequantur, & confirmat testimonijs Domini, Matth. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta, & Ioan. Ego semper docui in synagoga, & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Act. 5. Cum diceret Apostolis Princeps Sacerdotum, Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, & ecce replestis Hierusalem doctrina ista. Respondentes Apostoli dixerunt, Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Et Paul. Spiritus sanctus per omnes Ciuitates mihi protestatur, dicens, quoniam vincula, & tribulationes Hierosolymis me manent, sed nihil horum vereor, nec facio animam meam precioſiorem quam me, dummodo consumem cursum meum, & ministeriũ verbi, quod accepi à Domino Iesu testificari Euangelium gratiæ Dei. Et ad Galat. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem, quo verbo significat Paulus, non posse eos liberè verbum Dei prædicare, qui vt

Lib. 5. epist. 29. ad Theodor. Imp.

Psal. 118.

Ezech. 3.

Isai. 40.

Reg. 70. c. 13.

Libertas sine timore vano.

Matt. 10.

Ioan. 18.

Act. 20.

Galat. 1.

Digitized by Google

hominibus placeant, non audent quæ oportet, loqui. Ille autem liberè vitia potest reprehendere, qui in actionibus suis huiusmodi præbet exemplum, vt vita orationi respondeat. Paulus Tito, Præcipe, & doce, ait, cum omni imperio, in quæ verba Gregor. cum imperio ait docetur, quod prius agitur quàm dicatur, nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam, non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuat actionis.]

Tit. 2. *23. Moral. c. 7. in fin.*

Libertas sit modesta:

Addo, eam debere esse in dicendo libertatem, vt sit Concionator semper memor modestiæ cuiusdam, ne nimia libertas degeneret in audaciam, & arrogantiam, quia aliquando tum iudicium in Concionatore, tum animi demissio desiderari videtur, cum quis suæ vel doctrinæ, vel auctoritati supra modum confidit. Sapienter Chrysost. Vocis, ait, libertatem permulti vsurpare possunt, at illa eadem vti decenter tempore consentaneo, & congrua tum mensura, tum prudentia adhibita magni admodum animi, & admirabilis fuerit.]

Lib. contra gētes, de S. Babyla.

Serio agendum, & cum efficacia.

Cæterum inter ea quæ Concionatori conueniunt, & huic libertati proximum est, illud mihi videtur inter prima [referendum, vt quæ dicit serio dicat, & ea efficacitate, quam rerum quas tractat natura exigit. Multi enim recitare aliquid ex scripto magis exercitationis causa, ac si esset oratio declamatoria, in qua Tyrones in Academijs sese exercerent, quam Christianè ex suggestu concionari videntur, vt causa postulat summi momenti. Ijs verbis vtatur ea dicendi vi, & ratione, qua quis negocium suum in re graui ageret, in qua summa bonorum suorum sita esset, adeo vt si victor fuerit, magnum aliquod lucrum sit reportaturus, sin causa cadat, in magnam inopiam sit redigendus. Ita debet affici, ita agere Concionator, ac simul existimare, dum hæc exiguntur illud in se conuenire Apostolicum, Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, nam verè existimanti videatur indignum non plus postulare à Concionatore Christiano, quam studium Oratoris prophani, quæ enim causa vlla, quamuis de toto terrarum agatur imperio, conferri potest cum nostris, vbi res est de meritis & sanguine Christi, de regno cæli, de summa, æternaque miseria vel felicitate; sed profectò hoc è sententia numquam cedet, nisi verè Concionator Dei spiritu illustretur, & benè sit animo affe-

Rom. 6.

affectus, vt verba ex intimo animi sensu proueniant. Gregor. explicans verba illa, Et comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce ait; Liber qui viscera repleuit, factus est dulcis, quia ipsi de omnipotente Deo sciunt loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare, in eius quippe ore Scriptura sacra dulcis est, cuius viscera mandatis illius replentur. Ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris ædificat, quàm exercitatio sermonis, quia amando cælestia inter semetipsum Concionator legit quomodo persuadeat, quomodo despici debeant terrena.] *Lib. 1. in Ezech. ho. 10.* *Ezech. 3.*

Vt autem seriò dicat, quæ dicit optimum arbitror esse remedium, vt quæ alijs dicturus est, sibi ipsi primum persuadeat, nam vix alijs poterit, quæ sibi non potuit persuadere, qui enim solo studio, ac lectione librorum paratus, ad dicendum venit, quando alijs prædicat, ipse sibi quod prædicat non sentit, ideoq; nec seriò agit. Si de ira Dei loquitur, terrere alios poterit, ipse non timet; si de misericordia alios consolatur, ipse non gaudet, quia scientia, quæ de solis lectionibus est, de ore procedit, quæ autem de Spiritu sancto est, de corde prouenit, nec solum dicitur, sed & sentitur, non tantum in Scripturis legitur, sed ex corde suggeritur. Rursum seriò dicemus, si non solum ad alios erudiendos, excitandosq. tendat sermo noster, sed vt nos ipsi verbis nostris proficiamus, & post concionem seruemus. Est Gregorij præceptum dicentis: Cum ipsa sua Doctoribus verba ad memoriam reuocantur, erubescunt non seruare quod dicunt. Vnde Salomon ait, Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum. Os enim nostrum nos compellit ad laborem; quando per hoc quod diximus à vitijs refrenamur, quia turpe nimis est ibi nos negligendo cadere, vnde prædicando conati sumus alios leuare.] Quod præceptum exemplo suo confirmat Chrysost. qui de se ipso ita loquitur: Cum vos exhortamur, non ad vos dumtaxat, sed ad nos, qui orationem habemus, & loquimur & loquemur; siquidem & nos doctrina, consilio, monitione egemus, neque enim nos sine peccato sumus.] Remediũ vt serio dicat. *Hom. 18. in Ezech.* *Hom. 13. in Ioan.*

Ad

Ad res ipsas singillatim descendat. Cap. XI.

SEd illa industria videtur mihi inter primas habenda, si velis auditores in Christianis moribus promouere, & fructū ex concionibus elicere, vt quæ dicuntur. Primum quidem non generali quadam & quasi abstracta speculatione contineantur, sed ad particulares actiones ex illa vniuersa ratione descendant; deinde vt ingenio, & captui auditorum sint omnino accommodata. Primum illud sic explico; cum duplex oratori sit proposita quæstio, vt alibi diximus, altera quæ thesis dicitur, & res in vniuersum cōplectitur, altera quæ singillatim res ipsas additis conditionibus tractat, & Hypothesis appellatur; hæc ita versetur Christianus orator, vt hypothesim aptè ad thesim, thesim ad hypothesim reuocet. Hoc posterius tamen ad dicendum erit accommodatius, vt nimirum quæ in vniuersum dicta sunt, ad ipsas singulares transferat, & ad humanas potissimum quæ vsu veniunt actiones accomodet, quod qui olim rectè præstabant Oratores, regnare in Iudicijs, dominari in concionibus dicebantur. Contra vero ieiuni, exiles, nullius ingenij, oratores putabantur huius rei imperiti, quod præceptum quandoquidem magni momenti est, paulo fusius à me enucleandum erit.

Ad hypothesim, & singularia descendat.

Præcipua Industria est, vt Ecclesiastes cum doctrinam aliquam vniuersam tractat, ne maiorem in ea temporis partem insumat, sed ad singularia descendat, ea quæ dicit Auditoribus suis moribusq; eorum accommodet, increpando peccatores, instituendo, hortandoque varios personarum status. Nam amplæ quædam doctrinæ nisi ita applicentur, non magnam vim ad componendos animos habent, sic Arist. *in Eth.* sermones morales eo vtiliores esse docet, quo magis ad singularia descendunt, & nisi ita fiat experientia constat plerosq. auditorum ita ieiunos redire domum, vt venerant, qui magna oratione onerati nihil penè quod ad praxim faciat singularium actionum audierint. Magnum hoc dicentis vitium est eiusque proprium, qui non tam curet, vt populus proficiat, quam vt ipse docti nomen, & popularis gloriolæ auram ex multiplici doctrinarum genere colligat. Quare qui ad Dei gloriam, & animarum salutem id munus exercet, det operam primo, vt doctrina quam affert non subtilioribus sit inuoluta quæstionibus, hæc enim non potest facile ad mores hominum applica-

applicari. Ei simile hoc præceptum est, quod N.B P. Ignatius in Exercitiorum spiritualium libello docet, & tam multi spiritualis vitæ magistri præscribunt, vt nimirum, qui meditationi vacat, considerationem mysterij ad suos vsus trãsferat, videatque quid ipse debeat ad suæ animæ vtilitatẽ ex eo colligere; hic enim est meditationis fructus, eodem modo Ecclesiastes non eum esse suæ concionis fructum intelligat, si thesim aliquam accuratè prosequatur, ac eruditè multa afferat, sed vt ea ad praxim singularium rerum accommodet, vt omnes intelligant quid sibi, & quomodo sit faciendum, agnoscantque in hunc scopum propositam esse thesim. Secundò, vt non solum in fine concionis fiat aliqua breuis applicatio, ad mores, vt nonnulli faciunt, quasi verò paucula verba, id quod præcipuè spectatur & quæritur, præstare possint, sed in tota concione imò ab ipsomet prohemio iacienda sunt fundamenta quædam, & parandus auditor ad has actiones, & in singulis membris orationis, iungenda vniuersalia cum particularibus, quam obseruationem, qui tenent, ij fructum solent colligere vberrimum, cum alij vix modicum referant, ita Chrisost. Non tam multi (ait) ad Christum sectandum adducuntur, quando magnificum aliquod, & altum de Deo dicitur, quàm cum ad humiliora, & ad salutem auditorum accommodatiora descenditur] Videsne ex Chrisost. in quo fructus concionis consistat? & affert exemplum Ioannis Baptistæ, cuius prædicatio, quod esset valde particularis, quoniam digito Christum ostendebat, Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi; ideo is sequutus est fructus, vt aliqui Christum sic ostensum sequerentur] Hoc ipsum præceptum possumus, in sacris literis vbique animaduertere, Nam cum Isaias primò conquestus esset generatim, subdit lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quærite Iudicium, subuenite oppresso, defendite viduam. Christus etiam cum de iudicio Dei plura dixisset ad mores orationem conuertit, attendite inquit ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & alibi passim id apparet. Quare vbi quis enormitatem peccati exaggerauerit, commonere auditores debet, aliquorum nominatim peccatorum, quibus putet eos esse obnoxios, atque aliquid singillatim quod faciat ad euitanda peccata docere. Eadem ratione vbi de prouidentia Dei in vniuersum dixerit etiam singulare eius patrocinium erga nos ostendere, & ad fiduciam in Deum hortari; si de patientia in aduersis verba faciat, ponat

Fructus concionis, in qua re sit.

Hom. 17. *in Ioan.*

Ioan. 1.

Isai. 1.

Luc. 21.

Digitized by Google

Iob. 1. nat ob oculos Iob dicentem, si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non susti neamus? & Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum, vt qui premuntur aduersis, eius viri exemplo Deo benedicant. Ratio autem

Duplex ratio reuocandi ad vsum quæ dicũtur

hæc ad vsum reuocandi, quæ dicta sunt, est duplex nempe ea ipsa quam vitæ spiritualis magistri docent, etenim hi sapienter admonent, vt qui benè viuendi disciplinam, & quasi artem addiscunt, omnia eius theoremata, axiomata, præcepta in vsum conferant, primo commentationis, ac meditationis, deinde actionis, ac propterea docent ipsi viam, per quam discipulus sciat audita ruminare, & ad meditationis exercitationem conuertere, deinde modum explicant quo eadem oporteat re ipsa perficere, & executioni mandare. Duplicem hanc praxim etiam concionator auditoribus explicet suis, vt qui audiunt ad vtrunque referant, meditando, atque agendo, & experietur inde (Deo iuuante) profectum amplissimum.

Ad captum Auditorum se accommodet. Cap. XII.

HVic obseruationi Secundam non dissimilem subijcio, vt omnino curet Christianus Orator ad captum auditorum se & omnia, quæ dicit accommodare, & vbi opus est ad humilia descendere cum hoc nequaquam de eius grauitate quid quam detrahat, quin potius maximè diuinæ voluntati, verbique Dei authoritati consentaneum sit. Verbum ipsum æternum debet imitari, Christum nimirum, qui cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem Crucis, & factus pro nobis maledictum, vt eos qui erant sub maledicto legis redimeret, qui dicebat multa habeo vobis dicere, sed non potestis ea portare modo. Non omnibus (inquit Isid.) vna eademq. doctrina est adhibenda; sed pro qualitate morum, diuersa exhortatio erit doctorum, sicut periti medici, ad varios corporis morbos diuerso medicamine seruiunt, ita vt iuxta vulnerum varietates medicina diuersa sit.] Audi D. Paulum, siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis, charitas Christi vrget nos, quomodo (ait Augustinus de verbis Pauli loquens) paratus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eorum? hinc ergo factus est paruulus in medio nostrum, tanquam nutrix fouens filios suos, non enim delectat, nisi amor inuitet, decurtata, & mutilata verba immurmura-

Phil. 2.

Gal. 3.

Ioan. 16.

Lib. 3. *de summo bono c.* 43.

2. *Cor.* 5.

Digitized by Google

murare, & tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant, & ſuauius eſt matri minuta manſa inſerere in os paruulo filio, quam ipſam mandere & deuorare grandiora. Ne ergo recedat de pectore cogitatio gallinæ illius, quæ languidulis plumis teneros fetus operit, & ſuſurrantes pullos confracta voce aduocat, cuius blandas alas refugientes, ſuperbis præda fiunt alitibus] Conuenit cum Auguſt. Hieron. vbi concionatores nubibus comparat. Has aquas (ait) de ſuperna abundantia defluentes ligat Deus in nubibus ſuis, vt vnicuique ſecundum capacitatem cordis ſui tantum doctrinæ tanquam aquam effundant, quantum ſuſcipientis poſſibilitas patitur, ne ſimul fortaſſis effuſæ obſint cordibus minus valentibus abundantiorem ſuſcipere doctrinam.] Adde & Greg. vbi explicat illud Exodi de phialis, & ciathis. Iubente Domino non ſolum phialæ, ſed etiam ciathi præparantur, quid enim per phialas niſi larga prædicatio; quid per ciathos, niſi minima, & tenuis de Deo loquutio deſignatur?] Chriſoſtomus quoque dicit, omnibus communis proponitur indigentibus medicina, vnumquemque auditorum, quod ad ſuum morbum facit oportet accipere, ſi vnus tantum eſſet Auditor non eſſet neceſſarium multiplicem habere ſermonem, ſed in tanta concione, plurimos affectus eſſe credibile eſt; ideo varia oratione vtendum, vt vnuſquiſque id quo indiget inueniat.] Denique Ambroſius (vt non deſit nobis copia teſtium) explicans Pauli locum quis ſupplet locum Idiotæ? quomodo dicet Amen, qui neſcit quid dicas? Imperitus (ait) audiens quod non intelligit neſcit finem orationis, & non reſpondet Amen, id eſt verum, vt confirmetur benedictio.] Adijcio tertiam admonitionem eiuſdem generis, vt ſcilicet ſtudeat naturam loci, & hominum apud quos dicit & mores perſpectos habere, eorumque ſtudijs, & moribus quantum commodè fieri poteſt ſeruiat. Quod ſi politicum hominem (vt ſcriptum reliquit in ſua Republica Plutarchus) Ciuitatem rectè adminiſtrandi cupidum magnopere oportet noſſe mores Ciuium, vt eos quo velit facilè flectere queat, quidni hoc ipſum oratori Chriſtiano neceſſarium iudicemus, qui etiam profitetur artem, quæ teſte Ariſtotele ex politica, & dialectica conflata eſt? Adde etiam vt loquatur aptè ad neceſſitatem eorum; nam ſi ſermonem habeat ad ſanctimoniales, ſi ad magiſtratus, ſi ad artifices, ſi ad Prælatos, ſi ad milites ſermo auditoribus aptus eſſe debet. Quare qui nouus quopiam mittitur, vtile erit, vt quærat

In cap. 20 Iob.

Libr. 20. Mor. c. 2.

Hom. 22. in Ioan. initio.

1. Cor. 14.

Mores loci concionator perſpectos habeat.

Digitized by Google

quærat à viris prudentibus de rebus quæ in commune vtiles concionibus esse possint, quæ peccata eo loci magis correctione indigeant, quæ pietatis opera possint commendari. Tam salutare consilium dabat noster B. Pater Xauerius, quem Indorum Apostolum ritè vocare possumus, in quibusdam literis ad Patrem Gasparem Barsæum, egregium Concionatorem in hæc verba: Si ignotum in oppidum veneris, prima cura erit ex probatæ fidei, & virtutis viris cognoscere oppidanorum, incolarumq; vitia & negotia inibi contracta. Caput quippe est ad homines iuuandos gentis vniuersæ ingenium, ac mores nosse, & quoad liceat, singulorum morbos animorum, qui dissideant inter se, qui inimicitias gerant, quæ fraudes, quæ iudiciorum iniquitas, quæ fides testium, quæ Iudicum corruptio, & ab ijsdem viris peritis & prudentibus inquirere, qua tandem oporteat incedere via ad illorum mores, mentesq. sanandas; monebat etiam Concionatorem, vt eorumdem quorum saluti vult consulere, sensus, mores, honestæq; vitæ impedimenta perspiciat & agnoscat, hoc dicebat esse viuos lectitare libros, docentes multa, quæ in mortuis libris nequaquam reperias.] Postremò etiam illud hic aduertat Concionator, ne omnibus facile præbeat aures, neque omnes consulat, sed aliquos viros graues secretò. Neque enim est vtile si id diuulgetur, propterea neque in concione se quippiam ab alijs accepisse significabit. Apponat huic doctrinæ sigillum Augustinus, qui docet pro personarum diuersitate variandam, & temperandam esse orationem, vbi etiam addit modum orationis huius variæ à charitate dictari. Ipsa, inquit, charitas alios parturit, cum alijs infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, ad alios se erigit, alijs blanda, alijs seuera, nulli inimica, omnibus mater.]

Lib. de catech. rud. c. 15.

Pro his, qui in Pagis Conciones habent. Cap. XIII.

VLtimum præceptum, quod proxima obseruatione iam dicebamus latè admodum patet, idcircò explicandum distinctius erit per partes. Sunt enim quædam Auditorum genera adeò inter sese diuersa, vt peculiarem quandam in Oratore prudentiam, & industriam requirant. Quid enim tam diuersum, quàm concionari, vel in rusticorum pagis, vel in Principum aulis. Separatim igitur de vtroque hoc genere an-

Digitized by Google

re antequam ad alia hominum genera progrediamur, dicendum est aliquid, vt nostri Oratoris vbique labor cum fructu sit.

Qui Apostolicum euangelizandi munus exercet, si offeratur occasio, vt ad Vrbes non magni nominis, vel etiam in pagos rusticorum mittatur, diuinam sementem facturus, dedignari nequaquam debet huiusmodi hominum salutem, & animarum conuersionem, pro quibus Dei filius animam suam posuit. Imò vt alibi docuimus, oblatam à Deo sibi occasionem summa promptitudine voluntatis complecti, quamuis enim talia loca minus plausus habeant, tamen in his sæpe plus vtilitatis cum minori difficultate, ac labore colligitur, quam ab his qui in aulis Principum conciones habent. Adde quod maior est apud simplicem plebem, & humilitatis, & omnium virtutum occasio, in aulis verò ingens periculum, ne mores aulici addiscantur. Ac de pagis hæc dixerim. Primo multum refert, vt tempus quo fit missio ad pagos, & huiusmodi loca sit oportunum, & commodum incolis, nam tempore messium colligendarum, aut vindemiæ, aut alijs temporibus, quibus occupantur suis operibus vix vacuas aures præbebunt admonitionibus. Nec sine causa Spiritus sanctus illam prudentiæ regulam docuit, Scribe verbum in tempore vacuitatis; eodem modo debent seligi horæ magis accommodatæ, in quibus facilius, & cum minori damno negotiorum domesticorum possint ad templum conuocari, diebus verò festis non solum mane, sed etiam à prandio iterum inuitari possunt, vt conueniant quo tempore aliquid tradi poterit, quod ad instructionem practicam vitæ Christianæ, vel ad catechesim pertineat, præcepta Decalogi, aut vitia capitalia, vel aliquid simile declarando. Secundo curet qui mittitur, vt habeat literas (vt vocant) commendatitias Episcopi, sub cuius cura locus est, vel Vicarij generalis, quæ tanto vtiliores erunt, quanto benigniores. Proderit valdè, vt experientia compertum est aliquod deferre Indulgentiarum diploma, quæ communicentur ijs, qui ad sermones, ad doctrinam Christianam, ad confessiones accedent. Tertio, illud item curet, vt in Pago gratiam Archipresbyteri, & Sacerdotum qui ibi commorantur, & aliquorum sæcularium, qui sunt eo loco primarij sibi conciliet; horum enim opera, & amicitia plurimũ iuuare succesſum potest, & plurimum si absit impedire. Quarto, vtile erit si possit habere Templum domicilio suo vicinum,

Regulæ seruandæ in Pagis.

Tempus opportunum. *Eccl.* 38.

Literæ.

Benevolentia.

cinum,nam & commodius qui neceſſitatis ſpiritualis gratia, eius opera vti volent,& cum maiori libertate accedēt, quam ſi cum alijs oppidi Sacerdotibus, & Parocho degat. Quinto, quod generatim ſupra docuimus ,& hic locum habet, vt cognoſcat prudens Chriſti præco ex illis peritis, ac fide dignis quænam ſpiritualia emolumenta poſſint eo loco percipi, tum in catecheſi inſtituenda, tum in inducenda Sacramentorum frequentia; an ſint aliquæ inimicitiæ, & qua via pax cōciliari poſſit; an & quæ vitia ibidem vigeant, quæ adhiberi poſſint remedia. Sexto, inſtituat vſum Doctrinæ Chriſtianæ edocendæ, ſi ibi non ſit, vel conetur erigere iacentem,ac promouere viam, & rationem docendi, qua vtiliter exerceatur, atque vt inſtitutio ſit firma; vtile eſt curare(quod paſſim in Italia videmus) vt Oratorium aliquod, aut Congregatio huic ſancto operi patrocinetur ac præſit, & ipſemet interim conuocet in aliquod templum, pueros doceat, exerceatque, vt exemplo ſuo alios ad idem opus vtiliter obeundum incitet ſimul, & erudiat. Septimo, ſi pium aliquod ſodalitium ibi ſit aliquo modo collapſum, facilius fortaſſe erit, ac fructuoſius inſtaurare, quam nouarum Sodalitatum fundamenta iacere præſertim ſi addatur lex aliqua ad maiorem fructum ſpiritualem, vt eſſet ſtatis temporibus Sacramentorum vſus & Noſocomia inuiſendi, componendi paces, vel quid ſimile, maximè ei regioni neceſſarium. Octauo,vtile eſt conciliato ſibi ante Magiſtro,adire interdum ſi ibi ſit,literarium ludum, & habere conciunculas aliquas ad ipſos diſcipulos,explicando quæ eos ſcire oporteat circa Dei cultum ac veneratione, circa parentum obedientiam, circa conuerſationem , modeſtiam, & Chriſtianam indolem. Nono, non videtur vtilis valde illa miſſio, quæ poſt duos, vel tres dies abſoluitur,præſertim ſi locus habeat multitudinem hominum , eſt enim talis viſitatio ſimilis repentino imbri, qui ſolam terræ ſuperficiem leuiter aſpergit, neque eam fœcundat vt germinet. Pro ratione igitur multitudinis & ſpiritualium negotiorum diutius eſt immorandum. Quòd ſi è diuerſis Pagis mittantur, qui noſtrum laborem exigant, præſtat apud eos diuertere, à quibus ſpiritualis prouentus vberior expectatur , quàm omnes curſim peruagare, ne curioſitati potius, quam animabus ſtudere videamur. Decimo,materiæ quas magis tractare oportet in his locis, & ad quas antequam adiret, comparare ſe debuit, ſunt eæ quæ ad renouationem ſpiritus, & ad vitia ex tir-

Notitia loci.

Doctrina Chriſtiana.

Opera pia.

Scholæ.

Quantū immorandum.

De quibus materijs agē dū in pagis.

Digitized by Google

extirpanda pertinent. Agat de ijs præceptis Decalogi, quæ pro notitia, quam percipere potuit magis necessaria incolis iudicabit, ac ferè omnia vbique videntur inculcanda. Item de præceptis Ecclesiæ, de Sacramento Confessionis, explicando quæ confessiones sint validæ, vel inualidæ, atque integrandæ, & inuitando ad eas; si qui abusus ibi sint in Matrimonio contrahendo moneat. Agat de oratione frequentanda, doceatq; modũ aliquem orãdi facilem, mane ac vespere, & diebus festis, & modum recitandi Rosarium, doceat examen conscientiæ, deuotionem Beatissimæ Virginis, Angeli Custodis & Sanctorum. Seriò agendum de castitate, atque honestate, de amore mutuo, de dilectione inimicorum, de remittendis iniurijs, quærendo remedia ad id præstandum, accomodata genti, castiget vitia incolis frequentia. Solent autem ruſticanis hominibus hæc esse frequentiora blasphemiæ, furta, superstitiones, diei festi violatio, Missæ, vel nulla, vel mala auditio, maledicta, imprecationes, mendacia, periuria, querelæ de Deo ob suam inopiam, choreæ, colloquia vana, & irreuerentiæ in templis. Solent in alienos agros immittere animalia, & damna inferre, vendere pluris æquo res, decipere si quem possint, optare aliena, opera non facere fideliter, & agros dominorum non perinde, ac debent exercere. Materia de nouissimis est his locis accomodata, præsertim de morte, & vniuersim loquendo, quæ pertinent ad viam purgatiuam. In his autem rebus tractandis ac docendis, accomodet sermones captui, & vtilitati auditorum; adhibeat similitudines, discat à Christo, qui adeò frequentes miscebat parabolas, & ex rebus obuijs petitas vinearum, agrorum, seminis, torcularis, zizaniæ, gallinæ, fermenti, niuis, glaciei, arborum, &c. Afferat exempla tum vera, tum apta, hæc enim plurimum pro his locis valent, non misceat ficta miracula, erubescat omnino ea dicere, quæ audientes non capiunt. Vndecimo denique curare debent Concionatores his maximè locis, vt plus exemplo, quam verbis se se Doctores præbeant, vt populi simplices, ac rudes, magis videndo, quàm audiendo instruantur, dum vident eos in laborum tolerantia bene patientes, in amore, & charitate erga omnes, benignos, victu moderato contentos, & parco; non quærere quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, & commoda spiritualia eorum, optare, non sua lucra. Hæc autem tota instructio ad eos potissimum dirigitur Religiosos, & Sacerdotes, qui ex obedien-

Vitia rusticanorum.

Modus concionandi in Pagis.

Exemplum vitæ ac morum.

tia mittuntur ad animas lucrandas, vel ex charitate sincera, id sibi operis depoſcunt; nam experientia conſtat nouos aliquos Concionatores, hæc loca ambire non hoc conſilio, ſed lucri alicuius temporalis gratia, qui quidem optandum eſſet, vt quo magis inopia vrgentur rectè intentionem diſponerent, & Chriſto freti, qui dixit: Quærite primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis, toti in ſpirituale populorum adiumentum incumberent, verumtamen paſſim in eo peccatur; ſæpè audiuimus multa oppida horum affectatis concionibus, & malis exemplis non ſolum adiuuari; ſed grauiter offendi. Epiſcoporum eſſet occurrere, ne niſi viris probatæ vitæ, idoneæq; doctrinæ, ac maturi iudicij, huiuſmodi functiones imponerentur, ſed iam abeamus ex vagis in aulas.

Matt. 6.

Pro his qui in Principum aulis concionantur. *Cap. XIV.*

PRimum omnium qui in aulis Principum hoc munus exercet, ſanctæ ſolitudinis quantum poterit, memor ſit, nunquam ſpectetur in aula & Palatio, numquam cum Principe, niſi quando accerſitur, vel negocium graue vrget, quod ad Principis ſalutem, aut aliter ad diuinam gloriam ſpectet. Neque cum aulicis multum temporis ponat, tum quia familiaritas contemptum parit, tum ne temporis adeò prætioſi iacturam faciat, vt cuſtodiæ ſui, rebuſq; diuinis, ac ſtudijs vacet; dum autem cum ijs agit, oſtendat ſe tamquam patrē, & ſpiritualium rerum magiſtrum, pia colloquia ſerat, ad Confeſſiones adhortetur, & aliæ Chriſtianæ vitæ exercitia, data occaſione, explicet; talis ſit vt qui ad eum venerint magis ob fructum aliquem animæ ſuæ, quàm ob alias cauſas accedant. Secundo, in concionibus vitet plurimum, nec notet, aut deſcribat vitia Principis; exulceraret enim id Principem, vilemq; eius auctoritatem, & odioſum ipſum, popularibus redderet, eſſet autem ex re, captata ſagaciter occaſione ex Scripturis ſacris vel prophanis explicare aliqua loca, in quibus virtutes commendantur contrariæ vitijs, quibus ille ſubeſt; hoc enim cum minori ſcandalo auditur, & ſine rubore ab eo, qui tali commonitione indiget. Exempla etiam Principum qui benè ſe geſſerunt, vel inter Chriſtianos, vel inter Ethnicos honeſtius afferuntur. In quibus etiam cautè agendum,

Nimia conſuetudo cū aulicis fugiēda.

Prudentia in reprehenſione.

Digitized by Google

dum, ne aduertant aulici hæc dissimulanter ad Principem arguendum dici, sed de prudentia in reprehensionibus generatim tenenda inferius agam, quæ etiam huic loco deseruire possunt. Tertio, curet vt ita concionetur, vt & Princeps, & Optimates omnes intelligant Concionatorem loqui cum magno pondere, & ostendat verbis reuerentiam, & amorem, quem erga Principem habet, & quem omnes habere debent, & curet tum in concione, tum extra in familiaribus colloquijs, vt gratiam Principis conseruet, ita tamen ne more aulicorum, & politicorum agat, verbis quæ adulationē sapiant, sed cum grauitate Religiosa, & submissione, simul etiam ad maiorem Dei laudem conetur habere, & conseruare apud Principem, viri pij & docti opinionem, & cui primum Dei gloria, deinde Principis ipsius bonum maximè cordi sit. Quarto, in concione tanto magis fugiat omnem suspicionem adulationis, nec veritatem, vbi opus est, taceat seruando eam, quam dixi modestiam, magis amet nomen seueri, quam blandi, ne sit de eorum numero, qui cum suis Principibus nihil sincerè, verèq; agunt, sed eorum Euangelij præconum, qui ex zelo gloriæ Dei veritatem loquuntur. Denique duo hic extrema vitanda, sunt, Adulatio, & inconsulta libertas, seu licentia, aliqui enim quia legerunt in sacris literis Prophetarum voces & exempla; Ioannis quoque Baptistæ constantiam, hinc existimant, esse ipsis quoque libertate vocis vtendum, nec concionatorem, nec verbum Dei alligari oportere, sed considerandæ sunt multa; quæ magis prudentiam exigunt, & iudicium, quæ non facilè possunt præscribi. Alij verò, siue decepti specie modestiæ, siue corrupti ambitionis, & captandi fauoris ignauia toti sunt in eo, vt aures Principum blandè titillent. Quare Deo se hac in parte commendet, vt à Spiritus sancti vnctione doceatur, & neque ad vnam, neque ad aliam partem declinet, & grauium virorum consilium audiat libenter, debet tamen Concionator coram Principe causam populi, tanquam Patronus pupilli agere, modo id nulla cum significatione arrogantiæ faciat, quasi velit potestati Reipublicæ administrandæ, leges præscribere, sed cum magna consideratione, modestia, submissione, atque etiam vrbanitate. Postremò illud admoneo, quoniam res est difficilis in aula, & cum aulicis ita viuere, vt nihil detrimenti religionis simplicitas, & interioris hominis deuotio ac Spiritus patiatur (quod vtinam experimento multorum non constaret, qui ex

Amor in Principem.

Sinceritas in dicendo.

Duo extrema vitanda.

multo aulæ conuictu eius mores & ſpiritum politicum, vt vocant, ſeu aulicum hauſerunt) curet quantum poteſt, vt Deo, & ſibi vacet, ſuis horis, vt quantum ex vna parte periculi, & diſtractionum ſpiritus patitur, tantum ex altera ſpiritualium præſidiorum vigore reſarciatur.

Diuerſorum ſtatuum etatum, & conditionum homines, quomodo inſtituendi. Cap. XV.

2. *Cor.* 1. CVm multa ſint in Eccleſia Dei hominum genera, & varij diuerſarum facierum (vt Paulus loquitur) ſtatus & conditiones, videtur in hac parte, ea eſſe debere Concionatoris prudens induſtria, vt ſi velit, fructum ex ſingulis ſtatibus decerpere ſingulorum etiam mores animaduertat, vitia corrigat, malis oportuna adhibeat remedia, in ſuo quemque munere ſtrenuè obeundo adhortetur. Ita fiet, vt ſicuti corpus totum tunc benè habet, cum ſingula eius membra benè affecta officio ſuo ritè funguntur, ita feliciter agatur cum Ciuitate, cumq; Eccleſia Dei, ſi pro ratione ſui ſtatus quiſque dignè ambulet vocatione qua vocatus eſt. Ob hanc cauſam idem D. Paulus in ſuis epiſtolis diuerſos ſtatus inſtruit Patres, filios, dominos, famulos, rectores ac ſuperiores, & ſubditos, & id genus alios, & vt hoc ipſum faciant monet Timotheum, & Titum. Propterea & ego hoc loco non eſſe ab inſtitutione hac alienum arbitror, quin imò maximè conueniens, & oportunum ſi aliqua circa præcipuos hominum ſtatus adnotauerim; in quibus vel corrigendis, vel promouendis Euangelici Oratoris appareat induſtria. Sed aliqua prius generatim adnotabo. Illud primo loco, in Eccleſia Dei eſſe duo genera ſtatuum. Primum politicum, & humanum; alterum diuinum; cum enim Eccleſia duplici vita conſtet, ac viuat, vtrumque requirit genus. Ad primum pertinent coniugati Patres familias, Rectores Vrbium, ac Regnorum, exercentes diuerſa munia in Ciuitatibus, Mercatores, Aduocati, Milites, artifices, & alij huius generis multi. Ad ſecundum verò ſpectant omnes qui ſe abdicant vxoris contubernio, atq; dominio rerum temporalium, & ſe ipſos alligant quibuſdam præſidijs, quæ multum prouocant homines ad perfectionem virtutum Chriſtianarum, quæ tantum ſunt de conſilio non in præcepto. Item omnes hi qui ſpirituali animarum regimini præſunt, & functionibus

Admonendi ſunt ſinguli ſecundum ſuum ſtatum.

Duo genera ſtatuum in Eccleſia.

bus Ecclesiasticis dediti sunt in diuersis gradibus, ad quod caput refertur totus ordo Ecclesiasticus ab infimo Clericorum gradu vsque ad Summum Pontificem. His positis generatim, monendus est concionator, vt interdum modum, ac disciplinam eligendi statum vitæ doceat, in quo sit magna prudentia cuique adhibenda. Cum enim ad bonam electionem status duo requirantur Dei scilicet vocatio, & nostra cooperatio, ac consensus, qui Deo vocanti respondeat. Ratione primi, oportebit multis precibus à Deo gratiam vocationis impetrare, vt Deus intellectum instruat ad eum statum eligendum, qui sit diuinæ voluntati, & gloriæ conformis, hoc enim fundamentum oportet in eligendo statu vitæ statuere, vt orem cum Psalmista, Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Et meritò Deum inuocare in hoc maximo negotio debet quisque, quia Dei est proprium, & suis creaturis prouidere, & futuros rerum euentus præuidere, cum nos homines, & ignorantia, præsertim futurorum laboremus in intellectu, & prauis affectibus in malum sæpè propensi simus in voluntate, vt ea sæpè eligamus, quæ in malum nostrum cessura sint. Modus eligendi statũ. *Psal.* 142.

Ratione secundi doceat Ecclesiasticus Doctor multa opus esse diligentia ad inquirendum eum statum viuendi, qui in futurum sit commodior ad Dei gloriam animæq; salutem, tanta enim hìc necessaria cura est, quanta in negotio totius vitæ grauissimo, ne contingat postea dicere non putaram. Igitur primum vtile erit à peccatis cor expiare, & per confessionem mundare, vt sit tanquam speculum bene tersum, quod ante Deum expositum, facile Dei recipiat influxus, & voluntatem agnoscat. Consule D. Gregorium de istis copiosè differentem. *Hom.* 21. *in Euang.*

Secundo consilium etiam adhibendum est virorum prudentum, qui discretione spirituum polleant, ita enim Deus per huiusmodi viros, suam solet manifestare voluntatem. Legat etiam historias Sanctorum qualis esset historia, quam copiosè de sua electione scribit Augustinus in libro Confessionum. Tertio assidua, & matura consideratio in hac deliberatione videtur necessariò adhibenda, & iuuabit aliquando, vt huic rei melius, & cum maiore quiete vacet, per aliquot dies in locum à tumultibus, & aliorum colloquijs liberum secedere, vt Deo se, & negotijs expeditiorem præsentet. *A lib. 7. ad* 10.

Quartò, noster Beatus Pater Ignatius ponit quatuor regu-

Digitized by Google

Quatuor regulæ super electione status.

las pro bona electione facienda: Prima, vt in ea curet solius Dei intuitu, & eius gloriæ fine moueri. Secunda, cogitet si esset illi aliquis carus amicus, quod ei consilium daret. Tertia, in articulo mortis quid ei magis feciſſe arridebit. Quarta, quid feciſſe vellet, cum ante Tribunal Dei ſiſtendus eſt. Hæc de eligendo ſtatu; iam de electo tractemus.

De Prælatis, & Perſonis Eccleſiaſticis. Cap. XVI.

Epiſcopi nomen quidnã eum admonet.

DEſcendendo ad ſingulos ſtatus, aduertat publicus animarum inſtructor, quomodo ſingulos hortari, & admonere debeat. Primum locum habeat ſtatus Eccleſiaſticus, in quo Principes ſunt Paſtores, ac Prælati præſertim Epiſcopi, quæ vox ſignificat inſpectorem, vſitata etiam apud prophanos auctores, ſuiq; officij rectè Prælatos commonet. Suidas refert Epiſcopos vocare ſolitos Athenienſes, quos mittebant ad cognoſcendum, corrigendumq; ſtatum Vrbium ſuarum, quod optimè item quadrat noſtris Epiſcopis, à Deo ad hoc ipſum deſtinatis. Plutarchus in vita Numæ, cuſtodem ſacrarum Virginum, Epiſcopum vocat, & Deum Terminum, quem gentes colebant ad terminos agrorum diſtinguendos, item vocat Epiſcopum, & cuſtodem pacis, & amicitiæ, & hoc quoque optimè conſonat dignitati. Ea quæ ad Epiſcoporum, & in vniuerſum ad Prælatorum munia pertinent, debet Concionator tenere, vt data occaſione proferat, magno tamen iudicio; non enim debet Prælatorum defectus corrigere publicè, nec ſe gerere tamquam magiſtrum, ac Doctorem eorũ; tamen cum ſanctitas eorum, ac zelus maximi ad Eccleſiæ bonum momenti ſit; poteſt ac debet ex ſcripturis, & ſanctis Patribus aliqua depromere, quæ ad hoc faciant, non tàm vt arguere quempiam è præſentibus videatur, quàm locum Scripturæ, vel hiſtoriam explicare. Qui volet multa in hanc materiam vtilia legere, percurrat libros quatuor Paſtoralis Gregorij: Mihi ſat erit primam ſententiam referre, quam habet in Prologo, & ſummam quatuor librorum continet. Penſandum valdè eſt (inquit) cum rerum neceſſitas expoſcit, ad culmen quiſque regiminis qualiter veniat, & ad hoc ritè perueniens, qualiter viuat, & benè viuens qualiter doceat, & rectè docens infirmitatem ſuam quotidie quanta valet conſideratione agnoſcat, ne aut humilitas acceſſum fugiat, aut peruentioni vita contradicat, aut vitam doctri-

Prol. in Paſt. lib.

Quatuor in Prælatis conſideranda ex D. Greg.

na de-

Digitized by Google

na destituat, aut doctrinam præsumptio extollat.] Et subdit: Prius ergo appetitum timor temperet, post autem magisterium, quod à non requirente suscipitur vita commendet, ac deinde necesse est, vt pastoris bonum quod ostenditur viuendo, etiam loquendo propagetur; ad extremum supereſt, vt perfecta quæq; opera, consideratio propriæ infirmitatis deprimat.] Hæc autem sunt quatuor, quæ prudentissimus ac diligentissimus pastor D. Gregorius quatuor libris, quadripartita disputatione examinat. Ex quibus verbis colliget Concionator, monendos esse homines, ne has dignitates ambitiosè affectent, & vt qui iam ad eas assumpti sunt id curent, vt vita dignitati consonet, vt bonum exemplum cum prædicatione coniungatur, & doctrina, ac dignitas humilitate ornetur. Munus prælatorum benè describitur sub allegoria in libris Regum, in basibus columnarum, in quibus insculpti erant Cherubim, Leones, & Boues. Debent enim Prælati veluti bases, populos & Christianam plebem sustentare; ita vt in se repræsentent Cherubin ob sanctitatem, & scientiam; Leones zelo; Boues laboribus obeundis, quæ figura congruit cum visione Ezechielis quatuor animalium cum quatuor figuris, quæ planè viros Apostolicos significant. In Exodo voluit Deus, vt Summus Sacerdos ferret nomina Tribuum Israel, tum in pectore in duodecim gemmis, tum super humeros in duobus Onichinis, quia bonus Prælatus debet cum Christo posse dicere, Ego cognosco oues meas, & nominatim eas voco, & ferre eorum onera per tolerantiam & patientiam. Concionator ante omnia studeat sibi Episcopi gratiam conseruare; hæc enim fermè fundamentum est omnis spiritualis fructus, quem possit ex laboribus suis referre. Magna ex parte hìc locum habet quod supra docuimus in aulis Principum seruandum. Doceat præterea populum quantum debeat omnibus Prælatis honoris ac reuerentiæ, ac nominatim suis, & quantum vicissim Prælati populis, vt illud Pauli seruetur: Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. De Clericis in communi vtile est aliquando sermonem habere, ostendendo primò dignitatem quam habent in Ecclesia, præsertim Sacerdotes, quos Deus Angelos suos in Scripturis appellat, quos summo honore vult coli tanquam suos ministros in altissimo gradu collocatos, quibus sui corporis commisit consecrationem, & administratio-

3. *Reg.* 7.

Figura Prælatis accommodata.

Exod. 28.

Ioan. 10.

Hebr. 13.

Clericorum status quomodo admonendus.

Digitized by Google

nem, quibus claues Regni cælorum dedit, quos Patres animarum, ac magistros instituit. Secundo, quantum referat ad bonum totius Ecclesiæ sanctitas Clericorum, & exemplum; qua de re pleraque reperiet sub titulo Iuris Canonici, de vita & honest. Clericorum. Ex quo loco intelliget, & admonere poterit quam debeant esse modesti in victu & vestitu, quam alieni à negotijs sæcularibus, quam cultui diuino dediti, quē debent eleganter curare; quanto zelo Dei gloriam, & salutem animarum cōseruare, quàm dediti studio literarum præsertim sacrarum, & Canonum Ecclesiæ, cum dicat Deus, Quia tu scientiam repulisti, repellam, & ego te ne sacerdotio fungaris mihi. Proponat Sacerdotibus illud: Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius; quia Angelus Domini exercituum est. Aliquando admoneat de temperantia in cibis, & potu; vt non ament esse in conuiuijs, quod prohibetur Concilijs Ecclesiasticis; ne sint in ludis alearum, in comœdijs, in choreis. Explicet rationes quibus intelligant se ad maiorem sanctitatem obstringi, quam alios, tum ratione status, quia sunt lucernæ super candelabrū, nec posset quicquam euenire peius, quàm si verè illud dici queat, sicut populus, ita & Sacerdos; tum quia laici eos maximè obseruant, & scandalum eorum plus nocet, quam aliorum. Significet Clericis verum esse illud Chrysost. Cum video populum indisciplinatum, aduerto defectum esse in radice; idem vocat statum Clericorum stomachum, qui si male habet, omnia membra languent. Hortetur eos maximè ad castitatem Angelicā, vt dignè assistant altari, & vt fugiant cohabitationem mulierum. Nam vt testatur Cyprian. Vt quid sibi adhibuit mulierem, qui ducere contempsit vxorem? omnis inconueniens fodalitas mulierū, gluten est delictorum, & viscum tóxicatum, quo Diabolus aucupatur.] Et contra Clericum concubinarium sunt grauissimæ pœnæ. Legatur Hieronym. in epist. 2. ad Nepotianum, & 13. ad Paulinum.

Osee 4. *Malac.* 2. *Isai.* 24. & *Osee.* 4. *Homil.* 44. *in* 23. *Math.* *Lib. de singul. Cler.* *Dist.* 32. c. *Nullus.*

In his autem rebus tractandis, magna opus est prudentia, ne apud populum vilescat gradus Ecclesiasticus, ne turba occasionem sumat huic statui detrahendi, quod esset magnū detrimentum, ne Clerici contra Concionatorem indignentur, & admonitio nihil proficiat. De prudentia in loquendo, alibi locuti sumus. Ego certè ad præsentes non conuerterem meum sermonem, sed ex Canonibus, ex Scripturis, ex sanctis Patribus, ex rationibus generatim ostenderē, quales mores hic sta-

Qua prudentia arguendi viri Ecclesiastici.

tus

tus requirat, quam sanctitatem hæc dignitas expoſcat. Hortetur item ad celebrandum frequenter, & deuotè ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium. Qui habent curam animarum moneantur teneri eos ad reſidentiam, vt patet ex Scripturis: Vigilate in cuſtodia Sanctuarij. Agnoſce vultum pecoris tui. Bonus paſtor animam ſuam dat, & ante eas vadit, vocat nominatim. Ex Patribus idem docent multi, Hieron. Auguſt. Ambroſ. Rationes etiam colliguntur ex Conc. Trid. Qui Confeſſiones audiunt habeant tria; zelum animarum, ſcientiam & ſpiritum bonum, vt poſſint per primum deuorare peccata populi; per ſecundum diſtinguere inter mundum, & immundum; dirigere animas per tertium. Moneantur eius quod habet Conc. Triden. ne ſi peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant ad manum parata remedia ad vulnera animarum curanda, vt periti medici, & ſtudeant item non ſolum in via purgatiua pœnitentes iuuare, ſed in perfectione promouere, & ſpirituales reddere. Quarto ad Religioſos, & Moniales cum ſermo eſt habendus, laudabit ſtatum religioſum, qua de re copioſè, & doctè P. Hieronymus Platus in ſuo libro de bono ſtatus Religioſi, oſtendat quanta debeat eſſe differentia inter eos & ſeculares. Hortabitur eos ad trium votorum perfectam cuſtodiam; ad vitam communem ſine proprietate, ac ſingularitate, ad ſuarum Regularum, & Conſtitutionum obſeruantiam, ad mutuam charitatem, humilitatem, ad frequentiam orationis, tàm quæ voce, quàm quæ mente fit, & familiarem conſuetudinem cum Deo, ad vitæ puritatem alienam à peccatis venialibus, quantum fieri poteſt, cum hic ſit ſcopus proximus Religioſi, ex Caſſiano, ad diſciplinæ cuſtodiam in ſilentio, in modo loquendi, in modeſtia totius hominis exterioris, in cura omnium ſenſuum in menſa, in ſomno, in choro, in cella; ad perfectam obedientiam voluntatis, iudicij, atque operis. Ad vſum librorum, & colloquiorum ſpiritualium; denique ad exercitia Marthæ, & Magdalenæ, id eſt vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

Curati animarum. *Exod.* 1. *Prou.* 27. *Ioan.* 10. *Epiſt. ad Ocean.* 3. *Epiſt.* 58. *Lib. de dignit. Sacerdotali.* *Seſſ.* 23. Confeſſarij. *Seſſ.* 13. & 14.

In collat. Abb. Moyſis. c. 6.

De Principibus & Magiſtratibus ſæcularibus. Cap. XVII.

VEniamus ad ſtatum ſæcularem, & Primo loco intelliget quomodo ſint monendi Principes, quibus populi ſubiecti ſunt,

sunt, debent enim Religionis, ac Ecclesiæ causas præ omnibus rebus habere, vti fecerunt Constantinus & Carolus, quorum vterque magni nomen adeptus est. Populum sibi subditum tãquã filios diligere, nec premere, ne dicatur illud: Leo rugiens, & vrsus esuriens. Princeps impius super populum pauperem; non dissimulare delicta, ne dicatur ei: Erit anima tua pro anima eius, quia dimisisti virum dignum morte. Cyprian. horum iustitiam vult esse neminem per potẽtiam opprimere, sine acceptione personarum iudicare; aduenis, viduis, ac pupillis se defensorem prębere, cohibere insolentes, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos histriones non nutrire, impios de terra perdere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, viros iustos super negotia Regni constituere, sapientes, & sobrios Consiliarios habere, iracundiam differre, patriam fortiter, & iustè defendere, prosperitatibus nõ eleuari, aduersa tolerare, in Domino cõfidere, filios suos non finere impiè agere.] Rectores ac Magistratus, seu Iudices Ciuitatis, vbi sese offert occasio, doceat bonum ciuitatum, ac populorum magna ex parte pendere ex bono Magistratu, qui est lex animata, & viua, sicuti bonum corporis ex capite, quam ob causam Plato dicebat tum beatas fore Respublicas, quãdo à sapientibus regerentur, & contra ex eodem fonte manare perniciem, sicuti periculum nauis ex imperito nauclero, & negligente. Qualis rector Ciuitatis, tales inhabitantes in ea. Et omne caput languidum, & omne cor mœrens, hi sunt qui regendi officio malè fũguntur; vnde sequitur, A planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas. Et, Væ terræ cuius Rex puer est, & Principes mane comedunt. Expliceat aliquando partes eorum qui regunt ciuitatem, quæ sunt, vt sint valde amici religionis, & diuini cultus, sicuti ipsi quoq; Romani Ethnici olim causam Religionis omnibus negocijs præferebant, vt sint sapientes & prudentes; ob id dicitur, Beata terra, cuius Rex sapiens est, vt sint iusti, quia sapientia sine iustitia, calliditas est. Diligite iustitiam, qui iudicatis orbem, vt sint fortes ad superandas difficultates. Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute multa irrumpere iniquitates. Ad subeundos labores magnanimi, vt possint dici, Currus Israel, & auriga eius. Moysi dictum est: Prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis Tribunos & Centuriones, &c. qui iudicent populum omni tempore. Doceat iustitiam Dei esse

Prou. 28.

3. *Reg.* 20.

Iustitia Principũ & mores.

Lib. de 12. *abusiũ. c.* 9.

Magistratꝰ.

Eccles. 10.

Isai. 1.

Eccles. 10.

Mores Rectorum.

Eccles. 10.

Sap. 1.

Eccl. 7.

Exod. 18.

seue-

Digitized by Google

seueram contra malos Rectores, sicuti in Numeris suspensi dicuntur Dei mandato Principes Tribuum, qui non præuenerunt peccata illius populi, & tales sunt, de quibus ait Isaias: Principes vestri infideles, socij furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos, Et populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis, quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? &c. Et, væ qui condunt leges iniquas, & scribentes, iniustitiam scripserunt. Denique ostendat quomodo oporteat eos peccata populi præuenire, abusus, & malas consuetudines non tolerare, calamitatibus subuenire, non grauare populares; commune bonum quærere, non propriam vtilitatem, ita tamen omnia hæc aptè, modestè, cautè, sicut sæpius dictum est, agat vt nemini causam offensionis, aut querimoniæ offerat. *Num.* 25. *Isai.* 3. *Isai.* 3. *Isai.* 10.

De Nobilibus, ac Diuitibus. Cap. XVIII.

TErtiò obseruet, ac sciat conditiones Magnatum, Nobilium, & diuitum, quorum vitia corrigat, & virtutes promoueat. Mali nobiles, ac diuites laborant his vitijs, quæ debet prudens Concionator incessere, scilicet superbia, & ambitione. Paulus: Præcipe(inquit) diuitibus huius sæculi non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarū suarum; sed in Deo viuo, & vero. Contemptu inferiorum, qui sibi pares non sunt in nobilitate. Eleuatum est cor tuum in decore tuo, facile despiciunt non solum eos, qui nullos habent honores; sed etiam eos, qui habent si sint noui in aliqua dignitate: vanitate in vestitu, ludis, venationibus, conuiuijs. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Violentia, Sit fortitudo nostra lex iniustitiæ. Non opprimes proximum tuum, quia enim opibus abundant, quæ omnibus rebus æquiparantur, ob id insolentes euadunt & contumelioſi. Prodigalitate, vnde pereunt sæpè familiæ, quia plura expendunt, quam suppetant contra illud Psalm. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Aliqui eorum, vitam per segne otium transigunt. Aliqui plus nimio delicijs indulgent, vt diues epulo, qui epulabatur quotidie splendidè, & induebatur purpura, & byssо. Aliqui contentioſi, & fouentes factiones. Alij per potentiam (vt ait Iacobus) Vitia malorum nobiliū ac diuitum. 1. *Tim.* 6. *Exod.* 28. *Isai.* 5. *Sap.* 2. *Leuit.* 19. *Psal.* 130.

Iacob.2. cobus) opprimunt, & ad iudicia trahunt inferiores. Aliqui vix de animæ suæ salute, & vita spirituali cogitant, quibus sæpè mors repentina superuenit, ac dicitur eis illud: *Luc.12.* Stulte hac nocte repetent animam tuam, &, Recordare quia *Luc.16.* recepisti bona in vita tua. Cum tamen contra veri nobiles, & diuites debeant studere veræ nobilitati, atque ijs opibus, quæ in animo magis, ac virtutibus, quam in sanguine, ac rebus externis sitæ sunt. Horum opera ac fructus sunt Christiana submissio, & humilitas, secundum illud: Quanto maior es, humilia te in omnibus. Castitas, quia vera animi nobilitas horrescit fœdis vitijs vitam commaculare. Benignitas ad largiendum digna animo nobili, cui sordes, & illiberalitas aduersantur. Et sanè diuites tenentur pro ratione status sui in graui necessitate eleemosynas dare, & debent existimare respectu Dei se non esse Dominos, sed dispensatores *Luc.16.* bonorum quæ possident, vt Christus significat in parabola villici. Doceat Concionator Nobiles, ac diuites debere esse erga Deum fideles, ac religiosos, sicut miles nobilis, & honoratus debet fidem suo Regi obseruare; erga homines, benignos, ac liberales; erga se modestos, & castos.

Boni nobiles quirá sint.

De parentibus, ac filijs, Dominis, ac famulis.
Cap. XIX.

PArentes hortetur ad bonam educationem filiorum in disciplina Christiana, de qua educatione potes videre Bernar. de ordine, & vita morum. Chrysostom. in homil de Anna matre Samuelis, & in Homil. de obseruantia parentibus debita, in illa Pauli verba: Vir, & mulier saluantur per *1. Tim.2.* generationem filiorum. Hieronym. epist. ad Gaudentium, & ad Bætam. Ex prophanis Plutarchus in opusc. de educatione liberorum. Plato. in libro de Republica, nihil magis inculcant quam hoc. Catechismus Romanus de hoc agit in quarto præcepto. Olim etiam in Monasterijs Religiosorum iuniores educabantur; Proponat ex hac bona educatione, disciplinæ Christianæ custodiam, maxime conseruari, explicet in quo sita sit hæc parentum obligatio, videlicet vt filij erudiantur in cultu, & Religione Dei, in deuotione Beatæ Virginis, & Sanctorum. Discant doctrinam Christianam, præcepta Dei, & Ecclesiæ, & assuescant ea, quantum per ætatem licet seruare; adeant loca sacra, & assue-

Bona liberorũ educatio.

Digitized by Google

assuescant Christianæ pietatis officijs à prima ætate. Habeant bonos pedagogos, ac præceptores, dent operam literis. Tobias filium suum ab infantia docebat. Arceantur ab omni cõ- *Tob. 1.*
suetudine improborum, & occasione peccati, quia corrumpunt bonos mores prauorum colloquia. Vbi errauerint cor- *Prou. 13.*
rigantur, quia certum est illud, Qui parcit virgæ odit filium, *Ibid. 23.*
& illud stultitia alligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Intelligant parentes grauiter se peccare, nisi filios rectè instituant, & multos parentes à Deo punitos, & puniendos ob hanc negligentiam. De educatione filiarum Hieronymus scribit plura ad Lætam: Filia, inquit, tua, cantica *Ep. ad Læt.*
mundi ignoret, turpia non intelligat, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur; habeat in addiscendo socias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur; Modestam habeat non garrulam nutricem; Caue ne cerussa, & purpurissa ora Christo consecrata depingas, ne collum auro, & margaritis, ne caput gemmis ornes, ne capillum, & aliquid ei de gehennæ ignibus auspiceris.] Contra, filij docendi sunt secundum legem Naturæ, ac Dei scriptam, tria ipsos debere parentibus reddere, Pietatem, Obseruantiam, Obedientiam: Prima præbet parentibus subsidium in necessitate, siue spiritus, siue corporis; secunda reddit honorem, Qui non honorat Patrem, & Matrem, maledictus à Deo est. Qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur; Tertia iubet seruari omnia iuxta mandata parentum, secundum illud. Filij obedite parentibus per omnia, & secundum legem Deuteronom. Si genuerit homo filium contumacem, qui noluerit Patris & matris, &c.

Parentibus quid filij deberent.

Deut. 27.
Leuit. 20.
Colos. 3.
Deut. 21.

Domini tenentur curam habere famulorum, ac totius familiæ. Ita Paulus, Et vos Domini eadem facite illis (scilicet quæ vobis fieri velletis si serui essetis) scientes quia, & vester, & eorum Dominus in Cælis est. Et alibi; Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet est infidelis, & infideli deterior. Augustin. de salut. documentis sic monet, Omnibus tibi subiectis, & bonæ voluntatis in domo tua, à maiore vsque ad minimum, amorem, & dulcedinem Regni Cælestis, amaritudinem, & timorem Gehennæ annuncies, & de eorum salute sollicitus, & peruigil existas.] Debent domini amare famulos, præsertim si virtute polleant sicuti seruus Centurionis dicitur fuisse illi præciosus. Arguenda sunt peccata dominorum in regenda familia, cuiusmodi sunt si nutriant aliquos

Dominorũ cura circa familias.

Ephes. 6.
1. Tim. 5.
Aug. de salut. docum. c. 29.

quos in familia vitijs seruientes, qui malo exemplo vitæ alios domesticos corrumpant, si abutantur opera famulorum ad peccata, vel inimicitias fouedas, si sint similes ei, de quo Eccl.

Eccl. 4. Noli esse in domo tua quasi leo euertens domesticos, & opprimens tibi subiectos, si debitam mercedem, ac victum necessarium eis denegent, si plus æquo eos laboribus grauet, Quomodo autem rectè, ac Christiano modo se gerant, poterunt discere

Sur. tom. 5. ex vita S. Elzeari Comitis, qui optimas regendi familiã leges seruabat, has videlicet, vt omnes quotidie sacro interessent, vt

Leges pro famulis. caste viuerent, alioquin de familia excluderentur, vt qualibet hebdomada confiterentur peccata sua, & semel saltem in mense communicarent, vt haberent tempus orationis, vt suo tempore laborarent, vt abstinerent à iuramentis, & blasphemijs, & colloquijs turpibus, vt pacem inter se seruarent, vt abstinerent à ludis prohibitis.] Has easdem regulas ipsis famulis commo-

Ephes. 6. nator debet inculcare, monens eos cum Paulo; Serui obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculũ seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deũ, quodcunq; facitis ex animo operamini sicuti domino, & non hominibus, scientes quod à Domino recipietis hæreditatẽ retributionis. Moneat famulos, & famulas, vt sint fideles domi-

Gen. 30. nis suis, vt diligenter sibi commissa exequantur, vt Iacob seruiens Laban; non furentur, aut malè administrent bona dominorum; Inter se ita viuant, vt non se iniustè accusent, nõ detrahant, non inuideant, non se infectentur mutuò; Denique seruẽt quantum possunt regulas S. Elzeari, & conditiones quas Re-

Psal. 100. gius Dauid in sua optabat familia cum diceret; Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat, qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.

De Coniugibus, Viduis, ac Virginibus. Cap. XX.

QVinto sunt admonendi Coniuges, vt in suo statu benè se gerant Viduæ, ac Virgines. Circa Coniugium antequã homines contrahant, & obligent se matrimonio, admonendi sunt, vt serió commendent Deo electionẽ sui status, ne si præcipites ferantur, facti eos postea pœniteat, vt sæpè euenit, cum iam non datur facultas remedij, ob indissolubile matrimonij vinculum. Multas esse matrimonij molestias intelligãt, ne postea cogantur dicere non putaram, de quibus multi ex SS. Patribus

tribus ſcripſerunt. Qui verò ad eam vitam animum applicuerunt, monendi ſunt eius, quod Angelus Tobiam docuit, *Tob c. 2. 8.* Qui matrimonium ita ſuſcipiunt ſicut equus, & mulus, ſuper hos poteſtatem habet Dæmonium. Tu autem accipies vxorem cum timore Domini, & iterum filij ſanctorum ſumus, ita coniungi non debemus ſicut gentes, quæ ignorant Deum. Debent ſe mutuò diligere. Viri diligite vxores veſtras, ſicuti Chriſtus dilexit Eccleſiam, vide quam caſtus, quam Chriſtianus, & honeſtus debeat eſſe amor coniugum; cum contra ſint omni reprehenſione digni, qui amore quodam laſciuo ducantur. Explicet bona matrimonij eſſe fidem prolem, & ſacramentum. Hortetur vt ſe mutuò adiuuent in omnibus in cura rei familiaris, & totius domus regimine, vt ſe honorent ſicut Abraham vxorem ſuam colebat, & ipſa viciſſim illi tum honorem præſtabat Dominum ſuum vocans, tum obedientiam, vt docet Paulus, mulieres debere viris eſſe ſubditas, & honorem exhibere. De ſtatu Viduitatis multa poterit ex ſcripturis Concionator afferre, in quibus Spiritus ſanctus hunc Viduitatis ſtatum coniugio præfert, & fructum ſexageſimũ ei tribuunt ſancti, ſicut trigeſimum coniugio, & centeſimum virginitati. Paulus Honora (inquit) Viduas quæ verè viduæ ſunt; Hoc affirmat propter eas viduas, de quibus infra dicturus erat. Adoleſcentiores viduas denita intelligit eas, quæ cum luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, & ſubdit, ſimul autem & otioſæ diſcunt circumire domos, non ſolum autem otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet, iamq; conuerſæ ſunt retro poſt Sathanam. Sunt & aliæ viduæ, quæ licet honeſtè viuant, tamen volunt nubere ſuo tempore, vel ſi non eum animum habeant, tamen non eſt propter Deum, ſed vt viuant maiori cum dominio, ac libertate, & mundi honores ſectantur, ac delicias, & opes. Paulus etiam ait, Vidua in delicijs viuens, mortua eſt; ſed quæ verè vidua eſt propter Deum, eligens hunc ſtatum, ait Paulus; Speret in Domino & inſtet orationibus die, ac nocte, & paulo poſt; Præcipe vt irreprehenſibiles ſint, quales fuerunt Iudith, Anna, & quarum meminit Hieronymus, Paula, Bleſilla, Melania, qualis & Olimpia D. Chryſoſtomi diſcipula. Modum & inſtitutionem talium viduarum habet Hieronymus ſcribens ad Furiam, vbi hortatur ad modeſtiam victus, & veſtitus ſeruandæ continentiæ cauſa; Ad Saluinam item fusè, rurſus ad Geruntiam.

Coniugum mutua officia. *Epheſ. 5.*

Ibid.

Timoth. 5.

Duplex genus viduarũ.

Tim. 5. *Ibid.*

Lege

Leges viduarum.

Lege Augustinum libro de Viduitate. Poterit Concionator has admonitiones Viduis proponere; Vt sint contentæ eo statu, neque velint ad secundas nuptias transire, & in eo statu intelligant se multum posse Deo placere, vt maximè afficiantur ad continentiam, & ad pudicitiam, & ad eam conseruandam, fugiant vana colloquia, abstineant à delicijs corporis tàm in vestitu, quàm in cibis. Non debent esse intentæ accumulandis opibus, vt aliquibus contingit, quæ amorem mariti in amorem patrimonij, & pecuniarum conuertunt, sed magis seruiant operibus misericordiæ, Orationi sint deditæ, sicut erat Anna, in Euangelio celebris, quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & orationibus vacans; sacramenta frequentent; Habeant Patrem spiritualem, cuius prudentia dirigantur, nec sibi fidant; si iam statutum, ac omnino certum apud se habent non contrahere matrimonium nouum, adhibito etiam patris spiritualis prudente consilio, vtile erit Castitatem voto Deo offerre, ob maius meritum, & maiorem pudicitiæ custodiam; Si habent familiam, dent operam, vt eam diligenter instituant in vita spirituali, & quantum poterunt etiam alias ad Christum adducant.

Luc. 2.

Virginitatis statum ex scripturis, & SS. Patribus laudandi copiosus est Campus. Cyprian. de hab. Virg. Ambros. lib. de Virginitate, Gregorius Nazianz. tractatu de Virg. Hieronym. ad Demetr. ad Eustochium. Bas. lib. de vera integr. Virginitatis. Institutionem Virginis inuenies apud Hieron. Epist. ad Demetriadem, quam hortatur ad frequentes orationes, & ad manuum laborem in lana, vel simili opere, etiam si non indigeat ad vitæ vsum, sed vt occupata semper sit. Graues (ait) fœminæ, & maximè Virgines, & Viduæ tibi comites eligantur, quarum probata sit conuersatio, sermo moderatus, sancta verecundia, fuge lasciuiam puellarum, quæ ornant capita, crines à fronte demittunt, cutem poliunt, vtuntur pigmentis, astrictas habent manicas. Illa sit tibi pulchra & amabilis, quæ nescit se esse pulchram, quæ negligit formæ bonum. Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas quasi pestes, & venena pudicitiæ deuita.]Hortatur ad ieiunium. Ieiuniorum ait tibi sunt arma sumenda, & canendum cum Dauide; Humiliabam in ieiunio animam meam, nec vult tamen immoderata ieiunia, quibus ait, cito corpora delicata franguntur, & antea ægrotare incipiunt, quàm sanctæ conuersationis iacere fundamenta.] Ad modestiam, & obe-

Epist. 8. *ad Demetr. circa fin.*

Leges pro Virginibus.

Psal. 34.

Digitized by Google

& obedientiam imitare ſponſum tuum Chriſtum, qui fuit parentibus ſubiectus, eſto auiæ, matrique ſubiecta, nullum virorũ & maximè iuuenum, niſi cum illis videas, nullum ſcias, quem illæ neſciant. Rideri, & ridere ſæcularibus relinque] Præter orationem temporibus ſuis: addit, Cibi non ſumantur niſi oratione præmiſſa, neq; à menſa ſurgendum, niſi gratiæ referantur creatori. Egredientes de hoſpitio, armet oratio, regredientibus occurrat oratio priuſquam ſeſſio] Hortatur ad ſolitudinem, & cautelam in Epiſtola ad Euſtochium. Obteſtor ait coram Deo, & Angelis eius, ne vaſa Templi facile in publicum proferas, ne Sacrarium Dei quiſquam prophanus inſpiciat. Oza arcam, quam non licebat attingens, morte ſubita proſtratus eſt, neque enim vas & argẽtum tam Deo carum fuit, quàm templum corporis Virginalis] D. Baſil. ad cuſtodiam ſenſuum omnium, maximè adhortatur Virgines, Sancta (ait) Virgo ſenſuum feneſtris cuſtodem admoueat rationem, eorumq; ad exteriora progreſſum, nequaquam tranſitu libero permittat. *Epiſt. 22.* *Lib. de vera Virginitate.*

De Pueris, Iuuenibus, Viris, Senibus, ac Mulieribus. Cap. XXI.

PVeri admoneantur vt maioribus deferant, eorumque conſilijs adhæreant, & ſenum doctrinam audiant, vt Chriſtus erat inter Doctores audiens & interrogans, vt ab omni puerili leuitate abſtineant. Tobias nihil puerile geſsit in opere; vt Tẽpla, & Conciones libenter adeant; exemplo D. Nicolai, ſtudijs vacent à prima ætate. Paulus ad Timotheum, Ab infantia literas ſacras noſti. Abhorreant conſuetudinem malorum, vt Tobias, Nunquam (ait) cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui. Domi ſe contineant inter ſuos, ſicut laudatur Iacob quod domi moraretur. Aſſueſcant Sacramento confeſsionis etiam in minimis peccatis, ſicut etiam de his minutiſsimis accuſat ſe Auguſtinus in confeſsionibus; Denique vt obſeruent illud Eccleſiaſtici, Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam. Adoleſcentes, & iuuenes doceantur eam ætatem eſſe florem totius vitæ, in qua maximè debeant Deo ſeruitutem exhibere Eccleſ. Memẽto Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tẽpus afflictionis tuæ, & appropinquent anni de quibus dicas nõ mihi placent, & Malach. Maledictus homo, qui habens in grege ſuo maſculum (hæc eſt ætas iuuenilis) & votum faciens immo- Pueri. *2. Tim. 3.* *Tob. 3.* *Gen. 25.* *Lib. 10. Eccl. 6.* Leges pro Iuuenioribus. *Eccl. 12.* *Mal. 1.*

Digitized by Google

immolat debile Domino (hoc est senectam) quia magnus ego,
Thren. 3. dicit Dominus exercituum, & Hierem. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Explicet tum maximè adhibendam esse diligentiam, quando maiorem difficultatem suggerunt fomes concupiscentiæ, ac perturbationum impetus.
Prouerb. 30. Inde enim dicitur Prouer. tria sunt difficilia, & quartum penitus ignoro, quod est via viri in adolescentia sua. Moneat valdè esse periculosum si eo tempore prauos vitiorum habitus cõtrahant, cum habitus difficile amoueatur, etiam in senecta,
Prou. 22. vt Spiritus Sanctus docet, Adolescens iuxtà viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Proponat huic ætati quanti momenti sit maturè deliberare de statu eligendo, quem tenere debeat tota vita, quam deliberationem difficillimam esse declaret, non solum quia totius vitæ negotium agitur, sed etiam quia debet fieri in ætate, tum imprudente, tum perturbationibus subdita. Quare Deum orandum esse vt inspiret quod ad eius gloriam aptius futurum sit, & animæ suæ salutem, & diu multumque rationes perpendat, antequam certi quicquam decernat, & patris spiritualis ac sapientum adhibenda consilia, & alia quæ supra proposuimus. Admonendi præcipuè sunt, vt deteſtentur vitium incontinentiæ, ostendendo eius turpitudinem, & mala quæ secum affert, & quomodo debeant occasiones eius euitare, & ante omnia conuictum & consuetudinẽ eorum, qui incontinenter viuunt, à qua tanquam à peste, & incendio, longissimè fugiendum est. Contra excitandi ad pudicitiæ, atque honestatis amorem, proponendo eius pulcherrimam formam, & tam multa, quæ secum bona omnibus apportat. Mores Iuuenum qui sint, in secunda parte ex Aristotele tetigimus. Inde poterit Christianus Orator iuuentutem docere & hortari; Exempli gratia, quoniã sunt ad cupiditates proni, moneantur ne amore voluptatis, Dei voluntatem, ac legem parui faciant, & quia sunt studiosi sodalium in conuiuendo magis quam cæteræ ætates, curent ne prauorum iuuenum consuetudine deliniti, ad peccata trahi se sinant, Prouer. Fili mi, si lactauerint te peccatores, ne acquiescas eis, Et quia rerũ agendarum experientia carent, non sinant se à peruersis circumscribi in malum; Et quia solent esse audaces, & animosi, doceat veram magnanimitatem in superandis animæ inconditis affectibus, præcipuè sitam esse. Et quia facile mutantur, explicet quam sit res indigna Christiano & graui Iuuene leuitas puerilis. Remedia ad continendam Iuuentutem in officio sunt, fu-

Iuuenes quo modo ad virtutem inducendi.

ga otij,

ga otij, custodia sensuum, ac linguæ, studia literarum, consuetudo cum viris prudentibus ac bene moratis, lectio librorum spiritualium, & auditio verbi diuini. Sacramentorum frequentia, orationis studium, Deuotio ad Beatissimam Dei Genitricem.

Ad Viros ætate matura, & graui ornatos ita sermo est habendus, vt agnoscant ingenium, ac indicium quo vigent Dei gloriæ accommodandum esse vt iuuenibus exemplo sint. Senes non nisi modestè sunt reprehendendi, maximè si iuuenis sit concionator. In quo autem sint monendi, Paulus scribit; Senes sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione in patientia. Anus in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, benè docentes. Si quando ad mulieres vel solas, vel cum alijs inter concionandum orationem habet, monebit ne cultui corporis immodico sint deditæ, sed seruent quod eas docent Ecclesiæ Principes Petrus & Paulus. Ille ait, Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; Hic vero Mulieres cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, & auro aut marganitis, vel veste præciosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Contra fucum mulierum, maximè Cyprianus inuehitur, quas ait à Deo non esse cognoscendas, vt quæ figuram aliam acceperint ab ea, in qua Deus eas formauit. Opus hoc (dicet Deus in iudicio) meum non est, nec imago mea est, cutem falso medicamine polluistis, crinem adulterino colore mutastis, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre nõ potestis, non est iste color quem Deus fecit, sed quem Dæmon infecit.] Non debent esse otiosæ, non verbosæ, non vagæ, vt illa mulier vaga, & garrula non valens consistere in domo sua, debent esse elemosynis deditæ vt illa quæ manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem; debent esse occupatæ vt de eadem canit Spiritus Sanctus; Apprehendit lanam & linum, & panem otiosa non comedit; habeant tempus orationis, curam domus diligenter exerceant, adiuuent viros suos in spiritualibus, non consentiant in vsuris, vel alijs peccatis. Et quoniam periculosa est nimia familiaritas cum viris, moneantur mulieres vt vitent frequentia colloquia cum eis, tum periculi sui causa, tum alieni; ament silentium quia in Prou. dicitur, qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam. Et quoniam mulieres ad pietatem proclines sunt,

Viri & Senes.

Ad Tit. 2.

Mulieres.

1. Pet. 3.

1. Tim. 2.

Lib. de disciplin. & hab. Virg.

Prou. 7.

Prou. 21.

proponat ſancta opera quibus deditæ eſſe debent, vt ſunt ora-
Contra Meretrices. tiones, ſacramenta, elemoſynæ. Si quando ad mulieres proſti-
tutas & meretrices, vel aliter male viuentes habebitur ſermo,
vel inter concionandum de ijs mentio incidet, toto hoc de ge-
nere cum nauſea, & ſtomacho dicet, ſignificans quam ſint à dę-
monibus poſſeſſæ, & inferni catenis aſtrictæ, & inſtrumenta
Diaboli ad animarum ruinam. Oſtendat primo quam grauiter
peccent non ſolum in malum ſuum, ſed in ſcandalum multorũ,
Eccl. 9. ſunt enim quaſi incendiariæ Ciuitatum; Colloquium illius quaſi
ignis exardeſcet, & non ſolum rebus aut corporibus inferunt
damnum, ſed maximè animabus quas laqueis diaboli irretiũt;
Prou. 7. Nam Ad vincula ſtultus rapitur; & Inueni amariorem morte
Eccl. 7. mulierem, quæ laqueus eſt venatorum (id eſt dæmonum) ſage-
na cor eius, vincula manus. Secundò quam ſint abhominabiles,
Eccl. 9. ac deteſtandæ, Mulier fornicaria quaſi ſtercus conculcabitur,
præſertim cum amittitur verecundia, & pudor, in peccato vi-
liſſimo, & tam infami, quod Deus maximè odit. Tertiò propo-
nat ea quæ reuocare poſſunt ab hoc barathro, quæ ſunt, Dei be
Hier. 3. nignitas Hierem. Tu autem fornicata &c. verumtamen ad me
Apoc. 15. reuertere dicit Dominus; Timor gehennæ. Veni oſtendam tibi
damnationem meretricis magnæ; Gratia item conceſſa B. Ma-
riæ Magdalenæ poſt conuerſionem, quæ prius erat infernus qui
dam dæmonum, facta eſt paradiſus Angelorum, quæ (vt ait
In Pſ. 125 Auguſtinus) Frontoſa erat ad perditionem, ſed frontoſior ve-
nit ad ſalutem.

De alijs Statibus. Cap. XXII.

SEptimo eodem modo pro loco ac tempore poterit admone
re ſui officij omnes alios in quocunque ſtatu; ſcilicet Aulicos Aduocatos Medicos, Mercatores, Milites, artifices, paupe-
Aulicorum peccata. res, ac mendicos. Aulicorum ſtatus non caret periculo. Pecca-
ta eorum ſunt, Adulationes, ſimulationes, mendacia, quia veri-
tas odium parit, quare ſapienter à multis dictum hoc vnum
deeſſe Principi, cui omnia videntur præſto eſſe, nempe qui ve-
rum ei dicant. Inuidiæ inter ſui ſimiles, obtrectationes & infa-
miæ, ambitiones, delicioſa, ac proinde mollis, & delicata vita,
plurimorum ſeges malorum. Solent ſpargere falſos rumores
ſæpe cum infamia aliquorum, quia plerique illorum laborant
Act. 17. illo vitio quod dicitur in actis Apoſt. Ad nihil aliud vacant,
quàm aut dicere, aut audire aliquid noui, non ſolent eſſe miſe-
ricordes

ricordes erga calamitosos. Aduocati sunt admonendi graue peccatum, esse adeoque ad resarcienda damna eos sæpe teneri si iniustum causam defendant, si insciti a iuris & legum laborent, si negligenter studio & defensioni attendant, si falsum aliquid in suis, vt vocant, allegationibus afferant; si vtantur fraudibus, si petant superfluas dilationes, quo plus lucrentur, si maiorem iusto mercedem accipiant. Moneantur vt libenter defendant causam alicuius Viduę, aliquando, aut pupilli, & mē dici qui iniustè oppugnentur idque faciant sine mercede, solum ex amore Dei, quando id opus tantum tamque sæpe Deus commendat. Medicos hortetur ad benè suum munus exequendum. Debent enim esse suæ professionis periti, ne vitam ægroti in discrimen adducāt, facilè enim euenire posset vt aliqui per insciti am, rei fierent mortis multorum, si minus apta medicamēta præberent. Debent diligentes esse in uisendis quos curandos suscipiunt, præsertim vbi res sit grauis & dubia. Quare non deberet quisquam, nisi sit valdè peritus multorum ægrorum curam assumere, quibus non possit commodè prouidere. Caueant ne propter lucrum differant sanitatem. Contra eos qui præbent medicinas, quæ sint contra Dei præcepta. Extat excommunicatio latæ sententiæ extra de pœn. & rem. Videant vt liberandis hominibus à lege ieiunij Ecclesiastici adsit legitima causa. Seruent decretum quod habetur ext. de pœn. & rem. cap. cum infirmitas, scilicet vt ægroti aduocent medicos animarum, & cōfiteantur peccata, & ipsi vehementer timeant seuerum Dei iudicium si ipsorum culpa absque Sacramentis ægroti ex hac vita discedant. Admoneantur misericordiæ erga pauperes, qui non possunt mercedem persoluere, quā cum magno fœnore à Christo recipient. Ob id deberent aliquos huiusmodi ægrotos semper inuisere, & etiam proprijs elemosynis aliquid eis prouidere, qui in graui necessitate versantur. Doctores qui docent Philosophiam, seruent decretum Concil. Lateran. sub Leone Decimo. Ludi magistri debent habere zelum virtutis, vt pueros educent in pietate Christiana, non solùm in literis humanioribus, non prælegant eis libros in quibus aliquid lasciuum appareat, curent vt omnes saltem singulis mensibus accedāt ad confessionis Sacramentum, non permittant eos licenter versari aut colloqui, sed instituant in amore pudicitiæ. Milites audiant illud ex Ioanne Baptista. Neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis, estote contenti stipendijs vestris. Abstineant ab impudicitia, rapinis, sacrilegijs blasphemijs, à bello iniusto, pugnēt

Aduocatorū peccata.

Medici quid præstare debeant.

Cap. cum Infirmitas.

Doctores.

Milites. *Luc. 3.*

Digitized by Google

pro fide, pro iustitiæ defensione. Habeant mundam & benè paratam semper conscientiam, quia in perpetuo discrimine vitæ sunt; Sacramenta frequentent. Mercatores & campsores alii qui Sanctorum vehementer reprehendunt Chrysostomus Augustinus, & Cassiodorus in illud, Quoniam non cognoui literaturam; Vbi septuaginta interpretes vertunt, Mercaturam, Non quod eorum status illicitus sit, cum satis constet necessarium Reipublicæ esse, sed quia est periculosus, tum propter improbitatem eorum, qui fraudibus, ac mendacijs ius peruertunt, dū merces plus iusto præcio diuendunt, vel occultant vitia, tum propter lucrum, quod vt finem vltimum facilè sibi proponunt, Deum, & conscientiam offendunt, & aliqui versiculum illum re ipsa assiduè decantant, O ciues, ciues quærenda pecunia primum est, Virtus post nummos. Adeo vt dicat Eccl. Duæ species, difficiles ac periculosæ mihi apparuerunt, difficile exuitur negocians à negligentia, & non iustificabitur Caupo à peccatis labiorum, difficile planè est inter ementis, & vendentis commercia non interuenire peccatum. Fortè posset dari Mercatori bonum consilium hoc. Primum vt si aliter suppetit vnde viuat abstineat à mercatura, cum semper tutior via eligenda sit. Secundò si hoc non licet saltem curet ne in hoc officio vitā absoluat, sed vbi aliquid acquisiuit, rationibus diligenter compositis, ne aliquid mali in conscientia relinquatur, imponat negocijs finem ne eueniat ei, quod ait Chrysostomus piscatori cuidam contigisse, qui cum piscibus plena esset nauicula, & tamen adhuc piscationi insisteret, aduerso oborto vento, & pisces, & nauiculam, & vitam amisit. Tertiò saltem ponat modum lucris, & cupiditati, ne crescat sine vllo termino cum omnes aliæ artes suis terminis concludantur. Artifices & laboribus manuum occupatos scriptura sacra laudat. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo. Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Abel fuit primus pastor, & multi ex antiquis Patribus pastoralem vitam egerunt. Tubalcaim primus faber in opere ferri & æris. Magis autē laboret manibus suis, (ait Paulus) vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Hi seruent præcepta Dei & Ecclesiæ. Diebus festis frequentent Sacramenta & Conciones. Si habent occasionem, piæ alicui sodalitati se adiungant, quales solent in multis Ciuitatibus reperiri. Si habent familiam, diligenter curent, vt in timore Dei viuat, suo etiam labore sustentēt. Nec sint ei similes de quo dicitur operarius ebrio-

sus

Mercatorum peccata. *Psal.* 70. *Cap.* 21. *Matth.*

Eccl. 2.

Cōsilium bonū pro Mercatore.

Boni Artifices. *Eccl.* 7. *Prou.* 31. *Gen.* 4. *Ephes.* 4.

Digitized by Google

ſus non locupletabitur, ſicut etiam qui ludis eſt deditus ad inopiam ſe ipſum, & totam familiam in anguſtias redigit. Nemini fraudem faciant in ſuis operibus, ſed iuſtitiam colant, & veritatem. Pauperes & mẽdici ante omnia conſolatione indigẽt, vt intelligant Deum non parui eos facere, cum magis contra diuites, ſacræ literæ inuehantur. Væ vobis diuitibus. Et Væ væ Ciuitas illa magna quoniam vna hora venit iudicium tuum, Et recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc autẽ ille conſolatur, tu verò cruciaris. Monendi ſunt tamen, & increpandi mali pauperes, de quibus dicitur, Nequiſſima paupertas in ore impij, quales ſunt qui furantur, blaſphemant, exponunt ſe peccatis, murmurant contra Deum deſperant, raro accedũt ad Sacramenta, modicam ſuæ ſalutis curam habent. Contra quos clamat ſcriptura. Qui tentationes non ſuſceperunt & impatientiam ſuam, & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt exterminati ſunt. Vtile eſſet vt inſtituatur aliqua congregatio ex his ipſis mẽdicis ad quam certo die conueniant, vbi doceantur, & excitentur ad pietatem, & vt libenter conueniant, aliquid eis elemoſynæ, & corporalis alimẽti corrogetur vt Romæ fit, vbi ad radices Montis Quirinalis Pauperculorum Hebdomadaria conglomeratio, in Aede Sancti Vitalis congregatur, qui tum ſingulatim à noſtris nouitijs circa res Chriſtianæ diſciplinæ, tum ab Eccleſiaſte, è ſuperiore loco inſtituuntur; atque inde poſt litanias decantatas ſingulis viritim pane, & pecuniolis, piorum ad id liberalitate corrogatis ſubuenitur. Quod ideo hic monuiſſe me non piguit, tum vt Chriſtianos ad ſimile pietatis opus impellerẽ, tum vt iſtius Cathecheſeos fructus palam fieret, qui non corpori modo, verum etiam animabus egentium eſt proficuus, quod & Confeſſionum frequentia demonſtrat, & pia ad Sanctiſſimum Sacramentum altaris deuotio, quod menſibus ſingulis in eodem Templo non ſine concurſu pauperibus ijſdem porrigitur.

Mendici. A

Luc. 6.

Apoc. 18.

Luc. 19.

Eccl. 13.

Iudith. 8.

Congregatio Mendicorũ.

His quæ à me hactenus dicta ſunt de varijs hominum ſtatibus, poterit diligens Verbi Dei præco annectere quæ in tertio libro toto, ſui paſtoralis prudenter colligit S. Gregorius, vbi ſeptuaginta duo perſonarũ genera numerat, quibus propriæ ſunt admonitiones aſſignandæ, aliter enim, ait, admonendi ſunt viri, aliter fœminæ, aliter iuuenes, aliter ſenes, aliter inopes, aliter locupletes, aliter læti, aliter triſtes, & in hunc modum ſubijcit cæteros, & ſubdit; Sed quid vtilitatis eſt quod cuncta hæc collecta enumeratione tranſcurrimus ſi non etiam admonitio-

Admonitiones S Georgij.

In Paſt.

nis modos per singulos, quanta possumus breuitate pădamus.] Harum autem admonitionum attenta lectio poterit non mediocriter Concionatoris prudentiam adiuuare. Ad eandem etiam rem videtur pertinere liber siue sit Cypriani, siue Augustini, siue alterius, qui est de duodecim sæculi abusibus, qui sunt. Prædicator sine operibus bonis; senex sine religione; Iuuenis sine obedientia; Diues sine Elemosyna; fœmina sine pudicitia; Dominus sine fortitudine; Christianus contentiosus; Pauper superbus; Rex sine Iustitia; Episcopus negligens, Plebs sine disciplina; Populus sine lege. Ex his suam prudentiam in loquendo, & industriam augere poterit Concionator.

Abusus duodecim.

In statibus quæ considerãda.

Hæc de statibus dicta sint in quibus Orator Christianus, vt aptè, & cum fructu loquatur, primò det operam vt cognoscat status ipsos, eorumque officia, & actiones proprias. Secundò vitia & peccata in quæ solent incurrere vt moneat corrigatque. Tertiò aduertat commoda vel incommoda, difficultates vel occasiones quæ insunt ad benè vel malè viuendum, vt remedia præbeat. Quartò quæ sit eorum necessitas, & vtilitas, & præstantia in Republica Christiana. Quintò quæ virtutes in singulis desiderentur & eas hortetur insequendas.

Inuehatur in omnia peccatorum genera, & abusus malos. Cap. XXIII.

Prudentia circa materiã. In via purgatiua.

CVm in secunda parte ad tres vias totam huius facultatis materiam reuocauerimus, nunc pauca in singulis adijcienda sunt, quæ ad prudentiam maximè faciunt. In via ergo purgatiua perpetuam cum vitijs pugnam ineundam sibi esse intelligat, omnesque belli machinas adhibendas, vt perditos homines, Deoque rebelles, & animæ suæ hostes à dæmonum tyrannide, & æternæ damnationis discrimine eruios sibi ipsis, ac Deo restituat. Intelligat inter præcipuas muneris sui partes hanc esse collocandam, vt omnia peccata acriter & seriò arguat, quod alibi à nobis est probatum. Nunc verò iubet aliquas peccatorum species enumerare, quæ vt frequentiores sunt, ità frequentius pro suggestu vrgebit. Non solum autem, arripere cum ea sese offert, occasionem oportebit, sed etiam ipse non oblatam captare, & inuenire studeat, cum enim ignis est accẽsus, & flamma diffunditur, an non vrget ipsa necessitas remedij adhibendi? & cum viget vis morbi, applicanda suo loco medicina, atque hoc docuit D. Paulus, cum monet instandum opportu-

Digitized by Google

portunè, & importunè. Huiusmodi peccata sunt Blasphemiæ, in quas magno animi ardore inuehatur, vt è Christiana Republica tam indignum scelus deturbetur, Maledicta; frequens iurandi, atque adeo peierandi consuetudo, vt fecit de industria B. Chrysost. in plerisque homilijs, in quibus apparet quàm seriò, & quàm efficaciter id sibi animo proposuerit, vt eã penitus è suo populo exterminaret; superstitiones, & maleficia, quæ mirum sit in tanto fidei Christianæ cultu reperiri, quasi irrepserint adhuc in animos tenebræ, & errores gentium; Colloquia vana in templis, & irreuerentia, quam arreptis manu flagellis vel Christus ipse coarguit; opera carnis, in quibus vtiques in cœno, tàm miserè voluuntur tam multi; falsa testimonia, iniustæ, ac diuturnæ lites; fraudes mercatorum, & artificum; Odia, & inimicitiæ, turbulentissimi malorum omnium fontes, detractiones, infamiæ, in quibus multi grauiter delinquunt; iudicia temeraria, cogitationes turpes, & morosæ, effrenata sensuum libertas, oculorum, aurium, tam frequentes quam pernicioſi linguæ fœtus; otiosa vita præsertim Iuuenum, id est sentina malorum, peruersa liberorum educatio; crapulæ, & ebrietates, amores lasciui, familiaritates noxiæ, quæ impronidam præsertim adolescentiam pessundant, ac perdunt; Mendacia, Vota non seruata, Inobedientia filiorum, parentum incuria in educatione liberorum; Verba lasciua, Mercedes non solutæ, atque alia id genus multa, in quibus innumera hominum multitudo miserè prostrata iacet, iam iam in Tartara ruitura. Quamobrem locos topicos, & communes tempestiuè in vsum congessisse oporteret, vt pro re nata Concionatori in promptu sint scripturæ, exempla, testimonia, remedia, quibus ægrorum saluti oportunè subueniat, ne iam quo die se ad dicendum parat, tunc supellectilem comparet; sed aliorum commodo paratam producat, nec tunc authoritatum aciem, ac rationum struat, sed in ipsa vitiorum monstra iam satis bene instructam educat. Inuehatur in deprauatas aleatorum consuetudines quæ inter ludendum, cum vitijs omnibus imbibuntur, Insectetur Comœdias lasciuas, cuiusmodi pleræque sunt quæ nostris temporibus aguntur; Prudentiæ tamen sit memor, nec publicè Principem, qui eas permittit accuset. Id vnum satis est si pericula aperiat; Reprehendat hominum inanes ornatus, mulierum fucos, & luxum in vestibus, conuiuijs, domibus, fictim, & cupiditatem pecuniarum, ob quam plerique contractus vsurarij, & iniusti fiunt, lasciuas, siue mulierum, siue puerorum,

Peccata quæ maximè arguenda.

Abusus in quos inuehi debet.

rorum, & virorum imagines. Prophanos libros eorumque lectionem, cantilenas parum pudicas. In his verò inculcandis, vulgari quadam, communique doctrina contentus minimè sit, est enim minus efficax, nec concionem mouet, sed singillatim ad ipsa crimina descendat; fœditatem, ac damna ante oculos ponens, quanquam in rebus obscœnis singulares actus describere, ne obiurgando quidem est tutum, ne deprauatæ aures his abutantur, & castæ offendantur. Neque solum acriter incessenda vitia, sed etiam respondendum est varijs hominum excusationibus, quibus ipsi suas conscientias fallunt. Aperiat itaquè callidus Doctor fallacias, amoliatur impedimenta, adhibeat remedia, quæ necessaria, & vtilia iudicauerit.

Occasiones peccatorum docet fugiendas. Cap. XXIX.

NEque solum peccata, sed occasiones quoque peccatorum infectetur, siquidem occasionis hoc proprium est, vt matris instar peccatum generet, deinde quasi nutrix in sinu foueat, simul ac lactet. Contra huiusmodi occasiones paratos habeat locos vnde argumenta eliciat, ad earum fugam, persuadendam. Subijciam paucos de multis, vt inde ad similia innuenda aditus cuique aperiatur. Primò proponendæ sunt sententiæ ex sacris literis, ex quibus appareat quanta sit in occasione vis ad ruinam. Nam qui amat periculum peribit in illo; &, qui fodit foueam (hæc est occasio parata) incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber, solent enim inter spineta, ac vepres latitare serpentes. In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Ne delectetis in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec transeas per illam, declina, & desere eam. Ob id præcepit Deus, vt intrantes terram promissionis disperderent omnes inhabitatores terræ confringerent titulos, ac statuas comminuerent, vt hoc pacto scelerum occasionem remouerent subdit si non abstuleritis, erunt vobis claui in oculis, & lanceæ in lateribus. Rursus Nazareis, qui lege iubebantur abstinere à Vino, simul ad tollendam occasionem interdixit ne vuas comederent, neque recentes, neque passas, neque delibarent acetum, neque ipsum vuæ acinum gustarent, Præcepit vt ne, cum Idolum argenteum comminuerent, ex illo argento vas vllum efficerent, quo

Loci argumentorum contra occasiones.

Scripturæ authoritas.

Eccl. 3.

Eccl. 10.

Eccl. 42.

Prou. 4.

Num. 33.

Num. 6.

quo nulla Idoli memoria, quæ nouæ ſuperſtitionis cauſa foret, apud ipſos, aut poſteros remaneret. Chriſtus in Euangelio, cum ait, ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te; ſi pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proijce abs te, de occaſionibus loquitur omnino vitandis; & Paul. ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Secundò authoritate Patrum vtendum eſt. Vide multa apud Chryſoſt. vbi inter cætera eos qui occaſiones, & pericula non fugiunt, belluis dementiores eſſe docet, Auicula nanque (vt ait) ſemel capta laqueo, mox elapſa, & ceruus in rete decidens, & effugiens, ijſdem iterum difficile capiuntur; nam cuique fit experientia cautelę magiſtra; Nos ſæpe ijſdem capti in eadem cadimus; ſæpius quippe mulierem conſpicati, grauia paſsi ſumus, & tamen eodem vix curato vulnere, rurſum in eadem labimur.] Hieron. de Vitando ſuſp. contubernio, Quis iuxta viperam ſecurus ſomnos capit? quæ etſi non percutiat certè ſollicitat.] Item quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habes quotidie, aut perire, aut vincere? Nunquam ſecurus cum theſauro latro tenetur, nec inter vnam cauernam habitans cum lupo tutus eſt agnus. Alligabit quis in ſinu ſuo ignem, & veſtimenta eius non comburentur? ambulabit ſuper carbones, & pedes illius non ardebunt?] Vide Baſil. eadem fere dicentem. Tertiò loco iuuabit rationem afferre, qua quiſque optimè intelligat pari diligentia cauendum ſibi eſſe & peccatum, & peccati occaſionem; cum enim hominis natura poſt miſeram primi parentis ruinam iam collapſa, & corrupta, & ſenſus noſtri ab ipſa adoleſcentia, in malum proni ſint, ſi obijciatur occaſio, quæ ad flagitia impellat, ac vehementer moueat appetitum, & fomitem deprauatum, quis dubitet præſente obiecto affici turbarique hominem? ac tanto maiori ad ipſum impetu ferri, quanto vehementior ſe occaſio obijciat? perinde enim tunc tēporis accidit, ac ſi quempiam ex graui morbo debilitatum in decliui, ac lubrico loco ambulantem tu bracchio impellas, quam enim facile ruet in præceps? quid ſi quis ex cera compactum habens corpus, proximè ad ignem accederet, contenderet tamen ſeriò cum adſtantibus, fore vt nulla ratione liquefieret, non ne ſtultiſsimam eius contentionem vel ipſe probaret euentus? Quæcunque extrinſecus obijciuntur, mouent oculos, aures alioſq; ſenſus exteriores. hinc ad interiores tranſmittunt rerum ipſarum ſimilitudines quibus amor, cupiditas, odium

Matth. 5.

1. Theſſ. 5.

Periculum in occaſione.

Hom. 15. ad pop. Anth.

Epiſt. 47.

In reg. breu.

Ratio cōtra occaſionem mali.

odium cæterique animi affectus inflammantur, qui rursum ipsius animæ facultates, & voluntates ipsas accendunt, atque in deteriorem partem inclinant; sicut enim intra silicis venas latet ignis, qui ferro percussus elicitur, ita peccatorum semina, & cupiditatum quasi flammæ in membris, ac sensibus nostris delitescunt, quæ oblatis postmodum occasionibus excitantur. His adde quod Dæmon huiusce rei minimè ignarus, & naturæ nostræ propensionis satis conscius, varia nobis obiecta ante oculos ponit, quæ versutus ludificator variis artibus non explicat modo, sed colorat, exornatque vt pulchriora, quam reuera sunt, appareant, eoque facilius alliciant, & ad mala vehementius impellant, sic crediderim Euæ longè pulchrius ac dulcius depinxisse vetitum pomum, vt dum oculis videret speciem, quasi dulcedinem palato perciperet. Et Dauidi Behemoth longè venustiorem, vt recte à S. Iob. dictum sit; halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur, & à Propheta, Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas.

Iob. 41.
Isa. 54.

Exempla. Quartò eorum proderit exempla proponere, qui nimium sibi arrogantes, in foueam peccatorum misere deciderunt, cum ausi sunt ad eius crepidinem propius accedere. Huc pertinet exemplum Dauidis, qui non auertit oculos à muliere; Samsonis qui Dalidæ contubernium non fugit; Salomonis, qui consuetudinem cum alienigenis mulieribus non abhorruit. Dinæ quæ cum curiosius vagaretur, pudicitiæ notam inusfit. Alipium amicum suum, scribit Augustinus, Cum ludorum circensium spectacula detestans, multa vi precum à familiaribus ad ea propè cogeretur, ita abcessisse, vt animum prius obfirmaret, oculis ibi semper clausis persistere, cum tamen ad repetitum fortè populi clamorē aperuisset, statim eorum illecebris irretitus; periculosum est periculo se obijcere.

Lib. 6. Confes. c. 8.

Quid plura inquit Augustinus, vidit, exarsit, clamauit, abstulit secum insaniam, non solum vt cum illis rediret, sed & alios præ illis traheret. Exemplum Iacobi Eremitæ quod plurimum mouere potest, Vide apud Surium mense Ianuario. Cauendum hic tamen ne multa eorum exempla in concione coaceruentur, ne improbi inde minus graues suos lapsus interpretentur, quando tot talesque viri corruerint.

Quinto etiam in medium producantur ij, qui quanti referat malorum occasiones subterfugere suo exemplo nos docuerūt, quod tutius, & efficacius erit, quàm in exemplis contrarijs enume-

enumerandis imporari. Hieronymus docet, Ioannem Baptistam licet in ipso matris vtero singulari donatum sanctitate, licet sanctissimis ortum parentibus, tamen ad euitanda quæcunque pericula adhuc puerum in Eremum secessisse. Augustinus sororum etiam suarum contubernia vitabat, non ob ipsas, sed earum causa, quæ ad ipsas ventitarent. D. Franciscus qui ob magnum illud diuini amoris incendium Seraphici nomen obtinuit, si quando mulieres admitteret; ad colloquium, illis vt author est Bonauent. non nisi directis in terram oculis aures dabat, ita vt nullam de facie nosceret vsque adeò sibi diffisus est, vir ille sanctissimus, ac penè diuinus. *Hier. To. 9 in Reg. mon. tit. de Castitate.*

Contra eos qui in peccati consuetudine viuunt. Cap. XXV.

ALiquot sunt hominum genera, quæ conscientia grauius læsa, & peccati pondere pressa nisi acriori spiritu concionatoris agitentur, non facilè Dei verbo cedunt, huiusmodi sunt qui peccati alicuius venenum longa consuetudine suxerunt, quique pœnitentiam in aliud tempus, vel in ipsam effætam ætatem, ac decrepitam differunt; & qui vel ad cordis duritiam peruenerunt, vel omnem melioris vitæ spem abiecerunt. Omnium horum, & si qui sunt præterea similibus morbis oppressi non est Concionatori desperanda salus, sed eo diligentius conquirendis remedijs insistendum, quo difficilior miserorum curatio est, propiusque discrimen. Basil. hanc assignat regulam non esse vnquam horum desperandam salutem concionatoribus, quod (inquit) omnia illa officia præstiterimus, quæ ad illorum correctionem pertineant, quam benè confirmat per illud testimonium Isa. 42. citatum à D. Matth. c. 12. arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet donec eijciat ad victoriam Iudicium, & per illud; seruum Dei oportet patientem esse, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati; ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Aliquos hic ego locos ad hoc ipsum præstandum aperiam, ac primo loco agendum erit non semel contra eos, qui quotidiana peccandi consuetudine inueterauerunt, quales sunt, qui vsuras frequentant, pellicatum exercent, blasphemias passim in ore habent, in quos videtur cum magno spiritu initio statim inuehi Euangelicus ille *In suis Moralibus regu. 70. c. 32* *2. Tim. 2.* *Isa. 1.*

ille Propheta, cum ait; Væ genti peccatrici populo graui iniquitate, filijs sceleratis. Duo hic mihi admonenda occurrunt. Primum vtile esse vt populo aliquando significet eam doctrinam, quam sancti Patres, ac Theologi habent de gradibus peccatorum, quam ego breuiter ita perstringo. In ipso peccati ingressu tres illius gradus agnoscunt, nempe suggestionem, delectationem, atque consensum, qui optimè significati videntur in prima nostrorum parentum culpa, per serpentem suggerentem vetiti fructus comestionem, Euamq; illo se oblectantem, dum vidit bonum ad vescendum, & Adamum persuasioni Vxoris consensum præbentem, ac denique comedentem.

Iac. 1. Hæc videtur esse sententia B. Iacobi Apostoli, cum ait, Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abtractus, & illectus, deindè concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum autem, cum consumatum fuerit, generat mortem.

Delectatio, & consensus. Crediderim debere aliquando Concionatorem explicare naturam humanorum actuum, quorum cognitio non modo perutilis, sed necessaria vel infimæ plebi est, vt nimirum intelligat in solo consensu, siue in opus, siue in delectationem, posse peccatum esse mortale, & distinguere, quando ipsa delectatio peccatum sit, aut mortale, aut veniale, & ad tollendos à timidis scrupulos, nihil in sola suggestione subesse culpæ, nihil in primis corporis, siue animi motibus. Hos primos gradus tres alij sequuntur, quos Hieron. vocat delicta generalia, cordis videlicet, oris, & operum. His adduntur, & alij, si progressus fiat in peccatum; nam sæpè euenit alia quædam delectatio prior in commisso peccato, quæ iudicium tollit ex animo, dijudicandi peccati grauitatem, ita vt non modo non graue appareat, sed præseferat etiam faciem culpæ leuioris, atque adeo dulcioris. Porrò hanc delectationem sequitur, & alius gradus, cum in occulto patrata crimina iam palam audet, neque amplius peccatorem pudet, neque excusare se ipsum, neque obtexere culpam, quin potius adeò cum malitia crescit impudentia, vt etiam, quod est pessimum de suo malo glorietur; tùm verò peccandi consuetudine roboratur, vitiositas, & vsus quodammodo vertitur in naturam, vt verissimum sit, quod dicitur; Si potest Æthiops mutare pellem, aut Pardus varietatem. His omnibus addi potest alius, quem dixerim desperationis gradum secundum illud Pauli; qui desperantes (vel vt vox græca sonat) indolentes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, quem gradum meritò Hieron. & August. vocant contemptum

In cap. 4. Ezech. circa fin.

Hier. 13.

Eph 4. Hier. Com. in 18. prouinitio.

ptum Dei ex illo Prouerb. Impius cum in profundum venerit, contemnit, denique eo vitiositatis peruenit, vt non vereatur impius, & verbo, & exemplo, aliorum hominum ruinam curare; istud est sedere in cathedra pestilentiæ, vel vt Hieron. vertit irrisorum. Hæc est diabolica plane catena, tartareis inserta anulis, quos dissoluere quam sit difficile, nemo non videt. Sed magna est diuinæ facundiæ, magno diuinæ gratiæ efficacitas; nec quidquam tam perditum, atque nefarium est, cui mederi ipsa non possit. Hæc aliquando significare ad timorem & singulos gradus singillatim explicare vtile arbitror ad propellendos saltem grauiores peccati gradus ab homine, qui sæpè adhortandus est, vt cum primum in aliquod peccatum se cecidisse aduerterit, festinet ad medicinam, dicatq; cum Dauide, Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neq; vrgat super me puteus os suum. Ostendendum est, quàm periculosus eorum status sit, ac timendus, in quorum animis, repetitis sæpè malis actibus gignitur deprauata consuetudo peccãdi. Hos Senec. cum ijs confert qui profundo somno tenentur & dormiunt, vt dici solet in vtramq; aurem; hic enim somnus, etiã somnia extinguit; quin imò nec sui ipsorum recordantur, quod ipsum in corporis morbis vsu venit; Qui laborant (inquit Hippocrates) aliquo apostemate, antè quã marcescat, acuto eius dolore cruciatur, cum verò extrema tabe iam emarcuit non sentitur dolor, cum tamen malum sit in summa pernicie; ipsam febrem sæpè cum minus sentit ægrotus, grauiorẽ Medicus iudicat. Probatur mihi quod habet Orig. in illa verba Psal. Iustus si ceciderit non collidetur, vbi discrimẽ ponit inter varios peccatores, nam iustus si cadat aliquãdo, mox surgit, vt Petrus, qui statim egressus amarè flevit, at qui peccatis callum obducunt, obstupescunt paulatim minusq; in dies sentiunt parata sibi gehennæ supplicia, & præsentia peccatorum damna. Postremò iura, leges sacramenta, religionem, & (quod nefas est dicere) Deum ipsum per summam impietatem contemnunt. Quibus sanè obijciendum illud est, quod cuipiam ex illis dictum est. Inueteratè dierum malorum, nunc venerunt peccata tua.

Prou. 18.

Psal. 68.

Consuetudo peccãdi qualis sit.

Ep. 54.

Hipp. in Aphor.

In Psalm. 36. *Ho.* 4.

Matth. 26

Dan. 13.

Contra eos qui Pœnitentiam, & Conuersionem procrastinant. Cap. XXVI.

SEcundo loco inferenda est pugna contra eos, qui pœnitentiam, conuersionem, rectèq; viuendi rationem prorogant in fu-

Digitized by Google

in futurum tempus vel ad senectam, vel etiam illud tẽpus quo extremam agunt animam, inani quadam delusi fiducia, qua sibi diuinæ miserationis auxilium, aut longam ætatem pollicentur.

Ho. 13. ex varijs ser. 58. de tẽp. Epist. ad Theo. Mo. lapsũ ser. 38. ex paruis.

Contra hos arma, & Commeatum accipies à Basil. ab August. à Chrysost. à Bernar. in illud: Ecce reliquimus omnia, & nominatim contra hos hæc faciunt. Primo quidem est plane inconsiderati animi argumentum, tempus, cum nihil incertius eo sit, nihilq; mortis articulo incerto certius, affuturum sibi tam certo promittere, præsertim tanta in re, quantum est æternitatis negotium. Qui pœnitenti inquit Greg. Veniam spopondit, peccati diem crastinum non promisit, propterea clamat & Christus,

Matth. 19

Vigilate quia nescitis diem, neque horam. Secundo quænam prudentiæ leges docent, vt persuadeat sibi quisque, facilius virtutibus vacaturum eum, qui adolescentiam in vitijs transegerit, cum certum illud sit, tanto maiorem fore in benè viuendo difficultatem, quanto fortius vitiorum habitus & consuetudo inualuerit? Tertio quis non illius accuset impudentiam, qui donorum cælestium possessionem respuat, quam facilè florenti ætate parare potest, qui in luxu, & voluptate robustiores annos exigat & honestè viuendi onus graue satis, ac molestum, in senectam, viribus destitutam conijciat? Qui sibi suæq; libidini, ac tenebrarum Principi, quod est in vita præcios̃ius consecret, quod vilius & incertum Deo? & vitam tamen, & sanguinem pro nobis Christus Dominus effudit, & quidẽ in flore ætatis, & maximum bonorum cumulum per omnem æternitatem pollicetur in Cælo; Meritò per Malach. conqueritur Deus, Maledictus homo, qui habens in grege suo masculũ, & votum faciens, immolat debile Domino, quia magnus ego ait Dominus exercituum. Quartò amens planè, & insanus à sano, & prudenti viro habetur is, qui id omni studio facere contendat, cuius se credat aliquando pœnitentia ductum iri, quanta ergo erit insipientia, aliquid facere ea mente, vt postea pœnitentia facti ducatur; & tamen talis est, qui pœnitentiã dilatat, & peccatis est deditus. Ait enim, hæc faciam in præsentia, erit aliquando tempus cum mè pœnituerit. Quinto vrgeat Concionator eorum exẽpla, qui tandẽ aliquãdo insaniam ipsi suam agnouerunt, & quidẽ non nisi singulari præ-

Malach. 1.

Exemplũ Augustini Lib. 8. confess. c. 11. Lib. 10. Cõfess. c. 17.

potẽtis Dei priuilegio, quod sibi certò polliceri peccando quis audeat? Aug. vehemẽter dolet, quod vocanti Deo non statim respõderit, sed dixerit modo, & ecce modo, sine paululũ, sed modo & modo non habebat modũ, & sine paululũ, ibat in longũ.] Et alibi deflet præteriti tẽporis iacturã, cũ ait; serò te amaui pulchritudo

chritudo tàm antiqua, pulchritudo tã noua serò te cognoui; tu intus eras, & ego foris te quærebã, & in ista formosa, deformis irruebam.] Qui verò in extremum vitæ tempus conuersionẽ differunt, longè stultiores sunt; licet enim vera pœnitentia quacumque hora efficax sit ad peccati remissionem, vt docent Leo Papa, & habetur 26. quæst. 6. & Cyprian. Vbi non est, inquit, serum quod est verum, nec irremissibile quod voluntarium, & quæcumque necessitas cogat ad pœnitentiam, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horę extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio.] Hæc inquam vt vera sint, certa tamen est sanctorum Patrum doctrina, periculosissimam illam esse pœnitentiam, & rarò veram. Quis enim non meritò de eo dubitet, de quo Augustinus inquit, Si tunc vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa, & qui prius à peccatis relinquitur, quam ipse relinquat; ea non liberè, sed ex necessitate relinquit.] Periculosissima est, ait Euseb. Emissen. in vltimam diem promissa securitas, deinde stultissimum est, vt causa quæ de necessitatibus agitur æternitatis, mutabilibus vitæ deficientis committatur extremis.]

Quam stultũ in extremum vitæ pœnitentiã differre. *Serm. de Cœna Dñi ad fin.*

Lib. de vera, & falsa Pœnit. c. 17. to. 4.

Hom. de bono Latr.

Præter Patrum auctoritatem, afferendæ sunt rationes, quarum summa hæc esse potest. Difficile esse eo tempore contritionis actum elicere verè voluntarium, cum potius coacta videatur conuersio, & voluntas impediatur mortis impendẽtis metu, qui ita perturbare solet rectam animi rationem, vt actionum libertatem imminuat; & quærit tamen (inquit Augustinus) libertatem Deus non necessitatem. Huius generis fuit Semei pœnitentia, Pharaonis, qui cum medijs in fluctibus periclitaretur, exclamauit, Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis. Antiochi, qui sub vitæ finem, orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus. Stultarum denique Virginum, quibus clausa est ianua. Porrò multa sunt sub extremam vitæ horam, quæ animum distrahunt, perturbant, excruciant. Nec quisquam habet potestatem in die mortis, vt dicitur in Eccles. Sæpè verò Deus pro malis meritis peccatoris permittit, vt sui etiam obliuiscatur in morte, qui in omni vita oblitus erat Dei; Dæmon acrius tentationibus vrget, quia modicum tempus habet, ne eius dominio spolietur, quem seruum in vita fidelem expertus est, ac pluribus annis obsequentem. Inueterata quoque consue-

Loco cit.

3. Reg. 2.

Exod. 14.

2. Mach. 9

Matt. 25.

Eccles. 8.

tudo malorum tunc vim habet maximam, neque vult auctorem deserere, vt eueniat illi quod scribitur, Ossa eius plena sunt vitijs adolescentiæ, & cum eo in puluere dormient. Quãta denique insania est, quam deploranda stultitia cum finis viuendi prope est, tunc velle principium facere bene viuendi, primam ætatem ac mediam dicare Dæmoni, extremum verò spiritum in summa virium animæ, & corporis imbecillitate offerre Deo?

Iob 20.

Contra eos qui in peccatis obdurato corde persistunt. Cap. XXVII.

ACrius adhuc insurgendum, & insudandum erit in eos, qui obdurato corde, & obfirmato animo in peccatis viuunt, si quomodo durities perrumpi, & expugnari possit arx, quam sua tyrannide Dæmon inuasit. His autem primò explicandæ eorum conditiones erunt, qui eo iam deuenerunt, vt cor durum habeant, vt tamquam in speculo sui status infelicitatem intuentes, eius aspectus turpitudinem exhorrescant. Egregiè verò præ cæteris quid duritiei cordis sit, explicat D. Bernardus his verbis statim initio, Quæris quid sit cor durum? Si non expauisti tuum hoc est, solum enim est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia non sentit, ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentia negligens, futura non prouidens, & vt breui, cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. Quæ sanè dicta, si practicè à Concionatore, & allatis exemplis, ac similitudinibus illustrentur, habent magnam vim, vel vt obduratos aliquantulum emolliant, vel vt alijs, ne in tantam calamitatem incurrant, timorem injciant. Secundò, explicandum est Deum neminem per se indurare, vel excæcare actu positiuo directè, vt Theologi loquuntur, cum non possit esse vllius peccati causa, vt eruditè disputat D. Basil. in hom. Quod Deus non sit causa malorum, imò verò semper se cum peccatore gerit parentis instar, aut Medici qui ægrotos, & si grauissimo & insanabili affectos morbo, aut ipsam agentes animam, nun-

Lib. 1. de Consid. ad Eugen. Cor durum quid sit ex Bernard.

Deus neminé per se indurat.

nunquam ita deserit, vt nullam planè opem ferat. Ita se cum Pharaone gessit, ac Iuda, & tamen ob malitiam hominum aliquando indurare dicitur, & excæcare, quod ipsum quomodo intelligi debeat non est cur à me pluribus explanetur; abundè satis ac dilucidè, dicitur à Francisco Toleto in Ioan. Certum quidem est, hanc esse peccatorum pœnam grauissimam, ac præ cæteris in hac vita extimescendam. Causas autem indurationis attingit D. Antoninus. Tertiò, adhibeat Concionator remedia, neque de eorum conuersione desperet, nobis enim liquido constare non potest, qui sint prædestinati, qui verò reprobi, & aliquos scimus tandem aliquando ab obstinatione resipuisse, & ostendit Augustinus duorum Regum exemplo, Pharaonis, qui duritiam suam misera morte redemit, & Nabuchodonosor, qui post flagella ad cor redijt, Deumq; agnouit. Possunt autem medicamenta huic morbo applicari quædam diuina ex Scripturis deprompta, vt peccati grauitas, vis, & efficacia gratiæ, libertas arbitrij, quæ innixa gratiæ, potest Deo mouente liberè deflecti, & obsequi. Dei infinita benignitas, neminem excludens à cœlestium donorum thesauris, & gratiæ: quatuor nouissima, opportuna suasio, ad exhibenda miserationis officia, ad erogandas pauperibus eleemosynas, ad priuata cum sanctis & pijs viris colloquia, & ad pias, frequentesq; ad Deum preces. Quædam autem humana sunt adiumenta, quorum vsus non prorsus inutilis; præsertim quod id genus homines ea sint indole, & ingenio, vt ad diuinioris lucis aspectum perstringatur eorum mentis acies, nisi prius, vt qui è somno surgunt in tenuiorem lucem intendant. Lege Chrysostom. vbi docet egregiè quomodo sit humanis hisce remedijs vtendum ad illius hominis conuersionem, qui in amore pecuniarum, & auaritia obduruit. Docet enim aliquando debere nos imitari artis medicæ peritos, qui in ægrotorũ curatione extenuant morbi grauitatem, & arte quadam ægrotum fallunt. Humana remedia sunt, si quis ponat ob oculos turpissimæ vitæ statum, in quo perfrictæ frontis homines vitam agunt, non sine maxima vel fortunarum, vel valetudinis, vel famæ, honoris, ac vitæ suæ discrimine siue iactura. Aliorum narranda exempla, quibus hic viuendi modus malè cessit, vt sibi alieno incommodo timere discant. In medium etiam, vel ipso auctore Chrysostomo, proferendæ Philosophorum rationes, quibus recta viuendi ratio suadetur. Im-

cap. 12. annot. 24.

2. par. tit. 8. & 9.

Lib de Prædestin. & Gratia. c. 15.

Remedia supernaturalia contra duritiem.

Adiumenta humana ad idem.

Hom. 11. in 1. ad Cor. c. 4.

probatur effrenata cupiditas, & voluptas. Neque verò ab his multa simul exigas, nisi velis omnia amittere, vt enim Prouerbium vulgatum est, Canis duos sequens lepores, neutrum capit. Ergo in diem, vel in mensem singula reposcito, ita fiet, vt quod ait ille, Vndique collectis flumen abundet aquis; Ita qui plures domi pellices alebat, non simul, sed singillatim, Beati Xauerij Patris nostri suasu dimisit omnes. Proponamus miserias, & mala innumera quæ hos consequi solent etiam in præsenti vita. His eos sermonibus ait idem Chrysostom. placemus nondum de gehenna mentione facta. Addit, cum his sermonibus coercitos viderimus, tunc iam gehennæ meminisse poterimus, non tam vt terreamus homines, quàm vt misereamur magis. Hæc autem in priuatis colloquijs aliquando melius perficiuntur. Quare operæpretium est Concionatorem sæpè id genus homines aduocare ad sese, vt ad melioris vitæ frugem reuocet, atque ad ipsum Deum. Ex priuatis etiam non raro vberiores, quam ex publicis sermonibus fructus feret. Quartò etiam sancti viri præsidia quædam extraordinaria adhibuerunt ad hominum emendationem, quæ omittenda non sunt; imò verò imitanda eis, qui lucrandarum animarum studio, non suis commodis concionandi munus exercent. Impetrarunt aliqui salutem animarum, multis ad Deum precibus eiulatu ac lacrymis, fame, siti, alijsq; susceptis sponte supplicijs. Exemplo sunt S. Dominicus, Bernardus, Catherina Senensis, alijq; quampluri-mi. B. Augustinum redemptum legimus à Dæmone parentis Monicæ lacrymis. Ambrosium Episcopum Mediolanensem, tantas in ipsa Confessionum auditione, lacrymas effudisse legimus, vt sæpè numero confitentium pectora & animum emolliret. Multa in hunc locum ex domesticis conferre, possem, sed vnum memorabo. Cum B. Pater noster Ignatius cognouisset aliquando impij cuiusdam Sacerdotis nequitiam eo animo exposuit ei in Confessione cum magno dolore, & multis lacrymis anteactæ vitæ suæ culpas, vt ad melioris vitæ frugem illum adduceret, ac re ipsa adduxit. Quintò seruandus ordo quidam prudentiæ spiritualis in ferenda, siue priuatim, siue publicè tam perditis rebus ope. Huc spectat quod docet Clem. Alexan. vt simul metum, ac benenolentiam coniungamus non immemores illius Psalmi, Misericordia & veritas præcedent faciem tuam; qui enim semper benuolus est, contemnitur, qui nimis seuerus, mentem exaspe-

Turſell. in eius vita lib. 3. c. 3.

Paulin. in eius vita, & ipſe l. 2. de pan. c. 8.

lib. Pedag. c. 9. & de inceps. Pſal. 88.

rat,

rat, quare nec remisse agendum, nec rigidè nimis. Et quidem metum duplicem possumus incutere vel pudoris, qualem habere filij in patrem solent, ac subditi in Principem, vel terroris, qui est seruorum proprius in dominos. Beneuolentiam verò exhibeamus, vt hominum animos ad honesta, & vtilia quæq; prouocemus, ad honesta quidem ducuntur animi laude ac vituperatione; ad vtilia hortando vel dehortando. Hanc autem methodum discamus ab ipso Deo in Scripturis sacris, vt reuocet à peccatis homines modò conqueritur, increpat, minatur, castigat, exprobrat, maledicit; modò adhibet hortationes, consilia, exempla, promissa, consolationes. Lege libros veteris, ac noui Testamenti, vbi passim hæc inuenies. Lege etiam ipsum Clementem Alexandrinum.

Contra eos, qui de misericordia Dei vel præsumunt vel desperant. Cap. XXVIII.

ADhuc illi expugnandi sunt, qui de misericordia diuina desperantes, vel sibi nimium tribuentes, Dei bonitatem ac misericordiam in suam ipsi malitiam trahunt, & suauissimum diuinæ bonitatis mel, in venenum mortiferum conuertunt. De his Augustinus: Ex vtroque, ait, homines periclitantur, & sperando, & desperando contrarijs rebus, contrarijs affectionibus, sperando quis decipitur, qui dicit, bonus est Deus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, implebo desideria animæ meæ. Quare hoc? quia misericors est Deus, spe isti periclitantur; desperatione autem qui cum inciderint in grauia peccata, statuentes ad damnationem sine dubio se destinatos, dicunt apud semetipsos iam damnati sumus.] Doceat Concionator, quæ via sit inter extrema duo tuta, vt scilicet, neque ita iustitiam timeat peccator, vt nulla spei consolatione conualescat, neque ita confidat de misericordia, vt adhibere vulneribus dignam pœnitentiæ negligat medicinam; sed quem præsumit sibi piè parcere, semper etiam cogitet, & districtè iudicare. Desperatis proponat primo loco Scripturæ testimonia, quæ hoc hominum genus subleuant, quorum aliqua in 2. par. attulimus lib. 7. cap. 21. & 22. vbi locos assignauimus ad excitandam veniæ spem, qui contra desperantes valent, & tamen hic etiam nonnullos adhuc addere libet, cum sit argumentum vtile, & non semel tractandum. Primus sit Patrum auctoritas. Basil. in primis

Tract. 33. in Ioan. in fine.

Contra desperantes argumenta.

In Regul. breuiorib. q. 13.

Si peccata, ait, magnitudine, & numero possunt definiri, miserationes autem Dei, neque magnitudine, neque numero possunt circumscribi; sine dubio non est cur desperatio locum habeat.] Et Leonis Papæ; Misericordiæ Domini nec mensuras possumus, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente spiritu Dei per Prophetam: Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris; & iterum: Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.] Secundò, describat quanta sit veræ pœnitentiæ vis, & efficacitas per quam omnia peccata vel grauissima delet Deus; sunt enim omnia scelera, & peccata, tanquam araneæ telà valido vento exposita in patente loco, vt ait Chrysosto. præsertim si magna fuerit pœnitentia, qualem Mariæ Ægyptiacæ, aut Magdalenæ fuisse compertum est. Audi Hieronym. Quæ peccata fletus (inquit) iste non purget? quas inueteratas maculas lamenta ista non abluant?] Quartò, Christi Domini passionem, desperatæ mentis oculis obijciat, vt Paulus facit: Recogitate eum, qui talem sustinuit aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Inducat desperantes, vt cum Bernardo dicant, Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbatur; quoniam vulnerum Domini recordabor; nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tàm ad mortem, quod non Christi morte saluetur?] Valet hic locus si benè quis vtatur, vel ab oculis desperatissimi cuiusq; peccatoris, veræ pœnitentiæ lacrymas elicere. Quintò, eorum proponantur exempla, qui ex huiusmodi morbo conualuerunt; erigit enim animos ad spem salutis, qui ex morbo, quo ipse laborat, videat aliquos in pristinam sanitatem restitutos. Si Petrus, inquit Bernar. post grauem lapsum ad tantam redijt eminentiam sanctitatis, quis de cætero desperet, si tamen egredi voluerit à peccato? Id genus exemplis refertas habes, tùm Scripturas sacras, tùm illustrium virorum Commentarios. Eusebium consule, qui inter cætera desperatum quemdam (nescio an hominem, qui belluinis erat moribus appellem) ab Euangelista Ioanne reductum refert ad honestam vitam, cum sponsionem fecisset sese in extremo Iudicij die Deo vadem pro illo sistendi. Lege Effrem. Vbi ab Eremita, cui nomen Abramius neptem inuenies à flagitiosa vita reuocatam, quæ spem omnem salutis abiecerat, imò vt est apud Surium, die

Epist. 91.
In Ps. 50. hom. 2.
Epi. 30. ad Oceanum.
In Epitap. Fabiolæ.
Hebr. 12.
Ser. 61. in Cant.
Lib. 7. c. 10
Tomo 3.
Tom. 2. 16. Martij.

die eadem postea implorata à superis opem, alienæ salutis auctor fuit. Sextò, multum valebit propositum Beatissimæ Virginis patrocinium. Si criminum (inquit Bernardus) immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi, tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam, non recedat ab ore, non recedat à corde.] Septimò, præter Conciones publicas adhibenda priuata colloquia, & promittenda Dei misericordia, etiam se ipsum coram Deo sponsorem constituendo, ad imitationem sancti Ioannis, vt iam retuli. Possunt etiam legi quæ ad excitandum spei affectum in animis, suo loco diximus. *Hom. 2. super Missus est.*

Similes locos oportebit etiam paratos habere in eos, qui nimium de diuina misericordia confidentes in peccatis perseuerant. Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triste, altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu. Ne dicas, miseratio Domini magna est, misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & Paul. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? His addenda Patrum testimonia, iustitiæ Dei magnitudo explicanda, exempla multorum afferenda, quos mala mors in peccatis abripuit. Ostendendum hoc vnum esse ex peccatis in Spiritum sanctum, quæ conuersioni viam obstruunt, cum huiusmodi homines sacrilegi, Dei bonitate, ac misericordia nequiter abutantur. Quandoquidem diuinæ misericordiæ titulus, qui eos ad pœnitentiam mouere debuit, ille idem eorum culpæ incitamentum efficitur, ad perseuerandum in scelere, quod ipsum indignum reddit hominem misericordia, cum ea tàm indignè abutatur. Vt autem habeat Orator Christianus occasionem contra ipsum peccatum sæpè pro ratione sui muneris exclamandi, subijciam hic aliquos communes locos, ex quibus materia, & argumenta desumi possunt, pro cuiusq; arbitratu. Contra præsumentes de Dei bonitate. *Eccl. 5.* *Rom. 2.*

Loci communes ad excitandum odium contra peccatum, & primo ex malitia peccati in se. Cap. XXIX.

LOci ad excitandum peccati odium ex triplici capite maximè eruuntur; ex ipsiusmet peccati in sese malicia, ac turpitudine; ex eo quod est contra Deum, & ex damnis quæ affert. Hos ego locos non omnino ieiunos proponam, sed

addam capita, vnde aliqua amplificatio peti possit. Id enim & rei grauitas postulat, & gratum arbitror aliquibus futurum. Qui verò breuitatem amabunt, ijs licebit titulos tantum pro suo arbitratu percurrere. Ad primum caput pertinent hi loci: Primò peccatum est intrinsecè, & vt loquuntur Theologi essentialiter malum, sicut Deus est summum bonum, & ipsa bonitas, vt ipse Mosi ait: Ego ostendam tibi omne bonum. Et Christus: Nemo bonus nisi solus Deus. Omnia verò creata à Deo tanquam radij solis aliquem gradum bonitatis participant, solum peccatum est, quod bonitati recta opponitur, vt tenebræ luci, ob id dicitur malitia. Videns quod multa malitia hominum esset in terra, dicitur defectus, dicitur vanitas & mendacium. Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Et à Bernar. dicitur animæ cutuitas, sicut contra sanctitas morum vocatur rectitudo. Vnde sequitur, peccatum non solum esse malum quia sit contra legem Dei, & quia prohibitum, vt sunt aliqua peccata, sed etiam sæpè intrinsecè tale esse; quæ est doctrina certa, & Catholica contra aliquos hæreticos, qui volunt nullum esse peccatum intrinsecè malum, sed solum quia prohibitum. Dantur quidem aliquæ actiones malæ, quia prohibitæ, at multæ intrinsecè tales sunt, & quia tales ideò vetitæ. Secundò, turpitudo peccati inde colligitur, quod si ipsius quidditas, vt vocant, quæratur, apparebit ipsum, planè esse nihil, esse priuationem, nec habere vllam naturam existentem, aut quippiam solidum, cum sit recessus à summo ente Deo. Potest afferri exemplum aeris, qui est tenebrosus per absentiam luminis. Augustus. Malum, inquit, nihil est aliud quàm priuatio boni. Et alibi: Mala voluntas non habet causam efficientem, sed deficientem, quia voluntas humana, quæ sola potest in homine esse peccati causa, non nisi vt est defectiua peccatum parit, vt rectè explicat idem; sicuti motus tibiæ fractæ in claudicatione, non est à potentia motum efficiente, sed deficiente. Anselmus verò est nihil, & nihil non est aliquid, & fusè toto cap. 10. & 11. Vnde apparet quanta sit peruersitas, vt homo faciat se peccati seruum, quod nihil est, Deoq; rebellans, tale in se regnum admittat. Propterea Paulus admonet, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.

Tertiò, peccato est recedere & separari à Deo, & priuare animam suam Deo, vt patet in parabola filij prodigi, qui

Exod. 33. *Mar.* 10. *Gen.* 6. *Psal.* 4. *Serm.* 24. *in Cant.* *De fide ad Petrum.* 12. *de Ciu.* c. 7. 1. *de liber. arb. c. vlt.* *Lib. de casu Diab. c.* 10. & 11. *Rom.* 6.

Peccatū est nihil.

Peccatum est recessio à Deo.

qui abijt in regionem longinquam, recedens à domo paterna, & per Isaiam Deus conqueritur: Peccata vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & indignitatem hanc grauiter exprobrat. Quis est, inquit, hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam, aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Hoc autem quantum malum sit, quis non videt? cum totum bonum hominis ex fonte diuinæ bonitatis nascatur, cui fonti vt is, qui adhæret vnus cum Deo spiritus fit; ita qui renuntiat incidit in cisternas dissipatas, & omnino perit; scriptum est enim, Mihi autem adhærere Deo bonum est, & qui elongant se à te, peribunt.

Cap. 59. *Cap. 50.* *Psal. 72.*

Quartò, peccatum quod est malum culpæ maius est omni malo pœnæ graui, quàm summa paupertas, quàm grauissimus morbus, quam quodlibet dedecus, & infamia, quam iniuriæ, & vexationes quæuis insectatorum, quam mors ipsa, atque adeo infernus. Dionys. Puniri, ait, non est malum, sed fieri pœna dignum est malum. Hanc thesim aurea eloquentia vt semper, tractat ac persuadet egregiè Diuus Chrysostom. in oratione in qua demonstrat, neminem nisi à seipso lædi. Quare etiam sapienter ac piè dictum est à Diuo Anselmo, Si hinc peccati pudorem, & illinc gehennæ cremerem horrorem, & necessariò vni eorum deberem immergi, prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me admitterem. Mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quam sorde pollutus cælorum regna tenere.] Hic debet esse fidelis planè ac generosus Christiani militis animus. Quintò, Spiritus sanctus in sacris literis vt turpitudinem peccati, & faciem eius horrendam proponat omnium oculis, solet sub vilissimarum rerum symbolis ipsum describere, sicut etiam sancti Patres faciunt. Comparatur enim peccatum in Scriptura propter multiplicem suam fœditatem ac pestem bestiarum multis generibus venenatis, efferatis, stolidis, monstruosis. Tamquam à facie colubri fuge peccatum, dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis; & apud Hierem. Equi amatores, & emissarij facti sunt vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Et, Progenies

Peccatũ est maius omni malo pœnæ.

Loco citat.

Lib. de similitudinibus. c. 190.

Peccatũ rebus vilissimis cõparatur.

Eccl. 21. *Psal. 48.* *Cap. 5.* *Luc. 3.*

Digitized by Google

nies viperarum, quis vobis ostendit fugere à ventura ira?
Luc. 13. Dicite vulpi illi, Carnes asinorum carnes eorum; erit cubi-
Ezech. 23. le draconum, & pascua struthionum, & clamabit pilosus al-
ter ad alterum. Aliquando simile dicitur morbis ac vulneri-
Esai. 1. bus: Omne caput languidum, & omne cor mœrens à planta
pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, vulnus
& liuor & plaga tumens non est circumligata, nec fota oleo,
Eccl. 21. neque curata medicamine. Quasi romphæa bis acuta omnis
iniquitas, plagæ illius non est sanitas. Alias comparatur
Hierem. 2. maculis: Si laueris te nitro, tamen maculata es. Quasi
Joel. 1. pannus menstruatæ. Alias putredini: Computruerunt ju-
Esai. 64. menta in stercore suo: Putruerunt, & corruptæ sunt cica-
trices meæ. Nunc tempestati: Cor impij quasi mare fer-
Psal. 37. uens. Nunc oneri: Iniquitates supergressæ sunt caput
meum sicut onus graue. Hic paupertati, & miseriæ: Di-
Apoc. 3. cis quia diues sum, & nescis quia miser es, & miserabi-
lis, nudus, & pauper. Illic felli, ac fœcibus: In felle ama-
Act. 8. ritudinis video te esse. Vua eorum vua fellis, venenum
Deut. 32. aspidum insanabile. Visitabo super viros defixos in fœci-
Sophon. 1. bus suis sæpè morti: Nomen habes quod viuas, sed mor-
Apoc. 3. tuus es. Nonnumquam sepulchro fœtenti: Similes estis se-
Mat. 23. pulchris dealbatis. Denique tenebris: Paulus: Abijcia-
Rom. 13. mus opera tenebrarum, &c. Eratis aliquando tenebræ.
Eph. 5. Saluianus, peccatum ait esse simile sentinæ. Chrysostom.
Lib. 7. *de* Cadaueri putrefacto, imò ibi ostendit animam peccato
prouid. obnoxiam longè peiorem esse. Cyprianus: Hæc sunt, ait,
Chryſ. ho. peccata lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sy-
9. in 1. *ad* dus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod na-
ad Thess. uigijs sæua tempestas.
Lib. de La Alia huius generis multa ex Patribus colligere poterit
psis. sua industria diligens Concionator ad peccati detestatio-
nem. Sextò, peccati malitia, & peruersitas huiusmodi est,
Vnũ peccatũ si non corrigatur, aliorũ est causa. vt si non auferatur ab anima hominis in multa alia pecca-
ta ex sua prauitate inducat, & sæpè etiam in desperatio-
Psal. 34. nem, ac cordis duritiam. Hoc docent verba Dauid: Fiant
viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini (sci-
licet malus) persequens eos. Satis erat ad ruinam in lu-
brico ambulare, quid ergo, & in lubrico, & in tenebris am-
Ephes. 4. bulantem ab hoste impelli? Et Paulus: Hoc igitur dico,
& testificor in Domino, vt non ambuletis, sicut & gentes
ambu-

Digitized by Google

ambulant in vanitate sensus tenebris obscuratum habentes intellectum, qui desperantes, seu indolentes (id est stupidi, & sine sensu doloris) semetipsos tradiderunt impudicitiæ in omnem auaritiam. Egregiè docet Gregor. quòd Theologia tota amplectitur, aliquod esse peccatum, & causam peccati, & aliquod peccatum & pœnam peccati, & aliud esse causam peccati, simul & pœnam peccati. Lege exempla ex Scripturis ibidem. Causa autem huius malitiæ in peccato est, quia peccatum vel aufert omnino, vel eneruat omnia subsidia, quibus à Deo iuuamur ad rectè agendum, vt sunt gratia, & auxilia Dei, & virtutes, & sacramenta, & affert pessimam dispositionem, qua facilè dilabimur ad omne genus mali, vt sæpè in homine post longam peccandi consuetudinem, animus quasi desperet de seipso, & de diuina gratia, & contingat quod docent Isidor. & August. Namque ille, Istis, inquit, quasi gradibus consurgit omne peccatum, cogitatio praua delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem. Hic verò suspirabam, ait, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quæ omnia ex ipso peccati habitu, & consuetudine, facile manant. Vide quæso peccati malitiam, & in quos scopulos ac syrtes nauim animæ adducat, imò compellat, & miserrimè illidat.

Lib. 1. in Ezech. ho. 11.

2. de sum. bo. c. 23.

Lib. Conf. 8. c. 5.

Loci alij ex iniurijs, quibus peccator Deum offendit. Cap. XXX.

SI verò consideretur peccatum vt fertur aduersus Deum, & vicissim odium Dei in ipsum, quod secundum caput supra posuimus, hi maximè loci existunt. Primum summa est indignitas, & intoleranda contumacia, creaturam suo se Creatori opponere, & iniuriam inferre. Apparet autem hæc oppositio, quia cum Dei voluntas, sit rectissima omnium actionum regula, per quam totus mundus regitur, & maxime homo, qui per intellectum & voluntatem tenetur diuinæ voluntati per legem diuinam significatæ obedire. Peccatum est quod Deo, eiusq; voluntati, ac legi repugnat, atque ob id vocari

Peccatū qua ratione Deo opponitur.

Digitized by Google

cari solet prævaricatio, inobedientia, rebellio. Vnde Ambr. *Lib. de Paradiso to. 3. c. 8.* Peccatum, ait, est prævaricatio diuinæ legis, & diuinorum inobedientia mandatorum, & August. Peccatum est dictum vel factum, vel concupitum contra æternam Dei legem. Quid autem iniquius esse potest, quam suam voluntatem diuinæ tam sanctæ opponere, nec velle imperio summi Principis, & Monarchæ subijci, cui cælum, cui mare, cui omnia quamuis sensu careant parent? Rursum cum Deus sit finis omnium rerum, & peculiari quadam ratione hominis per intellectum cognoscentem, & voluntatem amantem, tum in hac vita, vt egregiè *Eccles. 17.* dicitur apud Ecclesiasticũ: Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illũ, & subdit de viro, & muliere, Creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum, vt nomen sanctificationis collaudent, vt magnalia enarrent operum eius, tum in futura per claram ipsius Dei visionem, ac beatam fruitionem, ad quam per auxilia supernaturalia perueniat; peccatum tamen est, quod hominem à suo fine vero distrahit, & auertit, vt eo contempto vilissimis creaturis adhæreat, vt non sit aliud peccatum, quam auersio indebita ab incommutabili bono, & indebita conuersio ad bonum commutabile; quid autem indignius, quam Deum, ac se ipsum tanto præclaro fine defraudare? contra id quod à Paulo dici- *Rom. 8.* tur: Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.

Grauitas peccati ex persona offensa.

Secundò, æstimatur autem grauitas huius iniuriæ quã Deo facit peccator ex tribus. Primò ex ratione, & dignitate personæ offensæ, quæ est ipse Deus, creata omnia sine modo, in bonitate, potentia, maiestate transcendens. Non est sanctus, vt *1. Tim. 3.* est Dominus, neque fortis sicut Deus noster. Et Paul. ad Timoth. Beatus, & solus potens, solus habens immortalitatem Deus, sub cuius ditione cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere voluntati, & magnus Dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non est finis. Ex hac parte grauitas peccati mortalis videtur crescere in infinitum, si *In Ethic.* vera est Aristotelis doctrina, vt certè est docentis iniuriæ grauitatem sumi ex dignitate personæ offensæ. Ex quo dubitari non potest quin atrocior sit iniuria Deo per peccatum illata, quam vlla sit alia, quæ inter homines possit con-

Ex persona quæ offẽdit.

tingere, aut cogitari. Secundò ex parte personæ offendentis, quæ est homuncio res vilissima comparatione Dei, & tamen habens Dei imaginem, & à Deo factus, & donatus tot, tantisq;

Digitized by Google

cantisque beneficijs. Quod si totus mundus Deo collatus, vt dicitur in Sapientia est tanquam momentum statera, & tanquam gutta roris ante vcam; quid erit vnus quispiam homuncio, qui si cum mundo conferatur vniuerso, minimum quiddã, ac penè nihil est. De quo Deus per Isaiam conqueritur. Væ qui contradicit factori suo testa de samijs terræ. Tertiò ex parte causæ ob quam peccator mouetur, vt Deum offendat, quæ est vilissima res, & tamen ob pretium adeo vile Deo se opponit præferens creaturam Creatori. Quam iniuriam Deus egerrime ferens lamentatur, Violabant, ait, me propter pugillum hordei, & fragmen panis. Et apud Hier. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Tertio adhuc magis distinctè hanc peccati atrocitatem ponderando, tanta est eius peruersitas, vt non solum non adoret homo Deum, non seruiat suo Domino, creatori suo non obediat, sed contemnat eius virtutes, ac perfectiones, recuset imperium, suam voluntatem ei anteponat, promissiones eius non curet, nihil faciat minas, legem violet ab ipso latam, quod, vt Paulus docet ipsum Deum spernere est. Eiusdem paruifacere potentiam, per quam illico posset in nihilum redigi. Mirum est, quod iustitiam non horreat Dei, cuius est peccantem pœna etiam sempiterna punire, Bonitatem, & benignitatem negligat, ac patientiam à qua expectatur, & benignissimè toleratur; misericordiæ beneficio abutatur cum summa irreuerentia, sapientiam despiciat, cum sciat se à Deo videri, & tamen impudentissimus conspectum, & oculos videntis non erubescit, sed coram, & in os audet illum offendere: Denique ita se gerit omnino, quasi Deus non esset, neque iustus, neque bonus, neque omnipotens, imò tanquam non esset Deus. Dixit insipiens, ait Dauid, non est Deus; licet enim corde aliquo modo credat, factis tamen clamat non esse bonum sibi sufficiens, dum ei terga vertit, & ad aliud se bonum conuertit, & se ipsum ei praefert. Hucusque etiam peruenit stolida peccatoris vesania, vt ipsum Deum, qui est summum bonum, summe pulchrum, summe amabile odio habeat, secundum illud. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper, & nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum; potest ne horribilibus aliquid audiri? Adhuc videtur crescere peccati malitia, quia peccator quantum in ipso est Deum occidit,

Sap. 11.

Cap. 45.

Ex parte causę.

Ezech. 13.

Hier. 2.

Peccator Deum contemnit.

Psal. 73.

Ioan. 15.

vt etiam

vt etiam Scholastici loquuntur, ac si esset interitus capax,
Ser.3. de Resur. diuinitas ipsa periret. Bernardus loquens de propria voluntate, In ipsum, ait, horribile dictu desæuit autborem, nam quantum in ipsa est, ipsum Deum perimit voluntas propria: Omnino enim vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire; vult ergo Deum non esse Deum, quia quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis planè, & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, sapientiam, iustitiam perire desiderat, crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & læna sæuissima.] Quarto
Peccatum est summa ingratitudo. agnoscitur peccati grauitas summa, ex maximis Dei beneficijs in nos collatis, est enim ingrati animi indignitas intoleranda, tàm benè meritum non solum non reuereri, & amare, sed potius contemptui habere, atque odisse. Inter homines quid est, quod magis stomachamur, ac fugimus, quam ingratum aliquem, qui pro beneficijs maleficia, & pro amore odium rependat? Hoc est, quod Deus adeò indignum iudicat, vt cælum, & terras, Angelos, & homines testes ad-
Isa.1. uocet tantæ impietatis. Audite cæli ait, & auribus percipè terra, filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepè domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus
Deut.32. non intellexit. Et generatio praua, atque peruersa hæcine reddis Domino, populè stultè, & insipiens? nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui. Potest hoc loco Concionator amplificare magnitudinem, ac multitudinem beneficiorum Dei: rursum quanta sit animi prauitas, quamque indignum dona, & beneficia Dei in ipsum donatorem cum summa eius ignominia conuertere. Videsnè quomodo peccator aduersus Deum se gerat? Sed aduerte etiam ex sequentibus locis quomodo se habeat Deus contra peccatum, vt eius malitiam nobis aperiat. Ex maximo etenim odio quo Deus peccatorem odit appareat peccati quanta sit turpitudo.

Dei

Dei Odium contra peccatum. Cap. XXXI.

DEVS nihil odit nisi peccatum, cum cætera omnia, ab ipso sint, & non possit odio habere quicquam eorum quæ ipse fecit, non serpentem venenatum, non crudelem tygrem, non draconem, non aerem pestilentem, non mortem, non infernum, & tamen peccatum summo insequitur odio. Altissimus odio habet peccatores. Odio est Deo impius, & impietas eius. Odisti omnes qui operantur iniquitatem; & vult omnes suos amicos, & nos, iustos eodem odio in peccatores ferri armatos, sicut ex his vnus factus secundum cor Dei affirmat; Perfecto odio oderam illos; &, vidi præuaricantes & tabescebam. & in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Eodem igne ardebant Elias, Phinees, Moses, omnes Prophetæ, Apostoli, maximè Paulus. Quinto, facilè autem erit inuenti aduertere ex modis loquendi, quibus sacræ literæ vtuntur, quanta sit hæc Dei detestatio, & odium in peccatum. Plenæ sunt vtriusque Testamenti paginæ, attingam pauca loca. Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, tactus dolore cordis intrinsecus, pœnitet, ait, me fecisse hominem. Exacerbauit Dominum peccator secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in vobis. Accingite vos cilicijs, plangite, & vlulate, quia non est auersa ira furoris Domini à vobis. Et iratus est furore Dominus, & abominatus est hæreditatem suam. Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum. Hæc autem ita de Deo dicuntur, vt nihil Deo indignum significent; sed vt Origenes ait, Deus non indecorum iudicauit ea sibi attribuere, propter nostram vtilitatem, sicut solent matres iram ostendere, vt pueros à vitio aliquo deterreant; vel vt ait Hilarius per hos affectus significantur pœnæ peccatoribus aut inflictæ, aut infligendæ, vt solent homines irati facere. Pœna enim patientis, ira creditur esse decernentis. Denique apparet peccati grauitas, quæ tanta est, vt hæc in Deo, si capax ipse esset efficeret. Et in Euangelio similia de Christo legimus. Videns Ciuitatem

Eccl. 12. *Psal.* 5. *Psal.* 38. *Psal.* 118. *Psal.* 100.

Quantum sit Dei odium in peccatum ex modis loquendi Scripturæ.

Gen. 6. *Psal.* 10. *Eph.* 4. *Hier.* 4. *Psal.* 105. *Os.* 14. *L.* 4 *contra Celsum.* *In psal.* 2.

Luc.19. uitatem fleuit ſuper eam. Cumque vidit ſacrilegia, quæ in domo Dei fiebant, ita eum zelus repleuit, vel vt in pſalmo eſt, comedit, vt vendentes, & ementes impetu illo & ardore mirabili ejecerit. In ſuſcitatione Lazari infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum planè ob cauſam mortis, quæ eſt peccatum. Paſſioni mox proximus cœpit tædere, & pauere, & mœſtus eſſe, non tam propter imminentes dolores, & cruciatus, quam quod perſonam in ſe peccatoris pœnitentis aſſumeret. Sexto ex pœnis quas Deus peccatoribus infligit, ſatis, ſuperque apparet, quam ſit in eius oculis deteſtandum peccatum. Deus (ait Diuus Petrus) Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos ad inferiora detruſit. Vide quanta eſſet dignitas Angelorum, & quanta peccati malitia, vt tam nobiles ſpiritus, & tam multos perdiderit, & æternis cruciatibus puniendos ſine vlla veniæ ſpe tradiderit. Hominem in Paradiſo terreſtri Dei præceptum prætergredientem, vide quam acerbe puniuit, vt expulit de Paradiſo, vt morte mulctauit, vt ad innumeras calamitates cum tota poſteritate damnauit. Tempore Noè ob peccata hominum immiſit diluuium, & aquis omnes homines perdidit, ac iumenta. Pentapolim igne, ac ſulphure ſuccendit, & obruit, & in hoc vſque tempus incendij ſigna, & irati Dei apparent, vt dicitur Sapientiæ 10. In teſtimonium nequitiæ fumigabundâ conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores. Populum Iſrael ſæpiſsimè ob varia peccata à Deo grauiſſimè punitum, omnes Prophetæ prædicant, & hiſtoriæ veteris Teſtamenti. Ibidem ſcribuntur inflictæ pœnæ in Chaldæos, Aſſyrios, Ægyptios, Pharaonem, Nabuchodonoſor, & multos alios, plenæ ſunt hiſtoriæ huiuſmodi exemplis. Huc tendunt omnes minæ quas Deus in vtriuſque teſtamenti voluminibus intentat in Impios, vt à peccando deterreat: lege cap. 28. Deut. ſi non expaueſcis ad tot maledictiones, quot Deus contra peccatorem intonat, poteris dubitare de duritiè cordis tui.

Quibus penis Deus peccatorem perſequatur.

2. Pet. 2.

Hebr. 10. Clamat Paulus horrendum eſſe incidere in manus Dei viuen-
Deut. 32. tis. Et Deus ipſe, Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas
Hier. 1. complebo in eis. Virgam vigilantem ego video, ollam ſuccen-
Pſal. 89. ſam ego video. Et quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timo-

re

se tuo iram tuam dinumerare, tu terribilis es & quis resistet ei bi. Accipiet armaturam zelus illius. Et, iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum excidetur, & in ignem mittetur. Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida. *Psal. 75. Sap. 5. Matth. 3, Matth. 7. Luc. 10.*

Septimò, sed nulla pœna melius peccati grauitatem explicat, quam pœna inferni æterna præparata Angelis malis, & hominibus eorum sectatoribus vt dicitur apud Isa. Præparata est ab heri Tophet, à rege præparata, profunda, & dilatata, nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Vide hoc loco expositionem D. Hieron. Considera multitudinem pœnarum, quas dives epulo cum esset in tormentis expertus clamat, quia crucior, atrocitatem, earum, æternitatem, ignis ardorem, pœnam sensus in omnibus, & grauiorem pœnam damni, propter quam Dauid ait, Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit, desiderium planè in homine videndi Deum, qui est hominis finis, quo se videt peccator priuatum in omnem æternitatem, & propter vtramque pœnam tam sensus, quam damni, Christus dixit, ibi erit fletus, & stridor dentium, quam sententiam sæpius legimus à Christo in Euangelijs repetitam, tanquam rem maximè attendendam, quam cordi profundius imprimamus; Considera inquam hanc Dei seueriſſimam iustitiam in puniendis peccatoribus, & facilè erit peccatorum malitiã amplificare, præsertim si simul adijcias quanta sit Dei benignitas, & misericordia, quantus amor eius in hominem, quanta magnitudo beneficiorum, quanta ipsius animæ nostræ pulchritudo & dignitas, sicut, & Angelorũ, quantum sit prætium sanguinis quem pro nobis effudit, vt nos redimeret, & cum hæc tanti momenti sint apud ipsum Deum, tamen adeo peccatum odit, vt propter ipsum tot Angelos tot animas, tam grauibus, & æternis pœnis discruciet; hoc plane, argumento est, Deum qui est infinita bonitas, non posse tantam peruersitatem tolerare.

Infernus pœna peccati. *Isa. 30. Luc. 16. Psal. 111. Matth. 8.*

Octauò enormitas peccati fortè ex nulla re magis amplificari potest, quam si consideremus remedium, quod Diuina sapientia adinuenit ad ipsum tollendum, quod est Deum nostram naturam assumpsisse, & mortem tam atrocem, tamque ignominiosam subijsse, vt peccatis ex rigore iustitiæ satisfaceret, ac remedium efficax adhiberet. Sic Isaias, Nos reputauimus

Ex Christi passione peccati apparet grauitas. *Isa. 53.*

eum quasi leprosum, & percussum, & humiliatum à Deo, ipse autem attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus. Et iterum Propter scelus populi mei, percussi eum.

Ser. 3. de Nat. Quare meritò Bernardus, Agnosce, inquit, quam grauia sint vulnera peccatorum pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari, si non essent hæc ad mortem, & ad mortem sempiternam, numquã pro eorum remedio filius hominis moreretur. ¶ Notanda est inuentio mira diuinæ sapientiæ, & charitatis, vnde agnoscamus peccati grauitatem. Volebat amor diuinus triũphare de peccato, de Dæmonibus, de morte; quid fecit? de ipsomet Deo triũphauit, quod optimè expressit Paulus delens ait quod aduersum nos erat chyrographum decreti quod erat cõtrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, exspolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Quidnam est illud quod Christus affixit Cruci? Certè suammet carnem diuinam, & hoc modo chirographum decreti affigere dicitur ac delere. Quomodo triumphauit de inimicis, & peccatis nostris? In semetipso, Idem Paulus, hoc scientes quia vetus homo noster Crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. Quæso te vter homo crucifixus est, nouus ne an vetus Adam? Plane Christus nouus homo in crucè positus, crucifigit in nobis veterem, & destruit corpus peccati. Et ad Cor. eum qui peccatum non nouerat pro nobis peccatum fecit. Quid est Christum à Patre factum esse peccatum pro nobis? Dices hostiam pro peccato, sed plane modus hic loquendi plus quiddam significat, vt potes videre apud Chrysost. significat enim Christum non solum satisfeciſſe pro peccato per mortem, sed subijsse mortem acerbissimam, & valde ignominiosam quasi ipse esset vere peccator, imo verò quasi esset Christus, ipsummet peccatum. Nam si peccatum esset aliqua persona viua, & esset condemnanda à suprẽmo Iudice, qua pœna damnandum esset? Certè ea qua Christus damnatus est, vt scilicet flagellaretur, conspueretur, blasphemaretur eijceretur, illuderetur, cruci affigeretur cũ summa ignominia, etiam latus post mortem transfigeretur. O incredibilem peccati fœditatem, per quam Christus factus est maledictum inquit Paulus, vt nos de maledicto redimeret, factus est pro nobis peccatum, vt nos iustitia Dei fieremus in illo: & tamen post tantum remedium, ac talem medicinam exhibitã audent homines peccata committere, iterum crucifigentes filium

Ad Colos. 2.

Col. 6.

2. Cor. 5.

Homil. 10. in 2. Cor. 5.

Digitized by Google

lium Dei in semetipsis, & ostentui habentes. Bone Deus quanam pœna digni sunt qui etiá num filium Dei conculcauerint, & sanguinem testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt & spiritui gratiæ contumeliam fecerint? merito sanè peccator se ipsum longè Diabolo peiorem reputare debet, ac dicere. Diabolus nulla præcedente peccati vindicta superbiens peccauit, ego visa eius pœna, non continens ad peccatũ properaui. Ille in innocentia constitutus, ego restitutus; ille obdurans ad punientem, ego ad blandientem, & sic vterque contra Deum, ille contra non requirentem se, ego contra morientem pro me. Et ecce cuius imaginem horrebam in multis aspicio me horribiliorem. Hæc ex secundo capite, Ad tertium vero Caput, quod includit damna quæ peccatori peccatum infert, imò toti mundo hi loci sequentes pertinent. *Heb.* 10.

De eodem, loci alij ex damnis quibus authorem suum afficit. Cap. XXXII.

PRimò peccatum in animam admissum, tollit gratiam Dei, quæ quam magnum donum sit vix potest ab aliquo intelligi, nedum explicari: est autem donum quoddam animæ inhærens, vt Paulus docet, qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris, per quam gratiam anima viuit vita quadam Diuina Deo præsente, sicut vitam naturalem corpus ab anima infomante recipit. Ioannes, inquit, scimus quia translati sumus de morte ad vitam. Per hanc homo fit Deo adeo similis, vt Diuus Petrus dicat, magna, & prætiosa nobis promissa donauit, vt per hæc diuinæ essemus consortes naturæ. fit filius Dei, Ioannes omnis qui diligit ex Deo natus est: Constituitur iustus iustitia Dei, vt Paulus loquitur non iustitia Dei, qua Deus iustus est, vt perperam exponunt Hæretici, sed quam dat homini Deus, & iustus fit homo per Deum, vt exponit Augustinus. At peccati malitia ea est, vt statim his opibus, ac thesauris misere animam exspoliet, eidemque mortem afferat expellendo ab ea Deum, licet foris viuat corpus. Nam sicut fulgur vaginam integram interdum relinquit, & ferreum consumit gladium, sic peccatũ vitam animæ spiritualem perimit viuo corpore, & sicut cadauer habet suum esse naturale, non tamẽ operationes vitæ cum abest anima, sic anima amissa vita gratiæ retinet quidem esse

Peccatũ gratiam Dei tollit. 1. *Ioan.* 3. 2. *Pet.* 1. 2. *Ioan.* 4. *In psal.* 118.

naturale animæ & operationes naturales, non tamen gratas Deo actiones, & cœlestem gloriam promerentes. Ob id comparatur peccatum rebus mortiferis, ferocissimisque, ac venenatis animalibus, vti supra retulimus. Peccatum est quod perdit similitudinem Dei, destruit iustitiam inhærentẽ ac adoptionem filiorum Dei. Vnde Ioan. Filioli nemo vos seducat, qui facit iustitiam iustus est, qui facit peccatum ex Diabolo est. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare quia ex Deo natus est. Secundò peccatum aufert ab anima decorem, & pulchritudinem, & eam maculat, & coinquinat. Hierem. Denigrata est super carbones facies eius apud Mattheum. Christos ait ex corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, rapinæ, & hæc coinquinant hominem, vt patet in Lucifero, & Angelis, qui cum essent pulcherrimi, per peccatum in horrendos, ac fœdissimos spiritus conuersi sunt. Hoc autem damnum in animam ex peccato ideo nascitur, quoniam per ipsum auertitur anima à Dei facie pulcherrima, quæ est lux, & splendor animæ, & conuertitur per amorem ad infimas creaturas Deo contempto, & fit abhominabilis, sicut eà quæ dilexit, vt canere possimus cum gemitu lamentationem Hieremiæ. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? filij Syon inclyti & amicti auro primo quomodo reputati sunt in vasa testea opus manuũ figuli? qui nutriebantur in croceis amplexati sunt steriora.

1. *Ioan.* 3.

Macula animæ ex peccato.

Thr. 4.

Matt. 15.

Thr. 4.

Tertiò peccatum efficit, vt opera bona facta prius in gratia mortificentur, & ad meritum gloriæ quamdiù in peccato persistit homo, nihil valeant, sed obliuioni dentur à Deo per id tẽpus. Manifesta est Dei sententia apud Ezechielem. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ quas fecerat non recordabuntur, in peccato suo morietur. Non semel contigit, vt viri magnis virtutibus illustres, & pleni rectis operibus, in lethale crimen inciderent, & morerentur in eo, & damnarentur qui casus maximè a nobis formidandus, & dolendus est: quemadmodum si onustam prætiosis mercibus nauim tempestas abripiat & in profundum demergat, vt meritò D. Paulus admoneat, Sic currite, vt comprehendatis. Quartò præterea adeo est crimine contactorum misera conditio, vt opera eorum, licet alioquin bona moraliter, non possint ad meritum gratiæ, seu gloriæ computari, neque tunc, neque vnquam:

Opera bona mortificantur.

Cap. 18.

1. *Cor.* 9.

vnquam: nam opera noſtra ex ſe ipſis, nec valorem habent ad ſupernaturalia, nec poſſunt habere proportionem, niſi per gratiam, per quam vim accipiunt, & eleuantur ad eam dignitatẽ, vt maiorem gratiam, & gloriam mereantur, at dona iniquorum non probat altiſsimus. Itaque quamuis aliquando diſponant homines ad pœnitentiam, & aperiant viam ad miſericordiam, & ad alia nonnulla valeant, tamen mereri gratiam, & gloriam nequeunt audi Iſaiam Quare ieiunauimus & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras & neſciſti? quia in diebus ieiuniorum veſtrorum inuenitur voluntas veſtra: Quod dixi de meritò, etiam verum eſt de ſatisfactione, quæ facta in peccato mortali non diminuit pœnas, nec eſt ſufficiens ad debita ſoluẽda. Neque hoc damnum debet paruifieri, cum reuera ſit maximum, amiſsio ſcilicet hæreditatis filiorum Dei perinde, ac ſi filius magni Regis facinus aliquod aduerſus Patrem committeret quo fieret reus læſæ maieſtatis, ac regio patrimonio iure priuandus eſſet: quod ſimile eſt ſtultitiæ Eſau cuius exemplum nobis Paulus proponens ad Hebr. rectè nos admonet, Ne quis fornicator aut prophanus ſit vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua, & poſtea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus eſt, non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.

Opera bona in peccato facta carẽt merito.

Eccl. 34.

Iſa. 58.

Heb. 12.

Peccator multis Dei donis priuatur. Cap. XXXIII.

QVintò priuatur homo multis Dei auxilijs, & beneficijs dum in anima peccatum retinet. Nam quamquam Deus nulli licet grauiſsimo peccatori, vt Iudæ ac Pharaoni auxilium quod vocant Theologi ſufficiens deneget, tamen quod abundans appellant negari ſolet ob peccata, adeo vt qui diù perſeuerant in ijs, eaque multiplicant, à Deo in ſcriptura dicantur derelinqui, vt apud Iſaiam de vinea dicitur, Oſtendam vobis quid faciam vineæ meæ, auferam ſepem, diruam maceriam, & ponam eam deſertam, non putabitur, & non fodietur, & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem. Et Hierem. Defecit ſufflatorium, in igne cõſumptum eſt plumbum, fruſtra cõflauit conflator, malitiæ eorum non ſunt conſumptæ, argentũ reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Eandem ob cauſam Deus dicitur excæcare & obdurare; Iſaiæ. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis, & corde ſuo intelli-

Cap. 5.

Hier. 6.

Eſa. 6.

telligat, & conuertatur, & sanem eum. Et Exod. Ego indurabo cor Pharaonis: quæ verba non significant Deum aliquid efficere positiuè, vt aiunt per quod peccator obduretur, tanquã Deus duritiem, vel cœcitatem inducat; sed solum ob peccatorum mala merita, quædam peculiaria auxilia negare, ex quorum absentia sequitur cœcitas, & durities. Eodem modo Angeli custodes Deum imitantes, etsi non omnino deserant peccatorem, vt neque Deus, tamen non concedunt eos fauores, quos exhibere soliti sunt iustis, vt docet Basil. & glossa in illud Hierem. curauimus Babylonem, & non est curata, derelinquamus ergo eam.

Exo. 7.
In ps. 37. Hom. 21. Hier. 51.

Priuatur consolationibus.

Sextò super hæc priuatur peccator ob peccatum multis consolationibus, quibus Deo inhabitante, & visitante animæ iustorum fruuntur, ex Dei præsentia, & familiaritate secundum illud. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te; vnde scilicet fit, vt etiam in maximis vitæ huius calamitatibus lætitia gestiant. Ideo Christus inuitat, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et Paulus. Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Et Hieron. Testis mihi est Deus post multas lachrymas post cœlo inhærentes oculos, videbar mihi agminibus interesse Angelorum, & lætus, gaudensque canebam, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Gaudent iusti in legis diuinæ custodia. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Et ambulaui in latitudine, quia mandata tua exquisiui: In memoria Dei, Psal. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum: In oratione, vix dici potest. Cum quanta suauitate plorat, qui cum gemitu orat: In laboribus, qui pro Christo tolerati, sunt suauiores omnibus delicatissimis cibis, vt August. exponit illa verba psalmi, labores manuum tuarum quia manducabis. Has verò consolationes Spiritus Sancti non possunt habere, qui in carne, & peccatis viuunt. Nam manna ex sapient. 1. habebat omnem saporis suauitatem, sed non omnibus sapiebat, nisi solis bonis, vt docet August. & patet, quia reprobi dicebant, Nauseat anima nostra.

Matth. 11
Psal. 118.
Psal. 76.
In ps. 127.
Lib. 2. retract. c. 20.

Priuatur fructu Sacramẽtorum.

Septimò, Adde priuari ob peccatum hominem fructu Sacramentorũ si accedat cum peccato sine debita præparatione; Operantur enim Sacramenta ad remissionem peccatorum, & collationem gratiæ, si tamen homo sit sine voluntate peccati; priuatur thesauro indulgentiarum, quæ non prosunt nisi existenti

Digitized by Google

ſtenti in gratia; priuatur participatione omnium bonorum operum, quæ in Eccleſia fiunt, tanquam membrum aridum. Itaque non poteſt cum Pſalmiſta dicere, Particeps ego ſum omnium timentium nomen tuum. Priuatur verbi Dei efficacia, inſpirationibus multis, earumque fructu, quas Deus amicis ſuis communicat, vt non poſsit canere cum Dauide, Audium quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacē in plebem ſuam, & in eos qui conuertuntur ad cor. Priuatur Euchariſtiæ nutrimento, & dulcedine, orationum pio vſu, & effectu, cum in multis verum ſit illud, ſcimus quia peccatores Deus non audit: qui autem in peccato eſt, vix poteſt orare, cum oratio ſit eleuatio cordis ad Deum, ipſe vero miſerū in modum grauiſsimo prematur pondere, ac deorſum non ſurſum tendat. Denique ſpoliatur homo multis fructibus in quibus communicant iuſti in Eccleſia ſancta Dei inter ſe, per eam ſocietatem, Communionemq; Sanctorum, quam confitemur in Symbolo: quæ quid contineat vide in Catechiſmo, Concilij Trid. iuſſu edito. *Pſal.* 118. *Pſal.* 84.

Octauò ex peccato triplex genus facultatum, ſeu potentiarum in homine graue patitur damnum. Intellectus, Volūtas, & Vires, quæ executioni operum ſeruiunt. Obſcuratur intellectus: Paulus, obſcuratum (inquit) eſt inſipiens cor eorum: vnde à Clemente Romano, & Ambroſio comparatur peccatū fumo, quia ſicut hoc, acies oculorum læditur, ita mens ſceleſtorum obſcuratur peccato; quo fit vt non videant bona quæ amittunt, nec mala quæ incurrunt, nec vitæ breuitatem, nec Dæmonis inſidias, ſed inſtar cęcorum cęcutiunt & indigent collyrio, quo Ioannes ſuadet inungendos oculos vt videant. Præterea obſtupeſcit affectus, vt non ſentiat rerum ſpiritualium guſtum, & ſaporem. Ob id Hieron. & Auguſt. in illa verba: Omnis qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes ipſius, affirmant peccata eſſe vuam acerbam. Denique Potentiæ executricis obtunditur virtus ad rectè agendum, vnde imbecillitas naſcitur: optimè enim Chryſoſt. ex peccato duplex malum ait oriri, vnum quo offendimus, alterum quo peiores reddimur, & addit ibidem nihil tam impudentem facit, quam peccatum; Confundit quidem eum qui ſe condēnauit, at eum qui frontem perfricuerit efficit procacioré, qui febre corripitur, non ſolum morbum patitur dum febre laborat, ſed etiam liber à febre ſentit virium corporis imbecillitatem; & ſicut qui ex alto cadit ita colliditur vt etiam poſt me- Tria genera potentiarum peccato leduntur. *Rom.* 1. *Lib.* 2. *de Caim, & Abel.* *Ap.* 3. *In pſ.* 48. *Homil.* 30. *ad Pop. Ant.*

dicamenta, & ſanitatem relinquatur in membris debilitas, ſic remiſſo peccato manent tamen reliquiæ.

Tollit pacē animæ peccatum.

Nonò tollit peccatum animæ pacem, & tranquillitatem, & affert ſecum conſcientiæ malæ tormentum. Veriſſimè namque dixit Auguſt. Iuſtiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus. Huius rei eſt euidens argumentum, tremor ille qui in Caim dicitur manſiſſe poſt commiſſum ſcelus vt propterea diceret: Ecce eijcis me à facie tua, vagus, & profugus ero, vel ſicut vertunt ſeptuaginta timens, ac gemens: Omnis qui inuenerit me occidet me. Ratio autem eſt aperta, quia cum peccatum tollat ab anima Deum ac iuſtitiā, ac bonam conſcientiam, tollit ſimul, & pacem, & tranquillitatem quæ ex Dei præſentia & gratia naſcitur, teſte Paulo, gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quam conſcientiæ vim vel Ethnici ſapientes intellexerunt. Bias Philoſophus interrogatus, quidnam in vita metu vacaret, dixit bona conſcientia, & Socrates quærenti cuidam, quinam ſine perturbatione viuerent, qui, inquit, ſibi nullius mali conſcij ſunt. Quantum verò ſit conſcientiæ malæ tormentum ſatis eſt notū, ipſa ſine alio tortore cruciat ſceleſtos & lacerat. Propterea optimè Paulus Reuelatur, ait ira Dei de cęlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, & Rom. 2. Ira, & indignatio tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Quod tormentum tempore mortis magis quam alias in vita ſentitur, vt dicitur ſap. 4. Venient in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent eos ex aduerſo cogitationes ipſorum, præterquam quod inordinatæ paſsiones quæ ſolent conſequi ſtatum peccatoris ſunt, tartareæ quaſi furiæ, torquentes multis modis animas, vt bene dictum ſit Iſa. 9. Cor impij quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt. & D. Chryſoſt. docet peccatum eſſe Dæmonium voluntarium, & peccatorem eſſe peiorem arreptitio, & Dæmoniaco. Ex quo patet neminem eſſe mihi peiorem hoſtem, quam ſim ego mihi ipſi, ſi peccatum admittam, ſecundum illud Tobiæ: qui faciunt peccatum hoſtes ſunt animæ ſuę. Itaque nunquam tantum nocere poſſent Tyranni, belluæ, dæmones, & omnes huius vitæ calamitates, ſi in me irruerent, quantum vnum tantummodo mortale peccatum.

Lib. 1. cōf. c. 12. in fine.
Gen. 4.
2. Cor. 1.
Rom. 1.
Rom. 2.
Sap. 4.
Iſa. 9.
Hom. 30. De Ira ad pop. Ant.
Tob. 12.

Detri-

Digitized by Google

Detrimenta quibus totum mundum peccatum afficit. Cap. XXXIV.

DEcimò Peccatum toti mundo detrimentum affert. Paradiſo, quia Angelos, ac beatos priuat lætitia & gloria, quam ex conſortio bonorum recipiunt. Vt fumus ait Baſilius in Pſal. 33. fugat apes, & fœtor columbas, ſic peccatum Angelos, quorum etiam cuſtodiam reddit inefficacem. Animas purgatorij priuat ſuffragijs quibus ſubleuantur à pœnis, quia vel non ſuffragantur eis Peccatores, vel ſunt inualida eorum ſuffragia ob venenum peccati mortiferi. Etiam damnatis nocet, non enim ſolatium ipſis eſt habere in malis ſocios, ſed creſcit ex numero pœna, ſicut lætitia creſcit beatis. Eccleſiæ multis modis infert damnum. Primum quia eſt peccator ſicut membrum inutile corporis quod non adiumento, ſed ponderi eſt. Deinde quia non ſolum eſt membrum inutile, deforme, oneroſum, ſed etiam peſtilens, quod ſcandala multis offert, & malo exemplo inficit. Infidelibus nocet quoniã, vt Paulus ait, Per vos blaſphematur nomen Dei inter gentes, quæ male iudicant de Chriſtiana lege propter malam Chriſtianorum vitam. Item omnibus creaturis ratione carentibus, dum eis contra Dei gloriam abutitur. Tunc fit quod Paulus teſtatur, vt vanitati creatura ſubiecta ſit, non volens, & ingemiſcat, atque parturiat. Quare non mirum ſi ſuo tempore armabitur ipſa ad vltionem inimicorũ, & pugnabit pro Deo orbis Terrarum contra inſenſatos.

In pſ. 33. Homil. 20.

Eccleſiæ nocet.

Rom. 2.

Omnibus creaturis.

Rom. 8. Sap. 5.

Vndecimò peccatum ſuo authori maxima damna infert non ſolum in ſpiritualibus, & æternis, vt in multis oſtẽſum eſt, adeo vt poſſit veriſſimè dici, Exinanite exinanite vſque ad fundamentum in ea, verum etiam in bonis vt vocant fortunæ, ac corporis, nam ex peccatis multi ſæpe morbi, & mors naſcuntur. Gula plures haud dubie occidit, quam gladius, opes prodigũtur, fama deperditur, dediſti maculam in gloria tua, amicitiæ pereunt, patrimonia peſſundantur, regna deſtruuntur. Verum eſt quidem multos etiam ſceleſtos à Deo non puniri pœnis in hac vita, alios autem plecti. Vtrobique ſumma eſt Dei ſapientia, ſi enim nullum puniret hic, quis crederet Deum habere humanarum rerum prouidentiam, & ſi omnes plecteret, quis crederet futurum Iudicium & pœnas æternas, quæ eſt ratio Greg. Chryſoſtomi paſſim, & aliorum Sanctorum. Poſtremò loco, vt maximum damnum addam, peccatum afferre in multis malam

Nocet peccatum bonis externis.

Lib. 5. Moral. c. 15.

Peccatores mala mors sepissimè sequitur.

Prima probatio ex parte Dei.

Psal. 17.

Prou. 1.

Lib. 15. *Mor c.* 7. *Iob.* 27. *Prou.* 21. *Matt.* 25.

Secunda probatio.

Ex parte liberi arbitrij.

Aug. c. 17. *l. de vera & falsa pœn. initio.*

lam mortem, qui est effectus maximè deplorandus, & vltimum hominis exitium, & principium omnium malorum in omnem æternitatem, cui nullum exinde potest adhiberi remedium. Hæc autem veritas probatur ex ratione quæ triplici fundamento, eoque optimo innititur primum est ex parte Dei qui iustissimo iudicio permittit, vt qui in vita non est recordatus Dei, etiam in morte sui ipsius obliuiscatur; Ac Deus quidem sufficiens auxilium ne in morte quidem peccatoribus denegat, sed quoddam aliud abundans, ex meritis vitæ in peccatis actæ, non tribuit. Itaque cum sæpe à se Deum expulerint, atque adeo vt supra diximus Sacrosanctam eius maiestatem bonitatemque contempserint, mirandum non est, si talem in se Deum experiantur in morte, quales ipsi erga illum in vita se præbuerunt, & inde fit vt male pereant. Confirmatur autem hæc doctrina scripturarum authoritate. Cum Sancto (ait Dauid Deum alloquens) sanctus eris, cum electo electus eris, cum viro innocente innocens eris, quid tum? & cum peruerso peruerteris. Prou. Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient me. Quam tandem ob causam? eo quod exosam habuerint disciplinam. Infert conclusionem; comedent igitur fructus vitæ suæ, suisque consilijs saturabuntur. Ad eiusdem doctrinæ corroborationem affert D. Gregorius illa verba Iob. Quæ est spes Hypocritæ si auare rapiat, & non liberet Deus animam eius? nunquid Deus audiet clamorem eius cum venerit super eum angustia? & in prou. qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, & ipse clamabit & non exaudietur, & illud Matthæi Domine Domine aperi nobis, amen dico vobis nescio vos, vigilate ergo quia nescitis diem neque horam.

Secundum fundamentum est ex parte liberi arbitrij, quod tempore mortis est valde inhabile ad conuersionem, ac veram pœnitentiam, quam sanus homo, & bene valens non est amplexatus. Verum est illud Augustini, Arbitrij libertatem quærit Deus non necessitatem. Non id quidem dicit Augustinus animam, quamdiu est in corpore, amittere libertatem, nec loquitur de statu eorum qui in phrenesim incidunt, sed de pec-

cato-

catoribus qui licet habeant libertatem non tamen expeditam est gloſſa Bonauenturæ in verba Auguſtini, Arbitrij libertatem quærit Deus expeditam (ait) non quaſi neceſſitatem, & coactionem. Eo autem tempore multa ſunt, quæ hanc expeditam libertatem non tollunt quidem ſed valde impediunt, vt eſt magnus timor, triſtitia & mœror ſummus opprimens huiuſmodi infirmum; imaginatio valde turbata, & hebetes ſenſus, & inde intellectus valdè imparatus ad conſiderandum. Voluntas vix facit actus, qui ſint plene voluntarij, ſed fere ad eum modum quo mercator proijcit merces orta tempeſtate, quem Ariſtoteles actum inuoluntarium ſimpliciter docet eſſe, ſecundum quid voluntarium. Atqui pœnitentiam Deus ſimpliciter voluntariam exigit, quia hoc verè & propriè voluntariũ eſt.

Tertium principium eſt à Dæmone, qui tunc maximè peccatori inſidiatur vt probat magiſter ſentẽtiarum ex loco Pſal. Iniquitas calcanei mei circundabit me, & ex illo Geneſis tu inſidiaberis calcaneo eius. Hæc dicta ſint de locis ad odium peccati excitandum, quos placuit aliquanto fuſius explicare, vt Concionatori aliqua ex parte laborem imminuerem in re ſummi momenti ad quam debet eſſe valde paratus; & in concionibus ſuis frequenter excurrere.

Tertia probatio. Ex parte Dæmonis. *Gen.* 3.

Pœnitentiam Orator inculcet eiuſque partes. *Cap. XXXV.*

STudium ac diligentia & zelus Concionatoris in hoc maximè elucere debet, vt frequenter ad peccatorum pœnitentiam adducere auditores ſuos conetur. Oſtendit hoc authoritas ſacrarum literarum, quæ in pœnitentia perſuadenda paſſim excurrunt ſic videmus feciſſe Chriſtum, ſic Io. Baptiſtam, ſic Prophetas, ſic Apoſtolos quibus Chriſtus dixit oportere prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum. *Luc.* 24.

Secundò ſancti Patres non ſolum hac de re frequenter agunt in ſuis ad populum tractatibus, ſed etiam libros integros conſcripſerunt, vt & ipſi paratos haberent locos, & poſteris materiam ad diſcendum, & ad dicendũ relinquerent. Scripſit Chryſoſtomus multas de pœnitẽtia homilias, ſcripſit de compunctione cordis, ſcripſit Ambroſius libros de pœnitentia. Scripſerunt Tertull. Cypr. ad Nouatum, Patianus Auguſt. de vtil. pœnitentiæ de contritione cordis, de vera, & falſa pœnitentia, ſi tamen eſt eius ille liber, ſed quicumque author fuerit, certe vtilem, & grauem

grauem doctrinam habet. D. Chryſoſt. non ſemel teſtatus eſt, Apoſtolum ſemper cœleſti, & diuina lingua ac multa ſcientia, tunc vero maximè vſum, dum pertinacibus, ac impœnitentibus pœnitentiæ intulit ſermonẽ, idemq; Chryſ. gloriatur quod ea ſi bi frequenter in ore ſit, & dicit ſe de pœnitentia continuò ſermonem mouere.

Hom. 5. de pœn.

Hom. 80. ad pop. Ant.

Tertiò, Ratio autem quæ concionatorem mouere debet, vt crebro inculcet, illa eſt, quod nihil magis habere debet in votis, quam vt Conciones, quas habet, fructum animarũ ad Dei gloriam pariant cum hic ſit finis & ſcopus, quo tendere debet omnis Cõcionantis Induſtria, & labor, teſte ipſomet Chriſto cuius legatione fungitur, cum dixit ego vos elegi vt eatis, & fructum afferatis, atqui præcipuus, imo teſte Iſa. omnis fructus eſt vt peccatum auferatur, hoc autẽ effici non poteſt niſi per pœnitentiam, quam ipſe Concionator, cum Theologis neceſſariã eſſe docere debet non ſolum neceſsitate præcepti, ſed etiam medij. quia ſine pœnitentia in adultis peccatũ remitti non poteſt, & cum ea nullum tam graue ſit cui Deus non ſit paratus ignoſcere. Hinc videmus eos Concionatores, qui copioſam meſſem ex ſemine verbi Dei collegerunt, hoc adiumento maximè vſos, S. Vincentium Ferrerium, D. Antonium Patauinũ, S. Bernardinum Senenſem, & alios ſimiles, quos conſtat innumerabilẽ peccatorum multitudinem ad Chriſtum traxiſſe, vt mirandum ſit vnum ex ijs tam multos conuertiſſe, contraq; dolẽdum multos alterius notæ Cõcionatores, in magna aliqua Ciuitate, imò verò in prouincia tota quotidianis quadrageſimæ, ac totius anni, paucos concionibus inſiſtentes, á peccatis abducere. Adeò certum eſt vnum eſſe inſtar centum, & centum nõ poſſe peruenire ad fructum vnius. Cauſa huius rei illa eſt, quoniã Sancti illi Patres magno cum ſpiritu & efficacitate diuinæ eloquentiæ, non humanæ, pœnitentiam prædicabant, peccati turpitudinẽ atque horrorẽ in conſpectu ponebant, terrorẽ iuſtitiæ diuinæ incutiebant, ad dolorem, & lacrymas peccatores mouebant ſerio, cum alij potius in eo ſint, vt vana, & inflata eloquentia, ſteriliq; doctrina aures auditorum demulceant, & quãuis aliquid de peccato, & pœnitentia dicant, id quaſi obiter ſine ſpiritu, ſine zelo, ſine charitate, delibent, ita vt verba non afficiant animum, non turbent piſcinam cordis, non inclinent voluntatem. Nemo autem vereatur, ne idẽ ſæpius argumentum inculcans moleſtus ſit, præſto enim ſunt alia, atque alia ſcripturarũ loca, quę varietate flectent auditores, & concionẽs nouis ſentẽtijs exornabũt.

Quare de pœnitẽtia ſæpe prædicandũ.

Iſa. 27.

Quare aliqui Concionatores parum ſint vtiles.

Non

Non desunt diuersæ considerationes ex libris sanctorum Patrum collectæ de pœnitentia, & de peccatis, nec desunt occasiones, & temporum, & locorum, ad opportunitatem capessendam; non varia pœnitentium exempla. & sanctorum historiæ, atque Hoc sit primum in hac materia monitum.

Secundo explicet tres pœnitentiæ partes, quarum prima est Contritio, quæ non solum in dolore peccati sita est, sed in firmo voluntatis proposito non peccandi. Ad hoc excitandus est sæpè Auditor, vt fixum in corde habeat illud Dauidis Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ, & vocem teneat Susannæ, melius est mihi incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini mei; & trium puerorum: Notum sit tibi Rex, quod Deos tuos non colimus, & statuam, quam erexisti non adoramus. Adhibeat omnem vim, vt eum animum induat pœnitens, vt dicere possit. In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Afferat rationes ad concipiendum intellectum, afferat historias Martyrum, & Sanctorum ex quibus quisque intelligat, quam sibi omnino id conueniens, necessarium, atque etiam facilè sit, præsertim si semel conatu magnanimo statuat ea tenere remedia, quæ nobis sacræ literæ proponunt, vt sunt fuga occasionum, Sacramentorum vsus frequens, lectio spiritualium librorum, orationis deuotæ assiduitas, & operum misericordiæ, Verbi Dei auditio, consuetudo cum viris probatæ virtutis, & huiusmodi alia. Secunda pœnitentiæ pars est confessio, quam egregiè, ac sæpè commendare oportet tanquam medicinam infirmorum, tanquam tribunal misericordiæ, tanquam reconciliatricem pacis inter Deum, & hominem, tanquam Ciuitatem refugij, ostendendo quantoperè Dæmoni displiceat, cum per eam omnia eius tentamenta, & machinæ destruantur, & ruant, quam suaue sit onus his, qui frequentant, quantam animi quietem conferat. Doceat suos vt eligant sibi bonos confessarios, prudentes, & studiosos animarum: explicet modum confessionis faciendæ cum suis circumstantijs. Tertia verò pars est, quam vocamus satisfactionem, ad quam illud primo loco pertinet, vt si qui sunt, in proxima occasione peccandi omnino deuitent si vel de fama proximi detraxerint, vel ei aliter damnum intulerint, restitutione medeantur, soluant mercedes legata, vota, & iuramenta compleant. Deinde exequantur satisfactionis opera, vt sunt ieiunia, & aliæ corporis

Tres pœnitentiæ partes. *Dan.* 13.

Propositum firmum non peccandi.

Dan. 3. *Psal.* 39.

ris castigationes, eleemosynæ, & opera misericordiæ, quæ multum valent ad peccatorum compensationem, vt docuit Daniel cum Regi consilium dedit, vt eleemosynis peccata sua redimeret, denique orationes. Ad quam rem suggerent materiam penitenti, & concionatori ad exhortandum Ambrosius ad Virginem lapsam, Chrysostomus de compunctione, Basilius ad Monachum lapsum; Anselmus de deplorata Virgine, Augustinus in libris Confessionum.

Pœnitentiæ actus proponat. Cap. XXXVI.

TErtio loco circa hanc materiam penitentiæ proponat, & explicet diuersos actus, & affectus qui ipsam pœnitentiam comitantur. Penetrat enim hæc virtus totum hominem, & non solum animæ rationalis potentias peruadit, sed etiam sentientis, vsque ad lachrymas, vsque ad membra corporis. Eamque ob rem à D. Chrysostomo comparatur Pœnitentia matronæ sedulæ ac seueræ, quæ suas omnes ancillas animæ scilicet potentias, & sensus occupat, iubetque eas attentas esse operi, singulis sua diuidens munia, memoriæ mandat recordationem omnium peccatorum, quæ quis commisit, vt congerat (ait Augustinus) totam miseriam suam in conspectu cordis sui: Intelligentiæ vt diligenter singula meditetur, non actus solos, sed modos, & circumstantias eorum, non abstracta quadam, ac nuda cogitatione, sed per accusationem, ac stimulos, vt fiat, inquit Augustinus, illud psalmi, conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina. Ad voluntatem verò plures affectus siue actus pertinent.

Lib. 2. de cõp. cordis.

Lib. 8. Confess. c. 12.

Lib. de vtil. pœn.

Pœnitentia quid in voluntate operetur.

Primo odium peccati, vt dicit Psalmus iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi, cum nolumus peccasse omnino.

Secundo timor tum pœnæ quem scimus fundamentum esse pœnitentiæ, qui excitatur à fide, dum ponit ante oculos ex quanta gloria peccator exciderit, & quam propè ad tenebras exteriores accesserit; tum culpæ, vt est offensa Dei, ob quem timorem Martyres, nec tormenta, nec mortem timuerunt.

Tertio spes ac fiducia erga Deum ad impetrandam remissionem, quæ quidem ex parte Dei certa est, cum Deus in promissione mentiri non possit sua; ex parte autem nostra, omnino secura non est, cum nemo hoc sibi promittere possit, certa notitia se ad gratiam satis præparatum fuisse. Ex qua incer-

Digitized by Google

incertitudine nascitur timor quidam suspensionis animi, qui non est malus, modo non excludat spem, & potius vrgere pœnitentes ad maiorem dolorem, & sancta opera solet. Spe- fare iubent sancti, sed etiam timere, ne simus segnes in operibus pœnitentiæ: lege de hoc timore suspensionis mira apud Climachum. Denique hortare pœnitentes, vt non sint contenti modico dolore, sed adhibeant magnum conatum, cum scripturæ requirant conuersionem ex toto corde, & cor contritum, & humiliatum, & cor scissum, quod poterit explicari, tum verbis scripturarum, vt supra monuimus, tum exemplis eorum, qui dignam pœnitentiam egerunt. Admiranda Climachus loco citato suppeditabit exempla. Huc etiam perti- *gradu 30.*
net vsus, & praxis Ecclesiæ primitiuæ de solemnibus, & publicis pœnitentijs irrogatis propter publica quædam, & grauiora delicta. De quibus vide Sozomenum: Iuuabantur enim *Lib.7.c.16*
illi pœnitentes orationibus, & lachrymis aliorum Christianorum, vt sic dolor peccati cresceret. Et quidem optandum est Pœnitentiæ
vt adeo crescat, vt etiam desideret pœnitens si fieri posset infi- solennes.
nitum dolorem, qui licet haberi nequeat tamen desiderium est laudandum, & meritum habet. Ad hæc omnia confirmanda optimum exemplar veri pœnitentis est Dauid in septem Exemplũ ve
psalmis quos pœnitentiales vocant, in quibus sanctus Rex af- rũ pœnitẽtiæ
fectus cordis verè pœnitentis ostendit, legatur Gregorius in Dauid in
expositione eorundem psalmorum, qui exprimit eosdem af- psalmis.
fectus egregiè: quos si Christianus orator ad viuum poterit efformare in sese, & in concionibus suis, multum sanè valebunt ad excitandum in alijs peccatorum dolorem. Quomodo
enim fieri potest, ait Chrysostomus, vt anima infirma, & fri- *Lib.2.de*
gida compunctionis verba pariat? ego enim puto quod is qui *Cõp.cordis*
in hac materia vult aliquid dignum proferre, ipse ante omnes *statim ini-*
debet hoc calore feruere, & salutari hoc incendio primus *tio.*
igniri quo etiam sermones, qui ab eo proferuntur ignire, & animas auditorum accendere possint.] Possunt vero hi affectus notari hoc modo in Dauide. Peccati cognitio apparet
cum ait, quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & am- *Psal. 50.*
plius lauа me, & peccatum meum contra me est semper; tibi soli peccaui. Timor illis verbis. Domine ne in furore tuo *Psal. 37.*
arguas me, & tota die contristatus ingrediebar. Dolor, vbi *Ibid.*
ait. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei, Spes ibi. Conuertere Domine, & eripe *Psal. 6.*
animam meam saluum me fac propter misericordiam tuam.

Pro-

Ibid. Propositum emendationis cum dicitur, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem; & principium aliquod dilectionis. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Confessio siue accusatio significatur ibi; Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. & peccatum meum contra me est semper; & satisfaciendi ardens desiderium, quoniam iniquitatem meam ego annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Hæc dixerim exempli causa, vt Concionator volens ad veram pęnitentiam homines adducere; paret sibi locos communes ad excitandos affectus huiusmodi tum ex scripturis, tum ex sanctorum Patrum lectione, & ex multis historijs, quæ ad id valent; & studeat applicare dictionem suam ad hos actus; qui ad iustificationem præparant. Verbi gratia timor excitatur ex peccatorum magnitudine, indignitate nostri, mortis necessitate, ac incertitudine; Iustitiæ Dei punientis seueritate; fiducia vero, & spes confessione peccati, & correctione, humilitate nostra, imploratione diuini auxilij, promissione Dei, Spiritus sancti præsentia adiuuantis, intercessione meritorum Christi, Dei benignitate; quia Deus nouit figmentum nostrum, & alijs huiusmodi locis.

Psal. 50. Ibid.

Prudentia, & modus in arguendis peccatis. Cap. XXXVII.

QVam sit proprium Concionatoris munus peccata arguere in secunda parte, cum ageremus de genere reprehensorio, aliqua ex Scripturis sacris, & Patrum anthoritate annotauimus; Nunc de prudentia in arguendo loquemur. In hoc enim magna opus est industria, & arte, magna prudentia tenenda est; non enim idem arguendi modus cum omnibus seruandus. Etenim (vt D. Greg. docet) sæpè alijs officiunt, quæ alijs prosunt: quia plerunq; herbæ, quæ hæc animalia enutriunt alia occidunt, & lenis sibilus equos mitigat, canes instigat; & medicamentum, qnod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit, & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat.] Et affert ibidē optimam similitudinē, quid enim (inquit) sunt intentæ mentes Auditorum, nisi vt ita dixerim, quædam in cythara tentiones stratæ chordarum, quas tangendi artifex, vt non sibimetipsis dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsat, & idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu feriuntur.]

L. 3. past. in prolog.

Increpatio, varijs modis vsurpanda.

Loco

Loco supra citato probauimus, quam sit proprium Prædicatoris munus à Deo iniunctum, peccata arguere, sed nisi hoc ex charitate nascatur, arrogantiæ proprium esset. Hæc, inquit Greg. esse solent propria arrogantium Prædicatorum, vt etiã afflictos auditores suos magis districtè corripere appetant, quam blandè fouere. Plus enim student, vt mala obiurgando increpent, quam bona laudando confirment. Superiores quippe videri desiderant, & magis gaudent cum eorum animum ira eleuat, quàm cum charitas exæquat; semper inuenire optant quæ increpando rigidè feriant, vnde scriptum est: In ore stulti virga superbiæ, quia videlicet percutere rigidè scit, sed compati humiliter nescit.] Et subijcit optimum documentum, vt non solum arguant, & acriter vbi est opus, sed etiam laudent quæ laude digna sunt. Affert exemplum Pauli, vbi primo Paulus Corinthios laudat: Gratias ago Deo meo semper pro vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, & adhuc blandimenta multiplicat dicẽs: In omni verbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, & adhuc subiungit ita, vt nihil vobis desit in vlla gratia. Quæso te Paule, istis tot fauoribus quo tendas insinues. Ecce sequitur, obsecro autem vos fratres per misericordiam Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; significatum est enim mihi de vobis fratres mei, quia contentiones sunt inter vos, de quibus contentionibus subdit; cum sit inter vos zelus, & contentio nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? ecce quibus laudibus; ad aperta correptionis verba descendit, ecce in corde audientium quam blanda fauoris manu viam districtæ increpationis aperuit, prius, vt peritus medicus sana membra, quæ circa vulnus erant, laudando palpauit, & postmodum putridum sinum vulneris, feriendo transfixit.] Præter hæc magna cura est adhibenda, vt ita vitia reprehendantur, vt nemo prodatur nec generalibus quidẽ verbis, vt si quis diceret, scio hic aliquẽ esse vsurarium: vel non sine causa hoc dico, scio cui loquor, vel quid simile, Talis mordacitas longè abesse debet à verbo Dei. Neq; tamen sic agendũ est tamquam si de Idea aliqua Platonica, omnino ab vsu remota, sermo esset; sed ita attingẽdi sunt peculiares actus peccatorũ, vt qui est in talẽ vitio sentiat sibi cor trãsfigi, & quasi Cõcionatorẽ diuinare suã conscientiã, Ob id cõparatur luci, quia detegit latentes veritates, & tenebras

Reprehensio longe debet esse ab arrogantia. *Libro 24. Mor. c. 9.*

Prou. 14.

1. ad Cor. 1.

Exemplum Pauli in blãda reprehensione.

Reprehensio neminẽ prodat.

pellit; itemq. sali, quia sua prudentia condire debet animas, & à putredine præseruare. Ad id autem bene præstandum necessaria est diuina gratia, quam Deus non negat precantibus, & humilibus. Non decet temerè arguere Superiores, aut Magistratus publicè, aut Prælatos, sicuti supra ex Concilijs & Pontificum decretis significatum est. Experientia enim patet, eum, qui sic arguitur indignari magis quam corrigi, & populum incitari ad obtrectandum ijs, quorum vitia publice notari audit. Nihil enim delectat aliquando magis populum, quam cum Concionator contra Superiores exclamat, sed nulla in re minus debet ei satisfieri, quia ea ratione nec adhibetur remedium malo, si quod inest in Superiore, & ipsi populo datur materia, & licentia obloquendi. Nec facile Concionator credat suo spiritui si dictet sibi, verbum Dei nõ esse alligatum, cumq; libertate loquendum. Lubricus hic locus est, & facilis error, præsertim si aliud vir grauis quispiam, aut moderatores ipsius, sentiant, quorum iudicio sine dubio magis quam suo standum sibi esse, certum ac plane persuasum habeat necesse est. Neq; hic obijcias ex Paulo, Peccatorem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeãt. Nam non de publica reprehensione quæ fit ex suggestu loquitur, sed de alia vel iudiciali, vel alio modo ad superiorem spectante, neque afferas Chrysostomum contra Eudoxiam publicè loquentem, & Nazianzenum in Iulianum Apostatam, nam possunt quidem, talia incidere tempora, nempe si quispiam Princeps hæreticus auerteret à fide homines, & similia, vt non solum libertatem dicendi in Concionante excusarent, sed omnino requirerent, etiamsi obijciendum esset caput in certum discrimen. Sed quæ talia tempora sint, sæpè consilio indiget Superiorum Christiana modestia præditorum, nec suo fidat iudicio penitus Concionator in re graui. Ipsa quoque priuata æqualium correctio cum lenitate, submissione, ac discretione, cum est spes emendationis facienda est, quanto magis publica & Superiorum. Paulus, seniores, inquit, ne increpaueris, sed obsecra vt Patres. Et omnium aliorum correctio, item si sit immoderata non sanat, sed ferit magis, imò non arbitror conducere inuehi in vitia Prælatorum, in loco vbi non est nisi illius Ecclesiæ Prælatus, quia solus ille cum scandalo populi videtur notari. Caiet. asserit nunquam Christum contra Sacerdotes, aut Pontifices inuectum, vt doceret Concionatores, ne & ipsi contra hos agant, ob reuerentiam digni.

Superiores non temerè à Concionatore arguendi.

1. Tim. 5.

1. Tim. 5.

In c. 23. Matt. init.

Digitized by Google

dignitatis. Paulus etiam in Act. cum ei diceretur: Summum Sacerdotem maledicis? respondit, nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotum, scriptum est enim: Principem populi tui non maledices. Cum occasio fert optimus modus admonendi Prælatum, est afferre aliquam historiam, vel sententiam ex sacris literis, vel Ecclesiasticis chronicis, & commendare, ac referre virtutes alicuius Sancti, quæ ad rem faciant. Hæc enim commendatio, est honorata reprehensio eius, in quo virtutes illæ desiderantur, etiam si contra præsentes non inuehatur oratio. Neque etiam videtur vtile coram sæcularibus in vitia Ecclesiasticorum, ac Religiosorum inuehi. Facile enim fiet, vt sacer ordo aliquid de sua dignitate deperdat cum publico detrimento. Quippe in commune cædit damnum, imminutio auctoritatis eorum, per quos edocendi, regendiq; sunt cæteri. Laudabile est in reprehendendo artificium, vt ipsum vitium describatur, & quod vitiosè fit ante oculos proponatur; nec in quempiam intendatur increpatio, nam ipsius tantum vitij, accurata commemoratio, est luculenta actusatio, statim enim reos, conscientia mordet, ruborq; confundit. Item si quis contrariam virtutem celebret, atque magnificet, & magno dignam honore omnibus ostendat, Tunc scilicet, qui ea sunt destituti, & contrario vitio se infectos agnoscunt, nisi planè obdurierint pudore suffunduntur; sic coram castitate magnifica oratione celebrata, confunditur animus lasciuus, & coram descriptione liberalitatis animus auarus. Præter hæc si historia, vel exemplum proponatur alicuius scelesti, vel contra, viri in aliqua virtute eximij, & ea aptè explicetur, erit aptus quidam, & argutus arguendi modus, etiamsi ad eos qui adstant nihil præterea dicatur. Illud etiam hoc loco admonendum videtur non conducere, vt notetur. Ciuitas tota, in qua Conciones habentur alicuius vitij conquerendo, tot concubinarios ibi abundare, vel quid simile, hoc enim præterquam quod Ciuitati est ingratum, minus etiam valet ad correctionem. Non enim valde erubescit, qui multos se habere socios in ea nequitia publicè audit. Nec vacat errore, (quod non semel audiui) per enumerationem referri, multos ex sacris literis tali peccato inquinatos, nam qui habet conscientiam eius criminis ream, cogitat nihil esse mirum si, & ipse in eo delicto sit, in

Act. 23.

Superiores admonendi prudentia qualis.

Optimum artificium in arguendis Ecclesiasticis.

Ciuitas tota non est notãda facile.

quo audit plures viros sanctos fuisse. Eadem cautela seruanda est tempore Bacchanalium, vel simili, ne audiat populus à Concionatore, tam multos sese dedere delicijs vel luxuriæ. Videtur enim hoc occasionem præbere modestis iuuenibus, vt putent sibi quoque licere eo tempore liberius viuere quandoquidem audiunt cæteros eamdem sibi vsurpare licentiam. Ad hanc etiam reprehendendi prudentiam attinet, vt vitia grauiora vehementius, minora leniori spiritu arguantur. Nam qui leues culpas tragicis clamoribus insectatur quid faciet in magnis? Numquam tamen extenuari debent, quantumuis leues, ne quis non esse fugiendos sibi persuadeat. Cæterum sicut leuia non supra modum arguere oportet, ita grauia non nisi grauiter, magnoq; cum spiritu castiganda sunt, significando magnum peccati odium, & malitiæ peruersitatem detestandam, cum magna vi adhibendo clamorem contenta voce, cum quis à natura firmis lateribus iuuatur; per exclamationes admirationem, repetitionem eiusdem vocis & orationis, &c.

Grauia crimina, grauiter arguenda.

Lib. 2. in lib. Reg. c. 3. Ita Gregor. qui proiecto Dei timore, ait in sceleribus obstinati sunt leuiori increpatione arguendi non sunt, ne leue pondus peccati esse putent, in quo corruunt dum graue eis non sonat, quod ex auctoritate prædicatur.] Et alibi *Lib. 4 Moral. c. 9.* (ait) prædicatores iusti auditores suos obiurgando solent corripere, solent in eorum vitijs districta increpatione sæuire. Vnde scriptum est: *Prou. 24.* Verba sapientum quasi stimuli, *Matth. 3.* & quasi claui in altum defixi. An Ioannis verba claui non erant cum dicebat, progenies viperarum quis vobis demonstrauit fugere ab ira ventura? An verba Stephani claui non erant, cum dicebat vos semper Spiritui sancto restitistis, an verba Pauli, claui non erant cum diceret, ò insensati Galatæ, quis vos fascinauit?]

Reprehensio debet cum grauitate fieri.

Curandum item ne arguendo describantur lepidè ipsa vitia, ne populus magis ad venustatem arguentis attendat, quam peccati odium concipiat; quod ego animaduerti vsu venire cum mulierum fucus, & pigmenta, & alia similia cum quodam lepore haud sine pigmentis, & fuco verborum flagellantur. Modus ille, reprehensionis aculeum, ita orationis eneruat, vt potius ea dicta videantur vrbanitatis causa, quam castigationis. Eodem modo animaduerti quosdam cum clamandum, & quasi tonandum esset,

Digitized by Google

esset, verbis vti bene compositis & selectis, numerosa dispositione contextis, vt qui audiunt non tam rei atrocitatem attendant quam orationis compositionem ac stylum, non zelum corrigentis, sed declamantis ingenium.

Reprehensio. fiat cum charitatis significatione, ac lenitate.

Denique reprehensio ita debet habere acrimoniam contra vitia, vt tamen appareat paterna erga Auditores benignitas, ne videatur Concionator arrogantior, & exercere dominatum in Auditores velle, & vt loquitur Isidorus: ne vnde emendare populos poterat, inde potius vulneret; sed ita obiurget vt dicere cum Paulo possit, Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri. Induat Pauli viscera qui modo filiolos appellat, quos iterum ait parturio, modo testatur se eos diligere in visceribus Iesu Christi. Chrysost. Sacerdotis tantum est arguere, liberamque præstare admonitionem non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, non arcum tendere non iacula mittere. Ab Augustino, Correctio dicitur medicinalis vindicta, terribilis lenitas & charitas seueritatis.] Greg. Equos, inquit, indomitos blanda prius manu tangimus, & eos nobis plenius postmodum etiam per flagella subiugamus, & amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adiungitur; vt ea quæ saluti profutura est in ipso gustu aspera amaritudo non sentiatur, vt dum gustus per dulcedinem fallitur humor mortiferus per amaritudinem euacuetur.] In arca erant simul & virga, & manna, sic in Concionatore virga correctionis, & manna mansuetudinis & charitatis. Idem Gregorius. Ipsa increpatio sanctorum, natura grandinis conuenienter exprimitur, grando enim veniens percutit, liquata rigat, Sancti autem viri corda audientium, & terrentes feriunt, & blandientes infundunt, feriunt dum virtutem terribilium Domini dicunt, & magnitudinem eius narrant: blandientes rigant quando memoriam suauitatis Dei eructant.] Et vult eam maturitatem increpationibus adhibendam, vt ipsa quoque sacerdotalis indignatio virtute sit admixta dulcedinis, quatenus & tunc à subditis amari debeat, etiam cum grauiter timetur.] Certissima est sententia meo iudicio, nihil ita conferre ad hoc, vt qui audit persuadeatur ad recipiendum quæ dicuntur, atque si cognoscat quod cum magna dilectione dicuntur. Quod tunc maxime ser-

Lib. 3. de sum. bon. c. 4.

2. *Cor. 5.*

Ho. 4. sup. 1. cap. Isai.

Lib. 3. contra literas Petiliani cap. 4.

3. par. Past. adm. 18.

29. Mor. c. 11. vide etiam 24. Mor. c. 9.

Lib. 3. ep. 1.

Digitized by Google

uandum est cum quis nouus incipit habere conciones, in aliquo loco, non enim debet statim rigidas correctiones adhibere, quousque auctoritatem aliquam sibi comparauerit. Hac modestia vtitur Chrysostom. cum ita docet: Non quoties aliquid contra auaritiam dicimus, contra vos loquimur, imò nec contra vllum prorsus. Vtinam contingat, vt remedia frustra sint parata à nobis, talia sunt medicorum vota nil aliud postulantium, nisi vt post multum laboris prorsus abijciantur pharmaca, sic nos optamus, vt verba nostra prorsus in aere dicantur; & verba tantum sint. Equidem omnia promptè sustinuero, vt non sit opus hæc dicere, & si vultis tacebimus, tantum vt silentium careat periculo; optimi Medici sunt, qui licet morbus ægrotantium ipsis lucrum afferat, cupiunt tamen suos amicos vti prospera valetudine, & nos cupimus omnes bene valere.] Cæsarius Episcopus Arelatensis, Quotiescumque ait, fratres carissimi, tam pro vestra, quam pro mea salute necesse est aliqua dura, & aspera prædicare, considerantes periculum meum, debetis hoc æquanimiter, & patienter accipere, quia prædicatio aspera ægrotis medicamenta prouidet, sanis ornamenta componit, vtitur exemplo Medicorum, qui aliquando ferramentis vtuntur & cauterijs, & infirmi desiderio sanitatis patienter excipiunt. Diuus Basilius interrogatus, qua animi affectione vti debeat qui increpat, respondit, quod ad Deum attinet, eo animi affectu quo Dauid, Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia mandata tua non custodierunt, quod ad eos qui increpantur eiusmodi quali vteretur Pater, & Medicus cum misericordia, & lenitate, si filium suum curaret, maxime cum adesset dolor, & sine cruciatu adhiberi curatio non posset, & alibi docet imitandam esse Medicorum consuetudinem, vt videlicet egris non irascamur, sed contra morbum ipsum pugnemus, in eoq; impugnando, duriore victus ratione, si ita res postulat animi vitia sanemus.]

Hom. 3. in act. circa finem.

Hom. 15.

Psal. 118.

Non

Non prædicet viam laxiorem, potius terreat quam blandiri studeat. Cap. XXXVIII.

COncionatores cauere debent, ne viam cæli, nimis facilem esse profiteantur, & ita dilatent phylacteria in Dei misericordia prædicanda, vt diminuant diuinæ iustitiæ timorem. Non igitur insusurrent auribus verba quædam adulatoria, qualia poscebant qui apud Isaiam dicebant, Loquimini nobis placentia, nec ferebant minas Prophetarum, quos ex Christi sententia, & lapidabant, & occidebant. *Isai.30.* Non desunt hodieq; nonnulli Concionatorum, qui omnia facilia prædicant, & quod longè peius est, inuehantur in eos, qui contra peccata sæpè clamant, timorem incutiunt, & pericula inferni proponunt, rigorem diuini iudicij, ac mortis describunt: & tamen contra pseudoprophetas, qui secura, & dulcia concinebant sæpè, Deus acriter inuehitur, per Hieremiam, queritur quod non aperuissent populo iniquitatem suam, vt eos ad pœnitentiam prouocarent. *Thren.2.* Isai. Populi meus (ait Deus ipse) qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt, & Hierem. Nolite credere pseudoprophetis, qui dicunt pax, pax, & non est pax. Michæas: Hæc dicit Dominus super prophetas qui seducunt populum meum, & prædicant pacem. Ezechiel: Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ad capiendas animas. In quæ verba Origenes docet in eum hæc dici, qui vt placeat eis quibus aures pruriunt, loquitur quæ grataner accipiunt, quæ vicina sunt voluptati, cum ea docet, quæ aurem populi mulceant, & strepitum potius laudatorum, quam gemitum moueant auditorum, qui ea dicit, quæ delectent potius, quam conuertant à vitijs, & hos nomine filiarum propheta vocat (quia inquit Origenes) effœminatæ sunt talium magistrorum animæ, ac voluntates, qui semper sonantia, semper canora componunt, & nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum est, in his qui iuxta gratiam, & voluntatem audientium prædicant.] Probatur ex Scripturis. *Isai.30.* *Mich. 3.* *Ezech.13.* *Hom.3. in c.13.Ezec.*

Rectè Hieronym. verba sapientum sunt quasi stimuli. Si cuius (ait) sermo non pungit, sed delectationem facit auditori non est sermo sapientis, verba quippe sapientum, vt stimuli, & subditur, quæ per magistrorum consilium data *Eccl.12.*

sunt à Pastore vno. Certè veri, & sancti Prophetæ, eorumque libri minis, ac terroribus pleni sunt, vt legentibus satis patet, & qui plusquam Propheta dicitur Ioan. Baptista, acriter in peccata inuehebatur, & gehennæ, ac diuinæ vltionis iudicium, grauiter inferebat, adeò vt etiam capitis abscissione, mortem, ob hanc vnam causam oppetierit. Et omnium magister Doctorum Christus, non laxiorem viam *Matth. 7.* prædicauit, cum diceret, Lata est porta & spatiosa via quæ ducit ad perditionem, & quam angusta est via quæ ducit in cælum. Et alibi: Contendite intrare per angustam portam. Et iterum: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Certè Euangelium significat bonum nuncium, & tamen teste Chrysost. plura habet de supplicio, quam de Regno, cuius rei optimam ipse assignat causam, id natum esse ex Dei benignitate, qui enim, ait, volunt supplicium infligere, non modo id aperiunt, sed cælant magis, ne si id resciuerint, qui sunt puniendi caueant, sed contra omnino Deus, & prædicit & minatur, & terret, & nihil non facit, vt quæ minatur, non faciat.] Et paulò inferius in illa verba Psalmi, Parauit vasa mortis, paratum, ait, fuisse telum contra Niniuitas, non vt emitteretur, sed vt reponeretur quo intolerabiliora dicit, eo illa dicit maiori mansuetudine, minatur gehennam, ne mittat in gehennam.] Ergo & Concionator Deum imitari studeat in hac saluberrima mansuetudine, minetur & terreat, vt suos Auditores, hoc modo à grauissimis tormentis auertat. Illud etiam certum est Verbi diuini Satores vocari à Christo sal terræ. Vbi idem *Hom. 15. in Matt.* Chrysost. hoc est, ait, opus salis; laxa quæque vrere, ac restringere, & Theophylact. Vos (inquit) estis sal terræ mor- *In cap. 5. Matth.* dentes, & condientes doctrina, ac reprehensionibus dissolutos, vt non pariant vermes perpetuos, propterea non abijciatis mordacitatem.] Mordere autem, vt supra diximus, debent vitia, hominibus parcere. D. Paulus gaudet, quod *2. Cor. 9.* Corinthios ad tristitiam salutarem, & pœnitentiam secun- Proprium hæ reticorũ est blandiri. dum Deum adduxisset. Causam verò quare aliqui Concionatorum, hunc modum teneant, vt populis placentia loquantur illam esse arbitror, nec omnino me fallit opinio, quod multitudines confertas in concionibus amant, & hunc quasi finem sibi constituunt, eisq; placere prurientibus gestiunt: qui planè intolerandus, & perniciosissimus error

In verba Ps. 7. Deus Iudex iustus, fortis, &c.

est,

Digitized by Google

est, quo sese à Dæmone, suiq; amoris nimio affectu, illusos significant, cum magis ad frequentiam auditorum, quam ad beneficium animarum attendentes, id potius ante oculos habent, vt curiosas aliquorum aures mulceant, quam Dei voluntati placeant. Hæc fuit occasio, quæ in Germaniam, & alia loca, multas hæreses inuexit; nam multitudo malè ad vitam laxiorem prona libenter applaudit talibus, ad aurium suarum pruritum blandè concinentibus, qui dicunt (vt ipsorum satanicis vocibus vtar) cælum non esse factum pro brutis, sed pro hominibus, Christum pro nobis satisfeciſſe. Non quod intrat in os coinquinare hominem, solam fidem iustificare, & alia huiusmodi, quæ à viris imprudentissimis vesanæ plebeculæ inculcata, totam Christianæ pietatis sinceritatem subuerterunt. Hieronym. docet proprium esse hæreticorum adulari, & eorum qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo, huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, semper insidiosa, blanda, & callida est adulatio, pulchrèq; apud Philosophos definitur, blandus inimicus.] Non ita planè cælestis tuba Paulus; cum ait, Si hominibus placerem Christi seruus non essem. Si verò eumdem ipsum Paulum mihi obijcias alibi dicentem, Sicut & ego omnibus per omnia placeo ipsemet Paulus tibi respondet, cum continuò subdit, Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. In quo ergo placebat Paulus? nempe in eo quod non suum quærebat commodum, sed saluti aliorum seruiebat. Sed eleganter hæc loca conciliat Augustinus, primò ille, ait, hominibus bene placet, qui non se illis placere vult, sed ipsam quam suadet veritatem. Secundo, qui placet hominibus, non iam ab hominibus gloriam quærens, sed Dei, vt salui fiant, non iam hominibus, sed Deo placet, aut certè cum & Deo, & simul hominibus placet, non vtique hominibus placet. Tertiò, nulli prodest ad salutem, si homo alijs propter seipsum placet, quia non placet vtiliter, nisi cum propter Deum placet, scilicet vt Deus placeat, & glorificetur.]

Lib. 1. Dialog. contra Pelagium. *Rom. 16.* *Gal. 1.* *1. Cor. 10.* *In epist. ad Gal. c. 1.*

Per hæc tria pronuntiata optime quid sibi Paulus velit apparet. Itaque nulli, nisi proteruo dubium esse poterit quid Deus in hac parte à suis præconibus exigat, quid sanctissimi

Pro-

Doctrina SS. Patrum circa hoc.

Prophetæ seruarint, quid nos Christus ipse docuerit, & verbis, & exemplo. Eandem autem omnino doctrinam sancti Patres, & nobis inculcant, & suis ad populos sermonibus obseruant egregiè, subijciam aliquorum testimonia, id enim maximè curo, vt sanctissimorum virorum potius innitar auctoritati, quam de meo sensu loqui videar. Accipe hac de re, eloquentissimi & sapientissimi Chrysostomi iudicium. Hic, ait, omnia conuersa sunt, omnia sursum, deorsum confusa sunt, quia sicut in spectaculis, ita in Ecclesijs, multitudinem desideramus auditorum, & non multitudinem probatam. Et paulò inferius, Optarem sanè, ait, vt multitudine ornetur Ecclesia, sed multitudine probata; si hoc fieri nequit, saltem vt pauci illi probati sint. Nonne melius est (ait idem) habere vnum lapidem prætiosum, quam mille obolos, nonne melius est habere paucos bonos filios, quam multos malos.]

Chrysost. hom. 8. in Act.

Lib. 5. de Sacerd. initio.

Rursum egregiè monet non loquendum populis ad voluptatem, neque ad pruritum auriam. Magno, inquit, opus est animo, vt quis multitudinem illam immoderatam, infructuosamq; voluptatem compescat, posito; illorum auditionem, ad id quod vtilius est transferre, hac ratione, vt populum se sequentem, & obsecundantem habeat, non autem ipse à populi desiderijs agatur. Id quod præstare nemo potest, nisi idem simul, & popularem auram aspernetur, & simul dicendi vim obtineat. Lege si placet eumdem in epist. 2. ad Thessal. vbi docet quam sæpè dicendum sit de gehenna, nihil enim tam vtile est, inquit, atque de gehenna sermocinari, quouis argento mundiores nobis animas facit.] Idem Chrysostom. cum acriter egisset contra peccata subiecit durus, & onerosus sermo. Noui & ego, verum si attenderimus non inutilis, neque enim ad gratiam mihi loquendum nunc est, imò numquam, sed semper ea dicenda, quæ animam contrahere, castigareq; valeant. Bernar. Timeat, inquit, orationem tuam, qui admonitionem contempsit, cui tu Sacerdos irascaris, Deum sibi iratum non hominem puto. Cyprian. Oportet Dei Sacerdotem, non obsequijs decipientibus fallere, sed remedijs salutaribus prouidere. Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus, manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum, virus inclusum, dum seruat, exaggerat: aperiendum vulnus est & secandum, & putredini-

Hom. 2. in epist. 2. ad Thess.

Hom. 6. in c. 2. ep. ad Ephes.

Bern. lib. 4. de cõsid. ad finem.

Cypr. ser. de lapsis.

bus

bus amputatis, medela fortiore curandum, vociferetur & clamet licet, & conqueratur egens impatiens, per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem: emersit enim fratres dilectissimi, nouum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sæuierit, accessit ad cumulum sub titulo misericordiæ malum fallens, & blanda pernicies.] Aug. in illud, Sicut tuba exalta vocem tuam. Scitis, ait, quod tuba, non tam oblectationis esse soleat quam terroris; non tam delectationē præferre, quam inferre formidinem. Tuba ergo peccatoribus necessaria est, quæ non solum aures eorum penetret, sed etiam corda concutiat, nec delectet cantu, sed castiget auditio. Et expresse affirmat Concionatores, numquam debere peccatoribus adulari, sed (quod ipse subdit) obiecta futura miseria, & grauitate peccatorum ad lachrymas perducere. Ambr. Tunc, ait, auditor proficit, cum austeriora annuntiat prædicator. Tunc ei salus gignitur quando tristitia emendationis ingeritur, nam quæ secundum Deum est, tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur.] Greg. Est magna omnipotentis Dei gratia, cum iniquè agentibus, durus à Doctoribus, sermo increpationis profertur; & idem comparat prædicatorem spinæ, quia dum de peccatis & de virtutibus differit, & modo æterna supplicia minatur, modo cælestis regni gaudia promittit, corda audientium pungit, sicq; mentem, doloris compunctione perforat, vt ab eorum oculis, quasi quidam sanguis animæ lachrymæ decurrant.] Hiero. Ille, ait, est Doctor Ecclesiasticus, qui lachrymas, non risum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse fœlicem, nec præuenit naturam iudicij Dei, dicente Scriptura: Ne beatum dixeris quempiam hominem ante mortem.] Et in illud Isai. Argentum tuum versum est in scoriam, caupones tui miscent aquam vino. Omnis, ait, doctor; qui austeritatem Scripturæ per quam potest audientes corripere vertit ad gratiam, & ita loquitur, vt non corrigat, sed delectet audientes, vinum sanctarum Scripturarum violat.] Lege eundem in illud Malach. 2. Maledicam benedictionibus vestris. Et in illud Hierem. 6. Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, pax, pax, cum pax non esset: hoc, inquit, de sacerdotibus & Doctoribus intelligitur, qui diuitibus & magnis repromittunt prospera, & clementem prædicant Deum magis illos supplicio & iracundiæ præparantes. Addamus sapientissimi Philonis sententiam: Pro concione, inquit, si dicendum erit

Aug. ser. 106. de tēp.

In Ps. 85. Ambr. ser. 84.

Greg. hom. in Euang.

Hieron. in Thr. c. 1.

Lib. de Ioseph.

erit adulationes relinquam alijs, contentus verbis vtilibus, increpans, admonens, castigans, non arrogantem, insanamq; sed sobriam libertatem proferens, quod si quis tales castigationes non amat, reprehendat parentes, cutores, præceptores, & omnes curatores, quia suos liberos, pupillos, discipulos obiurgare non desernnt, interdum etiam verberant, nec tamen sæuire, sed amanter castigare dicuntur.] Et affert exemplum Medici, qui etiam erga Principes & Magnates sectione, vstione ve vbi opus est, vtitur modo seruet hominem: Ego (addit) qui nõ vnum virum curãdum suscepi, sed integram ciuitatem laborantem morbis grauioribus, contractis ex innatis concupiscentijs quid agere debeo? num prodita vtilitate publica illius, aut illius aures mulcere adulatione illiberali? Emori præstat, quam loqui ad gratiam dissimulata veritate, & vtilitate neglecta.] Iam satis, superq; manifestũ esse arbitror, quod sit Sanctorum, & sapientum virorum hac de re iudicium, sed omittenda nullo modo est magni Nazianzeni præclara, & omnibus aduertenda obseruatio, qui ex nimia Doctorum indulgentia factum affirmat, vt populi adeo fastidiosas & delicatas aures habeant, vt nõ Sacerdotes, & Præsides, sed Rhetores quærant, sic (inquit) eos erudiuimus, qui omnibus omnia efficimur, haud scio, vt omnes seruemus, an vt perdamus.] Similia ceteris Patribus Aug. cuius verba afferrem, nisi viderer esse longior in re tam certa, sed obsecro lectorẽ vt legat ser. 67. de temp. Hactenus de hoc dictum sit. Neque tamen hæc à me dicuntur, quasi velim Concionatorem esse nimis rigidum, & semper inferni pœnas, ac diuini iudicij rigorem inclamare; imò verò, sæpè iudico eum ad amorem Dei ad diuinam misericordiã, ad æterna præmia, debere orationem cõuertere, præsertim verò, cũ in sublimi dicendi genere, vehementes affectus excitauit, recurrendum est ei ad leues commouendos, volui tã copiosè locum hunc Patrum auctoritate confirmare, quia aduerto, hac tẽpestate plurimos ex Christianis Oratoribus hac nobilissima doctrina indigere. Video enim pleroſq; ad gratiã, & ad delectationem verba componere; ideoq; non mirandum est, si multis Concionibus, & multorum numero Oratorum in paucis appareat morum, vitæq; in melius commutatio.

Naz. in oration. ad 150. Episc.

Placet hoc postremo loco addere dictis, non contemnendã appendicem. Persimilem esse adulationi, cum auditorum laudes Concionator exaggerat, & magnos ei titulos tribuit quamuis modestè aliquas virtutes, & prudenter commemora-

Quibus titulis appellãdi Auditores.

re ex

re ex occasione nata, licitum arbitror, atque adeo vtile, omnis tamen assentandi, vel minima est fugienda suspicio. Nec probo si crebro suos Auditores appellet Dominos, vel Dominas etiamsi tales non desint, quia communem populi multitudinem videtur parui facere, cum tamen, huius maior sit pars; præterquamquod nescio quid vanitatis in ea repetitione significatur, quare satius, fore putarem, si eos, vt communiter Apostoli vocant Fratres, & Christianos, & Charissimos, ac dilectos appellet.

In via Illuminatiua Progressus, & Virtutes inculcandæ. Cap. XXXIX.

NOn existimet se ritè suo munere functum, Christi legatus, si id solum curet, vt à scelere peccatores deterreat, sed intelligat, sibi acriter enitendum esse, vt conuersos ad Deum, in spirituali vita, vlterius prouehat. D. Bas. docet munus esse Prædicatoris, vt quos conuertit meliores efficiat. D. Paulus distinguit duplex doctrinæ genus, Alterum vocat elementa exordij sermonum Dei, & comparat lacti puerorum cuiusmodi est doctrina de pœnitentia, de peccati turpitudine. Alterum, vocat sermonem Iustitiæ, cum agitur (vt ait Caiet.) de progressu in via Dei iam cœpta, vel vt Ansel. exponit. de perfectione, & quidem sicut paruulis oportet lac prouidere, ita ætate prouectis cibus solidus dandus est, vt crescant, & sicut magni est momenti, peccatores mouere, vt à peccato abstrahantur; Ita ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ ædificationem, ad animarum beneficium res est magni ponderis, vt à voluptatibus auulsi proficiant, hoc autem munus ad concionatorem maximè pertinet, sicut enim in naturalibus à pueritia ad iuuentutem fit progressus; ab hac ad maturiorem ætatem. Ita gratia illud sibi propositum habet, quod de Christo scriptum est, proficiebat ætate, gratia, & sapientia. & sicut in disciplinis, qui docent à primis rudimentis ad grauiores Scientias, discipulos promouere student. Ita doctorem Ecclesiasticum, & populi Christiani magistrum oportet idem omnino præstare, vt lac incipientibus præbeat, solidiorem cibum progredientibus exhibeat: lege Chrysost. qui copiosè probat ad consequendum regnum cælorum non satis esse à malitia liberari, non retrocedendo, contra Deum, sed opus esse multo virtutum lucro, ac prouentu, & affert ad hoc multa similia, de bra-

uio

Prudentia in via Illuminatiua. *Lib. Mor. sent. defin. 70. Heb. c. 5. & 6.*

Ad progressum prouocandi homines. *Ser. de vir. & vit. to. 5*

uio, de famulo, cui non est satis vt non furetur, non inebrietur, nisi etiam diligenter Dño ministret, sic debet agricola, vineam excolere, & inter mẽbra, verbi gratia, manus, non solum nihil mali alijs inferre membris, sed omnibus pro sua parte inseruire debet. Cæterum naturalis hominum conditio ea est, vt stimulis vrgeri debeant cum ipsa natura deprauata sit, & hominum sensus in malum proni, gratia vero etsi satis proponit allicit, monet, non tamen ea sola ad persuadendum vtitur Deus, sed etiam hominum ministerio. Itaque qui ad hoc vocati sunt munus, viam virtutis ingredientibus, quasi calcaria, adhibere debent; Nec enim (inquit Nazianz.) ad augendum animi robur leue momentum ijs affert oratio, qua ad virtutis stadium accinguntur. Ad hunc autem profectum, poterit aliquando generatim, adhortari suos auditores ex his, aut similibus locis. Primus est virtutis ipsius splendor, & honestas maior. Secundo gratiæ diuinæ natura, quæ ad instar solis suam solet semper lucem augere, & calorem iuxta illud. Iustorum semita, quasi lux splendens crescit vsque ad perfectum diem. Tertio gaudium quod Angeli, & beati ex hoc ipso recipiunt, vt docet Bern. sicut enim gaudent de peccatore pœnitentiam agente; ita de proficiente magis. Quarto ea est hominum conditio, & natura, vt ad maiora inclinet semper, & numquam contenta acceptis, spe alitur continente, & secura præteritorum inhiat futuris. Hieronym. ex terrenorum bonorum cupiditate vrget, qua semper ad maiora impellitur animus multorum, & à fortiori, in spiritualibus fieri debere docet. Si homines in omni arte, non solum primordia, sed etiam augmentum, atque adeo perfectionem assequi conantur, cur non magis, in hac vitæ spiritualis professione, quæ de ipsa hominis Christiani perfectione agit? vt possit noster Orator cum Paulo dicere, Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Quinto ipsemet Deus hoc nobis bonum maximè optat, vt ex scripturis apparet Hieronym. affert verba Ecclesiastici. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient, vnde colligit in hac vita, semper esse famem, & esuriem Iustitiæ non autem satietatem; & affert illud Christi; Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam huc etiam refert quatuor animalium apud Ezechielem progressum, sine regressu, & Paul. quæ retro sunt obliuiscens ad anteriora me extendo. Sexto exemplum Christi, qui ad maiora semper nobis conferenda beneficia, progressus est, & plures, ac maiores

In laud. S. Cypr.

Loci qui valent ad progressum suadendum.

Prou. 4.

Serm. 2. in vig. Nat. Domini.

Epist. ad Demet. 8.

Eccl. 24.

Matth. 5.

Philip. 3.

res labores subeundos vsque ad mortem. Septimo tot sanctorum exemplа inter quos clamat Paulus, Charitas Christi vrget nos. Octauo, quia hoc modo magnos nobis meritorum thesauros, & præmiorum opes comparamus. Denique Nono propter principium illud certissimum, doctrinamque Patrum, quod tanquam axioma celebratur, in via Dei non progredi, perinde esse, ac retrogredi, & eum qui non proficit, deficere. Verba sunt Bern. alludentis ad schalam Iacob, nec stantem legi Angelum, nec sedentem, aut ascendas necesse est, aut descendas si attentas stare ruas necesse est, & subdit, minimè bonus est, qui melior esse non vult, & vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. Theodorus. Abbas affert similitudinem nauiculæ, quæ contra impetum fluminis nauigat, quam necesse est, remorum impulsione, ac virtute bracchiorum ad superiora impellere, aut remissis manibus in præceps prono amne reuocari. Lege Aug. in Psal. 60. Secundo præter eas materias quas in via purgatiua diximus quæ etiam huic viæ conuenire possunt, qua parte, magis animos præmuniunt ne in culpas easdem relabantur, huius viæ magis propria sunt. Mysteria Incarnationis, ac Passionis Christi, crebro in memoriam reuocanda.

2. *Cor.* 5.

Epist. 253. *ad Abb. Garinum.*

Coll. 6. *c.* 14 *Cass.*

Materiæ ad viam illuminatiuam pertinentes.

Ipse Christus debet esse panis quotidianus, Paulus palam testatur se prædicare Christum, & nihil aliud scire nisi Christū; Validius autem hæc mysteria mouent auditores, si distincte cum suis adiunctis, quam si generaliter solum proponantur. Sæpè etiam hic sermo futurus est, de Dei prouidētia in iustos, misericordia, iustitia, longanimitate, de eius in nos singulari amore, de innumeris erga nos collatis beneficijs, deque eius perfectionibus, vt ad illius amorem, & obedientiam homines incitentur. Hortandi sunt sæpè omnes tum ad frequentem vsum sacramentorum, idque cum reuerentia, & mentis deuotæ affectu, Tum ad vsum orationis, quæ voce fit, & Meditationum, Ad ieiunia, & aliquas corporis afflictationes. loquatur sæpius de laudibus continentiæ, & castitatis in omni statu, vt ad eam virtutem omnes inflammet, sicut Dæmon ad turpia instigat, & naturæ corruptæ peruersitas, & pessimę consuetudinis exempla trahunt. De omni genere virtutum, oratori nostro agendum erit quas alibi summatim enumeranimus. Præmia, & pœnas quasi duo calcaria, quæ ex vtroque latere vrgeant, frequenter admoueat. Præcepta Dei singillatim commendare, & diligenter enucleare studeat. Ad con-

cor-

cordiam, & consensionem mutuam, & fraternam charitatem, recurrat etiam contra diffidia, & mutua odia, quæ facile oboriri solent. Beatissimæ Virginis peculiarem reuerentiam, ac deuotionem inculcet, afferendo, quæ ad eius cultum valeant, quo in genere exempla plurimum valent. Vtile admodum erit ad erudiendos diuersos hominum status descendere, vt alibi à me dictum est. Multas adhuc inferius adijciemus admonitiones, quæ huic viæ sunt satis accommodatæ. In his verò, & alijs omnibus figillatim, vsum, & praxim aperire oportet, vias adiumentaque in promptu habere, per quæ ad has virtutes peruenitur, & impedimenta tolluntur, nam Concionator, qui vniuersè tantum ad virtutes hortatur; nec individuas earum rationes, aut praxim explicat: similis est (ait Plutarchus) his qui lucernam emungunt, oleum autem non apponunt. Signa autem proficientis ponit Epictetus: neminem reprehendere, neminem laudare, neminem accusare, nihil de se ipso prædicare, quasi aliquid sit, aliquid sciat, cum ab aliquo laudatur secum ipse deridet laudatorem, si reprehenditur non defendit se.

In Enchr. cap. 72.

Sæpius eadem de re loquendum. Cap. XL.

TErtio illud vero non probamus, quod aliqui faciunt, qui semel in anno de vna aliqua re loquuntur, neque de ea amplius verba faciunt, tanquam illo die, omnia dixerint, vel vnus ille sermo perfectè vitium correxerit, vel virtutem induxerit, cum tamen certum sit, illud, gutta cauat lapidem non bis, sed sæpè cadendo, sic nec medicus, vbi perseuerat morbus vnico medicamento contentus est, qua similitudine vtitur Chrysost. Illud in fine addens eadem dicere mihi non molestum, vobis autem tutum: Etenim medici eadem sæpè medicina vtuntur, & nos eadem vestris auribus instillare, in memoriã ducere non cessabimus.] Certum est Sanctos Patres ad easdem malas consuetudines extirpandas, sæpius orationem retulisse, crebro easdem pias, & Christianas actiones inculcasse. Si necessitatibus auditorum compatiamur, etiam sæpè repetita, videbuntur noua, & nouo spiritu, atque etiam cum gaudio repetentur Aug. Nonne (ait) accidere solet, cum loca quædã ampla, & pulchra, vel vrbiũ, vel agrorum, quæ iam nos sapè videndo, sine aliqua voluptate præteribamus, ostendimus eis, qui nunquam viderunt, vt nostra delectatio in eorum nouitatis delectatione renouetur? & tãtò magis, quanto

Ho. 50. in Ioh.

Exempla sanctorũ Patrũ.

Cap. 12. de Cathec. rud.

Digitized by Google

quantò illi sunt amiciores, quia per amoris vinculum, in quantum in illis sumus, intantum, & nobis noua fiunt, quæ vetera fuerunt, & subdit Augustinus. si vicos Ciuitatis vsitatissimos cum benefica hilaritate transimus, quando alicui forte qui errando laborauerat, demonstramus viam, quanto alacrius, & cum gaudio maiore in doctrina salutari, etiam illa, quæ propter nos retexere non opus est perambulare debemus, cum animam miserandam, & erroribus sæculi fatigatam, per itinera pacis, ipso, qui nobis eam præstitit, iubente deducimus?] quam sæpe contra auaros quam sæpè contra prauam iurandi consuetudinem inuehitur Chrysostomus? Nec debet Concionatorem pudere, si eadem bis, terque ac crebrius repetat, si vrgeat, necessitas, cum, & Paulus, & Christus Dominus id fecerint; si non pudet auditores quæ dicta sunt non seruare; cur debet Orator erubescere si eadem dicat? neque debet esse molestum cum Paulo dicere. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis ne ressarium, Egregie Chrysost. de eisdem rebus continuè commonefacere non dicentis, sed audientium est crimen, continuè indigentium disciplinæ præceptis. ex quo aduertimus animam nostram in hoc esse terræ dissimilem; terra namque semel accepto semine, mox profert fructum, neque indiget altera satione In anima nostra non ita vsu venit, sed frequenter & summa cũ diligentia in ea serendum est, vt semel saltem fructum afferat! Iterum Chrysost. Non quiescimus (ait) quin eadem frequenter, & hortemur, & admoneamus: In sæculi certaminibus non oscitantes, & supinos, sed strenuos, & vltro se periculis obijcientes, vniuersi hortantur, & plaudunt spectatores; illos enim alios, ac si de eorum victoria penitus desperent taciti missos faciunt, hic de omnibus, etiam cadentibus, si voluerint, bene sperare licet] nec timendum ne nauseam faciat iterata admonitio, nam variam habet supellectilem, & quodammodo infinitam, scriba diligens, & doctus in Regno Cœlorum id est Euãgelicus magister, ita vt possit de thesauro suo noua & vetera proferre & eadem nouis semper scripturæ locis, similitudinibus, exemplis exponere, nec deerunt occasiones, quæ aptè, & tempestiuè, tractari res ostendant. Aliquando etiam digressione vtili vretur, ex ipsa temporis, locorum, & personarum occasione nata, nec timeat sibi vitio dari, quod vnam rem tractans ad aliam digrediatur, satis enim opportunè loquitur Ecclesiastes, cum necessaria loquitur tempori, ac personis etiamsi per digressiones id fiat, præsertim cum breues sunt, & non

Ad Philip. 3.

Hom. 5. ad pop. Ant.

Hom. 13. in Ioan.

Digressiones quando cum fructu fiunt.

omnino à proposito alienæ. Planè satis ille fungitur officio suo, si videns animarum iacturam, quæ digna sunt correctione, & admonitione, opportunè, atque etiam importunè, vt Paulus ait, afferat: Qui sermones Sanctorum Patrum legerit animaduertet, hanc eos optimam regulam tenuisse, nec hominum quorundam minus spiritualium iudicia formidasse, qui non tam fructum in Concionibus spectant, vel animarum lucrum, quam aurium pruritum sectantur. Certè non oportet sapere plusquam oportet, A sanctis Patribus discamus quid sit verè & secundum Deum sapere, Illud hic admonendum postremò oratorem nostrum in mentem venit, vt pro nata occasione reuocet Auditoribus in memoriam aliquid faciendum, sicuti, cum proxima est aliqua celebrior solennitas præcedente hebdomada, ad futurum diem festum, deuote sanctèque celebrandum, eos paret. Ad Sacramentum confessionis, & Sacrosanctæ Eucharistiæ, cæteraque Christianæ religionis pia opera. Quando aliqua populi Christiani, vel Ecclesiæ sanctæ vrget necessitas vt Deo per orationes negotium commendent. Cum aliqua grassatur publica calamitas, Inde sumat Concionator occasionē, cum maiori spiritus feruore, vitia arguendi & peccatores ad salutarem pœnitentiam inducendi, & Sacramentorum frequentem vsum; Ita seruabit illud Spiritus Sancti optimum consiliū; *Prou. 9.* Da sapienti occasionem & addetur ei sapientia. Constat namq; experientia certa, facillimum esse eo tempore, animos quo volueris trahere, præsertim si talis sit dicentis oratio, vt rei grauitas ob oculos exponatur, & præsens periculum ritè & cum affectu obijciatur; Cui rei etiam testimonium reddit Augustus *Lib. 3. contra Epist. Parm. c. 2.* Tunc ait aures humiles præbet emendanti sermoni, calamitas auditorum faciliusque in gemitus confitendi quàm in murmura resistendi afflicta corda compellit.] In Concil. Paris. hæc habentur cum prædicatores sine cessatione Populo Dei prædicare necesse sit, iuxta illud clama ne cesses, tunc maximè id præstandum quando ira Dei contra Populum meritis exigētibus grassari prospexerint, iuxta illud quod per Ezech. Dominus loquitur terra cum induxero super eos gladium Chrysost. *Ezech. 33. Tho. 51. super Matt.* ostendit doctrinam & consolationem sacerdotis semper oportunam esse maximè autem tempore persecutionis.

Occasiones non præter mittendæ.

Paret ad futuram solennitatem.

In publica calamitate.

In Via

Digitized by Google

In Via vnitiua opera perfectionis docenda. Cap. XXXXI.

CVm Christus Dominus, ac legislator noster in mundum aduenies, legem Euangelij prædicauerit, longè quacunque alia lege perfectiorem, & tanto nobiliorem non modo naturali, sed & Mosaica, quanto nobiliorem vt Paulus docet honorem habet Dominus seruo, Christus Mose: & partes concionatoris sint ex Christi mandato per mundum vniuersum prædicare Euangelium omni Creaturæ: Conciones Christianas nõ solum ad purgationem peccatorum tendere oportet, & inde ad illuminationem circa malos habitus expugnandos, & veterem hominem exuendum & induendum nouum qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, sed etiam transcendere ad perfectionem Euangelicam, & tertiam viam, quæ vnitiua dicitur. Itaque debet Euangelicus doctor non solum præceptorum obseruationem, sed etiam consiliorum docere; & ad ea promouere animos, & ad perfectum mundi, & sæcularium rerum contemptum adducere. Primum quia hoc instrumento diuini verbi, ac prædicationis Euangelicæ vtitur Deus ad excitanda multorum corda, vt sæculo, eiusque vanitatibus & amori renuncient, qua se totos cum maiori libertate ac perfectione Christi famulatui dedicent, vel in eo statu quem tenere possunt, etiam domi suæ, vt multæ Virgines, Clerici, Viduæ, etiam coniugati faciunt, vel in statu vitæ religiosæ longè præstantiori, & maioris meriti secundum se, quam sit vita communis. Quare concionator inter alias materias, quas cum Dei gloria, & fructu animarum tractare potest illa est inter præcipuas, vt ad mundi odium, & sæcularis vitæ contemptum inducantur aliqui iuuenes, ac puellæ & alij quos Deus elegit, vt illud verbum capiant de quo Christus dixit, non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est à patre meo. Sicut, & Paulus facit. De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus vt sim fidelis, Alligatus es vxori noli quærere vxorem. Qua in re, duo erunt ex occasione tractanda, Primo mundi pericula, peruersæ consuetudines, peccata tam multa, & grauia, sollicitudines quibus anguntur homines huius sæculi, vel in emptione villæ, vel in bouum emptorum probatione, vel in vxore cum qua contrahunt, quæ sunt tria maxima salutis æternæ impedimenta

Prudentia in Via vnitiua.

Cõsilia Christi proponenda in Cõcionibus.

Matt. 19.

1. Cor. 7.

Mundi Vanitas, & peric.

Digitized by Google

à Christo in parabola quadam prædicata, dominandi scilicet ambitio, quæ plures periculorum occasiones suggerit, & curarum quæ hominem à cœna Dei distrahunt, & lucrandi, ac pecuniarum cupiditas, quam Paulus radicem omnium malorum non dubitauit vocare, qualis est vita omnium, qui terrenis bonis inhiant, multis peccandi periculis exposita, emendo, vendendo contrahendo, semper inquieta, semper turbulenta, & tertio solicitudo eorum, qui vxorem habent, siue eos intelligamus, qui voluptati operam nauant, quæ Platoni dicitur esca malorum, siue ad literam intelligamus statum eorum qui matrimonio sunt alligati, rectè quidem, ac licitè, sed innumeris familiæ curis, vxoris, liberorum ac rerum terrenarum molestijs expositi. Secundò ex altera parte religiosæ vitæ quietem, fœlicitatemque cum sese offert occasio tractabit, inter quam, & vitam coniugatorum, eam ponere potest differentiam quam Bern. statuit, quod Religiosi periculosum præsentis sæculi pelagus ponte transeunt, quod iter, & breuius, & facilius, & tutius est, At coniuges, Vado transmittunt, laboriosum prorsus, & periculosum ait Bern. habentes iter, & subdit valde enim difficile est, præsertim his diebus quibus malitia nimis inualuit inter vndas huiusmodi, voragines vitiorum & criminalium peccatorum foueas declinare] & Vniuersè si voluerit de statu Religiosæ vitæ agere poterit attingere modo vtilitatem eorum, qui bene in eo versantur modo dignitatem, modo iucunditatem, quæ tria capita recensèt Ecclesiasticus cap. 23. extremò Et agnoscent qui derelicti sunt quoniam nihil melius est quam timor Dei, & nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini, gloria magna est sequi Deum. Eadem tractat noster Pater Hieronymus Platus in libro de bono statu Religiosi tanta copia vt ad finem Oratoris qui est persuadere non crediderim posse aut plura desiderari, aut efficacius doceri, ex quo volumine hauriat, si velit Concionator studiosus sibi idoneam in opportuna tempora supellectilem. Cæterum adhibenda est in huius generis disputationibus moderatio, ac prudentia, ne sermo molestus sit ijs qui matrimonio sunt coniuncti, deinde ne putetur velle à parentibus liberos abstrahere, & ad suam religionem perducere: solent enim aliquando ob hanc rem obmurmurare sæculares qui non spiritu Dei mouentur, sed mundi. Idcirco sic attemperanda est oratio, vt perfectionis Euangelicæ prædicatio, neutiquam suo loco omittatur & sermonum, quam minimè fieri potest, ansa præbeatur. Neque ob id tantum perfe-

Discrimẽ inter Religiosam ac sæcularem vitam. *Serm. de 3. ord. Eccles.*

Digitized by Google

Perfectionis opera tractanda sunt, verum etiam quia ipsamet Christiani hominis professio absolutè perfectionem suam non solum inter religiosæ vitæ cultores, vt forte aliqui putant, sed etiam inter eos qui in matrimonio vitam agunt, & in sæculo sunt amplectitur, nam Primum multa præcepta sunt nobis, quæ perfectionem aliquam requirunt, vt est præceptum de diligendis inimicis, de tolerandis iniurijs, vt charitatem non amittamus, de confessione Dei etiam quando vsus incidit, mortem subeundo, Imò in omni præcepto quando causæ articulus venerit (ait August.) vt hæc conditio proponatur aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso viuere.] Imò omnia præcepta vix seruare poterit homo, nisi seipsum vincat, suasq; passiones edomet, quod sanè quis faciat sine studio perfectionis? Præterea ab omni peccato abstinere, iustificantem gratiã conseruare, nemo sine diligenti sui custodia, & propensionum suarum victoria poterit. Denique exercitatio Christianarum virtutum quas Euangelium nobis commendat perfectionem includit. Hanc doctrinam Sancti Patres ex ipsis Euangelij, ac noui Testamenti scripturis maximè tradiderunt, satis mihi erit duos proferre testes omni exceptione maiores Basilium, & Chrysostomum, Ille docet coniugatos, præter pauca quæ vitæ religiosæ sunt propria, vt est præsertim continentiæ votum, ad eadem Euangelica instituta teneri, ad quæ & Religiosi, & docet Christum in prædicando Euangelio, non ad Monachos locutum tantum, sed ad omnes etiã matrimonio illigatos imò addit eos qui in sæculo viuunt, eo maiori vigilantia opus habere ad salutem, vt qui sedem habeant inter hostes, inter peccatorum irritamenta, intra pugnæ caueam concluſi. Chrysost. autem idem argumentum grauiter tractat, Fallis, inquit, te ipsum prorsus, ac decipis si aliud à sæcularibus aliud à monachis requiri putas] & eandem ponit differentiam quam Basilius, eadem inquit, ab vtrisque vitæ ratio requiritur, vna vtrisque pœna pro ijsdem culpis dabitur] vtique nisi peculiaris aliqua circunstantia scandali, vel nouæ obligationis in regulis religiosi augeat culpam, vel sit peccatum etiam contra votum aut ex contemptu: Vide hanc doctrinam apud D. Tho. vbi bene docet exceptis his quæ diximus etiam leuius esse peccatum religiosi quam sæcularis. Probat autem Chrys. hanc veritatem ex multis locis, nam illud, qui irascitur fratri reus erit iudicio, omnes obligat, & nolite iurare, & cum Christus dixit, Væ

Perfectio, vitę, omnibus Christianis est propria.

Tract. 51. in Ioan.

Serm. de abdic. rer.

Lib. 3. contra Vitup. vitæ monasticæ.

2.2.q.186. art. 10.

Digitized by Google

vobis qui ridetis, non addidit monachis, & multa similia. Hoc est planè (ait ibi Chrysost.) quod orbem vniuersum euertit quod Monachis opus esse arbitramur, summa vitæ bene agẽdæ diligentia, cæteris licere negligenter viuere omnibus dicitur, contendite intrare per angustam portã, omnibus, qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, omnibus, estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est, cum ergo ita sit, debet noster Concionator esse instructus ad docendum etiam hanc viam perfectionis, vt sæpe Paulus faci*Col.* 3. cit in suis Epistolis cuiusmodi sunt quæ ad Col. habet Verbum
1. *Cor.* 12. Christi habitet in vobis abundanter, vt probetis potiora. Et
Philipp. 1. æmulamini charismata meliora, & ad Phil. ait, testis mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi, & hoc oro vt charitas vestra magis, ac magis abundet, in scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis sancti, & sine offensa in diem Christi repleti fructu iustitiæ per Iesum Christũ
Col. 1. in gloriam, & laudem, & quod alibi posuimus ad Col. Docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, Quasdam tamen materias singulares aliquorum, quæ ad gradum altissimæ contemplationis pertinent, & cuiusdam extraordinariæ virtutis altitudinem, non laboret concionator afferre in suis ad populum concionibus, cum sint res supra communem Dei prouidentiam, & sanctorum ordinariam perfectionem, quarum rerum populus non est facile capax.

Argumenta ad vitanda peccata venialia, & contra Tepiditatem. Cap. XLII.

SVbijciam hic etiam locos in quibus argumenta possit elicere orator noster vt persuadeat à peccatis venialibus quantum possumus abstinendum esse. Deinde alios ad expellendam ex animis Tepiditatem, hæc enim duo sunt quæ maximè vitæ spiritualis progressum, & perfectionem impediunt; Contra pec
Peccata Venialia vitanda. catum veniale. Primò potest declarari periculum incurrendi lætalia, nam ad hoc exitium viam aperiunt leuia, si parui fiant & parua semina ingentem educunt molem. Secundò peccatum veniale est verè peccatum, & animam maculat quæ licet gratiam non tollat, tamen turpe est ibi apparere maculatam animam vbi gratiæ nitor, & pulchritudo adest, sicut macula etiam leuis in veste pretiosa gemmis, auroque contexta multũ dedecet,

cet, ſplendidæ etenim veſtis vt loquitur Nazianzenus luculentiores ſunt ſordes. Et ingentem flammam perexigua quoque ſcintilla excitat, & viperæ ſemen homini ſæpe exitium inuexit proinde cura, vt leuiſſimam quoque noxam effugias.] Tertiò conſideranda Dei liberalitas in dono gratiæ ſuæ, quam communicat, ex hoc namque apparet tanto eſſe maiorem deſidiam non curantis has etiam leues maculas, quanto eſt maior Dei munificentia in dando; videtur enim hoc redundare in contemptum donatoris, ac doni. Quartò per hæc peccata venialia impeditur progreſſus gratiæ, ac virtutum vſus, quia feruor charitatis minuitur; ac tepeſcit, prudentiæ item ob incautam viuẽdi rationem, humilitatis dum nimium homo ſibi confidit, diligentiæ ob acediã; multæ Dei inſpirationes, & auxilia impediũtur, aperitur via ad multas tẽtationes hoſtium noſtrorũ, debilitantur noſtræ vires ad reſiſtendum. Quintò Dei voluntas eſt proponenda prohibentis has culpas, quæ à nobis eſt magni facienda. Sextò Deus ſæpe punit etiam has culpas, vt probat Baſil. allatis multis ex ſcriptura exemplis, & purgatorium pro his culpis deſtinatum eſt. Septimò oſtendenda cuiuſuis peccati grauitas ex Doctrina Patrum maximè Auguſtini, qui docent nunquam licere peccatum vllum committere propter quodcũque bonum acquirendum, vel damnum vitandum. Octauò exempla Sanctorum etiam id perſuadent. Lege Greg. in 2. Pſal. pœnitentialem.

In Matth. 19.

In Sct. 1.

Serm. de iudicio Dei.

Contra Tepiditatem locr.

Contra Tepiditatem verò faciunt hi loci. Primò tepiditatis turpitudo quàm bene deſcribit Bernar. Eſt (inquit) inuenire homines puſillanimes & remiſſos deficientes ſub onere, virga, & calcaribus indigentes, quorum remiſſa lætitia, puſillanimis eſt triſtitia, quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuerſatio, quorum obedientia ſine deuotione, ſermo ſine circumſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione, quos vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix diſciplina coercet, non tibi horum vita inferno appropinquare videtur? Secundò tepidus eſt iniurioſus gratiæ Dei, cuius eſt proprium ad vlteriora mouere & ad perfectiora; Item Chriſti laboribus ac meritis, quæ ad progreſſum excitant, diuinis inſpirationibus per quas Deus cor noſtrum pulſat excitatque ad operandum, Rurſum Sacramẽtis quæ negligenter ſuſcipit, Verbo Dei cui tam male reſpondet, Sanctorum & Angelorum patrocinijs. Tertiò ſunt tepidi, ſæpe admonitionum incapaces, adeo vt Deus ex ſententia Da-

Serm. 5. de Accenſ.

Coll. 4. *c.* 19. *in fine.* nielis Abbatis apud Caſſ. doctoribus præcipiat vt ab his tepidis admonendis, docendisque diſcedant ne ſemen doctrinæ diuinæ male pereat, & alijs vacent iuxta illud Hierem. Hæc dicit Dominus Nouate vobis Nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.

Hier. 4.

Prou. 19. Quartò affert ſecũ tepiditas in ſpiritualibus ſoporẽ vt in Pro: dicitur & Dauid dormitauit (inquit) anima mea præ tedio, animũ dicit nõ corpus, quia teſte Caſſiano ab omni contẽplatione virtutum, & intuitu ſpiritualium dormitat anima, quæ pertur bationis huius telo fuerit ſauciata: vnde etiam illud malum ſequitur quod tepidi anima per mundi, & carnis deſideria ſeſe diffundit teſte ſapiente; In deſiderijs eſt omnis ocioſus. Quintò huic ſopori annectitur quædam ariditas animæ, ac ſterilitas dũ diuinis deſtituitur conſolationibus, vt in Prou. dicitur, propter frigus piger arare noluit, mendicabit igitur æſtate, & non dabitur ei. Ac meritò hic ſtatus hominis tepidi dicitur ſterilitas penuria, & fames. Sextò adde quod inanem fiduciam, & arrogantiam fouet tepiditas, dum ſibi homo blanditur, quia non videt ſe in apertis peccatis eſſe, ſed habet externam aliquam virtutum ſpeciem, ideoque aliorum conſilia non curat, eſtque periculum ne in ſtatum duri cordis dilabatur, & fiat ruina magna. Ap. Dicis quia diues ſum, & nullius egeo, & neſcis quia miſer es, & miſerabilis, & nudus, & pauper & cæcus. Septimò magnum periculum eſt tepido ne fructum anteactæ vitæ perdat In Prou. qui mollis eſt, & diſſolutus in opere ſuo, frater eſt ſuæ opera diſſipantis. Octauò periculum ne à Deo abijciatur vt dicitur in Apo: vtinam calidus aut frigidus eſſes, ſed quia tepidus es incipiam te euomere ex ore meo, eſt enim huiuſmodi homo inſtar aquæ tepidæ, quæ Dei ſtomacho nauſeam & vomitum parit.

Prou. 2.

Ap. 3.

Prou. 15.

Apo. 3.

Affectus Diuini Amoris excitandus. *Cap.* XLII.

PErfectio Chriſtiana quam in hac Via Vnitiua docemur maximè, conſiſtit in quadam coniunctione animæ cum Deo, hæc autem coniunctio per charitatem fit, vt dilectus Chriſti diſcipulus docet, dicens Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, quæ charitas cum perfecta eſt, non ſolum impedimentum peccati mortalis omnino excludit, non ſolum à venialibus, & leuioribns culpis animam quãtum fieri poteſt in hac vita liberat, & cõtra tepiditatis malum ſtrenuè pugnat de quibus iam dictum eſt, ſed etiam omnium virtu-

1. Io. 4.

Digitized by Google

virtutum chorum sibi famulantem associat, prout diuinus docuit Paulus, charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hinc necessario sequitur, concionatorem frequentem esse debere, vt ad Dei amorem Christianos inflammet. Cui rei hi loci deseruire poterunt, & alij quos ipse paratos habebit, vt inde argumenta elicias, tanquam ignem ex silice ad fomitem, quem ante se habet humanorum pectorum accendendum. Cum autem tria sint in vniuersum, principia & causæ, quæ amorem valeant in nobis excitare, vt in materia de Affectibus dictum est, hæc in amando Deo, plurimum momenti & præcipuam habent efficacitatem, prima causa est ipsum amoris obiectum scilicet bonum, hoc enim est, quod omnia appetunt, secunda est similitudo aliqua inter personam, vel rem quæ representatur, & ipsum Amantē; Tertia cum quis ab alio se amari aduertit, est enim Amor amoris incitamentum sit ergo; 1. Cor. 13.

Primus locus, ex quo tanquam ex silice, amoris erga Deum ignem excutiamus, Immensa atque adeo infinita Dei bonitas, omnem, omnium bonorum rationem, eminentissimè complectens, & in infinitum excedens, sicut Moysi Deus ipse dixit petenti, vt faciem sibi suam ostenderet, Ego (ait) ostendam tibi omne bonum. Et quamuis in præsentis vitæ statu, à nobis clarè videri nequeat, intelligi tamen, & ex diuinis Scripturis ipsomet reuelante potest, & in operibus suis, eius pulchritudo & bonitas aliquo modo cognosci valet, Ob id rectè Augustinus. Bonum hoc (inquit) & bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum si potes, ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Certè vox boni sicut & pulchri, nulli vt Deo, conuenire potest, neque Deo sicut alijs rebus à Deo creatis, tribuitur, sed vt à Dionysio Areopagita effertur prædicetur Deus ὑπεραγαθότητος, ὑπερκαλότητος, ὑπερείστητος, super omnē & bonitatem, & pulchritudinē & essentiam, in excelso & eleuato solio, vt Isa. vidit, sedens. Atque vt hoc tale bonū, ad se vehementius humanum pectus attrahat, adiungendæ sunt omnes Dei perfectiones, Sapientia, Benignitas, Mansuetudo, Potentia, Æternitas, Infinitas, in quibus omnibus, ipsa effulget diuinæ bonitatis excelsitas, & pulcherrima effigies, sunt enim diuinæ perfectiones si benè explicentur, amoris Dei in nobis mirum in modum procreatrices, & nutrimentum, præsertim, si non solum ex vna parte Dei natura, quæ obiectum est amabilissimum, sed etiam ex altera Animæ nostræ conditio explicetur, Primò Dei Bonitas. Ex. 33. Isa. 6.

tur, quæ diuinitatis capax, & propter ipſius Dei Amorem, ac fruitionem, ab ipſomet authore Deo formata eſt, vt in nulla planè re, valeat cõquieſcere, quam in ipſo Deo, vltimo ac felicissimo fine. Huc etiam referri poſſunt quæ loco ſupra citato de Affectibus, dicebamus Dei Amorem, eſſe menſuram ac regulam ad quem omnium amorum, ratio ac moderatio reuocanda ſit. Confirmari poterit hoc argumentum, quia Deus non ſolum eſt Bonum, & ſummum Bonum, ſed omne Bonum; Ergo rectè inferre debemus, toto corde, tota anima, totis viribus diligendum eſſe, vt poſſimus cum Seraphico Franciſco identitem repetere Deus meus, & omne bonum meum. Hic quadrat illud Auguſtini monitum. Quid per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, quærendo & non inueniendo ama vnum bonum in quo ſunt omnia bona & ſufficit.

Secundò. Similitudo inter Deum, & Hominem.

Secundus locus ſumatur à Similitudine quæ inter nos, ac Deum eſt maxima, cum de homine ſcriptum ſit, faciamus hominem ad Imaginem & ſimilitudinem noſtram hoc eſt vt aliqui exponunt, Imaginem nobis ſimillimam, quãuis erudite Theologi Imaginem in naturalibus, ſimilitudinem in ſupernaturalibus ponant. Cum igitur homo Imago quædam ſit, intelligẽs viuens, amans, tamque Deo ſimilis, quò nam eius tendat amor niſi ad eum cuius eſt imago? & ad eum conuerſa, cum propheta repetat frequenter. Tibi dixit cor meum exquiſiuit te facies mea, faciem tuam domine requiram. Neque fuit Deo ſatis, nos ſibi tam ſimiles effinxiſſe; Sed vt maior aliqua ſimilitudo, magis adhuc noſtrum erga ſe accenderet amorem, etiam ſeipſum nobis effecit ſimilem, dum carnem noſtrã, & animã aſſumpſit humanam, vt verè dicatur Deus homo, & Verbũ caro factum, Iam rectè cum Bernardo illud licebit inferre, Non poterit me amplius contemnere, os de oſſibus meis & caro de carne mea. Et hæc planè tanta, & tam noua tamque admirãda ſimilitudo, ita vrgere poteſt charitatẽ noſtram, vt cum Paulo ſentiamus; Nihil eſſe omnino, tam arduum tamque difficile, quod nos à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, ſeparare queat. Videtur D. Paulus, tum de charitate, qua nos Deus proſequitur, tum de ea quam ei nos debemus, loqui, eſt etiam valde notãdum quod addit (quæ eſt in Chriſto Ieſu) ex hoc enim, quod filij ſui perſonam noſtræ humanitati communicauit, eminens eius erga nos eluxit charitas, tanquam in filios adoptionis, naturali eius filio configuratos, & in ſuo dilecto, dilectos, & Noſtra, per hoc idem miſterium, Charitas erga Deum ferri debet,

Pſal. 26.

Digitized by Google

debeę, vt per eandem vnigeniti ſui, aſſumptam humanitatem, ad Deum totis viribus amandum, conuertamur, facti per hanc tam illuſtrem ſimilitudinem, Chriſti domini fratres, ac ipſius Dei filij, ita ut eriã Gloriemur ſicut Paulus loquitur in ſpe gloriæ filiorum Dei, facti hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.

Tertius locus erit Dei quo nos proſequitur amor, vt tanto amatori, pro noſtris viribus reſpondeamus, cum Amor nulla meliori ratione, quam amore compenſetur. Præſertim ſi amantis perſonam attendamus, & dilectionis quantitatem, atque etiam Hominis qui amatur indignitatem, ſicut illis verbis D. Paulus ſignificat Deus autem qui diues, eſt in Miſericordia, ecce tibi altiſſimam amantis perſonam, propter nimiam charitatem ſuam, ecce amoris magnitudinem, cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, ecce quam nos tanto amore indigni eramus; Ex hoc triplici capite, magnam vim, habet, argumentum, quo vrgemur ad Deum redamandũ, vt D. Io. concludit. Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos & Auguſt. Si amare pigebat ſaltem redamare non pigeat. Tertiò. Amor Dei in hominem. 1. *Ioan.* 4. *De Catech. rud. c.* 4.

Quartus locus ſit Beneficiorum erga nos Collatio diuinorum, quæ tum magnitudine tum multitudine, à nobis quodãmodo amorem extorquent, ſunt enim beneficia, Amoris quaſi aureæ Cathenæ quæ arctiſſimo vinculo nos Deo aſtringunt, Non eſt præſentis inſtituti, in his immorari, ſed ſolummodo locum topicum, vnde ad amorem excitandum argumenta eruamus aſſignare. Quiſque exiſtimet, ſe eſſe illum ſeruum, quem Euangelica proponit parabola, oblatum domino ſuo, vt decem millium Talentorum quæ acceperat rationem redderet. Hæc certè talenta, quid ſunt, niſi ipſa Dei beneficia, æſtimatione maxima, & quid numerus decem millium, niſi ipſa eadem, multitudine innumera? Ad quinque millia pertinent quæ naturalia ſunt & ab ipſo, naturæ authore collata, In hoc enim naturę ordine numerantur, Primò quod Deus hominem creando, ſeipſum nobis in ſua imagine dederit, ſemperque communicans vt prima cauſa, ſemperque influens vt primus motor, quoniam in ipſo viuimus mouemur & ſumus; Secundò quod totum hunc mundum homini eſt largitus eumque omnium rerũ conſtituerit dominum; Tertiò quod formauerit, & corpus & Animam rationis participem, quaſi aureum anulum cum ſua prætioſa gemma; Quartò multa ſunt ſingulis & varia diſtributa dona peculiaria, tum animæ tum corporis prętęr cõmunia omnium; Quartò. Beneficia Dei in nos.

Quin-

Quintò nec desunt multa externa bona, vt opes, amici, Honores, &c. Sed præter hæc, alia quinque millia licebit enumerare longè his præstantiora, quæ supra naturam sunt, quæ vehementius amorem vrgent, sunt autem, Primò quod filij sui personam nobis Deus dederit ex quo beneficio licebit cum Paulo inferre, quomodo nõ cum illo omnia nobis donauit; Secundò quod formarit Ecclesiam, quæ est Mundus alter longè corporeo dignior. In qua ipsemet Christus inter septem Sacramenta præsidet vt sol inter planetas; Tertiò quod in nobis hominem genuerit spiritualem, imagini filij sui conformem, multis gratiarum ornamentis, & virtutum donis locupletatum; Quartò quod singulis, singulares concessæ sint gratiæ vt Paulus docet diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, diuidens singulis prout vult, ad quod etiam pertinent tam multa auxilia specialia, quæ liberaliter, largitur; Quintò quod promittat, æterna quædam præmia, & suæ diuinitatis fruitionem & mercedis futuræ ineffabilem gloriam. Vides ne tot tantisq; beneficijs quãtus amor debeatur? ac si dicas, ex tam magna lignorum ardẽtiũ strue quantum incendium crescat? Quis ergo talẽ tantumq; benefactorem non amet? audiamus Euseb. Emissenum, hæc breuiter referentem, intellige (ait) illius esse totum, cuius cœlo teg eris, cuius terrę gremio sustineris, cuius aere pasceris, & vitalis auræ participatione vegetaris, cuius luce ac famulo sole perfrueris, cuius tibi dies ad iucunditatem nox obsequitur ad quietem: Qui post tanta, seipsum tibi dedit, quando tam caro precio te redemit; Qui talia procurauit seruo, qualia parabit, victa peccati labe iam libero? qui tanta iacenti contulit, quãta conferet refurgenti?

Hom. 1. de Symbolo.

Quintò. Deus homo factus.

Quintò loco inter tot collata beneficia, debet nobis maximã amoris materiam suppeditare, ipsum Dei Verbũ, homo factus, non modo ob ipsius doni singularitatem & excellentiam, nõ solum, ob rationem similitudinis, vt diximus, Sed etiam ob ipsius Christi domini pulchritudinem ac dignitatẽ, quæ meritissimè, amorẽ nostrum ad se totũ attrahit: Huc facit illud in Canticis Dilectus meus candidus & rubicundus electus ex millibus candidus planè ob diuinitatẽ, cui congruit illud Sap. candor est lucis æternæ, & speculũ sine macula, diuinæ maiestatis, & imago bonitatis illius, rubicundus autẽ ob assumptam humanitatem, & additur ibidem, & totus desiderabilis, in Hebræo habetur totus desideria, ideſt, quantus, quantus est nostra desideria nostros amores, ad sese reuocat. Certè si Deus eximmenso erga nos amore

Cant. 2.

Sap. 7.

amore dicit, Delitiæ meæ esse cum filijs hominũ, quanto æquius homo dicat, Delitiæ meæ esse cum filio Dei?

Sextum locum, assignemus eiusdem Domini nostri, acerbissimæ passioni, in qua peculiariter, & maximè, tum Maiestas, ac bonitas Dei splendet, tum beneficia multiplicantur, & ardet amoris fornax. Est enim Christus in cruce pendens, perinde vt magnum quoddam & clarissimum speculum, in quod radij solis, diuinitatis incidentes, indeque ad nos tanquam conferti, constipatiq; pertendentes, possunt magnum in nobis incendium charitatis accendere. Super omnia (inquit Bern.) te mihi reddit amabilem bone Iesu, calix passionis, quem bibisti; opus redemptionis nostræ, hoc omnino, amorẽ nostrum, facile vendicat totum sibi, hoc inquam est, quod nostrã deuotionẽ, & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehemẽtius: 6 Christi passio. *Ser. 5. in Cant.*

Septimus locus erit, ab ipsa natura diuini amoris desumptus præsertim, si cum aliarum rerum amoribus conferatur: certa est experientia ac facili negotio, & comprobari, & intelligi potest, adiuncta conditione animæ nostræ, quæ ad Deum ordinata est, & diuinæ facta naturæ capax, Si quis amet, & persequatur Mundi honores, & gloriam, si opes ac prædia, si corporis, ac sen suum voluptates, si coronas, & imperia, si homines quoscunque diligat, non posse in eis pacem, & tranquillitatẽ, & cordis quietem inueniri, Afferunt potius huiusmodi amores perturbationũ, & amaritudinis plurimum interdum satiant, numquã explent, cum contra Amoris Dei, ea sit natura, vt plurimum dulcedinis, ac suauitatis, multam afferat quietem, quod ille agnouit, qui dicebat, Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, quemadmodum enim si ossa in humano corpore luxentur, numquam inuenire poterit homo requiem, quousque in suum restituantur locum, Ita cum amoris nostri locus Deus planè sit, solus ipse mentem explet, capacem enim, deitatis, omne quod Deo minus est, nequaquam implet. 7 Natura diuini Amoris. *Psal. 76.*

Octauo loca scripturæ, quæ prouocant ad amorem hunc multa sunt, quæ non debent a Concionatore inconsideratè trãsiri, sed diligenter per singula verba expendi, cum duo ligna aptè inter se confricantur, solet ignis existere. Item sententiæ sanctorum Patrum mouere ad id possunt. 8 Scripturæ verba.

Nono exempla ex scripturis, ex historijs eorum qui egregia amoris in Deum testimonia reddiderunt, habemus quam plurima, & præcipuè Martyrum innumerabilium. Paulus, & Franciscus in Deum ex amore transformati sunt. 9 Exempla sanctorum.

Decimo

10 Modus dicẽdi qualis esse debeat.

Decimo modus dicendi ad excitandum hunc affectum debet esse, vt accommodatus affectibus lenibus commouendis, qualia sunt colloquia spiritualia ad Deum, ad Christum in Cruce, ad animam suam, ad eum qui audit, compatiendo his, qui gustum Dei non habent. Orando Deum, vt excitet hunc ignem cum Augustino; O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus meus accende me.

Vnionem curet, ac pacem. Cap. XLIV.

PRæter Dei amorem ad eamdem viam pertinet, vt Concionator amoris proximorum cõsensionis, ac pacis amicissimũ se ostendat, Deus præcepit, vt in ora vestimenti Pontificij, cum tintinabulis, essent malapunica opere polymito inserta ad significandum in prædicatione, quæ per tintinabula figuratur, *Exod. 39.* interseri debere studium charitatis, quam optimè significant malapunica sub vno cortice multa grana complectentia. Pessimum esset in pulpito indignationem in aliquos præseferre, aliquo signo aut verbo, & animum erga eos malè affectum. Irasci in pulpito valde malum. Quod si in re graui publicè notaretur, sanè pro scandali grauitate, & loci sanctitate, grauis peccati periculum esset. Quare debet bene sedatos habere affectus; Ideoque Augustꝰ merito in Concionatore postulat conditiones verbi Dei, quod prædicat *Psal. 11.* cui accommodat illud. Argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum. Maximè item cauere debet ne in concione velit sua ita venditare, aut auram popularem captare, vt aliquo modo notet aliquem prædicatorem, vel quempiã alium ex hoc enim dissidiorum semina oriuntur inter ipsos Cõcionatores, quod populus animaduertens facile in contrarias partes, ac studia scinditur, dum vnus vni, alter alteri adhæret istud autem non est officio fungi Angeli pacis, & pacem Euangelizare, sed diabolicum obire ministerium, & inde detrimen- *1. Tim. 1.* tum referre, vnde oportet medicinam expectare. Hinc Paulus, noli inquit contendere verbis. ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Inde non probo, vt Concionator impugnet opinionem alterius nisi esset contra fidem, aut euidenter contra bonos mores, & in eo casu præstaret Prælatum monere, & superiorem, ad quem pertinet iudicare, quid facto opus *Prou. 28.* sit. In his autem contentionibus, videtur illud Prou. compleri vir pauper calumnians pauperem similis est imbri vehementi, in quo paratur egestas, nihil est, quod omnes fructus spiritua-

les,

les, ita fubruat, & vt ille air ſternat fata læta bonumque labores, vt tales rixæ, ac æmulationes inter ipſos Concionatores. Quanto enim magis aliqui è populo videntur delectari huiuſmodi litibus, tanto maius ſcandalum patiuntur, & offenduntur, & verbi Dei authoritas deperit hoc autem egregium documentum egregie videtur mihi habere D. Iacobus (ſi quis ait) ſapiens & diſciplinatus eſt inter vos, oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ, quaſi dicat ſi quis ſapiens ſibi ſufficiens, ita videtur, vt ad doctorum cathedram audeat aſpirare, viderit ipſe ne arroganter ſuam iactet ſapientiam, & vt mores ita compoſitos habeat, vt cum manſuetudine, ad omnes ſe gerat, & cathedram virtute ſua ornet ne ſe alijs præferat, nam qui talis eſt, ait D. Paulus. Superbus eſt nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum, & idem ipſe D. Iac. ſubdit, quod ſi zelum animarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, noliteglori ari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem, quaſi dicat ſi animos habetis amarulenta æmulatione vitiatos, ſi cor contentionibus, & peruicaci ſtudio inuidiæ corruptum, cædite potius docendi munus. Ex inuidia, fœlicitatis alienæ indignatio, & contentio naſcitur; fomentur autem ſæpè hæc mala ſemina à quibuſdam delatoribus, qui aures ipſorum Concionatorum percellunt, ſed indigniſſimũ eſt his præbere aures, & eorum delationibus moueri, ſæpè virorum ſine iudicio, & quod longè peius eſt etiam mulierum. Itaq; bonus Concionator, ſemper Deum ante ſe habeat, & ſicut de ſe nunquam loqui deberet, ita de alijs Concionatoribus non loquatur niſi honorificè, ſine affectatione, vel adulatione, & cum ſignificatione ſyncerę charitatis: delatoribus nunquam credat: Etiam cum ijs qui oderunt pacem, pacificus ſit: Egregie noſter B. P. Franciſcus Xauerius ad prędicatorem quemdam è noſtris ſcribens inter cętera cum Cœnobitis inquit Sacerdotibuſq; omnibus facilitate, modeſtiaq; certabis, ſi qua forte offenſio exorta fuerit, eorum ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam iram, tua leniet demiſſio, quamuis tibi innoxius videaris. Illud etiam ad concordiam eorundem pertinet, vt omnium apud omnes bonã exiſtimationem, & pacem tueatur. Aliquando vidimus ex verbis Concionatoris natas occaſiones diſſidiorum, ſi enim acrius & ſæpè inuehatur in artifices ſolent nobiles id arripere, & illis opprobrij loco obijcere, itẽ ſi nobiles inceſſat ſtatim murmur vulgi ſuboritur eiſdem indignantis, eadem occaſio contingeret inter viros, & vxores inter ſuperiores & ſubditos, inter famulos

Contentiones concionatorum ſcandalũ patiuntur.

Locus Iacobi explicatus *Iac. c. 3.*

1. Tim. 6.

Oĩs diſcordiarum occaſio fugienda.

Digitized by Google

los & dominos, Ecclesiasticos & laicos, ciues & externos, pauperes & diuites, de viris, & mulieribus, ita loquatur, vt si quando mulieres reprehendit, non appareat eas à se contemni, vel risum excitare ex eis, neque contra, vt adulari eis velle videatur, & gratiam apud eas captare, neque etiam de virili ordine, ita loquendum est, vt contumeliosè muliebri præferri iudicetur, Concionatoris maximè est fouere charitatem, & consensionem inter omnes, & ita se gerere, vt nulli detur occasio obloquendi, aut discordiarum, Omnes hortetur, vt inuicem se diligant, se adiuuent, alter alterius onera portent, se mutuo amplectantur in vinculo pacis, honore se inuicem præueniant, & ipse charitatis authorem se ipsum ac formam præbeat, ob id Concionator comparatur lucernæ, quæ omnibus lumen æquè communicat, & soli qui omnes æquè illustrat, & nubibus, quæ pluuias mittunt in omnes agros, tam diuitum, quam pauperũ, ob id apud Isaiam dicitur, quasi tuba exalta vocem tuam, hæc enim ad omnes insonat, cuiuscunque sint conditionis homines. Quantum potest fugiat omnes materias, atque adeo voces, quæ cuiuspiam ius, vel in re minima possint offendere, non enim est locus ille huiusmodi res, tam periculosas attrectandi, quia si alteri faueas, fies alteri odiosus, si rem attingas, ac medium te velis ostendere, suspectus eris vtrisque, ab neutris gratiam inibis, Item si quæ incidant in Ciuitate factiones ita age de concordia, & charitate, vt nonnisi bonum omnium æqualiter, & ciuitatis commune beneficium tibi curæ esse significes, Multo minus inter concionandum intermiscebis mentionem de bellis, atque dissidijs, quæ forte inter Christianos Principes gerantur, solent enim huiusmodi dicta, ingenia in diuersas partes trahere, & animos perturbare. Caue ne inter familias nobiles vnam præferre alteri videaris, nec nimis vnam aliquã laudabis. Habetur enim pro præiudicio ea laudatio, cumq; sæpè cõtentiones & æmulationes inter eas vigeant, præsertim in rebus publicis si vnam laudes, cæteras lædis; Neque celebrabis vires vnius nationis magis, quam alterius, Diligentissimè prouideas ne videaris de hominibus alicuius nationis quamuis longe absint non bene sentire, nam & id postulat charitas, & fama malum quo non velocius vllum, quæque eundo crescit, Sæpè quod prædicatum est in Italia ad vltimas Terrarum prouincias, amplificatũ defertur, deniq; in his, & huiusmodi rebus fugiendæ sunt comparationes, verè enim dicitur omnis comparatio odiosa.

Concionatoris maxime est fouere concordiam.

Isa. 38.

DE

DE QVIBVSDAM INDVSTRIIS ORATORI Christiano seruandis.

LIBER DECIMVS.

Enumeratio eorum, quæ in hoc Libro continentur.

AD Prudentiam Oratoris, quam in hac tertia operis nostri parte tractamus, multæ industriæ pertinent, in quibus prudenter laborans noster Ecclesiastes, non contemnendos, percipere queat laborum suorum fructus: Has ergo industrias hic decimus ac postremus huius nostræ Institutionis liber complectetur, quas omnes ad quinque tractationes putauimus commode referendas. Ab vniuersalioribus initium sumentes. Prima tractatio erit de ijs industrijs, quas tenere debeat, qui proximorum saluti cum fructu vacare velit, maxime in Missionibus. Ad secundam pertinebit modus eleemosynas, ad pauperum inopiam subleuandam commendandi, quod munus in plerisque locis ab ipso diuini Verbi præcone, cum ipsa concione simul exercetur. Tertiò, colligemus varias admonitiones, quæ praxim, & vsum in multis vitæ spiritualis actionibus edocent, quæ item in concionibus sparsim, pro nata occasione, adhibitæ emolumenti non parum afferent. Quarta erit industria, quæ tam in paranda, quam in habenda concione adhiberi debet. Postrema pars obseruationes aliquas referabit, quas in Quadragesimalis ieiunij prædicationibus tenens, Concionatoris industria, possit ex continuata illa actione animarum lucrum labori consentaneum reportare.

Digitized by Google

INDVSTRIAE PRO IIS qui proximorum saluti dant operam, præsertim in missionibus.

Quales industriæ circa seipsum obseruandæ.

CAPVT PRIMVM.

QVoniam candidi animi est vnde profeceris profiteri, candidè profiteor quæ in hoc tractatu primò explicabuntur, quantum ad ipsam rerum substantiam, magna ex parte desumpta esse, ex quodam manuscripto R. P. Polanci nostræ Societatis viri sanè prudentissimi, multæq; experientiæ, qui nostro Beato Patri Ignatio, & duobus ab illo Generalibus Iacobo Laynio, & Francisco Borgiæ fuit à Secretis, quinimò arbitror pleraque, vel omnia eum ex ipsomet Ignatio desumpsisse. Poterunt autem vsui esse non solis Concionatoribus, sed alijs quoque omnibus, qui vel ex suæ vocationis instituto, vel ex zelo charitatis proximis prodesse cupiunt, cum omnibus dictum sit: Vnicuique mandauit Deus de proximo suo.

In primo igitur, eoq; præcipuo capite sunt industriæ, quæ circa seipsum seruandæ sunt. Nam qui sibi nequam est, cui bonus erit? Sicut enim Deus in rebus naturalibus effectus aliquos ad perfectionem non adducit, nisi per ipsas causas perfectas, ita planè in spiritualibus est intelligendum eum perfectum esse oportere, vel saltem perfectionis cupidum, cuius ministerio ad aliorum salutē Deus vtatur, ijsq; ornatum virtutibus, quas alijs procurat. Scio me in prima parte multa de virtutibus dixisse, quæ personam Oratoris nostri, & quoad Deum, & quoad proximos informant, ea non repeto, sed quæ subijcientur, quia maximè vtilia sunt, ideò prudentibus viris molesta fore nō arbitror præsertim quod breuissimè tangūtur.

Desiderium suæ perfectionis.

Primò igitur dico ab his, qui alios velint ad virtutes promouere sitiendam esse propriam perfectionem, vt semper eo spiritu ardeant, quo ad perfectionem vrgeantur. Hoc autem

fiet

fiet solidarum virtutum studio, sedula cura incumbendo: cum enim his, qui cum proximis occupantur minus suppetat otij & loci, ad diuinarum rerum contemplationem, quo abundant Anachoretæ, qui in Eremo sibi dumtaxat attendunt, æquum est, vt hanc contemplationis penuriam, solidarum virtutum actionibus compensent; vt hoc modo perfectionis status, & coalescat, & roboretur, nec deuotionis spiritus euanescat. Hac autem in re quantum proficiat ex quotidiani examinis accurato vsu intelligere quisque poterit, in quo, & reprehendere seipsum si minus progrediatur; & in futurum tempus animos resumere poterit. Hic autem progressus ex hoc maximè apparebit, si in suarum passionum domandis insultibus præcipuo studio laboret.

Contra animi sui passiones pugnam ineat.

Passiones autem, cum quibus, ijs maximè qui proximo iuuando incumbunt pugna est ineunda, sunt huinsmodi. Primò, timor omnis fugandus, & abijciendus: neque enim paupertas vel iniuriæ, mors ipsa denique ei timenda, qui & in illis patientiam, & in hac constantiam alijs est prædicaturus.

Secundò, in rebus aduersis quas ab alijs patitur, videat ne sub zeli specie, odium aut amaritudo, contra sibi aduersantes irrepat, pro eis potius preces fundat, & omnem animi rancorem, bene de ijs loquendo, deleat, contra eos tamen qui animarum salutem impediunt, strenuè ad maiorem Dei gloriam, prudenterq; se gerat.

Caueat à pusillanimitate.

Tertiò, ne sit apud Deum pusillanimis, vbi se aut paruipendi, aut male tractari senserit, nec diffidat etiam si parum se prodesse videat, quin illud sibi habeat persuasum nunquam se, dum Dei gloriam quærit, ab eo desertum iri.

Superet ambitionem, præsumptionem cænodoxiã.

Quartò, expugnandus est ille ternarius vitiorum, ambitionis, præsumptionis, & cenodoxiæ, hæc etenim vitia occultè se ingerunt, & amica facie sub boni specie fallacius blandiuntur. Nam primò per ambitionem honores, & dignitates sibi, professioniq; suæ repugnantes venatur. Secundò, si præsumptioni locum dederit, quæ supra vires sunt aggreditur, alienis se immiscet, & plus æquo sibi tribuit. Tertiò, per vanam gloriam, quæ Dei gloriæ sunt, sibi fraudulenter vsurpat: igitur contra pestem ambitionis, honores nec appetat, nec oblatos sumat, nisi ad auctoritatem docendi, animarumvè lucrum, adhibita sollicitè cautela conferre aliquid videretur; præsumptioni prudentiam opponat, ne ea attentet quæ ob difficultatem supra vires sint. Vanam gloriam cum Diuo Ber-

nardo propulset, vt dicat, nec propter te incœpi, nec propter te finiam.

Naturæ vitia expugnet. Quintò, videat ne in aliquod suæ naturæ proclive vitium incurrat, vt si natura facilis sit, ne in adulationem, aut approbationem earum rerum, quibus aduersari deberet labatur; si seuerus, aut asper, ne in morositatem, seu tetricitatem, contradicendo in omnibus quæ minus sibi placent: verum quomodo se gerere debeat discretio ipsa docebit.

Corpus edomet. Sextò, concupiscentias corporis in cibis, & alijs corporis titillamentis deuitet, seq; in ijs abneget, quæ suggerit appetitus; nam præterquam quod proximis est scandalo, proprium spiritum suffocant, & ad maiora peccata incitant. Tamen in corporis ægritudine valetudinem curet, ijsq; remedijs vtatur, quæ Deus ad eam conseruandam dederit, caueatq; ne impatientia, alijsve passionibus, quas solet ægritudo prodere, malè circumstantes ædificet, sed infirmitatem tamquam Dei donum hilari fronte suscipiat, & vitæ in melius propositum sibi, alijs verò bonum exemplum proponat.

Mortificatio nè amet moderatam. Septimò, mortificatio sui sicut est efficax instrumentum, vt aliquis non solum sibi, sed & proximis sit adiumento: ita obuijs vlnis est amplectenda. Caueat tamen, ne se ieiunijs, alijsq; externis corporis macerationibus ita debilitet, vt ad labores ministerij sui subeundos ineptus efficiatur: Nam excessus in his nulli conuenit, multò minus ijs, qui in Domini vinea excolenda laborant. Sicut autem huiusmodi castigationes erunt assumendæ ad maiorem sui spiritus profectum, ita temperandæ erunt, vt diu in diuino seruitio illas tolerare, & continuare possit, prout & sancti Spiritus vnctio, & prudens vbique seruanda discretio dictabit interius.

Abnegatio voluntatis & intellectus. Octauò, abnegatio propriæ voluntatis omnino necessaria; reprimendiq; motus ex amore proprio enascentes, etiam erga res licitas, & interiorem hanc mentis compositionem totius exterioris hominis, constans compositio subsequatur: intellectus autem non modo in Ecclesiæ Catholicæ Fidem captiuandus, sed à dubijs etiam doctrinis abstrahendus, nec de ijs cum alijs agendum. Reuelationes item non magni faciendæ, sed nec alioquin contemnendæ, nec in rebus similibus confidendum, solent enim cum falsæ deprehenduntur, auctoritatem tollere, aut minuere, sed solida Doctorum

Digitized by Google

rum sanctorum, & aliorum ab Ecclesia approbatorum doctrina sequenda est: quamuis aliquando ratione temporis, & Regionis, expediat dubiæ doctrinæ libros consulere, cum facultate tamen Superiorum, eo fine, vt eorum errores confutentur.

Nonò, nullam propriæ fragilitati det occasionem consuetudine aliqua, seu familiaritate, maximè cum fœminis, quibuscum nisi palam, & paucis colloquatur: agatq; cum illis seuerè potius quam blandè: cumq; earum Confessiones excipit auersa facie sedeat, ne pateat aspectus. Quinimò vbi non ingens adeò fructus occurreret, & esset alius, qui ijs attenderet libenter ei meritum relinquatur, vacando interim rebus, & maioris momenti, & minoris periculi. In familiari conuersatione cautus.

Decimò, discat nulla re offendi, aut scandalizari, imò ex omnibus fructum eruere, neminem facilè condemnet, neque ex solis suspicionibus firmum iudicium ferat, nec propter prudentiam, perdat simplicitatem, sed vtramque conseruet: ad curationem tamen eius, qui remedij est capax non formando iudicium, sed ex sola coniectura procedi potest. Non scandalizetur in vlla re.

Vndecimò, omninò prudenter se gerat in medio nationis praua, atque peruersæ quò pertingere poterit, si humilis, & edomitis passionibus abnegatus fuerit: iuuabit etiam si ea quæ in dies vel ipse experietur, vel ab alijs didicerit quotidie in se reflectat, vt deinceps seipso circumspectior euadat. Prudentia.

Duodecimò, cæterum id postulat ordinata charitas, & suscepti muneris ratio, vt nemo sui obliuiscatur, dum aliorum saluti datur opera. Ne igitur occupationibus distrahatur adeò, vt suo profectui spirituali non attendat: nam vt proximum adiuuet; ipse à Deo debet adiuuari, vt igitur habeat, quæ in alios possit effundere, ad Deum fontem bonorum omnium, quotidie statis horis recurrat, conscientiæ examen non aspernetur. Multum etiam iuuabit quotidie sacrum facere, vel frequenter communicare si Sacerdos non erit. Attendat sibi.

Decimotertiò, quoties cum proximo agit ab ipsius exteriore homine animum ad interiorem conuertat, externum illum velut saccum immunditijs plenum, hunc interiorem vt sanctissimæ Trinitatis imaginem considerans. Quod si In proximis Deum attendat.

eum peccato deformem viderit, charitatis affectu compatiatur. Item si eumdem Christi sanguine, & vita redemptum, tantæ redemptionis prætium contemnere senserit, ex sancto zelo velut expostulet, quod in accepta iustitia non perseueret, denique id obseruet, vt cuiusq; animam tamquam Christi sanguine perfusam, omnesq; vt Christi membra, & Spiritus sancti templa interius contempletur: confert autem maximè crebra mentis in Deum eleuatio, qua tum in eius gloriam, & beneplacitum omnia dirigantur, tum ad hoc ipsum, auxilium quam possit maximo desiderio, & fiducia postuletur, atque huiusmodi oratio rebus alicuius momenti semper quantum fieri potest, præmittenda est.

Ab omni vel minimo peccato proponat abstinere.

Decimoquartò, denique illud apud se firmissimè statuat, ob nullum lucrum, quod expectet, vel alia quauis causa, peccatum vllum vel minimum veniale committere: sed omnia sincerè coram Deo, & hominibus curet perficere.

De his, quæ erga proximum agenda sunt. Cap. II.

SI quis missus est aliquò, vt certum negotium peragat, ei seriò vacabit, si verò indifferenter missus est, quæ ad maiorem Dei gloriam, & animarum salutem expedire videbuntur, & per se, & per alios strenuè procuret, paratus, omnes, & locorum, & temporum iniurias perpeti. Dum autem in his occupatur, si re aliqua incepta, alia sese obtulerit, quæ priorem non impediat, vtraque amplectenda videtur; si verò alia maioris momenti offeratur, quæ priorem inceptam, omnino, aut ex parte impediat, non videtur hæc maioris boni occasio prætermittenda, semper tamen præferenda est causa ob quam mittitur. Nec imprudenter plura, vel maiora assumenda, vt vnum ab alio impediatur, aut non possit vtrique vt par est sufficere.

Non omittat occasionem maioris fructus quando occurrit.

Non temerè se ingerat in negotia, sed prudenter.

Temerè ijs rebus se non ingerat, ad quas nisi vocatum accedere non deceret, quamquam vbi diuini honoris augendi certa spes affulgeret, licitum, & sanctum est eiusmodi negotium per se, aut per alios, & quærere, & obtinere, verbi gratia, prædicandi munus, si id legitimè assumatur, iniungente scilicet Episcopo.

Iam

Iam verò (vt ad particularia descendamus, vt appareat quæ, & qualia opera sint in auxilium animarum assumenda, quædam breuiter subijciemus, quibus tamquam principijs tota hæc industria niti debeat. Quænam opera, alijs sint præferenda.

Primò igitur præferenda sunt cæteris paribus (propter necessitatem) ea quibus infirmi ad bene moriendum adiuuantur, modò infirmus is sit, qui auxilij sit capax, & possit eo vti, nec prius deserendus, quam in gratia Dei, & bono statu esse credatur: videlicet cum post Confessionis & Eucharistiæ sacramenta, diuinæ voluntati videtur conformatus: adesse autem continuò agonizantibus, & ibidem sæpius pernoctare ei qui in missione versatur, non expedit ob incommoda quæ inde consequuntur, nisi ob maximi momenti occasiones, vbi docebit discretio quid sit agendum: nec item rerum temporalium dispositionibus sese implicare, (nisi forte quantum ad exonerandam infirmi conscientiam requiritur) præstat: Hortari quidem illum conuenit ad testamentum condendum, illi tamen conficiendo assistere non expedit. Ea, quæ ad moribundos spectant.

Secundò inter opera, quibus proximus ad bene viuendum excitatur illa, quæ ad salutem spiritualem eiusdem necessaria sunt, reliquis minus necessarijs etiamsi in se perfectioribus, sunt anteponenda. Hinc colligitur errores contra fidem, blasphemias, scelera publica prius esse extirpanda. Et quando ad hanc rem secularis bracchij potestas necessaria esset, si eius auxilium consequi possit multo melius erit: enitendum item, vt peccati status, ab inueteratæ malitiæ viris tollatur, vt concubinatus vsuræ, &c. pœnitentiam sub spe veniæ inculcando: inde ad orationes, eleemosynas, cæteraq; misericordiæ opera, tandem ad perfectiora pro capacitate promouendo: sunt autem prius Doctrinæ Christianæ capita, reliquave ad salutem necessaria tradenda, quoniam ad hæc omnes obligantur. Magis necessaria præferenda non tam necessarijs.

Tertiò, bonum quo vniuersalius, eo melius, & maiori studio procurandum, quare vniuersaliora, & publica bona maiori diligentia quam priuata curanda sunt: verbi gratia Episcopi, Pastores animarum, Concionatores Verbi Dei, Scholarum item præceptores, si data occasione, offerendo operam nostram amanter, & reuerenter agendo cum ipsis adiuuentur, latius patet bonum, & fructus, vt pau- Bonum, quo vniuersalius eo melius.

peribus, vt mulierculis quæ victum turpi quæstu procurant subueniatur; loca eis quærendo, si resipiscere voluerint, alioquin ijs recedere à peccati statu, difficile est.

Spiritualia præferenda temporalibus.

Quartò, inter bona opera cum omnia simul fieri nequeant, præferantur meliora, nempe spiritualia temporalibus, vnde prius catecheseos & conscientiæ ratio habenda, quam prouisionis cibi ac vestium, nisi famis vrgeret necessitas: sic ijs prius subueniendum qui in maiori periculo pudicitiæ, alteriusve damni versantur: inter temporalia ea præferantur quæ ad salutem animæ plus momenti habent, vt collocare fœminas in matrimonij, vel Religionis statu potius quam viros, & inter fœminas, ijs quæ sunt in maiori periculo citius subueniendum, vt adolescentioribus quam adultis.

Quæ magis durant alijs præferenda.

Quintò, præferantur opera pia, & fundationes, quæ diutius permanent minus duraturis, vnde magis insistendum, vt subuentio aliqua orphanorum fiat, præsertim si talis sit, vt orphanæ virgines nuptui tradi possint, si tamen commoditas adsit, nam vltra vires personarum huiusmodi opera tentanda non sunt.

Certiora probabilibus.

Sextò, præferantur illa etiam, quæ certius, & verisimilius perfici possunt, quam quæ minus sunt probabilia, securiora item, & à nota suspicionis, magis aliena, & quæ minus detrimenti, aut periculi cæteris paribus habent, præferenda sunt, ijs quæ talia non fuerint, siue defectus, aut ipsum periculum importetur ab opere, siue à personis cum quibus agendum est, siue à modo agendi, ea item opera potius eligenda sunt, quæ ab alijs aut negliguntur, aut relinquuntur, quam ea quæ ab aliquibus abundè, ac sufficienter fiunt.

Fortis sit nõ pertinax.

Septimò, vt fortem ad opera pia aggredienda, & constantem ad exequenda esse oportet contra aduersantium iniurias, ita in eorum prosequutione pertinacem esse non decet, quando inceptum opus dimittendum esse, ab ijs, qui bene, & prudenter sentiunt in Domino iudicaretur.

Quæ incipit curet perficere.

Octauò, prouideat diligenter vt opus quod erit semel perfectum conseruetur, magisq; curandum est, vt res semel inceptæ perficiatur, quam multa quæ perficienda non sint, incipiantur, ad quod iuuabit, si non solum ipse per se, sed etiam per alios pia opera perficienda procuret.

Nonò,

Digitized by Google

Nonò, sollicitè conseruet eos, quos iam in rectum tramitem reduxit, & voce, & per literas (si ita videbitur) perseuerantiam inculcando. Quod si aliquos ad res spirituales, puta Confessionem, orationem adducere non poterit, saltem ad opera misericordiæ instiget. Denique in vniuersum curet, vt nihil à fine diuinæ gloriæ, & boni communis alienum operetur, nihilq; eorum omittat, quæ ad hoc conferre videbuntur. Quòd si minus opere præstare possit, saltem voluntate non desit, quin desiderio insatiabili maiora appetat; idq; à Christo quotidianis precibus imploret, vt suos defectus suppleat, & media fini suo conducibiliora sibi proponere non dedignetur, neve sua culpa fieri permittat, vt prædictum finem, vel minimè vel minus ipse consequatur. Ad finem diuinæ gloriæ omnia dirigat.

De personis cum quibus agendum est, & quanto tempore. Cap. III.

PLurimum hoc refert, & in vniuersum hoc dici potest potius agendum cum ijs, vnde maior Dei gloria, & communius bonum speratur, quam cum alijs, qui vel minus in se proficiunt, vel maius bonum impediunt. Ex hac vniuersali conclusione particulares aliæ non minoris momenti deducuntur.

Primò igitur præter familiaritatem mulierum, & personarum, è quibus aliqua infamiæ nota possit suboriri quam superius diximus fugiendam: expedit non valde occupari cum Monialibus, Concionibus rarò, Confessionibus rarius, nisi necessitas ab ijs imponeretur, quibus nec potest, nec debet negari: minus enim illæ egent cum in obsequio Dei iam suum procedendi modum præscriptum habeant, & vt rumusculorum tollatur occasio. Cum Monialibus quomodo agendum.

Secundò, neque occupari debet nimium cum illis, quibuscum sola spiritualis consolatio ex conuersatione consequitur, quales sunt simplices, etiamsi boni, eorum Confessiones excipiendo, cum adsint alij, à quibus maior fructus speretur, huiusmodi suis Confessarijs sunt relinquendi, etiam si illis ipsi minus satisfaciant, non quod desit nobis quoscumque consolandi desiderium, sed quia maiora bona minoribus impediri non debent. Quomodo circa confessiones aliquorum se gerat.

Ter-

Digitized by Google

Cum malis, more medicorum conuersandum.

Tertiò, familiaritas cum illis, qui aut mali, aut hypocritæ habentur, vt bonum nomen conseruetur contrahenda non est, cum alioquin de eorum profectu parua sit spes, cum ijs enim more Medici duntaxat adhibitis interdum spiritualibus remedijs tractandum est.

Quomodo agendum cum his qui non curãt nostras admonitiones.

Quartò, cum ijs qui nolunt adiuuari, & in suis erroribus, aut peccatis obstinati videntur, aut monentes irrident, tempus non videtur conterendum, sed potius cum terrore mortis, & inferni sermonem finiat, vltionem diuinam intentando, nam alioquin cum ijs agere ipsismet nocet potius propter rerum diuinarum contemptum: & margaritas ante porcos proijcere vetuit Christus.

Magis cõmunitati seruiendum quã priuatis.

Quintò, dum potest prodesse communitati in Concionibus, aut lectionibus non est priuatis negotijs illud impendendum, id est, audiendis Confessionibus, vel similibus. Quod si tempus superfit, & vires suppetant, tunc potest, imò debet priuatorum vtilitati consulere.

Cum quibus verò magis agendum sit dicam.

Cum Principibus quomodo agendum.

Primò, agere cum Principibus secularibus, eum qui apud eos auctoritate valet, & gratia, modo alienus sit à curiositate, atque intentione sincerus sit, valde communi bono prodesset, nam qualis Princeps, talis populus: & bona quæ in ipsos conferuntur, magna ex parte in subditos redundant, partim exemplo, partim potestate, qua multa mala exterminari possunt, multa bona induci, quanto autem hæc conuersatio erit spiritualior, tanto in Domino vtilior.

Cum Prælatis.

Secundò, procuranda est amicitia primò cum Prælatis, & Ecclesiasticis, vt cum Episcopo, & eius Vicario, quorum ipse operarius, auctoritate ac ope indiget, cum ipsi sint Pastores Dominici gregis, ex quorum beneuolentia collecta, abundantior animarum fructus erit expectandus.

Cum his qui auctoritate valent.

Tertiò, agendum est etiam cum ijs, qui auctoritate valent, siue Ecclesiasticis, siue secularibus, nam eiusmodi homines si boni sint reliquos, & spiritualiter, & temporaliter multum adiuuare possunt. Et præferenda est horum conuersatio, si adiuuentur, ei quæ cum popularibus habetur, si vtrisque satisfieri non possit. Idem de Rectoribus animarum, scholarum, & similibus intelligendum est.

Cum his qui bene audiũt.

Quartò, cum viris qui benè audiunt, qui probitate vitæ, do-

tæ, doctrinavè sunt conspicui consortium amicitiave vtilis est, vt eorum exemplo & opera alij promoueantur; ijs etiam se ingerat, qui rerum experientia pollent, moresq; patriæ callent, ex quorum consuetudine multa intelliget, quæ in promouendo Dei obsequio fieri possunt, quantum verò eorum consilio, & opera sit vtendum Discretio prudens docebit.

Cum benefactoribus & aduersarijs.

Quintò, charitas ordinata exigit, vt nobis beneficentiores beneficentius adiuuemus, nec solum cum ijs, sed etiam dum aduersarijs, si commodè fieri possit, vt in amicitiam redeant peculiari amoris, ac bonorum operum demonstratione tractandum est.

Cum his qui in Hospitali vel carceribus sunt.

Sextò, cum infirmis hospitalium, aut qui carceribus detinentur, & alijs huiusmodi hominibus, quibus nihil terreni lucri expectatur, aliquando conuersetur, eos consolando, Confessiones audiendo, & similia spiritus adiumenta præbendo; magnum est enim charitatis opus, atque ad eam, & conseruandam, & augendam valet, præsertim si is, qui in his versatur, magnam est consecuturus vulgi opinionem, aut Principum gratiam, quia suæ humilitatis exemplo multum in Domino ædificare poterit: videndendum tamen, ne hoc meliori alicui operi sit impedimento.

Cum his qui magis indigent ope spirituali & constantiores sũt.

Septimò, spirituali morbo magis laborantibus, auxilio spirituali destitutis, & ijs qui in bono constantiores futuri existimantur, cæteris paribus prius est subueniendum, quales sunt mundani homines, & ij qui in pagis degentes, catecheseos subsidio, & bene viuendi instructione carent: item ij, qui à peccati statu recedere, & generales Confessiones instituere volunt.

Migrandum, ad loca vbi maior est doctriuæ necessitas.

Octauò, cum in aliqua Ciuitate, aut loco fructus, qui ex labore sperabatur, videtur perceptus, alio migrare debet, quo eum maior doctrinæ vocabit necessitas; in Castellis, seu pagis diebus festis, quo magna populi multitudo solet conuenire, expedit concionari, vbi ea doceantur, quæ saluti animarum magis sunt necessaria, sicut Christus circuibat vicos, & castella, prædicans & euangelizans regnum Dei.

Circa temporis circunstantias, vt sciat quantum temporis negotijs tribuendum, quinque videntur expendenda,

da, quæ breuiter subijciemus.

Vbi, & cum quibus plus temporis immorandum.

Primò, considerandum est personæ, vel rei momentum, nam ijs quæ cultum diuinum, & proximi vtilitatem magis promouent, cæteris paribus plus temporis est impendendum.

Iuxta rationé negotij.

Secundò, considerandæ est necessitas; quam negotia exigunt, vt maiori necessitati tempus longius impendatur: rationem tamen sui ipsius habere debet, nec enim supra vires, aut sanitatem corporis, ac animi rem vllam suscipere debet, perspecta non solum præsenti habitudine, sed etiam futura.

Tertiò, cognoscere debet eorum, cum quibus tractat ingenium, nam expedit, aliquibus sui desiderium relinquere: alijs verò frequentior conuersatio conuenientior est.

Quartò, sit parcus temporis, nec illud vnquam temere consumat extra diuinum seruitium, ad quod & laborem, & quietem, cæterave dirigat.

Ne nimis festinet.

Quintò, caueat ne tempus negotijs, desiderio cito finiendi detrahat; sic enim ea quæ semel inchoauit infecta relinqueret, & quamuis ipsius desiderium ad omnia pia opera sese extendat, tamen rebus præsentibus necessarium tempus non deneget, etiam si tardius finiantur. Denique & si frequentius Auditorium cæteris paribus minus celebri est præferendum, non tamen ob Auditorum paucitatem animum despondeat, potens est enim Deus fructum etiam ad remotiores, & absentes extendere: præterquam quod ea res humilitatem, & longanimitatem Concionatoris magis exercet.

Quæ adiumenta, seu media tenenda sint ad proximorum salutem. Cap. IV.

PRimò in communi, postea in particulari de aliquibus medijs agemus.

Media in vniuersali, quæ sint. Interna.

Media in communi quibus vtetur operarius ad animarum lucrum, partim sunt interna, vt charitas, & propria perfectio, efficax desiderium salutis proximorum, spes in Deum, & oratio, quæ inde oriatur, de quibus actum est in primo cap.

Digitized by Google

cap. partim sunt externa, vt virtutis exemplum, ministerium concionandi, legendi, docendi doctrinam Christianam, sacramenta conferendi, conuersandi, & inseruiendi hospitalibus, & similia. Ijs vero vel vtimur ad beneuolentiam comparandam, vel ad authoritatem erga homines consequendam, quærendo semper maiorem Dei gloriam, & maius animarum beneficium.

Media hæc efficacia, & proportionata esse debent ad finem nobis propositum iuuandi proximos, vt hi peccata relinquant, & Dei gratiam eiusque augmentum acquirant: finis iste cum supra naturæ vires sit, non humanis medijs præcipuè fidendum est, sed Infinitæ Dei potentiæ, ac bonitati, quo tanquam fundamento iacto, omnia media vim habebunt, maximè vero specialis oratio ad Deum, & sanctos multum valet, vt petat modum agendi cum fructu, quod facturus est, & curet ab alijs etiam preces offerri in hunc finem. *Deo maximè fidendum.*

Exteriora media, quæ multum iuuant ea sunt Primo exemplum vitæ, in quo diligenter aduertat, ne quidquam verbo, aut opere fiat secus, quam debet: ideo vitandus est inconsideratus, & de rebus inutilibus sermo; item exaggerationes, aut amplificationes nimiæ, aut passionis alicuius indicia, vt odij, iræ, ambitionis, iactantiæ, ac superbiæ, ab omni enim specie mali abstinendum est; quin potius totius hominis exterioris demonstratione, in sobrietate, vigilantia, & passionum victoria, interior animæ pax, & compositio significanda est, *Externa media in cõi.*

Secundo honesto hospitio sic vtatur, vnde maior possit aliorum ædificatio consurgere, vt si in hospitali, vel alibi degat semper bonæ existimationis ratio habenda est.

Tertio modestia, & charitas, quæ foris elucet, & præsertim ex sermone, ad inducendum homines in omne bonum efficacissima est: sic etiam patientia, & longanimitas quibus aliorum defectus tolerentur valde necessaria est, non attendendo, quid tales demerentur, sed potius quid meretur Christus, quẽ in omnibus creaturis debet inspicere, sic etiam in negotijs, non tam dignitas, vel abiectio rei; quam obedientia, & charitas ex qua suscipiuntur consideranda est. *Modestia, & charitas exterius.*

Quarto curet, ne aliquod offendiculum ponat Euangelio, sed quæ gratis accepit, gratis det, eleemosynæ vero, & expensæ, quas nobis alij largiuntur non ad modum exactoris exigendæ *Circa eleemosynas accipiẽdas modus.*

gendæ sunt, imò si potest, nec petendæ, & quæ vltrò offeruntur, moderatè etiam sunt accipiendæ nisi aduersa valetudo, aliquid liberius peti, aut sumi concederet, semper tamen cauendum ne quisquam propterea offendatur.

Gratitudo, qualis.

Quinto quamquam gratitudo benefactoribus planè sit rependenda, ita tamen demonstranda est, vt intelligant omnia, quæ donantur Deo accepta referri: curet etiam vt & ipsi Dei potissimum intuitu illa facere consueścant: Cauendum item ne ipse vilescat, aut ministerium, siue dignitas, dum præ nimia gratitudinis, & gratulationis ostensione in adulationem dilabitur, quin potius ita se debitorem ostendat, vt cognoscant benefactores, si opus sit, quanto à Deo beneficio cumulentur, cum eius gratia aliquid boni faciunt.

Beneuolétia captanda, quib⁹ modis.

Res est magni momenti, eorum cum quibus agitur beneuolentiam captare, facilius enim qui sunt beneuoli in omne, quod velis bonum inducuntur: Ad eam autem acquirendam maximam vim habet, primo de hominibus benemereri, iuuando illos, re, & opera in quibus fieri potest, etiam in temporalibus quantum permittunt spiritualia, ex ijs enim animus ad pietatem tacitè disponitur.

Iuuare alios.

Honorē exhibere cum grauitate.

Secundo expedit etiam, vt verbis, exteriorique grati animi significatione, ostendat se non aliud quam animas sitire, absque vlla spe mundani honoris, aut terreni lucri demonstratione, sed pro ratione status omnibus citra tamen assentationem, honorem exhibeat: aliquando eos consulendo cum quibus agit super ijs præsertim rebus quas non ita facilè alijs communicare solet, eorumque Consilijs interdum vtatur quo sibi fidem maiorem adhiberi intelligant, modo hæc sine vllo detrimento, aut suspicionis nota fieri queant.

Nosse ingenium aliorū.

Tertio induendum est, quantum fieri potest eorum ingenium cum quibus agitur similitudo enim est amoris mater, & dissimilitudo mater odij: Oderunt enim hilarem tristes, tristemque seueri, omnia igitur omnibus fiat cum Paulo, vt omnes lucrifaciat, & cum eodem per omnia omnibus placendo, remota omni adulatione, aut in corrigendo cum opus erit negligentia, Caueat autem ne dum aliorum naturam induit debitam in rebus constantiam exuat.

Accōmodet se quantum fieri potest.

Quarto iuuat ad beneuolentiam conciliandam, illis se accommodare cum quibus commodè poterit, vt approbando ea quæ meritò approbanda erunt, quædam vero ineptè dicta ferendo,

Digitized by Google

ferendo, & dissimulando præsertim quando non est tempestiua correctio, vel grata: quædam etiam, quæ constanter flagitant saltem ex parte concedendo: præsertim si ij sint à quibus potior rei summa dependeat, saluam tamen in omnibus conscientiam teneat, nec illius integritatem quouis respectu temerari patiatur.

Quinto cum semel aliquem fuerit alloquutus, cui statim persuadere, quod vult non potuerit, non aspere, sed amanter eum tractet, nec tædio affectus, est dimittendus, vt cum secundo ad eum redierit non fugiat: fieri enim solet quandoque vt verba nostra, absentibus nobis efficacius operentur, quam præsentibus: Quod si is talis esset naturæ, qui obiurgandus videretur, tunc discreta libertate foret increpandus. Perseuerâter agere debet.

Procuranda est bona existimatio apud eos cum quibus agitur, præsertim antequam res difficiles aggrediatur, vel tractare incipiat: ad eam autem plurimum valent, vt ad particularia descendamus. Bona existimatio quibus modis comparetur.

Primo morum grauitas, & exterioris hominis maturitas: maximè in verbis grauiter, & circumspectè prolatis patienter alios audiendo, neque sermonem interrumpendo, ne solus ipse loqui velle videatur, secus enim facere qdiosum est, & authoritatem minuit. Grauitas morum.

Secundo iuuat moderata veræ, & sanæ doctrinæ demonstratio, absque suspicione iactantiæ, aut ostentationis; sed potius cum modesta donorum Dei significatione omnia ad eiusdem Dei gloriam referendo. Demonstratio doctrinæ sine vanitate.

Tertio omni fortuna prospera, & aduersa superiorem se prodat, nec deiectum animum in rebus significet, & quamuis suus cuique honor tribuendus, & exterior exhibendus, non nisi graui quadam humilitate id faciat, nullam ostendat se admirari excellentiam, dignitatem, scientiam, & similia, quæ vulgus extollit, nec propter huiusmodi, suam humilitatem, discretam perdat libertatem, Inde fiet, vt pluris æstimetur à magnis, & à popularibus, qua opinione vtrosque in Domino facilius iuuabit. Sit animo ad oĩa magnus.

Quarto conducit etiam non facile definire, quæ certa omnino non habet præsertim in rebus, quæ ad conscientiam pertinent, ne si quid vt falsum deinceps refutetur, authoritatem minuat, nec si falsitatis conuincitur defendere conetur, ne sit nouissimus error peior priore. Non facilè definiat quæstiones.

Quinto

Res suas qua maturitate alijs cõicèt.

Quinto iuuat etiam non facile, sed matura consideratione præhabita, quantum expediat res suas alijs communicare, non omnia omnino, Ita enim fiet, vt dum aliqua intellexerint plus esse putent in recessu, quam in fronte appareat: Nam in rebus humanis, cum naturaliter limitatam perfectionem contineant, minoris fit, quod plenè cognitum esse putatur.

Non accipiantur munèra.

Sexto apud quem intendit authoritate valere, confert ab eo, neque dona, neque quicquam aliud quantum fieri poterit accipere: nam in dante existimatio recipientis, in recipiente libertas minuitur, ita tamen, vt quod necessarium non est modestissimè recusetur.

Nimia familiaritas sæpè contéptum parit.

Septimo ad conseruandam eamdem authoritatem diligenter aduertat, ne contemnatur, aut minoris fiat, propter nimiam familiaritatem, quam aliquibus carius expedit ad maiorem Dei gloriam. vendere, nec eos prolixis colloquutionibus satiare: & frequenter euenit, vt plus iuuentur, si desiderio nostri teneantur. Hoc autem in vniuersum dictum sit, nam alioquin in eum poterit incidere, qui ex intimiori familiaritate tractabilior efficiatur: seruandus tamen vbique, ac semper modus, si enim verbi gratia, ab aliquibus sæpius ad conuescendum inuitaretur, tunc imponendus esset modus: atque in ijs, & cum ijs sic agendum, vt vel loquens, vel prandens, vel aliud agens alios spirituali colloquutione, ac exemplis ædificet.

Octauo facit item ad bonam existimationem, non esse præsentem ludis, spectaculis, conuiuijs alijsvè similibus vulgi delitijs, vbi plerumque vetus homo reuiuiscit, & vix ædificationi locus relinquitur.

Nulli leuitati locus detur.

Quare omnino caueat ne leuitati det locum: nec se in risu dissolutum, nec temerariũ in Consilijs exhibeat: illud sedulo, & omni cura animaduertat, ne factionis, aut opinionis alicuius partibus, vlla ex parte fauere videatur; sed communi amore in neutram potius partem, propendendo: & communem Doctorum, & Patrum doctrinam afferendo, omnes in domino amplectatur, vt alibi monuimus. In Terris etiam, vbi suspectus est de statu Principum sermo, nihil ibi de ea re loquatur, neque se ijs locis; vel hominibus admisceat, qui apud Gubernatores suspecti sunt. Denique maximè videat ne ex suis dictis, schismatis, aut diuisionis alicuius inter aliquos oriatur occasio, In pacem enim nos Deus pacis vocauit.

Denique

Digitized by Google

Denique ſi vereatur, ne aliquæ perſonæ aut Congregationes ſibi aduerſentur: prudenter anteuertat, humanis etiam remedijs putà literis commendatitijs, eorum quos illi homines aut magni faciunt, aut amant, contracta ſi poſſit fieri cum eorum primis amicitia, quibus re cõmunicata, confidere ſe eis oſtẽdat Adhuc alia quædam media item ſubijciemus, quæ paſſim adhibita non paruum toti rei conferent incrementum, & operarium iuuare poterunt. Aduerſarij quomodo cõciliandi.

Alia adiumenta vniuerſè loquendo ad fructum. Cap. V.

IMprimis adiuuat rerum vſus, & experientia, nam vbi per aliquod tempus verſatus in rebus fuerit, tum magis poterit videre quid potiſſimum expediat ex multis, quæ vix explicari poſſunt. Experientia multũ valet.

Secundò cum multa agenda ſint, ne vel obliuione prætereãt, aut minus ordinate fiant, in pugillares redigenda ſunt, & ſubinde legenda, vt quo, quidque tempore agendum eſt, in memoriam redeat. Libelli, ad cõſeruandã memoriam.

Tertiò, nunquam ſe in periculum conijciat ea facilè perdendi, quæ multo tempore, & labore parata ſunt, potiuſque in ſpirituali lucro pauciora tuta habeat, quã multa cũ periculo: Vtatur opera aliorum.

Quartò ad magna, & pia opera exteriora, perſonarum magni nominis vtilis erit induſtria, & cooperatio, quæ ſuſtentent, foueant, & ſuo exemplo, ac authoritate alijs alacres animos ad idem efficiendum adijciant.

Quintò, ei qui ob determinatum aliquem finem miſſus non fuerit, ſecurius videtur ab humilioribus, & abiectioribus auſpicari, & à pauperum obſequio in Xenodochijs à Doctrina Chriſtiana docenda, & ſimilibus, modo authoritatem neceſſariam ideo non labefactet, & ab alia re inchoandum eſſe diſcreta humilitas, & charitas inſinuarent. Ab humilioribus ſæpe initium ſumendum.

Sextò, antequam Conuerſationem, ſeu familiaritatem intimam præſertim cum grauibus perſonis contrahat, illorum ingenium, mores, inclinationes, talenta, informatione interdum ab alijs prudenter accepta diſpiciat, vt ſciat quomodo ij homines tractandi ſint. Antequã amicitiã contrahat cum aliquo, eius ingenium noſcat.

Septimò ad conuerſationes, opus eſt, (ſalua ſemper humilitate, & prudentia) expeditione quadam, & libertate, qua, cum opus erit, contractam cum quibuſdam minus vtilem fami- Sciat vti libertate vbi opus erit.

liaritatem commodè, & sine offensione vel grata aliqua excusatione possit dissoluere: itemque promptitudine etiam ac dexteritate ad alias necessitudines inchoandas, & euendas præsertim, cum ijs à quibus potior rerum summa dependet.

Iuxta varietatem hominũ curet eis opẽ ferre.

Octauò, solerter agnoscat, multos esse cum quibus expedit circuitionibus vti, ad spiritualia eis proponenda: Contra verò alios, ita dispositos esse, vt primò congressu quæ velit possit loqui, cum his non est diutius expectandum, sed quæ necessaria, aut vtilia in Domino videntur, statim proponi possunt.

Nõ ad extrema, statim pergendum.

Nonò, non expedit vt homines ab extremò vno ad extremũ aliud perducantur ita vt si Auaro prima fronte suadeat magnã fortunarum suarum partem distribuere, aut insano mundi amore capto, mundum illico deserere: natura enim, & consuetudo, repentinas mutationes nesciunt, & sibi contrarias præsertim, abhorrent, quin etiam vbi quis animo concepisset magnam aliquam, & repentinam, etiam si in bonum, mutationem, retinendus est potius, & monendus, vt diutius rẽ tanti momenti perpendat quousque magis fuerit dispositus, & maturior ad huiusmodi perfectiora dona capessenda: itaque paulatim, & veluti per gradus homines ad meliora in Domino promouendi sunt.

Timidos animet.

Decimò affectus immoderatus, vel timor rerum humanarum impedit perfectionem Spiritus; is igitur affectus paulatim minuendus est, adductis in mediũ rationibus, quibus often datur, quam immeritò res illæ tantopere, aut amentur, aut timeantur sic enim facilius adducentur homines, ad amandum, quæ verè amanda sunt, & timendum ea quæ verè timenda.

Media sint proportionata personis.

Vndecimò, Cõsentanea, & rebus, & personis media sunt adhibenda, quare imperfectis initio illa proponenda videntur, quæ cum proprio eorum amore plus sunt coniuncta. v.g. timor præsentis damni proprij: miseriæ, inquietudinis, & infamiæ, futurorum etiam cruciatuum: tum appetitus proprij commodi, & earum rerum quibus in hac vita frui contingit, & in futura sperantur, ijs enim citius quam sincero Dei amore illi trahuntur, aut virtutum honestate: adimendus præterea metus, & horror quidam, honestæ vitæ, docendæ illius & facilitas, & iucunditas, & quanta turpis vitæ molestia quantiq; in vitijs angores.

Capacitas ingenij cuiuscunq; attendenda.

Duodecimò necesse est etiam vt res quæ proponantur, & modus ipse procedendi, non solum, affectui consentanea, sed etiã ad eorum ingenium accomodatè proponantur: cum itaque alij inueniantur, qui sint subtilioris, alij obtusioris ingenij, alij qui cele-

Digitized by Google

celerius, alij qui tardius rem assequantur, alij qui plura, alij qui pauciora, moderandus est sermo, vt auditoris ingenium, fuerit excellentius, vel humilius, & sicut vasa anguſti oris, quæ humoris copiam respuunt, quod autem guttatim instillatur recipiunt: ita doctrina pro cuiusque captu est infundenda. Quod si nescitur ingeniorum qualitas, adhibenda est in dicendo claritas, vt omnibus satisfiat: & subinde inter communia aliquid breuiter admiscendum altioris intelligentiæ, quod auctoritatem conciliet.

Decimotertio plurimum conducit ad cognoscendas, & degustandas veritates rerum spiritualium id tenere quod in Dialogis Platonicis videmus factitatum, & à D. Augustin. obseruatum, vt per interrogatiunculas nonnunquam agendo proceda tur, nam hoc modo ita deducuntur, vt dum quædam concedunt illi, alia quæ consequuntur, & ad eorum profectum desiderantur, vel concludant ipsimet, vel concluſa libenter admittant, eos enim vehementius, & mouent, & monent ea veritates quas ipsi penetrant, & deducunt. Prudens modus procedẽdi per interrogationes. *l. de Cath. rud.*

Decimoquarto, denique quocunque modo procedatur curandum est semper, vt ijs, quorum saluti spirituali voluerit cõsulere, hoc efficaciter persuadeat, quatenus ipsi se ad Dei gratiam recipiendam, suis aliorumque orationibus, elemosynis, alijsvè similibus adiumentis dispoſant: procuret etiam pro viribus, vt opere compleant, quæ in concionibus lectionibusvè audiunt: Et si videbitur expedire poterit etiam aliqua scribere quibus piorum deuotioni opitulentur. Hactenus de Industrijs quæ ad proximum iuuandum valent: Nunc ad secundam tractationem de elemosynis colligendis veniamus.

Cura pauperum, & modus colligendi Elemosynas. Cap. VI.

DEbet Concionator multum affici ad egenorum miserias subleuandas. Animaduertat vbique fere locorum, valdè adhoc munus pertinere, vt in Concionibus, quæ verbum Dei seminant, stipem corrogent, vnde pauperes iuuari possint, & gaudeant occasionem sibi præberi misericordiæ opera, parites quæ ad animos, & quæ ad corpora spectant exercendi. Quod si quis oneroſum id putet, & quasi per transitum exequatur, timeat, ne fit ex imbecillitate charitatis, & misericordiæ suæ, quæ tamen inter Christianas virtutes primum locum obtinent Cura pauperum annexa officio Concionatoris magnifacienda.

Chriſtus ipſe non ſolum miſericordiæ affectum oſtendit erga eos, qui morbis ſpiritualibus laborabant, ſed etiam in eos qui corporalibus premebantur calamitatibus vt apud Mar. miſereor ait ſuper turbam, quia triduo perſeuerant, & non habent quod manducent & apud Matth. cum leproſus genuflexo dixiſſet Domine ſi vis potes me mundare; Ieſus miſertus extendit manum ſuam, & tangens eum, ait volo, mundare D. Paulus qui in conuertendis ad Chriſtum animabus totus erat, adeo vt ab Euangelij prædicatione ne baptizandi quidem cauſa ſe diſtrahi pateretur, tamen huic curæ ideſt collectis vt ipſe vocat faciendis, ſerio inſiſtebat. Ad eas ſæpe fideles in Epiſtolis hortabatur, eas aliquando ipſemet Hieroſolymam deferebat, munus id tanquam ſingulare Dei donum plurimi faciens. In tota ferè Italia moris eſt eleemoſynam commendare, atque colligere, resque procedit egregiè, tum in vtilitatem egentium, multa enim eis ſuppeditantur toto anno ſubſidia, & honeſtarū familiarum neceſſitatibus etiam grauibus puellarum periculis obuiam itur; tum in eorum emolumentum qui ſtipē largiuntur, quia datur eis optima merendi occaſio, præſertim eo tēpore, quo eorum animi ex verbo Dei audito, ſunt inflammati, vt ſæpe exiſtimem non minus eos inde emolumēti ſpiritualis percipere, quam ex ipſa verbi Dei auditione, ſed vtrumque ſimul procul dubio amplius prodeſt, cum hoc modo etiam verbum Dei magis confirmetur; Hoc dixerim quia vbi non eſt hæc cōſuetudō, facilè induci poſſet, neque enim apud nos vllam habet difficultatem, neque vllum concioni præbet impedimentū. In fine prioris partis Concionator de eleemoſyna monet, & in quem vſum conferenda ſic addit: Dum aliqui ſiue Clerici, ſiue ſæculares ad hoc parati, & ſparſim in ipſo auditorum cætu collocati, ſine vllo tumultu quæritant: Idem inter mulieres aliquæ ad id deſtinatæ faciunt. Hoc autem modo plus multo colligitur, quam ſi ad portas templi abſoluta concione, vt alicubi fit, collectio fieret; tum quia inter tumultum populi exeuntis non adeſt commoda occaſio diligenter corrogandi, tum quia ille feruor qui in ipſa Concione, ad verba Concionatoris erat promptus incipit frigere, iamque nouæ curæ ſubeunt mentem, & multorum animis inſita tenacitas redit. Experientia verò perſpectum ſatis apud nos eſt, qui diligenter, & cum efficacia elemoſynas commendant, copioſas recipere, qui id non faciunt, exiguas, cum detrimento & inopum qui ſubſidio carent, & diuitum qui præmio. Propterea puto me aliquid adiumēti allatu-

Optima conſuetudo commendādi pauperes in Concione.

Digitized by Google

dlaturum nostris Concionatoribus, si subscribam hic aliquot communes locos ex quibus materiam sumant, vt res pro voto succedat. Primus locus sit Præceptum nobis à Deo datum, vt bona, temporalia qui habent cum ægenis communicent. Deut. 15. Non deerunt pauperes in Terra habitationis tuæ idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi qui tecum versatur in Terra. Eccles. Pone Thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis, quam aurum, conclude elemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.) Qui obturat aurem ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Ex substantia tua fac elemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quod superest date elemosynam, id est de eo quod suppetit vobis, quod habetis, Iudicium sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam. Planè hoc præceptum apparet manifestè, esse secundum legem naturæ, quæ præcipit, vt quod nobis vellemus fieri, si essemus inopes, alijs faciamus. Et secundum legem Moysis vt patet ex dictis. Et multò magis secundum legem Gratiæ, in qua maximè lex viget charitatis, quæ non verbo, & lingua, sed opere magis est exhibenda. Secundus locus est cõsideratio pœnæ, quæ non seruantibus hoc præceptum infligitur, quæ sæpe est pœna æterna, probant hoc Basil. Naz. Chrysost. ex verbis Christi Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Hieron. ex illo Ioan. qui habet duas tunicas, det vnam non habenti. August. ex verbis illis destruam horrea mea, qui reus fuit, non quod aliena rapuerit, sed quia sua tenaciter retinuerit, vbi etiam affert epulonis exemplum; Itaque vtrumque est diuitibus exitiosum, vel si congregent opes, & abscondant, vel si profundant cum luxu, & voluptatibus sine pauperum respectu, ob id, & Christus vtriusque diuitis formam expressit in Euangelio, Tum eius qui amplificare voluit horrea, Tum eius qui induebatur purpura, & bysso, & canes nutriebat, & epulabatur, quotidie splendidè, & vtriusque tristem exitum, apertis verbis, manifestum facit. Tertius locus sit, Dignitas, & splendor huius virtutis quæ tanta est vt etiam alijs virtutibus, & pijs operibus colorem, & nitorem addat. Duæ virtutes inter alias, videntur excellere, inter morales Religio; Inter Theologicas Charitas, & hæc quidem, quo pacto erga Deum melius exerceri potest, quam si pro eius amore, proximis bene faciamus? Nam ipse quidem, fons omnium bonorũ rebus nostris,

Præceptum Dei. *Deut. 15.* *Eccl. 29.* *Prou. 21.* *Tob. 4.* *Luc. 11.* *Iac. 2.*

Non dantis elemosynas pœna. *Ad Neop. ep. 1. in fine.* *Io. 3. Hom. 7. ex 50.*

Splendor huius virtutis.

stris, nequaquã indiget, quamobrem, optimum est S. Ioannis argumentum, rectèque concludit, Qui viderit fratrem suum ne-
1. Io. 3. cessitatem habere, & clauserit viscera sua, quomodo charitas Dei manet in eo? optima etiam est, illatio, cum ait, qui proximum, quem videt non diligit, Deum quem non videt, quomodo diliget? Si autem religionis virtus consideretur, dicat quispiam, nobilissimum eius actum esse sacrificium, & tamen, Chri-
Matth. 9. stus clamat, Discite, quid est, misericordiam volo, & non sacri-
Heb. 13. ficium, & Paulus Beneficientiæ, & communionis, nolite obliuiscì, talibus enim hostijs promeretur Deus, & D. Iac. Religio
Iac. 1. munda & immaculata apud Deum, & homines, est visitare pupillos, & viduas in tribulatione earum. Quarto nullum est opus, quod Deo nos magis similes reddat, sicut cum nostra
Elemosyna facit Deo similem. alijs communicamus, Deus enim est ipsum in se bonum, Naturam autem boni, eam esse scimus vt se ipsum alijs communicet; Itaque rectè illud dictum est, nulla re magis homines ad Deum immortalem accedere, quam beneficentia, & liberalitate, quod vel ethnici prædicarunt, sed etiam hoc, vt cætera
Orat. de paup. amore. luculenter noster Nazianzenus, Nihil (inquit) tam diuinum homo habet quam de alijs benemereri, tametsi Deus maiora, hic minora beneficia conferat, vterque pro viribus, Fac inquit calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. De Deo etiã scripturæ nihil crebrius, nihil magnificentius prædicant, quam misericordiam, quasi hoc Deus titulo maximè gaudeat, vt sit pater misericordiarum & Deus totius consolationis, & repetitis vocibus gestiat appellari, misericors, & miserator Dominus, longanimis, & multum misericors. Quintò, nihil tam homini proprium, quam humanitas erga alios homines vt ipsa
Natura hominis. etiam vox humanitatis sonat. Certè si, totum hominem quasi membratim intus, & extra inspicias, ita profecto comperies, Oculi, aures, lingua, manus maximè, pedes, atque adeo omnia corporis membra, pietatem loquuntur, & docent, quippè, quæ à natura sint tradita, non solum vt tibi soli seruiant, sed vt his etiam in alios sis beneficus, videndo aliorum necessitates, audiendo, consolando, adiuuando. Intellectus etiam vt alijs consulas, Voluntas maximè est ad amandum, & compatiendum prona. Homo sum (ait ille) humani à me nihil alienum puto, monstrum est naturæ, non homo brutis crudelior,
Elemosyna facit hominẽ illustrem. qui sibi tantum, se natum putat. Sexto, nihil est quod ita reddat hominem, non solum planè hominem, sed etiam Illustrem, & magnum, vt hæc ipsa virtus, rectè ille, Regia crede mihi, res

est suc-

est succurrere lapsis. Meritò Imperator Leo, homines ad benefaciendum miseris promptos, soli comparabat, cuncta lustranti, & omnibus sui caloris, ac luminis aliquid impertienti. Tales fuere Abraham, & Iob, & alij innumerabiles. Ostendat nostet Ecclesiastes, in hoc, viros nobiles posse veram nobilitatem significare, si egentium hominum, & piorum locorum, curam suscipiant, magis quam si opes insumant in alendis canibus, & equis & parietibus vestiendis, & in ædificiorum, famulorum & aliarum rerum superfluo apparatu. Septimus locus est quod Eleemosynis debita soluimus, quibus ad pœnas tenemur, etiam post dimissa peccata; Ita Dan. Consilium meũ ò Rex placeat tibi peccata tua eleemosynis redime Eccl. Ignẽ ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Octauus est etiam opus meritorium nouæ gratiæ, ac iustitiæ; est enim Eleemosyna persimilis illi oleo, quod suis precibus à Deo Elias impetrauit Viduæ, cui etiam dixit vade & vende oleum, & redde creditori tuo, tu autem, & filij tui viuite de reliquo, simul debita soluit, eodemque tempore sibi apud Deũ lucrum comparat. Apud Pan. dicitur qui parce seminat, parcè, & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, qui autem administrat semen seminanti, (Deus scilicet) & panem ad manducandum præstabit, & augebit incrementa frugũ iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati abundetis & paulò ante dixerat, potens est autem Deus, omnem gratiam abundare facere in vobis, & quæ sequuntur. Rectè Augustinus fœcundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum) Similis Terræ, quam seminauit Isaac, reddenti fructum centesimum, & Christus etiam centuplum promittit, Nono est potens ad munera, cœlitus obtinenda, non quæ animis duntaxat, sed quæ corporibus etiam prosint, & temporalibus bonis, modo, in damnum hominum nõ sint cessura: Eccl. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit. Decimo plurimum adiumenti, & cõsolationis præbet morituris, qui in pauperes fuerunt misericordes Psal. Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem in die mala liberabit eũ Dominus. Tobias eleemosyna (inquit) à morte (scilicet mala) liberat, & ipsa est quæ facit inuenire misericordiam, recte Ambros. Non sunt hominis bona, quæ secum ferre non potest, sola misericordia, comes est defunctorum Eccl. mitte panem tuum super transeuntes aquas (ideſt inopes) & post tempora multa inuenies. Non patitur animam ire in gehennam

Eleemosyna satisfacit prò peccatis. *Dan. c. 4.* *Eccl. 3.*

Est Opus meritorium. *4. Rom. 4.* *2. Cor. 9.*

Serm. 25. de Ve. do. c. 3.

Valet ad beneficia recipienda.

Plurimum iuuat morituros. *Tob. 12.*

Eccl. 11.

Digitized by Google

Tob. 4. Tob. esto misericors sicut potueris, præmium enim bonum tibi thesaurizas in die Iudicij. Ipsa est quæ assignat locum in Pa-
Eccl. 16. radiso Eccl. omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum, est enim charitas in Cœlo, vt summus Aeconomus, in Dei Palatio, distribuens vnicuique
Eccl. 29. suas pro meritis sedes. Eccl. Eleemosyna quasi viri sacculus cum ipso, & gratiam hominum, quasi pupillam conseruabit & postea exsurgit, & retribuit illis retributionem, vnicuique in caput ipsorum. Vndecimò, Nihil aduersus peccata validius,
Contra peccata Antidotum. præterisorum curat vulnera, futuris cauendis præmunit, medicina pariter, & antidotum Eccl. Deus prospector est eius qui
Eccl. 3. reddit gratiam, meminit in posterum, & in tempore casus sui, inueniet firmamentum, præter hos locos. Poterit aliquando Concionator, diuitum auaritiam arguere, qui erga pauperes non amant, non exercent beneficentiam, ac pietatem, quare sit Duodecimus locus vt proponat diuitibus tanquam primum principium, bona quæ temporalia vocamus, non esse absolute
Diuites sunt dispensatores non Domini. ipsorum, sed Dei dispensatores constitutos ipsos esse, non dominos. Ille plane iniquus, qui non in familiam Domini, dispensat Docent hoc Sancti Patres Ambr. in Luc. vbi inducit diuitem
Ambr. in Luc. illum auarum ita dicentem, quid iniustum est, si cum aliena non rapio, mea diligentius seruem? Respondet, ô impudens dictum propria dicis? quæ? ex quibus recondicis in hunc mundum detulisti? Quando in hanc lucem ingressus es quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibus subsidijs stipatus ingressus es? & addit proprium nemo dicat quod è communi plusquam sufficeret sumptum, & violenter obtentum est. Nunquid iniquus est Deus, vt tu quidem esses affluens, & abun-
3. p. past. adm. 22. dans, alijs subsidia vitæ deessent, & egerent? Greg. cum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus non nostra largimur, & ideo ait Eleemosynam à Christo vocari Iustitiam, cum ait videte, ne Iustitiam vestram faciatis coram
In cap. 2. Abac. hominibus. Hieron. in illud væ qui multiplicat non sua, idem docet, & cõfirmat ex verbis Christi apud Lu. si in alieno fideles
Lu. 16. non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Basil. sic ait
In Diuites Hom. 1. esurientis est panis, quem tu retines, nudi est vestis, quam in arca custodis, discalceati calceus, qui apud te marcescit.] Ber.
Ep. 42. Nostrum est, quod effunditis, clamant nudi, clamant famelici, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis.] Saluia-
Cap. 1. *de Eccl. Cath.* nus affert illud Prou. 3. honora Domiuum de tua substantia, & subdit, si deuotus es, da quasi tuum, si indeuotus redde,

quasi

quási non tuum, da si vis redde si non vis.] Vnde etiã sancti colligunt auaros qui sua non communicant egentibus, esse fures iuxta illud. Isa. Rapina pauperis in domibus vestris, sic Basilius, & Ambrosius. Et ego adderem huiusmodi esse hostes boni communis, & totius generis humani, in omnes homines tyrannidis quoddam genus exercentes. Quod autem patres bona diuitum, ipsorum esse negant, non de dominio iustitiæ intelligi debet, quod est inter homines, quomodo negari non potest, hominem habere dominium earum rerum, quas iusto titulo acquisiuit. Sed si consideret se homo, Deum respiciendo, Qui diues est debet Deum agnoscere Dominum omnium suorum bonorum, se vero eius administrum, atque distributorem. *Isa. 3.* *Basil. in Diu.* *Ambr. de Nab.*

Decimustertius locus est, ex diuitum quorundam in pauperes crudelitate, quam Concionatores meritò possunt exaggerare; vt sancti Patres faciunt, à quibus nos spiritum, ac zelum, in concionando addiscamus oportet, lege Chrysost. vbi exemplũ narrat crudelis auari, qui exultante tota vrbe ob spem futuræ annonæ fertilis, solus dolebat, quod non posset suum triticum, quod reseruarat, caro vendere, quem ait dignum fuisse cui lingua exscinderetur, qui lapidibus obrueretur, cui etiam pectus, tanquam publico hosti contunderetur. Quid (ait) dolet tibi, non omnes perijsse, vt quæstum faceres? Pet. Chrysol. agens de diuite, & Lazaro describit pugnam inter diuitem, ac mendicũ Basil. & Ambr. magna eloquentia describunt historiam mendici cuiuspiam, vnum de suis filijs ob extremam inopiam, auaro, & crudeli diuiti vendentis Ambros. etiam fusè agit contra hos auaros, quos similes ait esse Lupis, vestigia Leonum insequentibus vt de præda, & eorum rapinis gaudeant. Decimoquartò, Quando necessitas alicuius familiæ, est valdè grauis, explicanda est accommodate ad commiserationem, vt perspecta calamitatis magnitudo, auditorũ corda percellat, hic enim est etiam scripturarum sacrarũ mos cum ad Eleemosynas largiendas hortantur. Decimoquintò, Vsus Ecclesiæ totius, & Christianæ religionis, qui in charitate præsertim eminet: Olim non colligebantur inter concionandum Eleemosynæ, vt nunc, sed assignabatur dies, & templum vbi arca erat ad eleemosynas reponendas. Paulinus vocat, vas vbi, illæ colligebantur mẽsam, alij Corbonam. D.Paul. assignat diem Dominicum, quę est prima Sabbati, De Collectis ait, quæ fiunt in sanctos (id est pauperes Christianos qui erant Hierosolymis) sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita, & vos facite per vnam Sabbati, vnusquisque

Diuitum aliquorum crudelitas. *Hom. 30. in 1. Cor.* *Ser. 120. et ser. 124.* *In Diu. l. de Nab. c. 5.* *Serm. 50. de auth. & Arianis Tom. 3.* Necessitas paupcrum. Ecclesiæ consuetudo. *Epist. 32.* *1. Cor. capit. vlt.*

Digitized by Google

quisque vestrum apud se reponat, recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero, tunc collectæ fiant. D. Leo habet plures sermones de collectis, & ait ideo dilectissimi, satisfiat Apostolicis institutis, & assignat futuræ collectioni diem Dominicum. Decimosextò, In scriptura sacra, mira, & multa sunt, quæ de eleemosynæ bono dicuntur, poterit noster Orator aliquam ex multis sententijs afferre, vt sic audientes excitet, & habeat parata loca, vt suo tempore delectum habeat. Decimoseptimò, eodem modo ex sanctis Patribus insigniora dicta seligat, nec desunt pleraque principum, at Philosophorum de hac ipsa re apophtegmata. Decimooctauo habeat, & paratas elegantes aliquas de eadem materia similitudines; vt Paulus vocat semen, & multas est reperire apud literas sacras, & sanctos Patres. Decimononò, Valde vtile erit afferre præsertim ex historijs Ecclesiasticis exempla eorum, qui in hac virtute fuere singulares, nã exempla plurimum mouent ad exaggeranda quæ dicimus, Romæ in hunc finem editus est libellus, opera Iulij Fulci, qui collectas ex sanctis Patribus multas hac de re sententias, & exempla illustriora complectitur, nec alij desunt eiusdem materiæ libri conscripti. Vigesimò poterit sæpe occasionem arripere ex misterio vel festo illius diei, vt in Natiuitate Domini, poterit eleemosynam petere ob reuerentiam, paupertatis, nascentis pueruli, cui offerant. In festo Virginis Annunciatæ, ob grati animi significationem, cum Deus se ipsum nobis tanta liberalitate fuerit elargitus. In festis Beatissimæ Virginis, quasi ipsa sit quæ petat, vel vt eam sibi quisq; in patronam, & matrem arripiat. Vigesimoprimò, Aliquando poterit auditoribus significare, vt illam eleemosynam dẽt, ad donum aliquod impetrandum à Deo, exempli gratia, vt te faciente eleemosynam, Deus suum amorem tibi concedat vel peccatorum remissionem, vel ob reuerentiam, sanguinis Christi, vel ad subsidium præstandum animabus quæ in igne purgatorio detinentur. Vigesimosecundò, poterit docere Eleemosynas non solum spirituales fructus, & cœlestia præmia, secum afferre, sed etiam, in præsenti vita, solitas, sæpe rem domesticam, & opes augere, vt ipsæ scripturæ docent. Item plus pauperem, qui accipit dare largienti quam ipse det pauperi. Vigesimotertiò, sed illud experientia mihi compertum est, maiores colligi eleemosynas, quando in priori Concionis parte, ita commouit Concionator, affectus, & deuotionem accendit auditorum, vt facilè, sit eis eleemosynam erogare

Serm. 5.

Scripturæ multæ.

Patres.

Similitudines variæ.

Exempla.

Misterium diei.

Eleemosyna vtilis etiam rebus temporalibus.

pro

Digitized by Google

pro Dei amore, quem animo conceperunt, etiamsi non multum commendatio vrgeat. Vigesimoquartò Cypr. patrimonium Deo creditum, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit; In tuto hæreditas ponitur quæ Deo custode seruatur. Hæc possent videri satis, sed placet adhuc addere multiplicem variarum rerum supellectilem, ne eadem cantinela sæpius decantata animos ad pietatem obduret, aut aures obtundat. De opere & Eleemosyna.

Pro commendandis Eleemosynis varia dicta. Cap. VII.

PRimò nunquam minuuntur opes, eleemosynas largiendo Clem. comparat Eleemosynam scaturienti puteo, qui, etsi haurias multum, denuò scaturientibus & recentibus aquis repletur, & vberibus quæ si mulgeantur, rursum nouo lacte abũ dant. Basil. similem esse ait frumento in terram proiecto, quod cum fœnore redditur. *3. ped. c. 7.* *In Dimi. Hom. 1.*

Secundò, eleemosyna est quæ claues habet cœli, Salomon fecit ostia Sancti Sanctorum ex lignis Oliuæ quæ misericordiæ Symbolum est, & Christus in Cœlum ascensurus Olireti montem subijt. Vnde est illud Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Eleemosyna aperit Cęlũ.

Tertiò, qui pauperi dat pecunias Deo fœneratur, nulla præter hanc, licitè exercetur vsura, Fœneratur Domino qui miseretur pauperi, estque planè grandis vsura, vnum dare vt centum recipias. Addo alijs fœneratoribus quatuor onera subeunda esse. Primum molestia conficiendi tabulas, vt constet ratio dati, & accepti, Secundũ est infamis inter homines opinio; Tertium cruciatus conscientiæ. Quartũ necessitas restituendi. Contra Noster fœnerator, nec rationum cura oneratur sed dicit vt Paulus, scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare, magnam verò laudem apud Deum, hominesque consequitur, conscientiæ magna quiete, & gaudio fruitur, Denique Deum habet debitorem. *Matth. 5.* Qui eleemosynã cõfert, exercet fœnus cũ Deo. *Pro. 19.*

Quartò, dici potest hæc eleemosyna quam erogatis Vectigal quoddam, à Christo Domino impositum ex charitate animoque prompto soluendum, Pauperes, qui pro foribus astant, vel in via occurrunt, vel qui pro eis colligunt, exactores sunt ab eodem Christo destinati ad hoc tributum colligendum. Ego verò Concionator præpositus sum exactoribus, & Est Vectigal à Deo impositum.

operi,

operi, nollem meam hic diligentiam desiderari, ne conqueratur Dominus: qui exigunt magnifaciant suas partes mercedem à Christo reportaturi, qui petuntur tribuant non vt exactionem, sed vt benedictionem.

Finis Dei in eleemosyna statuenda.

Quintò in statuendis eleemosynis duplicem finem potuisse Deum habere asserit Chrysostomus vel in beneficium pauperum, vt inopiæ subueniretur, vel in gratiam largientium vt præmium reportarent virtutis, & gloriæ, hunc autem secundum finem, ait Chrysostomus esse Deo præcipuum nam ob primum non defuissent Deo Thesauri multi, quos sub Terra nouit absconditos posset que vim terræ tribuere ad fruges semper copiosas progignendas, verum ita voluit Diuina prouidentia, vt essent qui paupertatis molestias paterentur ad patientiæ vsum, & præcepit diuitibus vt eos subleuarent ad exercitationem charitatis.

Diuites imitentur flumina.

Sextò, diuites flumina imitentur, quæ de mari exeunt, & irrigant fœcundantque campos, & tandem in mare redeunt, ita diuites, à Deo suas agnoscant opes, inopum familiarum terram irrigent arentem, vt in morte rursum ad mare diuinitatis, præmium accepturi redeant.

Diuitiæ sunt stercora. *Philip. 3.*

Septimò, quare D. Paulus omnes opes stercora vocat cum ait omnia arbitratus sum, vt stercora? planè hæc stercora nequaquam debent intra arcas seruari, quia suo fœtore totam domum inficerent, sed ea est vtilitas, vt per campos proijciantur ad ferendos vberes fructus Chrysost. si quis ait propter parsimoniam frumentum domi situm non consumpserit, nec in terram iecerit id vermibus exedendum tradit, sin autem disperserit maiorem messem colliget. *Homil. in psal. 44.*

Theriaca cõtra venenum.

Octauò, eleemosyna est antidotum, & maximè vtilis Theriaca contra venenum Auaritiæ, In componenda Theriaca adhiberi solent carnes Viperæ, quæ licet veneno infectæ sint, tamen venenum, si diuidantur, extinguunt, Ita planè pecunia est magna multorum pernicies, quos, tanquam veneno infectos enecat, dum ei obediunt, & cupiditatibus, & à Paulo dicitur omnium malorum radix, & tamen ipsa eadem est quæ remedium afferat si diuidatur in pauperes, vt Christus docuit, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Audi quæso consilium vtile, Damnatus es in pecunijs tuis, redime te pecunijs tuis, de instrumento Auaritiæ, & libidinum fac instrumentum misericordiæ. *1. Tim. 6.*

Aliqui prodigi cũ mundo Auari cũ Deo.

Nonò,

Digitized by Google

Nono dicendum est mundanos homines, esse mundo, ac Dæmoni prodigos, auaros Deo. Exod. Pro vitulo aureo, ideſt, pro Idolo dederunt aurum; & gemmas, quæ neſcio, an vero Deo pro pauperum neceſſitatibus obtuliſſent. *Exod.* 32.

Decimo Petrus Chriſol. manus (inquit) pauperis, ſinus eſt Abrahæ, vbi quicquid pauper acceperit mox reponit. Theſaurus cæli eſt manus pauperis, quod ſuſcipit, ne pereat in Terra reponit in Cælum, da ergo homo pauperi terram, vt accipias cælum, da nummum, vt accipias regnum, da micam, vt accipias totum, clamat Deus miſericordiam volo. Dicturus cauſam, in iudicio Dei, patronam tibi miſericordiam aſſume, & miſericordiam conſequeris] *De Ieiun. et ele. ſer.* 8 Miſericordia patrona apud Deum.

Vndecimo Deus ad Iſaiam loquitur, clama, ne ceſſes, eratq; adeo iratus, vt nec ieiunijs eorum placari vellet cum dicerent, quare ieiunauimus, & non aſpexiſti; humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? Quid ergo ad auertendam Dei iram ſupereſt remedij? ipſemet Deus docet frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam, &c. & ſubdit. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, Tunc inuocabis, & ego exaudiam. *Iſa.* 50. Ad Dei iram auertendam.

Duodecimo affert eleemoſyna magnam animę ſecuritatem, & quamuis de ſua ſalute in hac vita, nemo poſſit eſſe ſecurus. Eſt tamen eleemoſyna magnum huius ſalutis indicium. Tob. Eleemoſyna à morte liberat, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam; Vide quantum priuilegium. Quod ſi afferas Paulum dicentem ſi diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Reſpondeo loqui Paulum ex quadam poſitione, nempe ſi ita eueniret; Ego autem dico vix hoc futurum Eccl. à miſericordibus omnia hæc auferentur, & in delicijs non volutabuntur. Securitatem animę affert. *1. Cor.* 13. *Eccl.* 23.

Decimotertio, D. Paul. citat Chriſti ſententiam beatius eſſe dare, quam accipere; res eſt planè illuſtris dare, in qua tota natura nobis præbet exemplum, Cæli dant lumen, & alias occultas vires, ignis calorem, aer, auram ſpirabilem, Terra tot fructus, mare tot piſces, animalia dãt lanas, lac carnes; pater æternus dat filio ſuam naturam pater, & filius eamdem Spiritui ſancto; Tota Trinitas homini tot creaturas contulit, filius noſtræ naturæ ſuam perſonam, dat nobis in venerabili ſacramento ſuũ corpus, communicat cæleſtem gratiam, multiplicia dona. Turpiſſimum igitur ſit, ſi nos qui ab omnibus creaturis, & Deo tam Beatius eſt dare, quã accipere. *Act.* 20. Exemplum.

multa

multa recipimus non etiam diſcamus, largiri, non habentibus, quæ poſſumus.

Decimoquarto, Concionator perinde eſt, vt qui adornat conuiuium, & inuitat multos, ad ipſum pertinet proponere in mẽſa varios cibos, & ſcite paratos, vt conuiuæ veſcantur, hoc igitur ad me ſpectat, ſed cibus ſine potu vix placet, potus eſt, me iudice, pium eleemoſynæ opus, quod mirificè adiuuat comeſtionem, ſolet autem in conuiuijs, magna cura adhiberi, vt vinum exhibeatur eximium, hoc vero ad vos ſpectat, vt ad me de cibarijs prouidere, ergo vt vobis, quæ propono cibaria proſint, bibite alacriter, & haurite de optimo vino.

Eleemoſyna cum verbo Dei iungẽda.

Decimoquinto, aliqui ſunt, qui filijs carent; & tamen ſunt auaritiæ dediti neſciunt cui congregant; quod apud Salo: dicitur, quid peſſimum, Conſiderans (ait) reperi, & aliam vanitatẽ ſub ſole, vnus eſt, & ſecundum non habens (ideſt hæredem) & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens, cui laboro? Dices, ſi prolem Deus concederet, ego libenter largiſſimam offerrem eleemoſynam. Audi quæſo quiſquis es. Vt video haud maioris Deum facis, quam hominẽ, quaſi vero contrahendum ſit cum Deo, veiut cum homine certis conditionibus. Ne quæſo dicas, do, vt des, irreuerenter cum Deo, ita te geris, ſed audi me quæſo. Da prior, deinde ora Deũ, vt ſi ad eius gloriam tuamq; ceſſurum ſit ſalutem, quod concupiſcis obtineas, & ſi res ad votum ceſſerit, age gratias, ſin aliter, non deerit in cælo palatiũ, ſicut Romano Ciui contigit, qui templum S. Mariæ Maioris, extruxit, & Beatiſſimam Dei matrem hæredem inſtituit.

Excuſant ali qui filios. *Eccl. 4.*

Eleemoſyna cum Ieiunio. *Chriſol. de ſec. & ele.*

Decimoſexto, Pet. Chriſol. Talis eſt (inquit) eleemoſyna cõparata ieiunio, quale eſt Ver telluri, oleum lucernæ, ſol Diei, anima corpori, quia ſicut ſine anima perit corpus, ſine oleo lucerna extinguitur, ſine verè tellus non germinat, ſine ſole non eſt dies, ſic ieiunium, & oratio abſq; eleemoſyna, ſed ſicut in verè floret tellus, cũ oleo ſplẽdet lucerna, ad preſentiã ſolis fit dies corpus cum anima viuit. Ita ieiunium, & oratio cum eleemoſyna.

Ioannis eleemoſynarij ſententia.

Decimoſeptimo, S. Ioannes appellatus cognomento Eleemoſynarius Patriarcha Antiochenus, vocare ſolitus fuit pauperes, dominos ſuos, quia ipſi ei opem ferre poſſent, ne à Dei regno excluderetur.

D. Franciſci ſententia.

Decimooctauo, D. Franciſcus teſte Bon. in eius vita fratribus ſuis ſolebat dicere, vt nullo modo eleemoſynas mendicare erubeſcerent, quia maiora ipſi largiebantur, quam acciperent, & dantes

dantes ipsi copiosius ditabant, & dicebat hanc esse nobilem, prodigalitatem, quæ pro pane, diuinum redderet amorem, vt si quis pro pane daret aureos decẽ, & addebat eo tempore, quo refrigebat hominum charitas, Mendicantium religiosos ordines institutos, diuino consilio, & beneficio, vt hac occasione, homines diuina charitate diteſcerent.

Decimonono, Nescio an audieritis aliquando discrimen, quod inter Dialecticam, & Rhetoricam aliqui Philosophorum constituerunt Illa comparatur manui constrictæ hæc dilatatæ. Ita video in danda eleemosyna placere aliquibus vt sint dialectici, magis quam Rhetores. Certè in hac nostra schola Rhetoricam facultatem profitemur non Dialecticam. Itaq; seruandũ est, quod de muliere forti prædicat Salomon, manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes. Discrimen inter Rhetoricum, & Dialecticum.

Vigesimo, Diuites auari similes sunt Ericio, qui ingressus foramẽ, in quo bestiolæ, quædã latebant, inflatus, ac spinas erigẽs & per cauũ illud incedens dicebat, qui manere potest maneat eo pacto, expulsis contubernalibus solus domicilio fruitur. Ita planè dicere possumus aliquibus auaris, assiduè coaceruãtibus opes, nunquid vos soli regnabitis super terram? nullusnè reliquus erit pauperibus locus? Verum est tamen etiam illud, malè cædere ouibus inter spinas, facilius, erit, vt de lana sua, aliquid spinis adhęreat, quam pabuli quicquam ipsæ inueniant. Auari similes Ericio. *Isa. 5.*

Vigesimoprimo, vereor ne aliqui vestrum similes sint equis conducticijs, qui assueti calcaribus, quamuis vrgeat eques vix ab assueto gressu dimouentur. Ita quidam toties audierunt Concionatorem, eleemosynas flagitantem, vt iam callum in auribus obduxerint.

Vigesimosecundo, Serapion fuit adeo in pauperes pius, ac liberalis, vt omnia dederit solam sibi vestem reseruans, & librum Euangelij, quem legeret, deinde etiam vestem donauit, & seminudus incedens rogatus, quis eum veste nudasset, manu librum Euangelij ostendens, En (inquit) qui me spoliauit. Rursum etiã librum vendidit, vt pecuniam pauperi largiretur, dicebatque illius se libri lectione multis rationibus, ita se ad misericordiam impulsum, vt etiam ipsum librum in eumdem finem diuendere placuerit. Exemplum Serapionis.

Vigesimotertio, vellem à vobis scire, vtrum sit magis rationi consentaneum, vt diues quærat pauperem ad erogandam ei eleemosynam, an pauper diuitem ad petendam. Mea quidem sententia equius videtur primum, quis enim dubitare queat Diues quærat potius pauperẽ, quã contra.

longè

longè plus diuitem. lucrari dando, quam pauperem accipiendo, vide Chryſ. Vera ait eleemoſyna eſt ſic dare, vt gaudeas te dare, putans te accipere magis quam dare, non enim tam pauperibus, quam nobis proſumus plura accipientes, quam dantes] in Prou. dicitur diues, & pauper obuiauerunt ſibi, vtriuſq; operator eſt Dominus, quæſo te vter fortunatior in hoc occurſu eſt? ſine dubio diues, quia pauper Chriſtum repreſentat, & Chriſto datur quicquid in pauperem erogatur.

Ho. 33. & ſequent.

Prou. 22.

Habitus dãdi eleemoſynã.

Vigeſimoquarto, cuperem ipſe ſcire, & optarem vos, id etiã noſſe, vtrum habitum illum dandi eleemoſynas adhuc vobis comparaueritis. Vnde hoc (inquies) ſciri poteſt? Ariſtotelis ſententia eſt, ſignum poſſidentis habitum, eſſe facilitatem operandi, In promptu iam eſt modus faciendi periculum, ſi facilè, ac promptè dabitis, quod peto, ſignum habitus eſt, nec opus erit, vt ego multum vos incitem, quod ſi nondum habitum eſtis conſequuti, quid iã remedij? certa eiuſdẽ eſt Ariſt. ſentẽtia per frequentatos actus acquiri, & peruenire ad habitum, date ergo vt aliquando perueniatis, ſicut fabricando fabri fiunt homines.

Exemplum B. Catharinæ Senenſis.

Vigeſimoquinto, Beata Catharina Senenſis, quæ ad pauperes cor habebat pientiſsimum, cum aliquando roganti pauperi, nil quod donaret, haberet, domi diligenter quærens paruulam argenteam crucem inuenit, quam inopi continuò porrexit; Noctu Chriſtus ei apparens, oſtendensq; illam crucẽ, In die (dixit) Iudicij, ſe crucem illam publicè oſtenſurum, in teſtimoniũ pietatis ſicut, & D. Martino apparuit, veſte indutus, qua pauperem contexerat.

Vigeſimoſexto, Auguſt. Mendici (ait) Dei ſumus, vt agnoſcat ille mendicos ſuos agnoſcamus nos, & noſtros.

Ser. 5. de ver Dom.

Vigeſimoſeptimo, Ambr. in illud ſicut aqua extinguit ignem ita eleemoſyna reſiſtit peccatis. comparat eleemoſynam aquæ baptiſmi. Eleemoſyna, inquit, quodammodo eſt aliud animarũ lauacrum, vt ſi quis fortè poſt baptiſmum humana fragilitate deliquerit ſuperſit ei, vt iterum eleemoſynis emundetur.]

In cap. 7. Eccl.

Ad Idem alia dicta. Cap. VIII.

VIdebor fortè alicui prolixior ſi aſsignatis pluribus locis adiungamus, & alios, verum quoniam hæc non doctrinam continent, quæ Concionatorem in ſuo munere erudiant, ſed formulas ſolum eleemoſynæ commendandæ, non eſt quod lectorẽ in legendo retardent, ſatis erit cum concionem eſt habiturus Eccleſiaſtes aliquid ex his eligat, niſi melius quid in mentem venerit, facilè crediderim non futurum ſuperfluum laborem his,

Digitized by Google

his, qui eadem in Ciuitate per multos annos Concionati, consuetudinem hanc eleemosynam commendandi, seruare debent, vt ego ipse Romæ sum expertus, propterea addemus & alia quæ occurrunt.

Luc. 11.

Primo, Christi verbum est, Quod supereſt date eleemosynam. Sed aliqui statim fortè dicent, mihi nihil supereſt, multa potius desunt. Hæc vox posset nasci ex cupiditate, cui nihil est satis etiam si omnium opes in vnum congerat. Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis (ait Poeta) sanguisuga est auarus, qui semper ait, affer, affer. Sed fi libet, date mihi hanc facultatem, concredite mihi claues, vt solum ex arcis, extrahã superuacanea, & ego promitto me ex necessarijs nihil dempturum, me tamen plurima lucraturum spero in gratiam inopum, & magnum vobis quæstum facturum.

Lex Christi.

Christo datur eleemosyna in paupere.

Secundo, aliqui ab eleemosynis tribuendis, filiorum charitate se retardari dictitant, quibus seruare suas pecunias volunt. Certè non veto quin filijs necessaria prouideatis. Sed inter filios moneo vt etiam Christum numeretis. Auguſt. audi, Christus petit, & non accipit, & dicis: ecquid seruo filijs meis? Christum illi oppono, filios suos mihi reponit, ista ne verò magna iustitia vt habeat vnde luxurietur filius tuus, egeat Dominus tuus? non legisti, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis? non aduertisti, Quod vni ex minimis meis non feciſtis, mihi non feciſtis, non legisti, non timuisti? Ecce quis eget, & filios tuos numeras, postremò numera filios tuos, adde vnum illum inter illos Deum, vnum habes, sit ille secundus, duos habes sit ille tertius, tres habes sit ille quartus.

De discipl. Christ. c. 8.

Memoria mortis.

Tertio, aliqui dum viuunt eleemosynam pauperibus denegant, vana quadam spe deluſi, quod in morte sua pauperes hæredes faciant, sed sancta Lucia matri suæ dixit, non esse magni momenti, vt quis ea Deo offerat in morte, quæ secum ferre non potest, & velit, nolit sit relicturus, & addit facem accensam, vt lucem præbeat, præ se, non retro esse ferendam. Itane tunc vis esse cum Deo liberalis, cum eris saccus vermiũ? & non aduertis non esse bonum negotiari in nundinis; quando iam est finitus mercatus, & elapsum opportunum nundinarum tempus?

Eleemosyna est miraculũ magnum.

Quarto, ego arbitror inter miracula maximum esse, mortuos suscitare, hoc miraculum à vobis hodie expecto, non temerè loquor. An non sunt pecuniæ mortuæ, quæ in arcis, & marsupijs occlusæ seruantur, communis hic est loquendi mo-

dus, educite iam è sepulchris mortuos, vt per vos viuant, & pauperes per illas viuãt, & vos etiam apud Deum viuatis.

Locus Prou. de muliere forti.

Quinto, libenter docerem vos hodie quoddam opus, oppido nobile, quod celebrat Spiritus sanctus in Prouer. De muliere forti illa cuius pretium procul, & de vltimis finibus est,

Prou. 31. quod nam est hoc opus? quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Ita ne? tam magnum quid est hoc? Ita planè accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit bracchium suum, manum suam misit ad fortia; & quidnam tandem istud est? Digiti eius apprehenderunt fusum, nendi laborem inter fortia, & heroica facta enumerat. Quid autem intelligat mox subdit, Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non pudeat, fortes viros opus hoc exercere; summa est enim animi fortitudo non esse pecuniarum seruum, sed eis dominari.

Natura horret vacuum.

Sexto, natura omnino vacuum horret, & ne vnquam tale quid eueniat, miranda præstat quædam. At multo magis Gratia vacuum horrere debet, certè inter familias inopum, est inuenire multam inanitatem, cum non habeant cibos, vestes, pecuniam ad vitam tuendam. Vestrum est ò diuites, implere vacuum. Ac sanè portentum est, gratiam id in homine non efficere, quod in rebus sensu carentibus operatur natura. Neque timeas ò diues, ne ex largitionibus fiat in tua domo vacuitas, adeò enim te amas, vt non appareat huius rei periculum, vtinam ex charitate vacuum fieret, Deus enim multis bonis cumulatè repleret.

Musica est verbum Dei cum eleemosyna.

Septimo, cum ad templum diebus festis conuenimus, & ad Concionem, perinde est, atque ad suauem musicam accedere, quæ constat ex vocibus & instrumentis musicis, meum est vocibus canere, vestrum est instrumenta pulsare; ego concionãdo, vos instrumenta tangendo. Non reddunt autem suauem harmoniam paruulæ pecuniolæ, nisi sint eis similes, quas inops illa Euangelij vidua in gazophylacium misit, meliorem

Psal. 80. efficiunt aureis; sic fiet illud, Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium iucundum, sed cum cithara.

Exemplum S. Ludouici.

Octauo, Ludouicus sanctissimus Rex Galliæ, cum esset valde pauperum amicus, volebat inter prandendum, eorum aliquos sibi præsentes semper adesse, qui etiam & ipsi vescerentur, quibus de regia mensa cibos subministrabat, ita credo, imaginabatur Christum se habere conuiuam, solebat etiam sæpè dum famuli pranderent, ipse suis manibus pecunias expectan-

pectantibus distribuere pauperibus, & illos esse dictitabat suos milites, qui regnum defenderent, & se idcirco illis stipendia soluere.

Nono, Iustitia in æqualitate sita est. Dubitatio suboriri posset, quomodo ergo Deus iustus, vni multa bona concessit, alteri pauciſſima. Responsio est, Deum ex magna prouidentia, voluisse aliquos esse diuites, alios pauperes, cuius rationes, & causas nunc assignare non est necesse, illud dicamus Deum dedisse aliquibus vberem rerum copiam, vt non ipsis solum esset vsui, sed toti familiæ hominum, hac enim ratione rectè æqualitas constituitur, vt Paulus ait, In præsenti tempore, vestra abundantia, illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum, & fiat æqualitas. Eleemosyna facit iustitiã & æqualitatem. 2. *Cor.* 8.

Decimo, in morte non proderunt opes & amici, sed misericordia, & pietas. Scribit parabolam Dam. in vita Barlaam, & Ioſaphat, cuiusdam qui tres habebat amicos, duos semper magni fecerat, cum tertio modica erat illi familiaritas, contigit, vt ante Imperatoris tribunal vocaretur, rationem redditurus decem millium talentorum, qui in angustijs positus, cum ad primum amicum confugeret, vt sibi ferret opem, molesto reiectus est responso, quasi eum vix nosset, obtulitq; ei nescio quas vestes, perrexit ad secundum, à quo etiam durè acceptus, solum audiuit se ei comitem futurum in via, sed statim relicturum. Tandem etiam tertium adijt, cui valde pauca beneficia contulerat, hunc verò, sibi valdè fauentem reperit, explicat Barlaam parabolæ sensum. In morte futurum, vt omnes diuitiæ nos deserant, quas tamen tanto amore prosecuti sumus in vita, vix inutiles quosdam panniculos, ex omnibus bonis ad sepulchrum delaturos, hic erat primus amicus. Item omnes consanguinei, & familiares nos deserent, tantum poterunt cadauer comitari, hic erat secundus. Tertius qui nos consequitur, & ante Dei tribunal causam nostrã defendit, sunt bona opera, quæ præsertim in pauperes contulimus. In morte eleemosynæ prosunt, non opes.

Vndecimo, magnam debent præbere consolationem viris ad misericordiam propensis, verba Hieron. & Auguſt. Illius testimonium est, nunquam memini me legisse, mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit, habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. Huius verba sunt, sola misericordia ad Deum de- *Hieron. ad Nepot. Auguſt. ad fratres in her. ſer. 44.*

ducit hominem, sola Deum deducit ad hominem, numquam vidi pium hominem mala morte finiri.

Insignia nobilium, opera misericordię. *Prou.* 3.

Duodecimo, opera misericordiæ sunt insignia, & ornamenta eorum, qui filij sunt nobiles, & illustres Dei. Est ipsa eleemosyna torques aurea: A Salomone dicitur, Eleemosyna & fides non te deserant, sed appende illas collo tuo. Quæ verba explicans Chrysost. Sicut, ait, filij Principum torques aureas, & catenas gemmis ornatas collo appendere solent in signum nobilitatis, ita planè qui filiorum Dei adoptione gaudent, libenter his opibus & ornamentis fulgent, tanquam filij eius, qui misericors est. Estote (ait Christus) misericordes, sicut & Pater vester misericors est.

In epist. ad Philipp.

Luc. 6.

Misericordia expugnat cælum.

Decimotertio, est eleemosyna validissima ad cælum expugnandum, non solum quærit vt facit ieiunium, non solum petit vt oratio, sed peruenit ad ipsas Paradisi fores, & magna vi pulsat, adeo vt statim ad aperiendum Angeli accurrant. Illa moneta quam pauperi porrigis, statim in prægrandem malleum vertitur, quo cæli ianua percussa panditur, sicut quandoq; nobilis quispiam quęritur, nec inuenitur, licet sit in suo palatio vocatur & non respondet, sed vbi palatij fores vehementius pulsantur; statim ad fenestram accurrit, & si non statim palatium iubet aperiri, respondet tamen. Ita facienti eleemosynas, si non continuò Deus cælum dat, non deerit interim diuina consolatio, & fauor de cælo.

Hom. 1. *in epist. ad Rom.*

Decimotertio, Chrysost. his qui dolent non statim sibi à Deo reddi eleemosynarum mercedem (ait) fœneratores libentius pecunias suas fœnori dare his, qui non cito reddant, quia sciunt ex mora temporis fœnora crescere; ita maior erit misericordiæ merces, si post mortem reddatur.

Diues auarus. *De Nabuthe c.* 4.

Decimoquinto, Ambr. noui ego ait diuitē in agrum proficiscentem, panes breuiores Vrbe delatos numerare solere; vtq; pro numero panum estimaretur quot dies in agro futurus esset, nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur, panis vnus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei onum esset appositum, conqueri quod pullus esset occisus, subdit Ambr. hoc ideo scribo, vt cognoscatis vindicem esse Dei iustitiam, quæ lachrymas pauperum vestro vlciscatur ieiunio.

Auari quibus similes.

Decimosexto, aliqui auari diuites similes sunt quibusdam vasis fictilibus omni ex parte clausis, modicam tantum rimulam

mulam in fronte habentibus, per quam pecuniæ facili negotio intromittuntur, sed peregrè quicquam extrahitur, vbi verò vas plenum fuerit, frangitur, vt pecuniæ depromantur, sic auarus ad recipiendas pecunias habet expeditissimas manus, ad erogandas pauperi ægras, ac debiles, sed in morte velit nolit, omnia effunder, ex quo vulgari versiculo carpitur, Auarus nisi cum moritur, nil recte facit.

Exempli S. Francisci.

Decimoseptimo, Diuus Franciscus antequam religiosam vitam aggrederetur, valde ad iuuandos egenos pronus erat, adeò vt velut nomine prodigalitatis fuerit à patre coram Episcopo Assisij accusatus. Aliquando petenti pauperi ob amorem Dei, cum nil dedisset, conscientiæ stimulante, non solum reuocauit, & eleemosynam tribuit, sed ex eo tempore statuit, numquam se deinceps negaturum. Hic primus pietatis ardor, videtur mihi fuisse maximæ sanctitatis fundamentum, ad quam euectus est.

Libri rationum.

Decimooctauo, vos qui habetis libros rationum, dati, & accepti, vellem scire, vbi nam eleemosynas scribatis, inter ea ne quæ expenditis, an quæ acquiritis? Dubium est probabile, quia dantes diteſcitis ita, vt aptius inter accepta referri debere, iudicem, cum longe plus pauper deo, quam recipiat, sed puto aliquos, hac se cura liberare, cum adeo modica præbeant egentibus vt pudeat, ea in codicem referre.

Pauper Christus in Cruce.

Decimonono, commendo vobis hodie chariſſimi, amore huius pauperculi, qui in cruce pendet nudus, vulneratus, felle, & aceto potatus, pauperes, & scitote esse fratres eiusdem Christi, ipso dicente, Quod vni ex minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis.

Exemplum Cosmę Medicei.

Vigesimo, Cosmas Mediceus, qui fuit Magnorum Ducum Hetruriæ primus, multa expendebat, vt opem afferret egentibus, cuidam igitur ex familiaribus, eum nimis liberalem appellanti, respondit, se in libro initarum cum Deo rationum, dati, & accepti, numquam potuisse, eo peruenire, vt quæ deberet Deo solueret, nam quo plura dabat, etiam eo plura recipiebat, semperq; inueniret se debitorem. Deum verò creditorem, magnifica plane oratio, & digna summo Principe, quam videbatur ex sancto Nazianzeno didiciſse, qui, numquam inquit Dei liberalitatem, & beneficentiam vinces, quamuis omnium tuarum facultatum iactu-

Oratione de amore pauperum.

cturam feceris, quamuis te etiam facultatibus adieceris, nam hoc quoque ipsum accipere est, Deum aliquid nobis donare, & addit Nazianzenus duas similitudines preclaras, vnam vmbræ, quæ nunquã potest corpus prægredi, cum simul ea ad progressum corporis progrediatur. Alteram capitis supra quod membra cætera, nunquam possunt excrescere, cum quantumuis illa augeantur, semper caput item attollatur atque superstet.

Ibidem.

Eleemosyna signũ electorum. *ad Col. 3.*

Vigesimoprimo, misericordiam, & pietatem esse propriam virtutem sanctorum, & signum prædestinationis. Paul. docet: Induite vos sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ nota titulos, electos vocat & sanctos & dilectos.

Luc. 6.

Vigesimosecundo, si quis vellet à Deo dona, habet à Christo doctrinam. Date, & dabitur: sunt duo quasi fratres vterini (Date, & Dabitur) vnus ab altero non potest separari, si ex tua domo discedat vnus qui est Date, etiam alter cuius nomen est Dabitur, non manebit; Nolite separare, quos Deus coniunxit.

Date, & dabitur.

Hom. 2. in Diu. Aug.

Vigesimotertio, Basil. Vidi (ait) ego multos ieiunantes, orantes, suspirantes, Denique sine sumptu pietatem ostendentes; egenis vero, ne obolum præbentes, quid his cetera virtutum, diligentia prodest? non propterea regnum Dei consequentur.

Eccli. 35.

De amore pauperum. *Ser. 1. de Collectis.*

Vigesimoquarto, Deus præcipit vt in omni dato hilarem facias vultum tuum: Optime Nazianz. beneficientiæ gratia, promptitudine geminatur. Leo, nobis præstamus, inquit, quod alijs erogamus.

Hom. 2. in die.

Vigesimoquinto, Basi. contra eos qui sua in vanis sumptibus expendunt, Quid miser (ait) iudici respondebis? parietes vestis, homines non vestis? equos phaleris ornas fratrem tuũ laceris amictum pannis aspernaris? Frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? aurum in terram condis & oppressum non curas?

Hom. 48. in Gen.

Vigesimosexto, Chrysostomus omnia faciamus ne alibi egeni simus futuri: nam quæ vtilitas in aliena regione multas diuitias relinquere, in patria autem necessarijs carere? Itaque oro festinemus, dum adhuc tempus est, vt illuc transferamus, etiam quæ in hac aliena habemus. Facilis transuectio est, securè illuc transferimus, & in thesauro indepræ-

dabili reponimus, quæcumque per pauperum manus præmitti-

Digitized by Google

mittimus. Hæc ille.

Vigesimoseptimo, Bonauen. cum occurreret (ait) Franciscus cuidam pauperi satis misero, ad socium dixit, Oportet vt mantellum meum reddamus pauperculo huic, nam ipsius est, mutuo enim ipsum accepimus donec pauperiorem inuenire contingeret, & socio obsistente dixit, pro furto mihi reputo à magno eleemosynario imputandum, si hoc quod fero non dedero magis egenti. *In vita S. Francisci. c. 8.*

Vigesimooctauo, quæso vos, semper ne oportebit me vrgere ad eleemosynas conferendas? nolim vos boues imitari, qui nisi stimulis vrgeantur vix mouentur. Vestra vos charitas, vestra pietas vehementius incitet. Zaccheus ad Christi præsentiam ita commotus fuit, vt diceret: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum, bene, & vos dimidiam partem pecuniarum possetis sine scrupulo extrahere earum, quas crumena conseruat. Hactenus dictum sit de hoc opere & vsu eleemosynas commendandi tam illustri, & vtili. Libet postremo loco, hic admonitiunculam adijcere. Cauendum esse diligenter Concionatori, ne detrimenti quippiam apud ipsum hac in parte, intentionis sinceritas patiatur, ex aliqua fortassis aura popolari, verendum est enim, ne ex hoc nominis sui prædicationem appetat in Vrbe, sicut aduerti quosdam gloriari & iactare magnas quas colligunt eleemosynas, maioresq; quam alij, periculum plane est, ne charitas degeneret in vanitatem, & videat diligenter, ne sibi illud conueniat, neque inter eos numeretur, de quibus dicitur: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Non tam parui faciat futuram quam à Deo sperare potest mercedem, pro hac erga pauperes exhibita misericordia, si solo Dei amore id faciat, & pietate erga inopes, qua Deus tantopere delectatur, vt pro leui aura, & inani gloria velit eam amittere, & damnum inde reportare vnde multum lucri referendum fuit. Optimum consilium darem, vt omnem adhibeat diligentiam, & media exquirat, quibus ad hoc tam sanctum opus alios excitet. Sed neque in suggestu, neque extra illud, copiosas eleemosynas quæ fiunt prædicet, ad omne periculum inanis gloriæ enitendum, cui facile est subiacere prædicatores, cum res egregiè succedunt. Illud etiam cauendum est, ne in hac pauperum commenda-

Exemplum Zachæi. *Luc. 19.*

Admonitio, vt in hoc opere vanagloria fugiatur.

tione aliqua scurrilia afferantur, habent quidem hic locum dicta quædam hilariora, tum quia reficiunt nonnihil fessum auditorem. Tum quia odiosam naturæ nostræ corruptæ, rem, tamquam condimento mitigant, tum quia hilaritas dilatat homini cor, & est quasi clavis liberalitatis, lubentius enim nostra damus, cum hilares sumus quam tristes, tamen ubique & semper meminisse nos oportet, & maiestatis loci in quo sumus, & personæ quam sustinemus.

In media Concione, vel alijs locis quedam monenda ad Christianæ vitæ praxim pertinentia.

Cap. IX.

ABsoluta priore Concionis parte, dum eleemosynæ conquirantur, vt moris est in plurimis locis, solent aliqui Concionatores cum fructu, non quidem semper, aliqua tradere monita pro suggestu, quæ ad cultum Christianæ pietatis, & vitæ spiritualis praxim faciunt. Arbitror me adiumenti aliquid futuris Concionatoribus allaturum si in hac tertia parte quam dixi, vt appendicem hic additam, summatim capita quædam recensuero, aliquarum rerum, quas commodè proponendas censeo. Quod vt facerem duæ meæ res impulerunt, primum quod videam, rarò à plerisque Concionatoribus hæc afferri, vel quia forte minutiora videantur, vel quod non facilè sit, huiusmodi monitis locum inuenire in Concionibus quas multa rerum aliarum eruditione replent, aut verborum copia, & florida ornant eloquutione, cum tamen quæ hic afferemus, & magis quam cætera necessariam continent doctrinam, & ad profectum Christiani populi maximè opportuna videantur. Secundo, quod multorum annorum quibus in hoc munere fum versatus experientia rerum magistra didici, ex huiusmodi monitis, plus sæpè vtilitatis existere, quam ex reliqua Concione tota, & ipse sum testis, ea grauiter, audita, & scriptis etiam à multis fuisse excepta. Neque hic à me expectet aliquis seriem omnium, quæ ad hanc praxim referuntur, aliqua proponam, eaq; simplici stylo, & valde familiari, quemadmodum etiam populo proponenda videntur. Neque est animus ita hic scribere omnia, eo modo quo populo in suggestu proponerem, sed insinuare solum, & Concionatoris

ris ingenium, & industriam excitare. Quamquam non incongruus erit ordo quem subijciam. Aliqua ex his monent; quomodo se quisquam erga Deum gerere debeat; alia quales esse debeamus tum erga proximos, tum erga nos ipsos. Adiungi etiam possunt nonnulla, quæ tribus hisce capitibus æquè conueniunt, & communia sunt, & ab his communibus incipiendo, hæc occurrunt.

Magister & Pater rerum spiritualium.

In vita spirituali necessarium est, vt quis ducem aliquem, & magistrum habeat prudentem, rerumq; spiritualium peritum, qui vt plurimum esse deberet is, qui est sibi à Confessionibus, quem consulat in rebus ad suam conscientiam pertinentibus, à quo instruatur, cui tanquam patri, conscientiam suam sincerè manifestet, quem non oportebit, nisi vrgeat necessitas facilè mutare.

Finis vitæ spiritualis.

Finis primarius omnium bonarum actionum est Dei gloria, ad quam rectè omnia dirigenda sunt, vt simus Aaroni similes, qui inscriptum in aurea lamina Dei nomen, in fronte præferebat, & aliquod opus aggressurus præmittere posset piã Ecclesiæ oratiunculã, Actiones nostras, &c. vel quid simile. Huic autem primo fini, potest, alter secundo loco subordinari nostra futura beatitudo, & vtrumque rectè significatur in principio Dominicæ orationis, cum primo dicitur, Sanctificetur nomen tuum, & secundo loco, Adueniat regnum tuum.

Scopus. *Collat.* 1.

Scopus autem qui à fine distinguitur ex Cassiano, est puritas vitæ, vel vt Paulus loquitur, Sanctificatio nostra, vel Imitatio Christi, qui nobis est exemplar perfectissimum, ad suam nos sequelam prouocans.

Instrumenta vitæ spiritualis.

Cætera verò præter hæc sunt instrumenta, silentium, ieiunia, vsus sacramentorum, solitudo, corporis castigatio, vigiliæ, & alia pleraque eiusdem generis, in quibus licet absoluta perfectio non sit, esse tamen magnifacienda, monendus est populus tamquam instrumenta ad eam consequendam, valde idonea, & à Deo ordinata.

Examen generale conscientiæ. 3. *de ira, cap.* 36. *Psal.* 4. *Epist.* 1. *ad Iacobum.*

Examen conscientiæ quotidianum non modo nostri sancti Patres mirificè commendant, sed etiam Gentiles, vt Pythagoras, Plutarchus de cohibenda ira ad finem, ex Empedocle, Epictetus, Seneca exemplum dat Sextij, & suum: Omnes ergo ante somnum Psalmi vocem audire debent, Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Clemens ad Iacobum fratrem Domini. Instruebat (inquit Petrus) discipulos

pulos, actus omni hora custodire firmiter, cogitationes malas cordi suo adhærentes cognoscere, mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus manifestare. Essent practicè explicanda quinque capita, quibus hoc examen constat.

Examen particulare. Examinis particularis vsus, ad aliquod peculiare vitium expugnandum, vel virtutem assequendam ad sui emendationem & progressum apprimè conducit, cuius praxis est, vt mane quisque decernat, cui vitio peculiariter sibi obsistendum sit, vel cui virtuti studendum. Meridie verò, rursumq; vespere dispiciat secum, qua se ratione gesserit, vt doleat, rursumq; proponat.

Serm. 7. in Nat. Dñi. Vnusquisque agnoscat, ad quod vitium se propensiorem sentiat, sciatq; veram esse sancti Leonis sententiam, cum ait: Antiquus hostis omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbi quēq; viderit studiosius occupari. Nobis ergo ibi maiori cura inuigilandum est, vbi magis insidiatur hostis, & in eo vitio, diutius examen particulare adhibendum.

Lectio librorum spiritualium. Librorum spiritualium lectio, valde commendanda est. Refert Diogen. Laert. in vita Zenonis, hunc Philosophum cōsuluisse oraculum, quid sibi in vita esset faciendum, audiuit vt cum mortuis esset sibi frequens consuetudo, eorumq; colores indueret, interpretatus est, vt libros legeret, & lecta seruaret, fecit, & magnus inter Philosophos est habitus. Nos verò D. Pauli habemus oraculum ad Timoth. scribentis: Attende lectioni, explicandus esset populo aliquis modus cum fructu legendi libros, & qui maximè libri frequentius in manibus habendi.

In vita Zenonis.

Lectio turpiū librorum est pestis. Vtq; pernicioſorum, turpiumq; librorum lectio veluti pestis, & animorum colluuies penitus euitetur, proponendum est laudabile antiquorum exemplum, qui (vt habetur Act. 19.) multos libros combusserunt, quorum pretium magnum erat, & tenendum consilium, vel ipsius Ciceronis, qui ait librum Epicuri ob quædam noxia, vel corrigendum, vel comburendū, certè melius est libros, quam animas comburi.

Tuscul. 3.

Verbum Dei. Verbum Dei frequenter audiendum, & quomodo id faciendum sit, operepretium est diligenter tradere.

Confessio generalis. Confessio generalis totius vitæ, ijs qui nunquam eam instituerunt, multa & eximia solet emolumenta afferre, & ab hac initium esset sumendum, ei qui vitam nouam serio auspicari cogitat, & aliquam animæ securitatem exoptat. Adhibenda verò

Digitized by Google

verò maxima est diligentia, non tam circa peccatorum discussionem, quam etiam & multo magis circa veram contritionē, & animum omnino paratum, vt mortis potius se discrimini obijciat, quam lætale in posterum scelus admittat.

Confessio sacramentalis saltem singulis hebdomadibus esset frequentanda, tum quia est præsentaneum aduersus præterita peccata remedium, tum quia aduersus futura efficaci hominem communit antidoto, & eo maiori sacrum hoc tribunal gratiæ nobis adeundum erit, quo maiorem dæmoni horrorem incutit, vt ipsemet S. Dominico apertè significauit, cum nullo modo induci potuerit, vt locum quem Religiosi Capitulum vocant, intraret, quod diceret ibi se amittere quicquid in alijs locis dolosa fuisset arte lucratus; & certum est, maiori ipsum odio Confessionem sacramentalem prosequi, quam capitulum illud. Confessio ordinaria.

Statimac à lecto surgimus, primitias cogitationum offerre nos Deo debere, docent S. Bonau. Cass. Climacus, qui rem esse magni momenti affirmant. Vnde omnium actionum totius diei bonum regimen consequatur, & addit Clim. Dæmonem hoc scientem, valde esse solicitum, vt ipse cor præueniat, & ingerat turpes cogitationes, & ab hoc ipso aliquos dæmones dici præcursores, quare qui euigilant, quamprimum se Crucis signo muniant, & cum summa reuerentia ad sanctissimam Trinitatem se conuertant, offerantq; se ipsos, & omnes illius diei actiones ad Dei gloriam. Primitiæ cogitationum. *Gradu 27.*

Quotidie, ac sæpius iterandum est propositum, præsertim verò in oratione matutina, abstinendi se ab omni peccato, quod Deum aliquo modo possit offendere, quod planè illud Prophetæ dictum nos docet: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, & orandus Deus, vt cor nostrum ita dirigat, & confirmet, vt dicere possit quisque, malo mori quam fœdari, & cum Dauide: Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Et cum se aliqua interdiu tentatione pulsari sentit, vel cum aliqua peccati sese occasio offert, ad implorandam Dei opem statim confugiat cum magna in eū fiducia. Propositum non peccandi. *Psal.* 100. *Psal.* 118.

Occasiones peccatorum summo studio euitandæ sunt, quia ex his peccata nascuntur, cuiusmodi sunt otium, consuetudo malorum hominum, sensuum, & linguæ licentia, lectio librorum impudicorum, ludorum, seu comediarum vsus, quare monendi sunt omnes, vt pari cura & peccata, & peccatorum fugiant occasiones. Occasiones peccatorū.

Ordo

Ordo vitæ. Ordo in vita spirituali certus, res est magni momenti, vt scilicet suis horis singulæ fiant actiones, nec casu quis agat, quod Paulus monet, dicens: Omnia in vobis cum ordine fiant, & quælibet anima facile hostium impetus superabit, si fuerit vt castrorum acies ordinata, hunc autem ordinem deberet quisque certum sibi statuere, neque immutare quantum fieri possit, & in eo instituendo spiritualis patris consilium adhibere, & sequi vt sciat quo tempore, quantum, & quid sit præstandum quove modo in omnibus.

Erga Deum. Cap. X.

Reuerẽtia ad sanctissimam Trinitatem. QVæ in mentem veniunt, hæc sunt. Peculiari deuotione colendæ sunt tres personæ sanctissimæ Trinitatis, ad cuius imaginem conditi sumus, ad cuius inuocationem in sacro fonte regenerati. In cuius visione beatitudo nostra sita est. Antiquissima est Trisagij & solennis memoria, vt dicamus, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis, cuius meminerunt Ioan. Damas. Felix Papa, & Conc. Calcedonense, imo ipsæ Scripturæ, Isai. & Apoc.

Epist. ad Zenonem Imp.

Isai. 6.

Apoc. 4.

Adoratio Christi. Modus adorandi Christum, esset vt primo eius corpus tanquam organum diuinitatis veneremur, eiusq; sanctissima membra, quæ tam dura, & indigna in passione perpessa sunt. Inde animam cum suis potentijs, omnium donorũ & sapientiæ thesauris plenissimam, atque adeò virtutum: Diuinam item personam cum omnibus attributis, quæ diuinitati propria sunt. Iterum esset bonus modus, si mente discurramus per singula eius vitæ mysteria, & actiones.

Deuotio ad quinq; Christi vulnera. Ad quinque Christi vulnera potest hæc fieri Meditatio, & oratio, Primo ad sinistri pedis vulnus, adorabo Christum gratias agens pro dolore quem in ea parte perpessus est: secundo, adorabo omnes affectus, qui erant in anima eius sensitiua, vt sunt tristitia, timor, gaudium, &c. tertio, orabo, vt mihi tribuat omnium affectuum meorum, quos animæ passiones vocamus, reformationem, & maximè alicuius in particulari. Ad pedem dexterum, primo, Adorabo Christum in eo vulnere; deinde omnes Christi virtutes, humilitatẽ, mansuetudinẽ, zelũ, & alias. Tum rogabo, vt mihi omnes eas concedat virtutes, quę mihi, iuxta meũ statũ necessarię sunt, & peculiariter aliquã. Ad sinistræ manus vulnus, eodẽ modo primo adorabo, deinde pro omnibus eius doloribus gratias agã, quos tum in anima,

Digitized by Google

anima, tū in corpore sustinuit. Et precabor, cōcedat mihi meā crucem alacri animo ferre post ipsum. Ad vulnus manus dexteræ gratias agam pro eo dolore; Deinde, adorabo omnes actiones, totius vitæ, quas cum tanto feruore pro mea salute operatus est. Et rogabo vt mihi in omnibus meis actionibus tribuat feruenter me gerere. Ad vulnus, cordis; adorabo illud tanquam sigillum omnium Christi operum, Deinde amorem eius ardentissimum, erga me, & orabo, vt tanto amori, aliquo modo meus amor respondeat.

Latus, & cor Christi.

Sancti plures, eximia pietatis, ac virtutum incrementa retulerunt, dum mente, in Christi corde moram faciunt, eius virtutes meditando, desideria, & affectus, zelum gloriæ patris, & nostræ salutis. Qua in re fuit singularis Elzearus Comes Ariani, de quo Surius in eius vita, & Luchgardes virgo nobilis, & Catharina Senensis.

Peculiari affectu seruanda est Dominicæ passionis memoria, & mortis, vt simus de numero eorum, de quibus in Apoc. dicitur, Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni, & D. Bernardum imitantes cum eo dicamus, fasciculus myrrhæ dilectus meus inter vbera mea cōmorabitur, & cum D. Francisco, & D. Paulo, Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto. Beata Clara de monte Falco, adeo, Crucifixi doloribus vulnerata est, eiusque amore incensa, vt eiusdem Christi, in Cruce pendentis simulacrum, in eius corde expressum, adhuc videatur, cuius rei multi possunt esse, oculati testes, vt & ego.

Passionis Xpi memoria.

Omnium Christi mysteriorum deuota recordatio, supra modum Deo grata est, vt apparet in vita S. Edmundi, apud Surium mense Nouembri, cui puero optanti, vt Deus aliquid significaret, sibi, quod ad ipsius gloriam maximè cederet, Responsum datum est à Christo, vt quotidie aliquid ex mysterijs vitæ, ac passionis suæ recoleret, D. Dominico aliquid simile fuisse à Beatissima Dei genetrice reuelatum diximus, li. 2. c. 5.

Mysteriorū Christi memoria, & Deuotio.

Ad Orationis studium oportet omnes affici cum Christus dicat, oportere, vt semper oremus, & omnes sancti. In hac virtute fuere singulares. In qua nobis hæc ferè obseruanda est ratio. Primum, vt certis temporibus, mane præsertim, ac Vespere liberi ab alijs negotijs, tam sancto otio, quod Bernardus omnium negotiorum summum negotium vocat, operam demus. Meminit huius moris inter Christianos Philo. Tertul. Deinde, vt etiam inter alia negotia mentem nostram ad Deum conuer-

Studium Orationis.

L. de Vi. cont. Apol. c. 2.

conuertamus, per vsum earum orationum, quas Iaculatorias vocamus, Deum laudantes, ei gratias agentes, opem iugiter diuinam implorantes, & Deum præ oculis habentes, iuxta illud, ambula coram me, & esto perfectus, estque Chrys. admonitio singulis horis aliquam Deo Orationem offerendam, vt cursus orandi cursum diei æquet. Imo vero optimum est consilium, vt omnem actionem incipiamus, & eamdem absolutã, oratione aliqua tanquam sigillo obsignemus.

Orationes Iaculatoriæ.

Coll. 10. c. 9

Versiculus Deus in adiũtorium meũ intende.

Apud Ioan. Cass. Abbas Isaac miris modis, celebrat versiculum ex Psal. 69. desumptum, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Habet (inquit) aduersus vniuersa discrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, habet sollicitudinis, ac timoris perpetui, vigilantiam, & alia subijcit multa, addit huius igitur versiculi, oratio, in aduersis, vt eruamur in prosperis, ne extollamur, semper fundenda est, hunc in opere quolibet, vel in itinere constitutus decantare, non desinas, hunc versiculum, meditanti tibi somnus obrepat, hic tibi expergefacto primus occurrat, Iste ad omne opus, actusque diducat.

Oratio vocalis quid exigat.

Hortandus est Christianus Populus, vt in oratione, quæ voce exercetur, seruet Reuerentiam, Attentionem, & Deuotionem, quod est contra multos, qui ita recitant suas preces, quasi videantur ludere, seu potius Deum illudere, planè qui Principem aliquem alloqueretur, & eo dimisso, sermonem cum aliquo misceret ex famulis, esset iniurius Principi, & dignus quem is contemneret, posset explicari, Triplex genus attentionis, vel ad voces, vel ad sensus verborum, vel ad finem Orationis, quæ attentio est optima, & respicit Dei laudem, & gloriam.

Orãtio mẽtalis.

In Chr. S. Francisci, lib. 1. c. 14.

Cum Oratio, quæ mente tantum, sine voce perficitur, sit nobilissima, animandi sunt omnes, vt etiam huic Orationi assuescant, nec putent eam exigere multam doctrinam, aut ingeniũ magnum, sed egregium Dei amorem, vt aliquando F. Ægidius à S. Bonauedoctus dicebat rudi, ac rustico cuilibet, ac mulierculæ, Ama Deum, & eris plusquam Bonauentura.

Ad Phil. 4 & 1. Tim. 3

Quatuor species orationis.

Quatuor illa capita, quæ D. Pau. semel & iterũ repetit. s. Orationes, Obsecrationes, Gratiarum actiones, & Postulationes, seu petitiones singillatim essent explicandæ, iuxta D. Tho. exposit. in eadẽ D. Pau. loca, & docẽdus, populus, quõ ad praxim, seruari debeant, quã praxim, quia multi ignorãt, malè orant.

Tres orandi modi.

Tres modos orandi ponit, inter alios. B. P. N. Ignatius in libello

bello exercitiorum, qui si explicentur possunt viam aperire ad alias meditationes. Primus est, vt nos ipsos examinemus, v.g. circa Dei præcepta, & singillatim dispiciamus, quo modo nos in singulis gesserimus, breuiter, & post huiusmodi considerationem conuertamus nos ad aliquod cum Deo colloquiũ, iuxta rei occasionem. Rursum idem fieri potest circa septem peccata capitalia, circa animæ potentias, circa quinque sensus corporis. Secundus modus est, vt recitando orationem aliquam, v.g. Orationem Dominicam, in singulis vocibus, pium aliquid mente voluamus, prout Deus concurrerit, ita vt vbi deuotio affluat non curemus transcurrere. Inde fiat colloquiũ aliquod ad Deum, vel B. Virginẽ, vel Sanctos ad quos illa Oratio pertineret. Tertius est, vt recitãdo aliquã orationem ad singulas respirandi vices, singulas voces transmittamus, expensa interim, vel significatione vocis, vel dignitate personæ, quam alloquimur, vel nostra vilitate, vel vtriusque differentia.

Sacrificium Missæ.

Quotidie, curandum est, vt sacrificio Missæ, interfint, qui possunt, perinde, ac Christo in Caluario, & in Cruce morienti astarent ob innumeras vtilitates, quæ ex hoc opere manant, Cum sit hoc sacrificium. Propitiatorium, satisfactorium, Impetratorium, præseruet à culpis, etiã ad temporalia bona conferat, vt docet Concil. Triden. D. Franciscus teste, D. Bonauentura, cum adesset Missæ sacrificio, ita lachrymas fundebat, ac si tunc Christum in Cruce pendentem intueretur, adeo vt & alios ad fletum prouocaret. Sacerdos etiam non legitimè impeditus si celebrare omittat priuat Deum gloria, Angelos lætitia Ecclesiam multis auxilijs & se, animas purgatorij, suffragijs, vt ait Bon. & Beda. Explicandus esset modus quem seruare audientes sacrum debent, ad singulas sacerdotis actiones, præsertim quod ipse populus suo modo cum sacerdote concurrat, sicut sacerdos monet cum ait, vt meum, ac vestrum sacrificium. Et iterum pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.

Sess. 22. Cap. 9. in eius vita.

De Præpa. ad Missã cap. 5.

Communio spiritualis.

Communio spiritualis quotidie in Missa exerceri potest, quæ sine Sacramentali communione prodest, & sine hac Sacramentalis non est vtilis, fit autẽ hæc communio; si Christo vniamur, & de bonis, ac meritis eius participemus, quod fit maxime per actus amoris, per famem quandam spiritualem, & peculiarem deuotionem ad sacratissimum Christi corpus, ac si tunc esset sumendum, optando eius vnionem, etiam sacramentalẽ, vt faceret gulosus quispiam, & famelicus, opiparæ mensæ assistens

liſtens vbi eius appetitum, delicatiores cibi excitant:

Deuotio viſitandi ſanctiſſimum Sacramentum. *Apoc.4.*

Optima eſt Deuotio, viſitandi, interdũ, cum adeſt opportunitas, altare, vbi Diuinum Chriſti corpus aſſeruatur, Tum vt homo coram diuiniſſimo agno procumbat, & cum beatis canat, vt eſt in Apoc. Benedictio, & claritas, Sedenti in Throno, & Agno; Tum ad implorandam in ſuis neceſſitatibus eius opẽ. Ad hoc enim auguſtiſſimum ſacramentum, alacrius nos decet confugere, quam Iſraelitæ ad fœderis tabernaculum ſoliti erant, oracula, & opem poſtulaturi. Eodemque modo, cum Oratio habetur 40. horarum, ſacramento publicè expoſito, vt moris eſt, vel cum in publicis ſupplicationibus circumfertur, vel cum tanquam viaticum ad egrotos defertur eadem deuotio exercenda eſt; perſuadeat autem ſibi quiſque hanc peculiarem, erga hoc venerabile ſacramentum, deuotionem, eſſe non leue prædeſtinationis ſignum, quod ex eo loco bene colligitur: Vbicunque fuerit corpus congregabuntur, & aquilæ.

Oratio 40. horarum.

Roſariorum (vt vocamus) conſuetudo, & vſus duplicem in Eccleſia Dei finem habet, quorum alter eſt, myſteriorum Chriſti memoria, & cultus; Alter pia erga Beatiſſimam Dei matrem Deuotio, poteſt etiam addi aliquis peculiaris, præter hos, finis, quem quiſque ſibi præfigit, vt ſi recitet pro aliquo Dei beneficio impetrando, ſiue ſibi, ſiue alijs; Aut pro aliqua ſeu publica, ſeu priuata calamitate; Aut pro defunctis. Hos autem fines initio quiſque coram Deo proponat, & inter orandum renouet, Tum recolendo myſterium aliquod: Tum Dei matrem inuocando, tum opem ſibi alijſque implorando, non enim hæc Attentio, intermixta, orationem vocalem impedit.

Roſarium B. Virginis.

Roſarij nomen à Roſis deſumptum eſt, ſicut autem Roſæ, vt ſint gratæ, viuido debent colore niteré, & fragrãtiam fundere odoris. Ita planè Roſaria noſtra debent matri Dei, & colorem attentionis, & odorem deuotionis exhibere, ne vt roſæ putidæ abijciantur. Ad hanc autem attentionem deuotam, conſeruandam, valere poſſunt, & tempus ad recitandum opportunũ, & locus ab aliorum tumultu ſeparatus, & exterior, item reuerentia, adhibita, præterea ſi ad Ieſu nomen, & Mariæ excitemur, & ad verborum ſenſum animum aduertamus. In fine cuiuſque Decadis monet Ludouicus Bloſius piè adijci hæc verba Gloria ſit ſanctiſſimæ Trinitati. Patri, Filio, & Spiritui ſancto, laus ſit ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ nunc, & per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Attentio, & Deuotio in Roſario.

Idem

Digitized by Google

Idem Ludouicus Blo: proponit Rosarium, quinquaginta Christi misteriorum quod quam sit Deo gratum, refert idem ipse, & Lanspergius ex visione quadam facta Priori Carthusiæ Treuerensis. Rosarium, Misteriorũ, In Scriniolo spirituali.

Cultu maximò Dei Genitricem Mariam venerari debemus vt dixi in lib. 6. cap. 20. nec oportet repetere. In operibus minor. l. 17. Deuotio ad Beatissimam Virginem.

Peculiari etiam quadam reuerentia, & affectu erga eiusdem Mariæ Immaculatissimã Virginitatem ferri debemus, quia hęc deuotio ipsi Virginí gratissima est vt constat ex Historijs S. Ilephonsi Toletani Archiepiscopi, qui de hac Virginitate libros ædidit, & Sanctæ Leucadiæ, quæ miraculo suscitata dixit eidem Ilephonso solennia missarum publicè celebranti, per te viuit Domina mea, atque ideo ipsa Beatissima Dei mater eidem Archiepiscopo apparens in publica supplicatione, per Angelos vestem obtulit prætiosam qua in altaris ministerio vteretur, quo testimonio, illam eius pietatem, erga suam Virginitatem defendendam, quam sibi placuerit, comprobare voluit, quæ vestis, adhuc Oueti in Hispania seruatur. Eademque deuotio, & memoria, nobis poterit esse scutum, ad repellendas, turpes cogitationes, quas sæpe demon ingerit. Ad Virginitatẽ Mariæ.

Cum omnibus à Deo, vnus Angelus constitutus sit in custodiam, vt scelus arguendum est planè, non ei se commendare, nomei (vt Ber. docet) in omni loco, in omni diuersorio, reuerentiam exhibere; Quare saltem, cum ad cubile accedimus, animas semper ei, & corpora tanquam fidelissimo Custodi cõmittamus, contra Dæmonum, nocturnas illusiones, exemplo sit S. Cæcilia quæ dicebat, Ego habeo custodem corporis mei Angelum Domini, qui magno zelo custodit corpus meum, & sancta Iuditta. Viuit (ait) Dominus, quia custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. Angelus Custos.

Sancto Michaeli, vt Angelorum Principi, ac totius Ecclesiæ sanctæ, Patrono, & Protectori, peculiaris honor est exhibẽdus, qui in die Iudicij, Sanctissimæ Crucis vexillum præferet, & Ecclesia canit eum Principem constitutum super omnes animas suscipiendas. Itemque septem Angelis, quorum sit mentio in Apoc. qui in cõspectu Throni Dei astant, & quorum Deus opera, in ministerio Ecclesiæ peculiariter vtitur, Imò, & omnibus Angelis cum omnes sint nobilissimi Spiritus, & administratorij in vtilitatem eorum missi, qui hæreditatem cupiunt salutis. Deuotio ad Sanctos.

In diebus qui Sanctis celebres sunt, diligenter eis nos com-

mendemus. At pium est, etiam aliquos ex eis patronos nobis asciscere, prout, cuique peculiaris deuotio suggesserit, eosque non verbis solum, sed magno cordis affectu, diligere, ad eorum confugere patrocinium, cum multis exemplis, constet, ad eorum intercessiones, magna, Deum beneficia contulisse, & ad eorũ sepulchra, & reliquias magna patrata miracula D. Chrysost. multa se à Deo, per D. Paulum, obtinuisse cognoscit, cui (vt ipse loquitur) erat impense deditus.

Quolibet mé se patronus aliquis eligatur ex Sanctis.

Optima est piorum quorundam consuetudo, qui pridie calendarum, cuiusque mensis, tot nomina sanctorum ex catalogo illius mensis conscribunt, & sortitio fit inter omnes qui in familia sunt, vt habeant singuli singulos Sanctos in eo mense Patronos quibus orationes, & pia opera offerant, eiusque vitam & mores legant, & imitentur.

Litaniæ Sanctorum.

Litanias, (vt vocamus) sanctorum quotidie recitare est satis laudabilis mos vt ab Ecclesiæ praxi, & cõsuetudine, discere potuimus, præsertim quod in eis contineatur, Sanctissimę Trinitatis inuocatio, & omnium Sanctorum & Angelorum intercessio, obsecratio per Christi merita, & misteria, commendentur Deo præcipua capita Catholicæ religionis, & omnia ferè petantur à Deo quibus indigemus.

Reliquię Sanctorum.

Reliquijs Sanctorum, exhibendus est magnus cultus, difrumpantur licèt hæretici, cum ad memorias eorum semper confluere Christiani soliti fuerint, & multis à Deo bonis per eas cumulari. Greg. Nazian. Omnia (inquit) potest puluis Cypriani cum fide & D. Ansel. cuidam ex suis Sacerdotibus teste Surio in eius vita, habenti minimam particulam ex ossibus sanctæ Priscæ dixit, illam prætiosiorem esse, toto mundo.

Naz. or. in s. Cypr.

Oratorium domi.

Oratorium aliquod, domi habere hortatur Hieron. quod sit concinnè sacris imaginibus pijsque ornamentis decoratum, proderit enim ad deuotionem excitandam & inuitandos domesticos ad orationem Hieronymi verba sunt eligatur tibi opportunus, & aliquantum à familiæ strepitu remotus locus, in quem velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus secreta tranquillitate componas, tantum ibi sit diuinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, tam firma, & pressa de futuris cogitatio, vt omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses.

Ep. ad Celantiam.

Aquæ benedictæ vsus.

Aquæ benedictæ, vsus in Ecclesia, antiquissimus est, Monendi sunt homines, vt cum illa se aqua conspergunt actum aliquẽ, dolo-

doloris peccatorum, animo eliciant, vt à peccatis venialibus expurgentur. Domi habeant in cubiculis in eundem finem, & præterea contra Dæmonum illusiones. Eius aquæ aspersione cõstat effugatos Dæmones, & collatas sanitates etiam tẽporibus nostris, apud Indos, recẽter baptizatos. Refert miraculũ Greg. 1. dial. cap. 10. Beda lib. 5. hist. cap. 4. Bern. in vita Malachiæ.

Templi cultus & reuerentia.

Circa Templi cultum, quod est domus Dei, & æterni Regis Basilica, Concil. Lugdun. decretum seruandum est quod ita habet, Domum Dei decet Sanctitudo, vt cuius in pace factus est locus, eius cultus sit cum debita veneratione pacificus; sit igitur ad Ecclesiam humilis, ac deuotus ingressus; Ita Concilium. Cum primum quis templum ingressus, aqua lustrali se abluit dicat illud, ego autem introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Indulgentiæ.

Docendus est modus sumendi indulgentias cum fructu, vt omnes intelligant, Primò non esse capacem Indulgentiæ, & relaxationis pœnarum qui extra statum gratiæ sit; Secundò vt omnia quæ à summo Pontifice iniunguntur exequutioni mandentur; Tertiò hortandi sunt omnes, vt deuotè singula exequãtur; Ad idem spectat vsus stationum vbi arguendus est acerrimè abusus eorum, qui diuina beneficia, & sacras actiones peruertunt, adeo vt statio, quæ vt portus pietatis esse debuit, fiat quibusdam æstuans Scylla, & Charibdis, nec sit relaxatio pœnarum, sed multiplicatio potius, & culparum & pœnarum.

Imagines sacræ.

Sicut Sacrarum & piarum Imaginum cultus deuotè est exercendus, ita vt ad earum aspectum, recurrat mens ad prototypum, Ita imagines prophanæ, ac lasciuæ, vel quæ aliquid continent vanitatis ex Christianorum ædibus exturbandæ sunt, vt sit valdè mirandum, etiam gentilium Deorum imagines apud quosdam magni fieri. Etiam habet nescio quid vanissimæ superbiæ indicium, suimet imaginem publicè affigere, aliquando etiam inter Sanctorum Imagines, illud verò satanicum est commentum aliquarum mulierum quas lasciuè amant, imagines apud se habere.

Reuerentia, & cultus exterior.

Reuerentia non solum interior, sed externa item curanda est, præsertim in templis, Moneat concionator, cum orant, & sacrificio Missæ assistunt vtrunque genu flectant. cum ante altare sanctissimi Sacramenti transeunt, genuflectant, & corde adorẽt, possent cum D. Thoma dicere Dominus meus, & Deus meus, cum aliæ Sanctorum Imagines occurrunt, caput inclinent, & aperiant, seque ei sancto cuius est imago cõmendent.

Digitized by Google

Ad officia diuina, & horas vespertinas, non fabulentur, sed Deum laudent, In templis non deambulent, neque secularia negotia tractent, vt Conc. Trid. iubet.

Erga Proximos. Cap. XI.

Superioribus quid debeamus.

PRimo loco illud ponamus. Superioribus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus. Tria subditos debere, Amorem, Honorem, Obedientiam, de qua Pau. ad Rom. omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, & quæ sequuntur.

Amabilitas. *Lib. 2. off. c. 7.*

Cum omnibus alijs amabilem se quisque exhibere curet, quo autem modo id fiat audi Ambros. Primum (inquit) nouerimus nil tam vtile quam diligi, nil tam inutile quam non amari, nam odio haberi exitiale arbitror, quomodo autem amore conciliamus aliorum supra cum de affectu amoris ex Arist. & ex D. Ambrosio ageremus, diximus.

Modestia, & bona Indoles. *Li. 3. de Vita Cant. c. 19.*

Modestiæ, ac bonæ Indolis, in conuersatione, optimæ regulæ sunt quas docet B. Prosper, vt reuerentiam senioribus exhibeamus, æquales germanitus honoremus, inferioribus gratiã paternæ dilectionis impendamus, præstemus loquenti seniori silentium, ipsius ad loquendum præstolemur imperium, Non attollamus immoderatum in collocutionibus sonum, & risui non permittamus in cachinnum prorumpere.

Amicitia.

Amicitia charitatis ad omnes habenda est, sed vitandæ nimiæ familiaritates etiam inter spirituales, ne contingat illud Pauli Gal. 3. Videte ne cum spiritu cæperitis, carne consumamini, huiusmodi autem familiaritatum figha, vide apud Diuum Bon. l. de processu rel.

Prima lex amicitiæ. De Amic.

Propter amicos nil contra honestum, esse faciendum, egregie docet Amb. l. 3. offic. cap. 15. vide ibi locum, vbi exemplis allatis, & scripturis id confirmat. Sed, & ipse Cic. Hæc (ait) prima lex est amicitiæ, vt ab amicis honesta petamus, eorumque gratia, non nisi honesta faciamus, & optima est quæ vulgo fertur sententia, Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas.

Iracundia. *Eph. 4. l. de frat. amore.*

Optima est Pauli admonitio, Sol non occidat super iracundiam vestram, etiam discipuli Pythagoræ hunc morem seruabant referente Plutarcho, vt vespere, datis dextris, & mutua salutatione, animos conciliarent, si quid interdiu, irarum subortum esset. Et inter antiquos Christianos vsus erat, vt congregati

gregati ad orandum se mutuò per osculum pacis vnirent, vnde & Tertullianus osculum pacis, vinculum vocat orationis.

Dimittendæ Iniuriæ.

Cum Dominicam orationem recitamus curandum est, vt omnem ab alijs receptam iniuriam, toto corde remittamus, vt illud sincere, verèque dicamus, Dimitte nobis, sicut, & nos dimittimus; esset planè impudens temeritas, ita Deum alloqui, si tu interim, odium, rancoremque in pectore foueas, nam vel mentiris coram Deo in caput tuum, affirmando, quod non facis, vel Deum doces, vt ita se tecum gerat, quomodo, & tu cum fratre, quod perinde est, ac si petas, vt tibi non dimittat, quanta hæc temeritas, & impudentia?

Semper aliquid misericordiæ exhibendum.

Tecum Statue, pro tuarum opum, ac negotiorum ratione, vt nullus elabatur dies, in quo non aliquod misericordiæ opus in proximos exequaris, siuè ad animos, siuè ad corpora spectet, & habeto illud in corde. Nullus dies sine linea. Titus Imperator cum animaduertisset se quodam die, nil gratiarum in aliquem contulisse, dixit, perdidimus hunc diem, o amici; sed optimè Salomon Prou. 3. Misericordia, & veritas non te deserant, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus.

Eleemosynæ quantitas.

Quantitas, & mensura eleemosynarum, ea esse debet, quam filium suum, Tobias senior docuit, Quomodo potueris esto misericors si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si parum, etiam illud libenter impertiri stude, etiam maior, vel minor, egenorum penuria, mensura esse debet plura, vel pauciora dandi, Modo Charitas Christi, & virtus Misericordiæ in corde tuo resideant, & earum iudicio stetur, non cupiditatis arbitrio.

Eleemosynã danti quid cogitãdum.

Cum manum ad eleemosynam dandam porrigis, vel considera Christum in paupere, vel te mendicum Dei, à quo expectes eleemosynam, vel condole proximo, & eius calamitati, sunt enim hi tres actus, quibus eleemosynæ meritum valdè augeri potest, Præclara Iobi vox est quam imitentur omnes, quantum possunt, si comedi bucellam meam solus, & non comedit ex ea pupillus.

Merces soluenda statim. *Leu.* 19. *Deut.* 24.

Acriter Deus in scripturis, in eos indignatur, qui mercenario non statim reddunt, sed prorogant mercedem, in Leu. dicitur vt merces non differatur in diem crastinum, in Deut. vt reddatur ante solis occasum lege etiam Iac. 5.

Visitare hospitalia.

Valdè pium opus est, Deoq; gratissimum, & valde idoneum, atque efficax ad spiritus boni augmentum, visitare Xenodochia,

chia, lectos sternere, cibos ministrare, consolari decumbentes ad sacramenta hortari; Itemque Carceribus detentos inuisere, eisque opem ferre, Certè Christus in Iudicio dicturus est Infirmus eram, in carcere eram & visitastis me.

Suffragia pro mortuis.

Charitas Christiana, ad animas igne purgatorio detentas se se extendit, & in l. Machab. dicitur Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, Soluuntur autem quatuor modis vt docet Greg. Aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut pœnitentijs cognatorum.

13. *Causa. q. 2. c. animæ.*

Reuocare aliquem à peccato, & à malo vitæ statu opus est, vt ait Dion. Ar. omnium diuinorum diuinissimum, estque egregia S. Leonis sententia, Nemo bonus sibi soli bonus est, nec cuiusquam sapientis sibi tantum amica est sapientia, & hæc est verarum natura virtutum, vt multos à tenebroso abducat errore, qui earum clarus est lumine ad erudiendum Dei populũ] Quare quoniam vnicuique mandauit Deus de proximo suo, innitendum est vnicuique vt aliquando aliquem à peccato ad Deum reuocemus.

In ferm. S. Laur.

Quantũ bonum, aliquẽ à peccato reuocare.

Admonitor vtilis.

Laudant plerique spiritualium rerum magistri, vt habeamus aliquem prudentem, ac fidelem amicum, qui nobis sit loco admonitoris à quo moneamur, vbi opus sit, & ipsi, idem alteri faciamus, vt prouerbium seruetur manus, manum lauat, quia plura vident oculi, quam oculus.

Iudicium Temerarium.

Iudicium temerarium, de aliorum factis potest esse peccatum mortale, quare curandum est, vt cum mihi suspiciones aliquæ sese offerunt, semper iudicium, & consensum suspendam, cum hoc Dei proprium sit, ne mihi obijciatur. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit. Est planè hic casus Deo reseruatus, sicut est vindicta, quia ipse dicit mihi vindictam, & ego retribuam, sicut est gloria, eodem dicente, gloriam meam alteri non dabo; Itaque cum sentis te aliqua tentatione in his pulsari, Responde est casus Deo reseruatus, absit, vt diuinam vsurpem iurisdictionem.

Detractio. 2. *de Consid. Serm. de* 3. *Cust. Eccl.* 19.

Bern. Detrahere (inquit) vel detrahentem audire, quid horum damnabilius sit non facilè dixerim, idem asserit linguam detractoris esse viperam, quæ vno simul suo flatu inficiat, se ipsum scilicet, eum cui detrahit, & ipsum quoque qui audit.

Abstinendũ à reuelando secreto.

Optimum est Ecclesiastici præceptum. Audisti verbum contra proximum tuum, commoriatur in te, fidens, quod non te disrũpet, contra eos dicitur, qui auditas contra alios infamias,

non

Digitized by Google

non possunt occultare silentio, & nisi quæ audierint euomant, disrumpi videntur quibus sapiens sapienter ait, confide, ne timeas, nequaquam te disrumpet.

Ego planè tribus personarum generibus arbitror non facilè fidem esse adhibendam; Primum alienæ famæ detrahentibus cum hoc vitium ex infecto, vel male affecto corde manet, quod Chrys. vocat barathrum sathanicum, & hos Anthropophagos, Detrahens (inquit) fraternas carnes comedit, proximi carnē mordet. Secundò his qui semetipsos iactant, cum id ex sui amore corrupto nascatur, qui tenebras menti offundit. Tertiò his qui coram me meas prædicant laudes, quia possum suspicari, me non esse ab eo satis cognitum, & esse hanc quandam honestam adulationem amici bene sentientis, vt moris est fieri. Tribus non adhibenda fides facile. *Hom. 3. ad pop. Ant.*

Cum literæ ad amicos mittuntur cauendum est serio, ne ea scribantur, quæ in alicuius malam opinionem cædant, etiam si vera essent, nam etiam in his infamia potest locum habere. Quæ alicubi secreta sunt, non debent in alijs locis diuulgari. Extat bulla quædam contra Nouellantes, & famigeratores ad comprimendum hunc scriptionis pruritum, ac temeritatem. Nouellātes.

Illud in controuersiam trahi non debet peccatum quo iniustè, vel fama, vel alia bona sublata sunt, non posse remitti, nisi ei qui læsus est fiat satis, qua in re etiam confessarijs periculum imminet, nisi sedulam pro suo officio curam adhibeant, quam tenentur. Famæ restitutio necessaria.

Qui correctionem non admittit, aut superioris, aut amici, pessimè audit in diuinis literis apud Deum, Eccl. qui odit correctionem vestigium est peccatoris, ideſt, secundum Lyram, & Rabbanum, Diaboli, vt sit sensus, indicium præbet, ei Diabolum, dominari, vel esse obstinatum, vt est Demon, & firmiter inhærere in peccato, vt ille est. Correctio libenter accipienda. *Eccl.* 21.

Famuli non admittendi vel ad officinas, vel vt domesticis ministrent officijs, nisi bonæ famæ, & integræ sint vitæ, cum certissimum sit multum damni totam familiam pati ex improbis famulis posse, perinde est enim, ac hominem, peste infectum in sui suorumque contubernium aggregare. Exemplum ex Dauide sumamus, qui ait, Oculi mei ad fideles terræ vt sedeant mecum, ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Famuli quales eligendi. *Psal.* 100.

Prouerbium est quidem tritum, sed satis certum, fœlix qui nihil debet, pacata etenim mente, veluti iugi conuiuio fruitur, nec est qui vrgeat eum creditor, quare consulendum est Debitorum solutio.

debitoribus vt diligentem adhibeant in soluendis debitis curam, nec nouum ęs alienum quantum fieri potest contrahant, nam stulti illi, qui non metientes redditus suos, plura expendunt, quam debeant, & Credito viuunt; Etiam illud monendum. Si quis legata pia, ad mentem Testatoris non reddit non esse in conscientia tutum, cum rem alienam inuito domino teneat.

Legata pia soluenda.

Filiorum educatio. Verendum est ne plerique parentes post mortem à Deo graviter sint puniendi, ob incuriam, qua in filiorum educatione vsi sunt, qui malo genitorum exemplo, & educatione peruersa in pessimos viros euaserunt, in Inferno, patres filijs suis maledicent, quod eorum causa sint condemnati, & vice versa filij parentes accusabunt ob eandem causam. Optima, iuuenum occupatio, sunt literarum studia, quibus vt filij sedulam nauent operam, parentes maximè studeant, nec sumptus, in hoc sumptus vocent, sed lucra.

Cantiones turpes fugiendæ. Curandum parentibus, & magistris omni cura, ne pueri turpes cantiones addiscant, aut recitent: audi Chrysost. in illa verba Pauli in hymnis, & canticis spiritualibus, nunc (ait) Sa-

Hom. 9. in ep. ad Colos. tanicas Cantiones, & saltationes præferunt pueri vestri, quemadmodum coci, & obsonatores, & chorearum ductores, psalmum autem nemo nouit vllum, quia & res ista videtur ludicra, & ridicula, hinc mala cuncta vigent, qualem namque terram plantula sortita fuerit talem quoque fructum afferet, si arenosam, & salsam talem, si dulcem & pinguem, rursum consimilem.]

Erga seipsum. Cap. XII.

Attende tibi. OPtimum est præceptum illud Attende tibi, quod D. Basil. magnificè explicat, estque contra eos de quibus in Act. dicitur ad nihil aliud vacant, nisi audire aliquid noui, aut dicere.

Electio status. Electio status non debet temere, festine, ex animi passione fieri, sed maturè omnia sunt consideranda, & ad Deum fundendæ assiduæ preces; Tum quia est maxima omnium deliberationum, cum sit de tota vita; Tum quia cum Deus habeat omnium prouidentiam, & futura omnia præuideat, ad eum confugere necesse est, ac dicere illud Psal. Doce me facere volun-

Psal. 142. tatem tuam, quia Deus meus es tu. Nostrum erit offerre Deo cor, tanquam Alphabetum, quod nihil determinate dicit, & vir-

Digitized by Google

& virtute omnia dicit, hoc est animum penitus indifferentem.

Laudet Concionator, multas societates, vel vt vocant Confraternitates, ad opera pia exequenda institutas, & moneat vtile esse, vt quisque alicui earum se aggreget, præsertim ex his quæ non tam externas cæremonias sectantur, quam spiritualibus magis, pietatis operibus vacant, & Sacramentorum frequentiæ. Confraternitates.

Commendet sæpius, Doctrinæ Christianæ scholas, hortetur- que omnes vt non solum memoriter, eius capita teneant, sed etiam explicationem eorum, excitet feruorem eorum qui huic operi tam sancto præsunt, & moneat parentes, vt filios mittant, & famulos vt erudiantur. Doctrina Christiana.

Oculorum custodia est magni momenti, vt dicitur Eccles. 9. Auerte faciem tuam à muliere compta propter speciem mulieris multi reprobi facti sunt. Oculorũ custodia.

Fugienda spectacula, & comediæ parum pudicæ, quas Plato ex sua Republica exterminauit, & Alcibiades Athenis iussit Eupolim Comicum in mare mergi adijciens, tu me sæpe in scæna mersisti Eupoli, ego te semel in mari. Spectacula.

Consilium est sapientis. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, multis se molestijs eximit qui à curiosis, & vanis colloquijs, animum auocat, vt possit Deum in se loquentem audire. Aurium custodia.

Magnam & accuratam diligentiam linguæ adhibendam esse Ecclesiasticus monet, cum ait ori tuo facito ostia, & seras, neque hoc contentus addit aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & subdit adhuc & frænos ori tuo rectos, Singulare autem remedium, contra tam multa linguæ vitia, ipsum est silentium. Linguæ custodia. *Eccl.* 28.

Iurationi (ait sapiens) non assuescat os tuum, multi enim casus sunt in illa, Chrysost. in suis concionibus maximè vrget vt populum à iurandi consuetudine abstrahat. sunt autem tres Iuramenti conditiones Necessitas, Reuerentia, Veritas. Iuramenta. *Eccl.* 23.

In quantitate cibi ea mensura est adhibenda, quam cuiusq; complexio, & ciborum qualitas poscit; ita tamen, vt intelligamus, non esse regulam bonam, ipsam saturitatem, cum patres sancti potius aliquam esuriem ventris, atque adeo medici ad sanitatem commendent Ber. Nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens suam non negligat. Cibus. Ad fratres de Monte Dei. Moderata, & quotidiana Abstinentia. *Cass. Li. 5. c. 9.*

Secundum Cass. Doctrinam, & Hieron. ad Furiam, & Bern. melior

Ber. de mo. bene viu. ſerm. 24. melior eſt rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quam per interualla arduum, lõgumq; ieiunium & S. Bon. (par cus ait) cibus, & venter ſemper eſuriens triduanis ieiunijs pręfertur, pluuia enim illa optima eſt quæ ſenſim deſcendit in Terram, ſubitus autem, & nimius imber in præceps arua ſubuertit.

In phar. li. 4. c. 26. ex S. Ambr. Pro. 23. Vinum immoderatè ſumptum plurimum obeſt, & Chriſtianę virtuti, & corporis ſaluti, quia, vt dicitur Prou. Ingreditur blãde, poſt hæc mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.

Oratio ante, & poſt cibũ. In prandio, ac cęna, præcedat oratio, ſequatur gratiarum actio, ne beſtijs ſimiles videamur, & non agnoſcamus panem à Deo nobis dari, Philo Iudæus, hunc morem laudat, in primis Eccleſiæ Alexandrinæ Chriſtianis, quamuis ſuæ gẽtis, homines

Cone. 1. de Laz. crederet ſe laudare, Chryſ. à menſa nõ ad lectum, ſed ad deprecationẽ vertamur, ne brutis animantibus ſimus magis bruti.

Ieiunium aliquod. Laudabilis eſt conſuetudo eorum qui ex deuotione paſſionis Dominicæ, vel Beatiſſimæ Virginis certum aliquem diem in hebdomada vel ieiunio, vel abſtinentiæ deſtinant, ac dedicant, extra numerum ieiuniorum, quibus ex præcepto Eccleſiæ tenemur, quod non ſolum animæ ad meritum conducit, ſed etiam ſanitati corporum prodeſt.

Somnus moderatus. *Epiſt. 77.* Somnus ſit moderatus, turpiſſimum enim eſt, magnam vitæ partem dormiendo tranſigere, quaſi mortuos; aliqui ait Cypr. profitentur nouam quandam Clinicorum ſectã, ideſt lecti amatorum. Certè ſecundum medicos ſex, vel ſeptem horarum ſpatium ferè eſt ſatis, fortè plus aliquid pueris, aut ætate confectis concederent. S. Effrem quieti, & ſomno tantum tempus impende quantum cogit ipſa neceſsitas, quies enim diuturna corpus emollit, & libidinis ignem facilè accendit. Cum quis dormitum it non ſolum cõmendet ſe Angelo Cuſtodi, ſed eam teneat modeſtiam, vt poſsit dicere, In id ipſum dormiã, & requieſcam, ſi nocte aliquando vigilat dicat cum Iſaia Anima mea deſiderauit te in nocte, cum primum mane euigilans ſurgit, Dei ſit memor, & dicat Deus Deus meus ad te de luce vigilo.

De vit. ſpirit. c. 76.

Veſtitus moderatus. *1. Pet. 3. 1 Tim. 2. Epiſt. 22. ad Euſt.* Veſtium luxus à duobus Eccleſiæ Principibus quorũ ſententiæ ſtandũ eſt, acriter arguitur Hier. ad Nepot. Ornatus & ſordes pari modo fugiendæ ſunt quia alterum delitias, alterum gloriam redolet & alibi. Veſtis nec ſatis munda nec ſordida, & nulla diuerſitate notabilis ne ad te obuians turba conſiſtat, ac digito demonſtreris.

Corpus quo modo nutriẽdum. Corpus noſtrum non eſt delicatè nutriendum, ſed vt aſinus, ſicut

ſicut D.Franciſcus corpus ſuum vocare ſolebat fratrem aſinũ, forte non male etiam appellari poſſet aſtuta vulpis, quia ſimulat, vt fallat: præclara eſt Chilonis Philoſophi ſententia, Caue tibi ipſi, teipſum, à teipſo, ſuſpectus tibi ſis, tu tibi hoſtis. Tria debentur Corpori noſtro, quæ habentur in Eccl. Cibaria, & Virga, & onus Aſino, panis, & diſciplina, & opus ſeruo, ſcilicet vt non otietur, diſciplinæ flagellum ſentiat, nec tamen ei neceſſarius panis denegetur. *Eccl.* 33.

Societas prauorum hominum, quam ſit fugienda primò ſtatim verſu totius pſalterij S. Dauid indicauit dicens Beatus vir qui non abijt in conſilio Impiorum, & Salomon filius, initio ſtatim libri prouerbiorum. Si te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis: Hypanis fluuius, aquarum puritate, ac dulcedine celebris, poſtquam Exampei fontis aquas amaras, ac turbulentas recepit, inficitur, & inutilis redditur; Monendi ſunt parentes, vt à prauorum conſuetudine filios ſuos omni adhibita cura defendant, & abſterreant. Societas prauorum. *Pſal.* 1. *Prou.* 1.

Contra verò bonorum, ac ſpiritualium conſuetudo, & amanda, & obſeruanda eſt. Eccl. cum viro ſancto aſsiduus eſto, quemcunque cognoueris obſeruantem timorem Domini. Egregia eſt Baſilij ſententia, eius qui fuit Orientis Imperator, ad Leonem filium cognomento Philoſophum in hæc verba. Vtere medicis animorũ aſsiduè, vt ipſe animo valeas, ab eis enim diſcere poteris, quas res expetere, & à quibus debeas abſtinere. Bonorum ſocietas. *Eccl.* 37.

Commoratio cum mulieribus, & conſuetudo res eſt valde plena periculis Eccl. commorari Leoni, & Draconi placebit magis quã cum muliere nequam Hier. hoſpitiolum tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Cypr. Nunquã ſecurus cũ Theſauro latro tenetur, nec intra vnã caueam, habitans cum lupo tutus eſt agnus. Ber. Eſto vt ſis continens, ſed ego ſuſpicione non careo, ſcandalum mihi es, tolle ſcandali cauſam. Mulierem cõſuetudo. *Eccl.* 25. 2. *ad Nep.* *De Symp. Cler.* *Ser.* 65. *in Cant.*

Vſus ludorum fugiendus eſt, atque adeo ludentium conſuetudo, vt dicere cum Tobia poſsis, Nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his qui in leuitate ambulant, participẽ me præbui, Neque tamen ſint mores noſtri, moroſi, aut nimiũ ſeueri erga alios, vt nõ liceat nobis aliqua honeſta oblectatione recreari, & aliquid vſurpare; quod Entrapeliæ magiſterio fiat. Ludorum vſus. *Tob.* 3.

Cogitationum malarum ſuggeſtiones in primò ſtatim ortu cõprimendæ ſunt, conuerſa ad Deum mente, ac pia meditatione, iuxta illud capite nobis vulpeculas, quæ demoliũtur vineas, Cogitationes malæ.

quod

quod si redeant, non est quod animo discrucieris, cum non sit in nostra potestate omnino prohibere, sicut stultum esset contra muscas indignari quæ pulsæ redeunt, sicut etiam stultitiæ videretur indicium, si quis molestè ferret, volucres aliquas nigras per aerem volitantes crocitare; melius est tranquillo eas animo expellere, sæpe etiam contemnere: Optimum est Hieron. consilium semper aliquid operis facito, vt te semper Diabolus inueniat occupatum.

Epist. 4. ad Rust.

In morbo, quomodo nos geramus.

Cum quis in morbum incidit obseruet, quod medicis iniungitur in cap. cum infirmitas, vt statim confessionem instituat, cum vera contritione, etiam si nullum extet mortis periculum melius est enim, vt Dei amor inuitet ad Sacramentum, quam mortis timor vrgeat. Vtile autem erit infirmo, maximè diuiti si initio morbi, aliquas in pauperes, & pia loca distribuat elee mosynas, quæ apud Deum, vel ad salutem corporis restituendam, vim habituræ sint, vel ad disponendum hominem, siue ad morbum patienter ferendum, siue ad fœlicem mortem subeundam, quando ita Deo placuerit.

Testamenti.

Nemo deberet expectare tempus morbi ad condendum testamentum, sed illud in sanitate commodius conditum seruare, si quid vero, aut immutandum, aut addendum erit, facilius fit; Cum autem morbus ingraueſcit, curet apud se habere viros pios, ac religiosos, qui animæ curam, cum charitate, ac zelo habeant, moneantque ea, quæ in id tempus ad salutem æternam necessaria sint, quibus tunc magis vacare oportet, quam terrenarum rerum curis.

Mortis memoria.

Memoria mortis toto vitæ tempore retinenda est, cum sit optimum frænum ad totius vitæ cursum laudabiliter moderandum, habeat quisque præ oculis illud. Memor esto quia mors non tardat, vel illud.

Dispone domi tuæ, quia morieris, & non viues. Vtile autem esset quotidie orare, vt Deus ita vitam disponat nostram, vt bona mors eam consequatur, posses oratiunculam hanc aliquando repetere, Domine Iesu Christe, per tuam dulcissimam charitatem, & amarissimam mortem concede nobis bene viuere, & sancte mori in gratia tua, Amen.

Adderem etiam vt initio cuiuscunque mensis, cum primus dies festus occurrit, aliquod peculiare opus in hunc eundem finem, facias, cuiusmodi esset, aliquid eleemosynarum elargiri, egenum aliquem, domum suam ad prandium inuitare

tare, sanctissimam communionem suscipere. Visitare ægrotantes, in Xenodochio seipsum etiam examinare, an, & quãtum sit paratus, si Deus eum ad se eo mense vocaret, & quidnam vellet tunc feciſſe, cum hora mortis aderit, hæc enim meditatio plurimum confert, & ad bonam vitam, & ad felicem mortẽ alacriter obeundã. Ideo Christus toties monet estote parati.

Imago mortis.

Ego proposui aliquando meis auditoribus, vt domi mortis simulacrum in aliqua tabella depictum haberent in hanc formam, Supra mortis caput, Paradisi aliqua species sit coloribus suis circumscripta, cum Angelis, ac beatis cytharas manibus, & musica instrumenta pulsantibus, vbi scribatur illud, Beati, qui habitant in domo tua Domine. Sub pedibus vero eiusdem mortis, Inferni figura efformetur, cum igne, Dæmonibus & animabus damnatis, in quo illud legatur elogium, Christi ore crebrius in Euangelio inculcatum, Ibi erit fletus, & stridor dentiũ Ipsa vero mortis imago inter Paradisum, & Infernum constituta, vna erecta manu dextera Paradisum, & beatas illas sanctarum animarum sedes, altera demissa, Inferni pœnas, digito quasi demonstret, ex cuius ore illud profluat, Momentum vnde pendet Aeternitas.

Psal. 83.

Et hæc satis de his admonitionibus puto, superq; etiam pluribus, nimij enim fortasse fuimus, cum centenarium numerum expleuerimus, pauca polliciti, rem exemplo potius indicaturi, quam ex professo tradituri, sed nescio quo pacto in ipsis manibus & scriptione, creuerit opus, sicut quinque panes ab Apostolis distributi, turbis, in eorum manibus multiplicati sunt. Ad alia igitur, quæ institutio hæc nostra desiderat adhuc mihi erit transeundum, si prius vnum hoc ipsum oratorem, circa harum admonitionum vsum admonuero. Vsus harum erit, vt vel admisceantur, cum rebus, quæ in Concione tractantur, prout rerum, fuerit opportunitas vel certe ne omittantur, vt ego sæpe facere solitus fui, & res bene cessit, in ipsa media concione post finem prioris partis, & ante initium secundæ, dum eleemosynæ colliguntur. Voce autem valde familiari, proponendæ sunt, sicut solet moneri populus de rebus alijs quæ occurrunt, vt cum proponitur Indulgentia, vel inuitantur auditores ad futuram Concionem, vel commendatur pium aliquod opus. In his proponendis, & explicandis non est necessaria magna amplificatio, nec multa ad persuadendum argumenta, sed potius simplex ipsa admonitio, addito ad summum aliquo exemplo breuissimo, vt praxis magis elucear, vel simplex authoritas scripturæ, aut

Admonitionum harum qualis vsus.

sancti

sancti Patris, vt rei pondus addatur. Neque in singulis concionibus id fieri necesse est, nam aliquando, ipsa concio ex argumento habet aliqua his similia, quæ proposuimus, & tunc ab alijs nouis multiplicandis erit supersedendum. Si verò aliqua admonitio haberet plura capita poterit vna pars in aliam concionem reseruari.

Praxis parandæ Concionis. Cap. XIII.

QVarto loco dicenda sunt aliqua, quæ industriam Oratoris Christiani requirunt circa praxim, quam tenere debet in ipsa concione tum paranda tum habenda, P. Franciscus Borgias tertius Societatis nostræ Præpositus Generalis vir eximiæ sanctitatis & prudentiæ, breuem instructionem pro concionatoribus reliquit, ex qua in hunc locum aliqua nos obseruationes digna retulimus. Quoniam igitur omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, initium parandæ Concionis sumendum erit à fonte, per humilitatem ac sui notitiam, adhibendo examen aliquod conscientiæ, quia peccata solent intelligentiam impedire. Faciet ergo quod Ecclesiasticus monet. Pro delictis suis deprecabitur & fiet ei quod sequitur: spiritu intelligentiæ replebit eum Dominus, & ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ. Certa est Dei promissio Hier. Si separaueris prætiosum à vili, quasi os meum eris. Addet his orationem ad postulandam opem diuinam in re tanti momenti, quanti est frugiferam ac salutarem concionem parare. Non fidat suo ingenio nam Deus superbis resistit. Et Christus dixit, Confiteor tibi Pater quia reuelasti ea parnulis. Extat oratio D. Thomæ Aquinatis quam habere ante studia solebat, & hic maior vrget occasio & difficultas. Posset cum humilitate suam infirmitatem in re tam difficili confiteri. Quis ego sum vt possim librum signatum aperire? Nunquid ponunt vinum nouum in vtres veteres, qualis ego sum, & quis ego sum, vt ascendam in montem excelsum, vt euangelizem, vt exaltem vocem meam? Cum psalmista oret. Deus non est sermo in lingua mea, ideo illumina vultum tuum super seruum tuum, & saluum fac filium ancillæ tuæ. Apostoli orationi, & ministerio verbi instantes erant: & certe cum se præparaturus est, debet maxime instare vt audiat à Deo, aperi os tuum & implebo illud. Posset Hymnum Spiritus sancti recitare ad eius honorem, & æterno Patri nomine

A Deo principiũ sumendum.

Eccl. c. 39.

Hie. c. 15.

Matt. 11.

filij

filij sui supplicare commemorans, filium ipsum nobis promittere. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, & iterum quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se. *Io. 16.*

Secundo, Si est explicaturus Euangelium, legat attente ipsum & notet diligenter sensum Historicum, aduertat sententias, & modos dicendi & verba omnia, nam singulæ voces à Spiritu sancto sunt. Si est concionaturus super aliquo themate, primo consideret sit ne accommodatum solennitati eius diei, & auditoribus, & quid contineat, Eodem modo de materia si quam est tractaturus num conueniat loco, & auditoribus, vt intelligat statum suæ quæstionis id est id quod tractaturus est, num genus auditorum postulet tractari in genere viæ purgatiuæ, an illuminatiuæ, seu perfectæ. Nam cum eadem res multis modis tractari possit, error est suas quasdam quamuis pias, & acutas meditationes, reconditas, quæ apud doctam concionem Religiosorum aptissime proferrentur, ad populum rudem afferre qui non perficiendus est statim, sed vitijs grauibus purgandus est primum. Itaque primo loco diligentissime laboret in materiæ delectu, ex hoc enim nascitur qualitas futuræ concionis, vt cum fructu fiat, vt facile vel cum difficultate paretur. Seligat materiam quæ non sit infructuosa, non humilis omnino, non à communi sensu remota, non sterilis, & affectuum expers, sed sit digna cognitu, moralis popularis copiosa, affectuum capax. Consideret Euangelium, vel materiã. Videat apud quos dicendum sit.

Tertio, Deinde conferat se ad commentarios magis laudatos, qui de illo Euangelio loquuntur, vel authores qui thema, vel argumentum sibi ad dicendum propositum tractant. Addet si quos habet communes locos, siue sua industria, siue aliena collectos, consulat præcipuè Sanctos Patres, videat indices bibliorum, scripturarum concordantias, si quid minus intelligit doctos viros si suppetunt audiat quid ea de re dici possit. Noui ego eximium, & vtilem concionatorem, qui multos annos salubriter est concionatus. Hic aliquando proponebat quæstionem, aut communem locum inter aliquos ex nostris patribus, ut quisque diceret quid in ea re sibi occurreret & ex his commode ad concionem multa vtilia colligebat. Neque vero omnia quæ inuenerit etiam apud Sanctos Patres sibi esse dicenda existimet. Non pauca enim eo tempore quo sacri Doctores scripserunt, necessario dicenda erant, quæ hac tempestate vtile non esset afferre. Legat commentarios.

Quarto,

Digitized by Google

Colligat & scribat quæ inuenerit.

Quarto, dum se parat, scribat, & congerat syluam rerum, quamuis sine ordine, prout eis inter studendum obijcientur, & quæ cogitando sedens aut deambulans ipse inuenerit, præsertim colligat quidquid ex patrum Sanctorum lectione poterit, nam hæc habent plus momenti, & granitatis, & spiritus. Estq; desiderandum, vt sit ita ex patribus concinnata concio, vt possit dici non estis vos qui loquimini. Non id dico vt acervum authoritatũ accumulet, quas recitet vt aliqui faciunt ad ostentationem, potius doctrinæ, vel memoriæ suæ, quam ad auditorum profectum, sed vt ea quæ dicit fere sint ex Sanctorum Patrum doctrina potius deprompta. quam ex ipsiusmet ingenio nata quamuis vt alibi monuimus necesse non sit latino Sermone omnes Patrum sententias recitare.

Rerum Meditatio. Cap. XIV.

QVinto post paratam diligenti studio hanc rerum syluam, superest altera non minoris momenti industria, quam ea sit quæ in studio & lectione posita est. Ea vero est collocanda in meditatione eiusdem Euangelij, & earum rerum de quibus habendus est sermo. Qua in re concionatori est imitandus Elias qui strue lignorum parata, & hostia superposita ad sacrificium peragendum, se se ad orationem conuertit, & Deum exorandum vt ignem de Cœlo mitteret. Curandum est inquam vt in meditatione exardescat ignis, & primum omnium ipsummet Concionatorem inflammet, vt possit cum Hierem. dicere: misit ignem in ossibus meis & erudiuit me. Sciat sine hoc igne cibos, quos est propositurus fore crudos, & insipidos, nec facile conuertendos in alimentum eorum qui audient.

Quam sit necessaria meditatio rerũ.

Thren. 1.

Magnum interuallum esse dicebat in quadam Epistola B. Pater Xauerius inter vibrantem animi viribus meditata, & segniter ex memoria conquisita promentem. Et quoniam hæc solertia ad nostrum negotium plurimum valet, aliquanto planius explicabo. Arbitror enim non minus curæ in hoc quam in ipso studio poni debere.

Primum sibi prædicet Orator.

Prodest hæc meditatio, Primum ipsi Concionatori, vt sibi prius prædicet quam alijs. Solebat Alexander Macedo prælium cum hoste initurus, prius animum acuere, & ad arma inflammare lectione aliquorum versuum, in quibus bellum describeretur. Planè Concionator ita hoc ministerium exercere debet, vt maximo, ac primo loco existimet sibi applicanda, deinde

deinde alijs, quæ docturus est, ne quis obijcere ei possit, qui alios doces, te ipsum non doces? Quis autem credat alijs persuasurum, qui sibi ipse non persuadeat? Gregor. Rector, ait, si quædam sibi deesse considerat, non oportet vt ab eorum prædicatione conticescat: locus quippe exigit, vt loquatur. Verbis ergo suis seipsum conueniat; & si non ideò loquitur, quia non operatur, ideò operetur, quia loqui compellitur. Ad bona, de quibus Auditores admonet, se quoque pariter inflammet, vt ipse simul discat in opere, quod per eum loquitur veritas in prædicatione. Sæpè enim quod viuendo nescimus, compulsi loqui loquendo discimus.] *Hom. 21. in Ezech. sub finem.*

Secundo, valde vtilis erit hæc meditatio auditoribus, quia tunc ex abundantia cordis os loquitur, ac multo melius Prædicator in oratione, ac meditatione discet illa, eadem quæ ex libris, ac studio colligere potuit. Aliter loquitur qui reddit è scripto verba, aliter qui ex cordis affectu profert. Ille frigidè agit, hic ex Spiritu sancto mouente, & cor, & linguam. Illius oratio ad solas aures peruenit, huius sermo cordis arcana penetrat. Illius verba sensum delectare possunt, huius mentem afficiunt. Vtrumque hoc membrum à me propositum verba D. Chrysost. benè confirmant. Sicut (inquit) stomachus accipiens cibum, eum in semetipso coquit, & per totum corpus dispergit, sic & Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis, per scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, id est tractantes, & meditantes apud se, vniuerso populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante vnumquodque membrum suscipit nutrimentum, & conuertit illud secundum suam naturam, sic Sacerdotibus in Ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt, vnusquisque autem conuertit illud secundum proprium cor. Illud præterea ex hac meditatione emolumenti habebit, quod aliqua succurrent meliora quam prius cogitauerat, vel inuenerat, vel meliori modo explicanda, quæ notare postea poterit ne excidant è memoria. Origenes explicans quid sit, quod inter animalia immunda, & vetita enumerentur ea, quæ non ruminant, & non diuidunt vngulas, sicut etiam immundum erat quod diuidit vngulas, sed non ruminat vt camelus: talis, ait, est Concionator, qui habet multas subtilitates, ac diuisiones, si non ruminat meditando gibbosus est, & nihil efficiet. Et forte hæc est vna euidēs differentia inter bonos, & malos Concionatores, quod aliqui

Secundo, ex abundantia cordis os loquitur.

Hom. 38. in cap. 21. Matth.

Hom. 7. in Leuiticū.

Digitized by Google

in pronunciandis aliorum scriptis occupantur, vel componendis eloquenter declamationibus suis, alij assidui sunt in meditatione eorum quæ ad fructum tendunt animarum, vt & ipsi diuina mysteria prius deuorent, quemadmodum Ezechiel suũ librum, & intra se calore diuino amoris concoquant. Deinde cum efficacia & fructu alijs communicent. Hæc meditatio debet esse practica & affectiua, id est, vt ad actionem, & affectum referatur, vt se ipse Concionator exstimulet ad maiorem perfectionem, mortificationem, zelum animarum, & ipse afficiatur, ac sentiat in se quod alijs debet offerre, conuertens quodammodo cibum mansum, ac bene digestum in lac, quod cum paruulis in Christo communicet, concionaturus de grauitate peccati, de Mundi contemptu, de amore Christi, de beneficijs Dei, ipse prius eadem meditando penetret, & in succum conuertat suum, quam proferat. In hac ipsa meditatione ex rebus de quibus agendum erit, colligat Dei, & Christi attributa, potentiam, beneficentiam, benignitatem, sapientiam, prouidentiam, bonitatem, misericordiam, iustitiam, charitatẽ. Varios etiam virtutum fructus, fidei, spei, charitatis, pœnitẽtiæ, humilitatis, puritatis, quæ facilè erit inuenire in quolibet Euangelio. Ponderet apud se, & sententias, & verba, & quis dicit, quo tempore, ad quos, in quem finem. Multa hoc modo mysteria sese prodent meditanti, & quasi subiecto igne odoratos liquanti flores, succus pretiosus, ac purissimus effluet. Imaginetur sibi Christum adesse, seu verba loquentem audiat, seu mysteria & opera patrantem intueatur. Notet minas ad terrendum, consolationes, & promissa, ad confirmandum se, & alios. Si ad finem meditationis senserit peccatorum suorum dolorem ac desiderium pro Christo etiam mortem oppetẽdi, intelligat esse fructum bonæ orationis. Si Deo placuerit nouũ aliquod lumen ei communicare, vt dicitur: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis, humilitatis hinc occasionem sumat, & Deo gratias agat. Si verò noua luce non sit illustratus, ea quam ex studio perceperat sit contentus, hoc quoque Dei esse donum agnoscat, quo si bene vsus fuerit, etiam sua bona Deus augebit.

Meditatio hæc sit practica, & affectiua.

Psal. 118.

Com-

Digitized by Google

Compositio Concionis. Cap. XV.

SExto, ex omnibus quæ ſtudio notauit vel lectione, aut meditatione percepit, Concionẽ accuratè formabit, ſeligens ex tota illa ſylua quæ vtiliora, & ad rem magis pertinentia videbuntur, eaq; ad tria vel quatuor ad ſummum capita reuocabit, alia poſſunt, vel in aliud tempus omitti, vel eſſe vſui exordio, epilogo, amplificationibus, mouendis affectibus. Ità fiet quod S. Paulus monet, vt rectè tractet, ſeu, vt Græcè eſt, rectè ſecet ſermonem veritatis, id eſt, vera à falſis, vtilia à curioſis & inanibus, aliena à proprijs ſecernat. Det operam vt Concio bonum habeat ordinem, & methodum. Eſt namque ordo, vt liber, ad memoriæ ſubſidium, plurimum etiam ornamenti afferens concioni, & adiumenti, tum dicenti, tum audientibus: Cõfuſa, & indigeſta rerum moles perturbat omnes, & parit etiam quandam ariditatem. Deus in ipſo mundi exordio, primum rerum omnium materiam creauit, cui ſimilis eſt illa rerum ſylua, quam Concionator congeſſit. Inde verò ſicut Deus cuncta ſuo ordine diſtribuit, ita Orator ſuis quæq; locis diſponat neceſſe eſt. Quod ſi non ſtatim ſuccurrat ordo, ac diſpoſitio, non deſpondeat animum, ſed relegat ſemel atque iterum, verſetq; animo quæ collegit; quia diligenter, & ſine anxia ſollicitudine ſecum agitanti facile occurret. Nos in ſecunda parte de diſpoſitione diximus. *2. Timot. 2.*

Inuenta diſpoſitione, ac taxi, annotet quid in ſingulis capitibus ſit collocandum, animaduertendo an ea quæ collegit ſufficiant, nec ne, vel alia ſint inuenienda, an ad rem propoſitam faciant, vel ſint duriora, & extorta. Laboret in argumentorum inuentione, quæ ſint magis accommodata ad tria illa orationis officia. Percurrat mente, & conſulat locos tam topicos, quam Theologicos, & qui ſunt proprij illi concioni quam tractat, eaq; argumenta rectè diſtribuat, & vt ſuis locis aptentur videat. Loca prophetarum prudenter, & aptè citata habent magnam vim, præſertim eorum querelæ contra peccatores. Poſtea quæ ſummatim annotauit, poterit adhibita elocutione aliqua dilatare, afferendo argumenta, & argumentationes, & ſuis locis amplificationes, ac ſcripturarũ expoſitiones, prout alibi a nobis dictum eſt: quod vel fieri breuius poteſt, vel copioſius. Illud apud ſe omnino ſtatuat, nolle ſe alligari verbis. Rectè enim monet D. Auguſt. Verſandum eſt, inquit, aliquando Oratori multimoda varietate dicendi, cum aduertit non *Argumẽta ad probandum.* *Lib. 4. c. 10. de doctrina Chriſt.*

esse intellectum quod dicebatur, hoc autem ait non esse in potestate eorum facere qui præparata, & ad verbum memoriter retenta pronuntiant.

Noua considerationis. Post prædicta adhuc adiungerem quamdam nouam considerationem eiusdem concionis tam rerum quam verborum, vt adhuc melius omnia inspiciat, & exactius aduertat, an aliqua propter obscuritatem possint in alium sensum ab improbis trahi. An sufficienter sint explicata, & confirmata, quibus modis poterit cum maiori emphasi, ac fructu loca Scripturæ, ac Patrum exprimere. Siquidem non est facilè ex improuiso inter concionandum id bene præstare, si prius non cogitauit. *Eccls. 1.* Salomon certè testatum reliquit: Cuncta res difficiles non valet eas homo explicare sermone. Notabit modum, & verba quibus vtetur, maximè in arguendis vitijs, ne quemquam offendat, phrases quibus res aliqua enuntiari debet. Nō minus studij ponat in rebus, ac verbis, vt expendatque tacere debet, quam quæ dicere, & omnia verba sint ad rigorem scholæ Theologicæ librata. Animaduertat loca in quibus affectus magis mouendi sunt, quo in loco magis sit ei immorandum, tanquam vtiliori. Videat nunquid sit ex concione parata prætermittendum. Sæpè enim plura parantur, quam possit tempus suppetere ad omnia commodè explicanda. Itaque necesse est ante statuere quid resecandum, ne si inter concionandum id præstet, aut perturbetur, aut meliora abscindat.

Compositio exordij. Vltimo loco cogitandum de exordio, quod ex visceribus causæ eruendum est, aptiusq; post parata cętera quam in principio sese offeret, tum de Epilogo cogitet qui fiet per enumerationem, vel amplificationem, secundum ea quæ suo loco diximus. Inueniat eximium aliquod dictum, vel exemplum, quo primam partem bene concludat, quod si velis accommodare quæ dicta sint ad eleemosynam petendam, videat ne accomodatio sit inepta, longius accersita, vel ridicula, simulq; prœmeditetur aliquid quod possit animos auditorum ad liberaliter erogandum mouere. In principio secundæ partis videat quid sit ponendum, vt renouet attentionem, & releuet animū auditoris fatigatum, & quod dixi de primæ partis vltimo dicto, multo magis curandum est de vltimis verbis secundæ partis, vt auditores discedant cū aliqua graui sentētia, quam memoriæ infigant, & conseruent ad fructū ex concione percipiendum. Concionē ita paratā tempestiuè memorię mandet, neque redigi se in anguſtias temporis ita patiatur, vt cogatur vim afferre

afferre memoriæ. Nam vehementer id defatigat mentem, ac spiritum arefacit, & vigorem, ac necessarium ad alacriter & neruosè agendum habitum imminuit.

Ante Concionem, in ipsa, & post Concionem quid faciendum. Cap. XVI.

Ante Cõcionem præparatio.

PRidie concionis, ad deuotionem excitandam vtile erit aliquam pœnam assumere, ieiunium, vel abstinentiam, aut flagellũ, aut humile quiddam. Oratio deinde matutina ante cõcionem poterit esse de materia prædicanda, vt ad se referat, quæ alijs persuadere in animo habet. Hæc planè sunt arma, quæ Christus Apostolos docuit, vt ab alijs dæmonia ejicerent. Hoc, inquit, genus dæmoniorum non ejicitur nisi in ieiunio, & oratione, ieiunij nomine, quamcunque corporis afflictionem amplectens. In suis orationibus memor sit earum precum, quas Christus morti proximus ad Patrem fudit, nõ solum pro eis, quos secum habebat Apostolis, sed etiam pro omnibus qui crediturí essent per verbum Apostolorum, & omniũ qui Euangelium prædicaturi essent vsque ad finem mundi. Hæc oratio, filij dilectissimi, non poterit nõ esse Patri acceptissima pro his oblata, qui præsentem auditurí sunt Concionem. Seipsum cõmendet sanctissimæ Trinitati, Patri memoriam, Filio intellectum, Spiritui sancto voluntatem. In sacrificio Missæ precetur vt diuinum verbum, & sibi, & alijs fructuosum existat. Cum proxima instat hora concionis dirigat orationem ad Spiritũ sanctum, B. Virginem, Angelum suum Custodem, & alios custodes Angelos eorum qui concionẽ auditurí sunt, vt causam suorum, qui sibi commissi à Deo sunt iuuent, & suppleant ipsũ quod sibi defecerit, & ad sanctos suos Patronos. Est admonitio D. Anguſt. Ipsa hora, inquit, accedens priusquam exerat proferentem linguam ad Deum, eleuet sitientem animam, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit fundat. Et ibidẽ cap. vltimo affert exemplum Esther, quæ allocutura Regẽ pro salute populi temporali, orauit vt congruum, & compositũ sermonem in os eius daret, quãto magis id facere debet, qui pro æterna salute hominum in verbo, & doctrina elaboraturus est. Item inter orationes D. Ambr. ad populũ habitas, hæ preces habẽtur, Obsecro Domine, & suppliciter rogo, da mihi semper humilem scientiam, quæ ædificet, & da mitissimam, & sapientẽ eloquentiam, quæ nesciat inflari, & de suis bonis super fratres

Lib. 4. cap. 15. de doct. Christ.

Orat. 3.

extolli. Pone, quæso in ore meo, verbum consolationis & ædificationis, & exhortationis per Spiritum sanctum tuum, vt bonos ad meliora valeã exhortari, & eos qui peruersè gradiuntur ad tuæ rectitudinis lineã reuocare verbo, & exemplo, sint verba quæ dederis seruo tuo tanquam acutissima iacula, & ardentes sagittæ quæ penetrent, & incendant mentes audiẽtium ad timorem, & amorem tuum. Sicut & S. Chrysost. ponit orationem quam habeat, qui se ad legendum parat vel ad audiendum in hæc verba: Domine Iesu Christe aperi oculos meos, & aures cordis mei, vt audiã eloquia tua, & intelligam, & faciã voluntatem tuam, Domine, quia incola ego sum in terra, ne occultaueris à me mandata tua, sed reuela oculos meos, & cõsiderabo mirabilia de lege tua, in te enim speraui Deus meus, vt tu cor meum illustres. Ecclesia in sacro antequam recitet Euangelium orat. Munda cor meum, & labia mea omnipotens Deus, & quæ sequuntur. Itemq; debet Christianus Orator etiã pro Auditoribus orare, sicut & populus pro se, & pro ipso à quo est verbum Dei accepturus, quia sine Dei spiritu non poterunt, qui audiunt moueri ac persuaderi, prædicante Paulo nemo credidit præter Lydiam purpurariam, cuius Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur à Paulo. Quare ipse D. Paulus orat, pro se orationem fieri, vt Deus aperiat ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Est autem ostium ipsa voluntas, quæ per peccatum clausa & obstinata aperitur, cum pulsanti Christo per verbũ Dei aures, & auditum præbemus. Huc facit illud D. Leonis, qui vt excitaret populũ, vt pro se oraret, ait, Ad commune pertinet lucrum, si potueritis me habere deuotũ, quia vestræ impenditur ædificationi quicquid nostræ tribuitur facultati.] Persuasum sibi habeat quod nemo de Deo sine Deo bene loquitur, siq; ad dicendum ascendat sine precibus, non speret tanto se muneri satisfacturum. Refert Plutarchus, Periclem vnum ex magnis Oratoribus ad dicendũ timidè accedere solitum, & non priusquam Deos precatus esset, ne quod verbum sibi excidere paterentur quod possit auditoribus offensionem afferre. Nobis qui Deum verum, & viuum colimus, quibus tanto maius periculum imminet quanto sunt difficiliores explicandæ res quanto grauiora, nempe de æternitate tractanda negotia quid igitur studij in ope diuina imploranda ponendum erit? Oret etiam Deum vt à se auferat omnem spiritum ambitionis, & repleat cor feruente spiritu, quo sic afficiat alios. Accedat cum magna fiducia in Deũ

Ser. de pati. & consumat. seculi.

Act. 16.

Coloss. 4.

Serm. 2. de pass.

Exemplum Periclis.

fidens

fidens virtuti ipsius, Euangelij, ac verbi diuini, quod est potens perrumpere etiam obdurata corda hominum, licet enim magna sit superbia mundi, est tamen vox Domini quæ cõfringit Cedros, & licet non desint flammæ cupiditatis, ac irarum, vox tamen Domini est efficax intercidere flammas, est vox in virtute & magnificentia.

In ipsa Concione, & post eam. Cap. XVII.

IN ipsa Concione quomodo se gerere debeat monerem nisi per totum hunc tractatum hæc sparsim sub diuersis titulis allata essent, tamen pauca hæc addidero. Primo accedens ad pulpitum, renouet intentionem gloriæ Dei, & zeli animarum, habendo illud in ore, & corde. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam, vel illud, Miserere super turbam istam, vel, Domine da verbum euangelizanti virtute multa. Recordetur Pauli dicentis, In Deo, & coram Deo in Christo loquimur: Coram Deo stare est eius præsentiam ante nos ponere cum magna reuerentia, ac desiderio, vt ipse cognoscatur, & ametur, cumq; magna fide, vt Moyses, de quo dicitur: Inuisibilem enim sicut videntem sustinuit. In Christo loqui, est personam Christi induere, desiderando vt ipse loquatur in nobis, & optando vt tales simus in hoc munere, vt digni simus adimplere quæ desunt passionum Christi in nobis. Secundo, cum primum in suggestum ascendit post reuerentiam genuflexo ad altare exhibitam, saluret auditores aperto capite. Tum cætera pro regionis probato more peragat. In gestu, habitu, moru, ac primis verbis præseferat grauitatem, modestiam, humilitatem, sed hæc nullo modo affectata, & ficta sit, sed vera, simplex, religiosa, vultum item serenum atque pacatum componat. Aliqui præseferunt vultum ita venerabilem, ac pium, vt videantur solo aspectu dimidium Concionis antequam incipiant, peregisse. Non sit leuis in circumspiciendo auditores, denique fugiat omnem suspicionem leuitatis & affectatæ grauitatis. Non nimis immoretur dum se componit. Vidi enim aliquando nonnullos, qui longam traherent morã, dum aptant subsellium, pileum, superpelliceum, & alia. Diligenter autem curet, vt teneat in principio vocem naturalem, ac familiarem & moderatam. Tertio, curet quantum fieri potest, vt habeat hunc animum semper paratum, vt numquam ex quacumque occasione turbetur, siue ob paucitatem audien

Habeat ante se Christum.

Heb. 11.

Non turbetur.

tium, siue ob strepitum qui interueniat, siue ob aliam quamcunque causam, & habeat quamdam potestatem ac libertatem, vt etiam si memoria labatur non significet se commoueri. Si enim turbetur animus, omnia male cedent, & auditores rem animaduertent, quæ eos alioquin fefellisset. Quarto, cum inter concionandum sentit se frigidè & languidè agere, tacitè erigat mentem ad Deum, & opem imploret, vertat se ad sanctissimum Sacramentum, vnde poterit spiritum, ac feruorem attrahere. Ex ijs quæ tractat ad sese relatis, siue ex aliquo Scripturæ loco, qui incidat conetur si possit aliquem deuotionis ignem elicere. Excutiat se, sumat animum & vires intendat, ad Deum, ad Christum, ad Sanctos, ad animam suam, ad auditores orationem per aliquam apostrophem conuertat. Quinto, quando in pronunciando aduertit se vti voce, vel violenta, vel in cantum abeunte, vel nimis præcipiti, vtatur sua libertate, nec sinat se arripi dicendi impetu quasi torrente. Interquiescat nonnihil ex aliqua occasione, interponat interrogationem, vt si dicatur: Num satis accepistis quæ dicta sunt? quid ad hæc dici potest? & similia. Vtatur transitione aut narratione, aut alia industria quam vsus cuiq; aperiet, & inde ad familiarem suam vocem se recipiat. Sexto, si quod inter dicendum inconsideratè verbum excidat, vbi primum aduertit, addat aliqua quibus explicet melius, vel corrigat, aut mitiget quod dictum est, neque differat in aliam concionem, tum quia non ijdem redeunt semper auditores, tum quia tunc facilius corriget, nec lapsus admodum apparebit. Non sit turpe Oratori nostro dicere ad auditorem suum, quod Augustinus præmittit in prohemio librorum de Trinitate ad suũ lectorem, Si quid veri comprehenderis, existendo non est meũ, at intelligendo, & amando, & tuum sit & meum. Si quid autem falsi conuiceris, errando fuerit meum, sed iam cauendo, nec tuum sit, nec meum.] Septimo, cum videt sibi tempus nõ suppetere ad omnia quæ parauit dicenda, vel quia in primis capitibus diu immoratus est, vel alia de causa, sit contentus summatim attingere quę reliqua ex propositis erant, & differre in aliud tempus, vel aliam concionem, ne iustum concionis spatium cogatur excedere. Octauo, quando sentit se ad dicendum valde impeditum, vel ineptum, quod aliquando solet contingere, vel ex malo corporis habitu, vt si pituita voci, & locutioni impedimento sit, aut aliud simile, vel ex Dei voluntate sic permittetis in vtilitatem Concionatoris,

Feruor in dicendo.

Corrigat qd male dixit.

Si ineptus abrumpat cõcionem.

citius

citius concionem absoluat. Præstat enim maturè dimittere concionem quam inepte tenere, & contra naturam niti. Præsertim quod ipsimet auditores impedimentum ferè animaduertunt, tacitiq; iudicant esse cessandum: & facile est in secunda parte sermonis post eleemosynas collectas sermonem concludere. Post omnia absoluta optimum est, vt statim sublata ad Deum mente, offerat illi laborem suum, contestans se quidem seminasse, cæterum ipsius Dei esse dare incrementũ, ac proinde roget vt ipse gratiæ suæ benignitate irriget, tum ad suum, tum ad populi fructum. Vbi redierit domum, bonum videtur consilium Haymonis in illa verba: Piscatores descenderant, & lauabant retia, Qui verbum Dei loquitur, ait, aliquando quodam puluere iactantiæ inquinatur, ideò necesse est, vt prædicatione expleta, quod inquinatum est abluatur.] Vtile erit petere à Deo cum vera cordis humilitate veniam commissorum defectiuum. Si sentit aliquam vanæ gloriæ tentationem quod sibi videatur benedixisse, & habere applausum populi, memor sit, Dei esse non suum si quid bene sit gestum, & donum concionandi esse à Deo cogitet. Multos in die iudicij dicturos, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, qui audient, nescio vos. Agnoscat se multa peccasse, seq; ponat in numero eorum qui multa dicunt, & pauca faciunt. Deus per coruos carnes Eliæ dedit, sic per malum Concionatorem aliquos pascit. Sampson ex mandibula Asini potum recepit, & timendum ne audiat, Serue nequam ex ore tuo te iudico. Etiã Deo gratias agat, quod se indignum dignetur suo fauore protegere, & vti opera sua ad tale ministerium, ad tam excelsum finem. Si abiectionis animi tentationem senserit, quod ei cõcio non successerit, dicat se fecisse quod fecit ex obedientia, non ex sua voluntate. Id euenisse quod debebatur imbecillitati suæ: mirandum potius si quando aliter eueniat. Vel dicat vt quidam eximius Concionator, qui licet communiter optimas conciones haberet, cum tamen, sic Deo volente nonnumquam male cederent, rogatus cur ita euenerit? Respondebat: Non mihi plus datum est à Deo. Potest etiam humiliter existimare sæpè Concionatorem cum sibi minus placuit, plus alijs placuisse, sæpè etiam è contra omnino cadere. Vtro autem modo contingat Dei arbitrio sese modestè subijciat. Conducit etiam hic obseruare, quod B.P.N. Ignatius docet in oratione seruandum, vt absoluta Concione post aliquantum temporis Concionator secum ipse dispiciat, quomodo res succesſerit,

Post concionem. Offerat Deo, & oret.

Petat veniã.

Humilitas.

cesserit, & si quidem male, inquirat causas, & adhibeat in posterum remedia, si verò benè, notet modum quem deinceps sit obseruaturus. Hac ratione ipse in dies seipso melior euadet.

Quomodo se gerat Christianus Orator in Quadragesima Concionibus. Cap. XVIII.

QVamuis ea quæ hactenus de Christiani Oratoris officio dicta à nobis sunt, satis esse videantur, vt quisq; intelligat quomodo se gerere debeat in concionibus Quadragesimalis ieiunij, placet tamen aliqua de his subijcere aliquanto distinctius. Cum enim magni laboris opus sit per quadraginta dies in palestram, & in arenam singulis diebus descendere, & spirituale certamen contra acerrimos hostes exercere, equum esset, vt tanto labori par etiam fructus responderet. Quemadmodum autem Dux aliquis longa obsidione ciuitatem circumdans, aut arcem, & bellica tormenta continuo admouens, non cessat quoad tandem expugnet, aut hostes sese dedant; ita, planè hæc spiritualis, & quotidiana obsidio, deberet tandem flagitiosos profligare, & scelerũ arcem euertere, vt Hiericontina olim mœnia, tubis Sacerdotum personantibus corruerũt; frustra alioqui laboratum, frustra sudatum, si scelus quod expugnandum fuerat, finita obsidione, vt ante grassetur, & regnet. Et sanè non tam mirandum quam dolendum est, cum sæpè vna in ciuitate multi occupentur, verbi Dei satores, suis doribus eorum tam multis, paucos manipulos in horreum Domini comportant. Nimirum verendum est vehementer, ne non solum in causa sit obstinatio auditorum, sed & Concionatorum ineptiæ, inanis gloria, pecuniarum cupido; dum sui cõmodi, & plausus, & concionis frequentandæ causa, magis ea prædicent, quæ curiosis auribus satisfaciant, quam ad odium malæ vitæ, & morum correctionem adducant. Deniq; aliqui sine spiritu, sine zelo, sine charitate loquuntur. Ne igitur diuini verbi pereat fructus, & Concionator loco mercedis, quam sperare debuerat, seueram loci male occupati, talentiq; si non abscondidi, at proiecti rationem reddat Deo, molestum videri non debet, si summa quædam capita, in vnum locum congessero, & in memoriã reuocauero. Ante omnia finis, & scopus designandus, & statuendus, ac penitus figendus ante oculos est. Modo comparaui Concionatorem in quadragenario opere Duci obsidenti arcem, quæ nunc similem dicere artis medicæ

Finis, ac intentio.

studiosis,

ſtudioſis, qui poſt abſoluta ſtudia in aliquo Noſocomio ægrotorũ curam ſuſcipiunt, quos ſcimus non eodem omnes cõſilio ad hoc opus moueri. Aliqui enim ea mente, hoc quicquid eſt negotij, & laboris aſſumunt, vt empiriticam medicinam addiſcant, ac præceptionibus artis experimenta & vſum adiungãt. Alij verò lucri cupiditate ducti, vel ſtudio ſui nominis celebrandi. Nonnulli deniq; ſola Dei charitate impulſi, ac proximorum vt Deo videlicet gratum aliquod officium exhibeant. Hanc primi dum experientiã conſectantur periculo ſæpè alieno diſcunt, & plurium aliquando ſunt mortis quam vitæ cauſa. Medici, qui lucrum, vel ſimile quid ſibi propoſuerunt, ſatis habent ſi cantilenas quaſdam, & ineptos aphoriſmos recinant, qui parum ad valetudinem conferunt, ad oſtentationem verò doctrinæ, lucrumq; non parum. At vltimi, qui Deum vnum intuentur, cuius ſolo amore, & ſalutis fratrum mouentur diligenti ſtudio in opus incumbunt, ſedulo morborũ naturam & cauſas inueſtigant, accuratè diuerſa, efficaciaq; adhibent medicamenta, ſibiq; demum non parcunt, vt ægrum ſanent.

Idem euenire Cõcionatoribus poteſt. Aliqui valde imperiti ad hoc tam graue munus, quaſi ad exercitamenta, & progymnaſmata, vt fieri ſolet in declamatoria diſciplina, nihil de animarum fructu cogitantes accedunt. Quibus verò lucri cupiditas, aut auræ popularis ambitio cordi eſt, dummodo quod habent in votis aſſequantur, optimè ſibi concionandi munere functi videntur, neque ſanitatem valde curant, neque remedia apta, & efficacia conquirunt, & applicant, contenti ſunt generalibus dictis, & auribus permulcendis intenti, eorum more, qui in foro circulos habent. In hoc ergo quadraginta dierum curriculo, vnum ſibi Chriſtianus athleta proponat, ſtudiũ ſcilicet alienæ ſalutis, & gloriam præpotentis Dei, hæc vna illius meta, vnaq; palma ſit; exiſtimet ad quam mittitur ciuitatem, Hieroſolymitanæ piſcinæ illi eſſe perſimilem, in qua iacebat multitudo magna languentium, cœcorum, aridorum expectãtium aquæ motum. Se verò tanquam Angelum à Deo deſtinatum ad commouendas aquas, ac proinde, ſeſe inſtar Angeli cuiuſpiam ad hoc munus obeundum adornet, ac inſtruat, magna animi ſummiſſione, in ſpem veniens fore, vt non vnum aliquem, vt illa piſcina, ſed multos, & quidem ex periculoſis & grauiſſimis peccatorum morbis ereptos, in veram ſanctitatem, hoc eſt in gratiam Dei reſtituat. Itaque ſeſe offerat, tradatq; penitus Deo: eius opem imploret: conteſtetur nihil ſe,

hil se, nisi ipsum velle quærere, nihil nisi animarum salutem, nullo modo se, aut commoda sua.

Ante Quadragesimam commentationes spirituales. Cap. XIX.

MAximè conducet, vt antequam conciones aggrediatur, per aliquot dies ab alijs curis, ac studijs vacuus sese commentationibus dedat spiritualium exercitationū, quæ ad renouationem spiritus valere possint, & ad deuotionis spiritū excitandum tendant. Cuiusmodi essent Primo meditationes, quæ ad sui notitiam eū iuuent, suorumq; defectuū, ac perturbationum cognitionem, vt coram Deo seipsum accuset, ac imparem tanto muneri confiteatur, & doleat ex animo, quod in via spirituali, quam alios vult docere, tam parum ipse profecerit; deinde poterit aliqua ex his quæ in principio primæ partis à nobis proposita sunt animo versare, ad illustrandum intellectum, & voluntatem inflammandam: de officij huius dignitate, ac partibus de recta intentione, de zelo animarum, de amore erga Christum, deq; alijs virtutibus quas enumerauimus, & erga Deum, & erga proximos. Deq; prudentia in omnibus tenenda, de qua actum est in tertia parte. Hac ratione animum à noxijs affectibus purget, vt spiritu sincero loquentem Deum audiat in corde suo: spiritum rectum innouet zelo gloriæ Dei, zeloq; salutis animarum muniatur; opem à Deo exposcat ad tantum ministerium ritè obeundum, ipse prius sibi prædicet quam alijs, à Deo discat ipse priusquam doceat, illuminetur antequam alios illuminet. Ita pleroſque sanctorum feciſſe legimus. Greg. Naz. in quadam sua ad populum oratione: Non sum, ait, Baptista, ex heremo tamen venio. Christus ipse aggressurus suam prædicationem secessit prius in desertum locum, vbi ieiunijs, & orationibus per quadraginta dies ac noctes vacauit, vbi tacebat ore, sed instruebat opere, & quicquid verbo dicturus erat, prædicabat exemplo. Tertio curet ante Quadragesimæ tempus paratas habere omnes conciones accuratè, ac diu expensas, adhibita tempestiuè diligentia, ne opus sit in ijs parandis in ipsa Quadragesima laborare. Nam quotidianus dicendi labor, & studium meditandi ea quæ in promptu sunt (nisi velis oneri succumbere) nequaquam spatium concedunt inueniendis de nouo, ac disponendis quæ prius non excogitarit, ac di-

Conciones sint paratę, & quales.

ac disposuerit: præter quam quod id commodi accedit vt etiam suppetere tempus possit, quo celebrandæ quotidie missæ atque orationi vacet: cuius prætermissio in causa est vt aliquorum in concionibus deferuescat charitatis ardor, neque loquantur ex abundantia cordis, neque ad cor. Adde quod necesse est, vt aliquid temporis tribuat ijs qui de conscientia sua animiq; salute consulturi accedunt.

Materiæ quales.

Quarto, noster Ecclesiastes meminerit quod monuimus alibi, valde necessarium esse ad finem sibi propositum, vt suas conciones ad odium, ac dolorem peccati dirigat; ad morum correctionem ad excolendam Christianam iustitiam, & perfectionem; & materias ad id maxime idoneas seligat, nisi velit populum suo fructu priuare, Deum gloria, & lucro spirituali se ipsum. Quid enim attinet (quod multos factitare videmus) pleraq; erudite, ac ornate ad pompam, atque adeo cum admiratione auditorum dicere, quæ imperitum populum non erudiant non absterreant ab effrenata viuendi licentia, non animos addant aut excitent ad virtutem? Ludouicus Carbo spectatæ probitatis & prudentiæ vir, in sua Christiana Rhetorica id consilij concionatoribus dat, Quod ipsum memini mihi ab eo non semel dictum, cum aliquos ante annos Venetijs vna essemus: vt quadragesimali præsertim tempore, populus alterutra concionis parte de ijs rebus instituatur, quarũ capita cathechismo continentur; Nam cum hæc vel à tenera ætate memoriæ mandari soleant, nunquam tamen explicationem eorum facile populus assequitur, neque inculcantur ab ijs, quorum interest, vnde fit, vt rerum scitu necessariarum magna ignoratio sit. Equidem consilium hoc probo, non tamen suaserim vt omissa Euangelica historia, vnum aliquod caput ex ijs quotidie tractetur ex ordine nisi forte in aliquo oppido aut pago, necessitas vrgeat, tunc enim prior concionis pars posset in huiusmodi declaratione versari; secunda verò, capita nonnulla ex Euangelio ad excolendos mores proponere; In alijs autem locis, vbi ignoratio tanta non viget, haud facile Euangelicam historiam, priori parte omittendam putarim, cum iam longe diuersa consuetudo inualuerit, neque si secus facias populo valde arrideat. Res ipsa tamen, & placet, & obseruari potest, imo & expedit scilicet vt ex occasione, quam Euangelia præbent explicentur quæcumque ad Institutionem populi necessaria videbuntur, idq; arbitror omnino esse præstandum, vt præcipua Doctrinæ Christianæ dogmata

mata, Decalogi præsertim attingantur. Atque vt his quoque satisfiat, qui Euangelicam historiam audire cupiunt, video pluribus placere vt principio concionum, summa Euangelij capita loco exordij referantur, quod qui bene præstare, nouerint se doctis pariter, & indoctis hac in parte satisfecisse, credant.

Episcopi Beneuolentia, & Reuerentia ac bonum nomen. Cap. XX.

QVinto cum in vrbem, in qua est conciones habiturus aduenerit, decretum Concil. Trid. sess. 5. quam primum seruare studeat; vt scilicet Episcopum adeat, ab eoque benedictionem accipiat; cum magna submissi animi ac reuerentiæ significatione, vt erga eum quem scimus à Deo in sui locum constitutum, & quem magno à nobis honore colendum scripturæ docent: Tum se in illius tanquam communis parentis beneuolentiam, sine qua vt compertum est, vix possunt haberi cum fructu conciones, omni studio ac diligentia insinuare contendat, promptum significet animum illi in hoc munere seruiendi, eiusq; votis obsequendi. Quandoquidem partes illius acturus est, vt administer: oret ipsum vt cogitet, ac moneat quæcumque sibi ad suarum ouium vtilitatem profutura videbuntur, quippe qui ceteris oculatior & in specula constitutus, probe viderit earum morbos ac necessitates. Magistratum etiam & aliquos e primoribus ciuitatis, si ita iudicauerit, inuisat, cum præsertim cognouerit ab iis id officij expectari, & gratum fore: Neque tamen id præstandum cum multis esse crediderim, ne quid affectatum videatur, quasi vero prensare velit, & sibi concionum frequentiam allicere. Abstinendum tamen à mulieribus adeundis existimarim, ne cui detur occasio obloquendi, vt aliquãdo contigisse alicubi compertũ mihi est: sicut etiã dant sermonũ materiam, qui literas commẽdatitias ad plures deferunt, tanquã, eo modo aurã populare, & audientiam emendicent. Libentius hoc officio fungerer, cum ijs qui curã habent animarũ viris Ecclesiasticis, præcipuæ in vrbe auctoritatis, ac sanctitatis. Horũ enim familiaritate, prudentia, opera, consilio, iuuari potest concionator non parum ad ferendos ex concionibus fructus vberiores. Ineat quoque cum alijs concionatoribus amicitiam, si occasio sese offerat sed modestè, & cum ea amoris significatione, quam religiosa charitas,

&

& ſimplicitas exigit; Ex his quos iudicauerit idoneos, ſecreto tamen ac prudenter poterit inueſtigare, mores loci, ac perſonarum: Neceſſe eſt etiam noſſe, quæ vitia in ea ciuitate, qui abuſus, quæ piæ exercitationes, quis ſacramentorum vſus, qui contractus illiciti, qui cœtus & ſodalitates, quæ iuuentutis educatio, quod denique ingenium, & natura hominum ſit, & huiuſmodi multa.

Sanctitatis opinio.

Sexto, facillimum eſt intelligere, quantum omnino momentum habeat ſanctitatis opinio & bonum cõcionatoris nomen, maximè in quadrageſima, tum ad ſui ipſius, tum ad aliorum vtilitatem. Vix enim boni aliquid ſperare licet, cum illud populus vſurpat, ac muſitat, Dicunt, & nõ faciunt. Quapropter, haud moleſtus ſim hac in re, ſi ex his quæ alibi fuſius dicta ſunt breuiter aliqua neceſſaria perſtringam, & quod ſentio aperiam. Caueat vehemẽter noſter orator, ne vllo modo quiſpiam offendi poſsit, ſiue publicis, ſiue priuatis eius ſermonibus, diligenter coram Deo dicta factaq; ſua omnia obſeruet: præmeditetur ſingula quæ dicturus eſt ex ſuggeſtu, nec quæcumque in mentem veniunt leuiter effundat, nec faciles omnibus aures præbeat: In obiurgationibus ſit cautus; non vratur verbis quibus mordeat magis quam moneat, quibus contemnere magis audientes videatur, quam ex charitate corripere: Non indignetur contra ſuos auditores, ſed contra vitia; nec verbum ex ore elabi ſibi patiatur, quod vilam contumeliæ ſpeciem præſeferat tanquam velit in alios dominari. Non ſit querulus, nec de ſe ſuisq; rebus loquatur, vt alibi dictum eſt. Fugiat omnem oſtentationem, & arrogantiam verbis, & geſtibus. Alijs concionatoribus ſi quis præſertim (quod ſæpe contingit) cæteros antecellat, & primas, aut ſecundas ferat, non æmuletur. Hoc enim ſolet à recta puræ intentionis via concionatorem abducere Non adulatoriè blandiatur, non affectet eloquentiam. Inuitare populum quotidie ad concionem ſequentem, vel nimis crebro, & verbis vrgere non laudo. Nam quod faciunt quidam magnificare fimbrias, & mira promittere, vel cuiuſdam vanæ iactantiæ eſt, vel imprudentis cuiuſdam ſimplicitatis. Id tamen fieri moderate poteſt, & tunc maxime cum futura concio eſt de re valde vtili, & ad animæ ſalutem perneceſſaria.

Præterea inter concionandum non ſit nimius in clamoribus vſque ad moleſtiam, nec in agitatione corporis, nec artificioſus in geſtibus, non præceps in dicendo, nec tardus, non

ingerat

ingerat multas auctoritates, quas populus non intelligit; nō Hæreticorum opiniones, non doctrinas Scholasticas subtiliter tractet & vocet ad trutinam. Quoniam etiam tam longo curriculo conciones quotidie habentur breuior sit, satietati occurrat, & occupatis consulat. Illud etiam curandum est, vt cōciones stato tempore, & hora certa habeantur eaque eligatur, quæ vniuerso populo sit accommodata. Si ad mensam alienā inuitetur modestè remittat, neque alios ipse aduocet ad suam, contentus sit moderato cibo. Nam verbi Dei studium & deuotio, ac plenus venter haud facile concordant. Et illud quoque vulgare verbum locum hic habet. Pinguis Minerua, non gignit sensum tenuem; adde tu multo verò minus, piam religiosamq; dictionem. Quotidie sacrificium Missæ celebret, In congressibus, & colloquijs ita segerat, vt non in his tempus frustra terat, sed ad vtilitatem spiritualem eorum qui ad se accedunt conuertat. Vultus hilaritas, facilitasq; morum, potuis quam tristis seueritas tenenda est siquidem fugat tristis, & immodica grauitas, quos allicere poterat & sanare clementia. Atque hoc postremum erat B. P. Xauerij Consilium in litteris ad P. Gasparem datis.

Admonenda, & inculcanda aliqua. Cap. XXI.

SEptimo, vt certus ex concionum labore fructus existat, hæc etiam adiuuabit industria sub initium Quadragesimæ hortetur auditores, & vrgeat, vt tunc temporis ad confessionem accedant, quo expeditius, & sine peccati conscientia, & magno cum lucro, sacrum illud exigant tempus, ieiunijs, auditioni verbi Dei, alijsq; pijs operibus vacaturi; cum certum sit mortali peccato, meritum, & fructum spiritualem impediri. Post aliquot conciones, die aliquo celebriore cum populus frequentior adest, aperiat, quænam irritam reddant confessionem, ita vt eam instaurare necesse sit, dilucidè tamen id exequatur ne scrupulum vbi non est opus, inijciat, Moneat si qui non recte confessi sint, vt de integro confiteantur, laudetq; generalis confessionis vsum etiam sine necessaria causa, ijs præsertim, qui id nunquā præstiterunt. Eleemosynas in vsus pauperum serio commendet persuasum habens, quo frigidius, ardentiusue hanc ipse sui muneris partem aget hoc plus minusue populū collaturū. Absit tū immodica conten-

contentio, & quædam quasi uis quæ non modo moleſta eſt auditori, ſed interdum quamdam ambitionem prodit concionatoris, tanquam ambiat nomen, eleemoſynas pingues, & vberiores, quam alij corrogantis. Plurimum igitur caueat ne dum miſerorum inopiæ ſuccurrit ſuo ſe ipſe fructu defraudet. Pro concione, bis terue in quadrageſima excitandi ſunt auditores ad ſeruandum integrè ieiunandi præceptum, ne animum deſpondeant, ſinantque ſe gula ſuperari, vt Eſau lentis edulio. Perſuadeat quoque vt qui non ſolent per annum qualibet hebdomada communicare, in Quadrageſima ſaltem id præſtent, & experiantur aliquando, quantum ex Sacramentis frequentandis proueniat, in hominum animis emolumenti, & iucunditatis. Conſtat enim multos antequam experirentur rem exiſtimare difficilem qui poſt experimentum, vix vlla poſſunt hebdomada toto ipſo anno abſtinere, Caſtiget eorum ſegnitiem qui annuam confeſſionem in hebdomadam ſanctam reijciunt, quãdo vix commodè poſſunt à confeſſarijs audiri, & ſæpe fiunt inualidæ confeſſiones. Id quidem argumento eſſe poteſt de vitæ ſuæ emendatione eos minimè laborare. Et ſanè omnem operam deberet verbi Dei prædicator adhibere, vt probe intelligeret populus vniuerſus, quam ſit Chriſtiano homine dignum ad ſacramenta confeſſionis, & communionis accedere octauò quoque die, cum ſit confeſsio ad expurgandum animũ à vitijs, tam efficax remedium, Euchariſtia verò ad diuinum amorem, omnemque Chriſtianam perfectionem tam ſalutare præſidium. Si conſuetudinem induere hanc poterit, etiam ſi alium nullum ex ſuis concionibus fructum ferat, hoc vno præponderari cæteros omnes haud dubitet. Hunc ſi minus obtineat parum ſe perfeciſſe arbitretur. Mox eadem peccata redibunt. Orationis ſtudium cuius tanta in ſcripturis laus extat, tanta in populis neceſsitas, iterum, iterumq; commendet, quotidianum & frequentem vſum eius perſuadere conetur, doceatque praxim, & modum. Abſoluta priori parte concionis, ſæpe moneat aliqua ex his, quæ alibi monenda poſuimus.

Octauò intelligat pugnandum ſibi eſſe acerrimè contra peccatum mortale, in quod ſæpe inuehatur; magnamque eſſe vtilitatem exiſtimet ſi populus ex quadrageſimæ concionibus cognoſcere poſsit, quanta ſit peccatorum indignitas, ac turpitudo; cum liquido conſtet illud poſſe dici de multis, quod S. Iob dolenter ait, Bibunt quaſi aquam iniquitatem; atque vtinam

Sæpe agat contra peccatum.

non & illud verè diceretur. Gloriantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Bone Deus, quid agimus nos verbi Dei præcones, si tantam hominum nequitiam non dolemus, non indignamur, non collachrimamur? Si non magno animi ardore viribusque totis collaboramus, vt quisque agnoscat quam horrere debeat, vel ipsum peccati mortiferi nomen? dicatque Postquam ostendisti mihi, egi pœnitentiam, & percussi femur meum? Quamobrem arbitror hac in re oportere singularem esse concionatoris industriam & zelum, vt hoc penitus in populi animos descendat. Non desunt multæ occasiones ad vtiliter hac de re apteque dicendum; hac de causa supra proposui multos locos, ad excitandum odium peccati, ac pœnitentiam. Sed præter hæc, quibus vniuersè in peccatum inuehitur, si cognouerit in ciuitate esse, qui odia, & inimicitias exercent qui concubinis impliciti sint, qui pecunias fœnori dent, qui iuramentis, & blasphemijs, qui ludis vetitis sint dediti, qui famæ, aut bonorum alienorum restitutionem negligant, qui contractus illicitos ineant, qui turpes amores foueant, his, & eiusmodi peccatis, vt maximè locus postulabit radicitus extirpandis, diligenter animum imendat, eorum turpitudinem ostendendo, ac varijs modis perniciem inculcando, & opportuna cuique adhibendo remedia. Grauis quidam Concionator, qua drageſimæ initio, Romanis auditoribus proposuit, se contra statuam, quam ob oculos proposuerat sibi animum esse inuehendi, solebat autem, post cuiusque rei subtiliorem explicationem, antequam conuerteret orationem ad instituendos corruptos hominum mores, hæc aut similia vsurpare. Age verò conuertamus sermonem ad nostram statuam, tum in eam verborum suorum iacula eo torquentem, & vitia nunc hæc, nunc illa pro loci opportunitate ferientem vidisses. Coniuncta est autem cum peccati insectatione, cura excitandi ad pœnitentiam, ad lachrymas. Licet autem vituperanda sint, ac detestanda omnia prorsus peccata, nolim tamen orationem nostrã omissis grauioribus, in leuioribus crebrius occupari. Quidam per totam ferè quadrageſimam, nil magis, & crebrius insectatus est, quam quod nobiles fœminæ longa traherent syrmata, alius, quod crinem super frontem, & caput turrium instar attollerent. Optimum quidem erit huiusmodi etiam luxum insectari. Cæterum si hoc quidem sæpius fiat; grauiora verò scelera eorumque occasiones dissimulentur, nec frequenter arguantur, laudari non potest: præsertim quod cognitum compertumq;

Hier. 31.

pertumque nobis est, mulieres si vnum vanitatis genus omittant, aliud demuo excogitare. Meminerit quoque eorum, quę in reprehensionibus seruanda esse supra notauimus.

Praeter Conciones ordinarias alia opera pia praestanda. Cap. XXII.

NOno Præter matutinas conciones, quæ tota quadragesima quotidie habentur, in plerisque ciuitatibus vsu receptum est, vt sexta feria, vel alio hebdomadæ die, ad excitandam populi pietatem per dimidiatæ horæ spatium aut etiam minus de Dominica passione habeantur vespere sermones. Multumque proderit si Sacratissimum Christi corpus per id tempus sit expositum ad adorandum, & pius aliquis concentus ante, & post adhibeatur, qui & inuitet auditores, & moneat. Alicubi libenter postrema diei hora, ter in hebdomada, audito campanę signo, conueniebat populus in templum ad orationem coram Sanctissimo Sacramento, quibus diebus vna ex confraternitatibus solenni supplicatione vicissim intererat; breuis sermo habebatur, & puncta aliqua recitabantur ad vsum meditationis, simulque Sanctorum Litaniæ decantabantur. Pia hæc consuetudo perutilis est, vt non ore solum, & voce, sed animo, & cogitatione populus orare assuescat. Porrò consideret concionator, consulatque Prælatum & alios an expediat instituere, aut renouare aliquam sodalitatem, & confraternitatem, earum, quæ pijs operibus vacare solent ad suam, & aliorum vtilitatem. Optima esset, si qua hoc nomine instituerentur vt sodales frequentius sacramenta susciperent, præscriptis ijs regulis, & legibus, quæ forent loco, ac tempori accommodatæ. Præterea vbi non esset deberet institui congregatio, ex his quibus curæ esset festis diebus, docere pueros, & puellas doctrinam Christianam, cuiusmodi multæ sunt optimis legibus tota Italia constitutæ. Etiam curandum videtur vt sint qui inopiæ succurrant, familiarum præpudore non mendicantium, & pudicitiæ puellarum ob egestatem periclitantium, & pueris, ac puellis orphanis per vrbem miserè vagis, & nocte sub porticibus cum periculo magno iacentibus. Aliqua esset præsertim ex nobilibus excitanda sodalitas ad paces conciliandas, vel certè id muneris alicui iam excitatæ posset adiungi. Opus quod visitandis Nosocomijs, vel carcere detentis, & infirmis adiumento impenditur inter magna Christianæ professionis opera haberi

Conuentus ad orationē.

Cōgregatio Doctr. Christianæ.

Qui visitent familias inopum.

Sodalitas ad conciliandos discordias.

Qui visitent hospitalia, & carceres.

beri debet, ac serio omnibus commendari. Quod si effici poterit vt sodalitas aliqua suscipiat curetque vt miseri illi iuuetur in calamitatibus, & animi & corporis vtilitas non maior ijs qui inuisentur, & iuuabuntur, quam inuisentibus, & iuuantibus ipsis existet. Solent in magnis ciuitatibus à flagitiosa vita reuocari aliquæ deperditæ mulierculæ, quæ quoniam non facile inueniunt, quò confugiant, sæpe in easdem peccatorum occasiones reuoluuntur, propterea cõmodum esset habere Refugij domum, in quam sese possent recipere, quoad vel in monasterium conuersarum, transirent si vellent, vel aliquod ipsis remedium opportunè daretur. Noui ego hominem priuatum qui suis sumptibus adhoc, & ipsam domum destinarat in qua semper nonnullis id genus mulieribus victum suppeditabat, & matronam grauem, ac spiritualem elegerat quæ earum mulierum curam gereret. Multis in locis consuetudo iam est, vt sub quadragesimæ finem initio hebdomadæ sanctæ instituatur publica quadraginta horarum supplicatio in templo, quo tota ciuitas statutis horis, per parœcias distributa conueniat, vbi breuiusculi sermones habentur à multis, vel ad recolendam Dominicæ passionis acerbitatem, vel ad excitandum peccatorum dolorem, hoc quoque ad salutem, pietatem, ac fructum valet. Proximis quoque ante cineres diebus bacchanalibus quibus multi liberiori vitæ habenas laxant, iam sancta inducta est consuetudo multis in locis celebrandi solenni põpa, eodem modo quadraginta horarum orationem varijs adhibitis sermonibus musicoque concentu, ad auertendos ciuium animos ab indecoris spectaculis, & in christiano officio cõtinendos. S. Carolus Borromeus solebat per eos dies, in diuersis parœcijs sãctissimę Eucharistiæ communionem cum solenni apparatu, magnoque fructu suarum ouium ministrare. Egregia sanè industria, ac digna quam omnes imitentur Episcopi. Hæc à me hoc loco enumerata sunt exempli gratia, Ad prudentiam verò concionatoris pertinebit, dijudicare si quid ad ædificationem illius populi faciat, idque sine consilio prælati aut aliorum præstare non debebit. Vbi vero, hæc pia opera instituta sunt, animandi sunt, vt omnes quod agunt, bene agant, iuxta prouerbium: Age quod agis.

Domus refugij.

Oratio quadraginta horarum.

Cicero

Circa peculiares Conciones aliquas. Cap. XXIII.

VLtimo loco quædam adijciam, quæ quamuis minutiora videri queant, non erunt tamen, nouis præsertim concionatoribus inutilia. In primis quadragesimæ concionibus habeat aliqua paulo diligentius selecta, quibus præstare studeat accuratius tria Christiani oratoris officia, & prudenter ad auditorum ingenium se accommodet. Solent enim curiosius initio audiri noui concionatores: deque ijs iudicium ab omnibus fertur in magnis ciuitatibus, præsertim ad quas, plures concionaturi conueniunt. Quod si tunc redoleant cõciones nostri oratoris Dei gloriam, & sanctum animarum zelum, ac ferueat ardor spiritus, optimum arbitretur se spiritualis ædificij iecisse fundamentum; Hortetur omnes ipso die cinerum, ad suscipiẽdum ieiunandi onus alacriter; nec necessarium est explicare singillatim omnes conscientiæ quæstiones, circa hoc qui nam teneantur hoc præcepto, qui excusentur. Illud denuntiare magis poterit, cauendum nè quod vesperi gustare permissum est, degeneret in paruam cœnam. Feria sexta cinerum diligenter habeat parata quæ ad conciliandos inimicorum animos valent. Est enim res magni momenti vt odia, & inimicitiæ, si quę sunt in loco tollantur, quod si aliquos sciat dissidentes, hortetur etiam viros nobiles pro suggestu vt libenter pacis ineundæ sint administri, quod est Angelorum munus. Nec esset inutile referre, quod alicubi ego ipse obseruaui Principio quadragesimæ, primarijs aliquot viris, publica magistratus authoritate demandatur, christianum hoc munus pacificandi dissidẽtes qui sunt in ciuitate, quorum mihi nomina, vt ex suggestu publicarem tradita sunt. Feria secunda post primam Dominicam, paratam habeat vtilem concionem de supremo iudicio, deque reddenda Deo ratione, Ea verò fructuosa dicenda est, quæ tãtum timoris ingeneret, vt absterreantur homines à peccatis. De confessione acturus non expectet extremam quadragesimę hebdomadam; ne populus minus in tẽpore edoceatur, & hinc sumat occasionem annuam confessionem differendi in illud tẽpus. Posset do ea tertia Dominica in qua Dæmonium mutum expellitur, commodè, priori saltem concionis parte tractare. Et verò confessio quid aliud est, quam muti Dæmonis eiectio? Quia verò non posset, eo die, quod vtile iudicauerit absoluere, quia etiam de historia Euangelica dicendum aliquid esset, po-

Initio Quadragesimæ.

Primo die Cinerum.

Feria sexta Cinerum.

Feria secunda Dominicę primæ.

De Confessione loquatur.

ſtero die vel alio, quæ placuerit addat, vt populus bene inſtruatur, maturèq; ſe comparet, & confeſſionis vſum tam facilem, tam efficacem, tam vtilem, libentiſſimis animis amplectatur.

Cõmunio ad Dominicam quartam.

Eadem Dominica tertia poſſet inuitare populum ad conuiuiũ Sacratiſſimæ Euchariſtiæ in ſequentem Dominicam, vt omnes nimirum quo die Chriſtus multiplicatis panibus multa hominum millia refecit, ad Sanctiſſimũ Chriſti corpus religioſè accedant. Audini multos hoc eodem die, de prouidentia Dei, verba facientes, quæ quidem materia grauis eſt, & vtilis eſſe poteſt, ſi ad mores accommodetur, exciteq; fiduciam in Deũ, vt alibi monuimus, ac explicet quam benigne Deus protegat ſuos, ſi autem ſcholaſticorum more tractetur, vti ab aliquibus fit differentibus, quid ſit prouidentia, an illi cuncta ſubiaceant, cæteraque id genus, non videtur neceſſaria neque vtilis tractatio. Si quis eo die priori ſaltẽ parte ageret de Sanctiſſimo Euchariſtiæ conuiuio, quod Chriſtus nouæ Eccleſiæ in deſerto huius noſtræ peregrinationis dedit, & oſtenderet quantus ex frequentatione, huius diuiniſſimi Sacramenti vt olim Eccleſiæ naſcentis exordio, ad nos fructus promanet, vtile quid certè proponeret ad excitandam in populo pietatem. Quod ſi vt fuſius ea de re ageret, poſtridie alia vellet addere, non eſſet molestus.

Dominica quinta Quadrageſimæ.

Dominica quinta quoſdam audiui ſerio, & fuſius diſputantes an Chriſtus peccare potuerit. Proculdubio valdè inutilis populo, hæc quæſtio eſt, qui de Chriſto Domino rectè ſentit certumque habet nullo modo peccare potuiſſe. Vtilius eſſet de peccati agere grauitate, quæ res non ſolum valdè fructuoſa cenſeri debet, ſed etiam apprime grauis. Feria quarta poſt quintam Dominicam, ſolet haberi concio à quibuſdam, de prædeſtinatione propter ea, quæ Dominus de ſuis, & non ſuis ouibus dicit, quę profectò materia haud facilè explicari ex ſuggeſtu cũ fructu poteſt, niſi quis putet, de prædeſtinatione agere, nihil eſſe aliud, quam docere eum, qui bene operatur ſaluandum, qui malè, damnandum, vt ego aliquando audiui. Hoc quidem fateor eſſe facillimum, & commodè explanari poſſe; at non eſſe hic nodum difficultatis, docti viri optimè intelligunt. Illud etiam ſcio, aliquos ex auditoribus poſt huiuſmodi diſputationem retuliſſe turbatam ſibi conſcientiam, facilè enim Dæmon ſumpta occaſione ſuggerit ea, quæ incautos homines & imperitos, in anguſtias, & periculoſas Syrtes impellant: quare, & ſi D. Auguſtinus aliquando docet quomodo hæc materia pro concione tractanda ſit, vtilius tamen diſſimulanda, & ipſis Theologo-

Materia de prædeſtinatione.

logorum scholis relinquenda videtur. Quinta Feria sequenti, quia legitur historia conuersionis mulieris, quæ erat in ciuitate peccatrix, adhibeat concionator eam diligentiam vt concio sit bene instructa ad commouendos eorum animos, qui in peccato viuunt; præsertim incontinentiæ, & earum mulierum, quæ prostitutæ turpem sui corporis quæstum faciunt. Nouimus aliquos concionatores eo die multas harum animarum è cœno libidinis, ad pœnitentiam reuocasse. Enim vero non exiguam vim habent, lachrymæ suspiria, ac gemitus Magdalenæ, maximam vero eiusdem preces, & vox Domini præparantis ceruos vel vt alia legit versio parere facientis ceruas. Pridie eius diei, Auditores oret si videbitur vtile, vt ipsorum opera intersint, huiusmodi fœminæ futuræ concioni, tum B. Magdalenæ, atque ipsius Dei opem imploret, vt verba cor penetrent, ne malo suo meritò fructus impediatur. Dominica palmarum audiui aliquos per totam concionem de Regno Christi, seu triumpho dicentes, disputando, de natura, & conditionibus regni eius, ex scriptura, & theologis, quæ quidem grauis quæstio est, sed nolim in speculationibus sermonẽ occupari, præsertim quod eo die, confluere ad concionem solet populus ferè vniuersus, qui instruendus potissimum moribus est, ac populari doctrina, qua ad virtutis amorem accendatur. Hoc autem semper obseruandum esse iudico, cum maior est populi frequentia, vt etiam sermo qui habetur, nimirum sit vulgi intelligentiæ accommodatior. Concio quæ de passione Domini habenda est commodè in duos si cui placet diuidi potest sermones, quorum alter feria quarta. Alter feria sexta habeatur; & in ipso paraſceues die, fiat diluculo, quod quidem tempus opportunius est, quam si fiat die Iouis vespere, quo per id tempus, diuina celebrantur officia, & per templa ciuitatis discurrunt vniuersi, ad Christũ in sepulchris adorandum. Sæpè etiam accidere solet, vt ad noctem absoluta concio, aliquid confusionis pariat, & incommodi. Modus autem tenendus, in hac concione, ad commouendos animos ad pietatem, est vt non omittatur historia, sed aliquæ eius partes adhibitis amplificationibus pijs proponantur, sit vox non coacta, sed sponte fusa, naturalis, & lenis, non cum vociferatione pronunciatio, non præceps locutio; sed æquabilis, & suauis. Finis verò huius concionis est, non indignationẽ in Iudæos (qua in re aliqui frustra laborant) sed excitare odiũ in peccatum; amorem, & commiserationem in patientẽ Deum Representationes quædam eo die fieri solitæ, debent multum

Feria quinta Dom. Quadragesimæ.

In Dominica palmarum.

Concio de passione Christi.

Digitized by Google

habere grauitatis, ac decori pro rei de qua agitur dignitate. Post exordium opportunè ostenditur crux & adoratur, & in ipsa peroratione effigies Christi Crucifixi. Alia nonnullis addere placuit quæ mihi nec laudare in animo est, nec omnino vituperare, Videndum est nè risus pro lachrimis excitetur: cui bene succedit res, si cum grauitate ac pietate omnia faciat, & cum fructu, ac animarum conuersione, non video cur magnopere sit prohibendus. Ipso die sancto Paschatis, abstinendum est à ridiculis quibusdam facetijs, & somniantium deliramentis, quæ leuissimi quidam concionatores induxerunt contra loci, & Euangelij maiestatem. Ferijs autem paschalibus hortetur populum concionator, vt reliquo anni tempore concionibus, si quæ fuerint interfit, & si vitam omnem sine vlla peccati labe traducere optet, Sacramenta Confessionis, & communionis frequenter adhibeat. Tertiò post pascha die, commodum erit populum inuitare ad Sanctissimæ Eucharistiæ perceptionem denuo repetendam sequente Dominica, quæ celebritas solennior esset, si ipsemet Antistes rem diuinam publicè faceret, & vniuerso populo Sanctissimum Christi corpus porrigeret, eodemq; die haberi Concio posset.

In festis Paschalibus.

Absolutis omnibus quadragesimæ concionibus si concionator sit discessurus, animaduertat, an ad perficiendum aliquod pium opus inceptum, vel adiuuandos aliquos qui se in hunc finem adierint, desideretur ipsius opera. Quod si ita est perficiat, quæ necessaria videbuntur antequam discedat. Hæc circa conciones quadragesimæ occurrebant. Facilè est inuentis addere. Meliora ipsis concionatoribus in mentem venient. Mihi animus fuit sapientibus quasi digito commostrare viam, vt eam alacriter ingressi, videant multa, quæ ipse non vidi. Idem planè dixerim de tota concionandi prudentia, atque adeo de concione, & concionatoris persona totoque hoc diuino munere, quod si quid in hoc opere bene dictum est, meum non est. Quæcunque vero alicui videbuntur ad rem non facere, vel melius dici debuisse, illa mihi adscribat. Ego tria hæc minuta in Domini Gazofilacium reposui, non mea voluntate, sed meorum superiorum iussu. Vtinam sit aliquid, quod in nominis Iesu gloriam in Concionatorum vtilitatem, & Ecclesiæ Christianæ beneficium cedat.

SYNO-

Digitized by Google

SYNOPSIS EARVM RERVM
Quæ ad Oratoris Christiani rectam institutionem faciunt.

VT Orator noster, vnica velut in Tabula ante oculos habeat præcipua earum rerum capita, quæ ad totam huius nostræ institutionis seriem, ac praxim pertinent, placuit Synopsim hanc addere, vt quæ sparsim toto hoc opere diffusa sunt, vnum in locum collecta, vno contuitu, manifesta perspectaque fiant, vt statim, qui voluerit quid persequendum quidvè sit fugiendum, intelligat, Eruntque hæ nostræ propositiones, veluti medicorum Aphorismi, aut Mathematicorum axiomata, quibus tota hæc concionandi facultas comprehenditur.

Circa personam Oratoris.

PRimò, Orator Christianus, ex suo munere, Instrumentum est Dei, per diuini verbi ministerium, gloriæ Dei, & gratiæ Christi illustrandæ, animarumq; saluti curandæ, ac diuinæ legi disseminandæ destinatum, quare totis ei viribus enitendum est, vt tanto muneri pro rei dignitate respondeat. Prima pars.

2. Multa eaque grauia, & difficilia in hoc officio, strenuè ac ritè præstando, necessaria sunt, quæ non sit facilè in omnibus reperiri, quare serio quisque secum dispiciat, an tantum in bonis habeat, vt pro Christo hac legatione, benè rectèq; fungatur.

3. Ante omnia, necessaria est diuina vocatio, cuius aliqua signa & coniecturas non est difficilè inuestigare: Veruntamen, cum tanti periculi, & momenti negotium sit, quo certius de vera sinceraque vocatione constet, non vltro currendum est, sed tota res legitimorum præsidum arbitrio permittenda est.

4. Qui autem ad animarum curam sunt vocati, illiq; oneri se subiecerunt, etiam prædicandi officio, humeros se subiecisse intelligant, pastoris enim est pascere, ac verbum diuinum Christi gregis est pabulum: quare animarum curatores per se ipsos vel perfungi munere tenentur, vel, legitimè impediti, administros idoneos prouidere.

5. Qui legitimæ vocationis habet signa, & superiorum

est

est authoritate prouectus ad cathedram; accedat promptus, ne accepti, & absconditi talenti reus fiat. Quoties vero occasiones exercendi sui muneris offeruntur, grato arripiat, fortique animo exequatur.

6. Volens libensque, non magnarum modo vrbium suggestus excipiat, sed & ad pagos & castella, Christum imitatus accedat, confidens se in his locis cum pari, aut etiam maiori Dei gloria, & animarum lucro, operam suam collocaturum.

7. Illud apud se omnino statuat, & iudicet, nunquam se verum, ac dignum, in Ecclesia Dei oratorē futurum, nisi optimis moribus, & Christianarum virtutum splendore illustretur, cum nec orator politicus, apud ethnicos rhetores habitus sit, nisi idem vir bonus esset.

8. Erga Deum ita se gerat, vt primum intentio, in eius gloriam recta tendat eique soli placere studeat, atque ad hunc ipsum finem studia omnia, omnesq; labores conuertat.

9. Dei, & Christi amore ferueat ipse primum, si eandem in aliorum cordibus accendere cupit. Et Paulum imitatus, Christum semper in mente, & corde, semper in ore habeat, si eundem in alijs velit ingenerare, legatus Christi est, causam Christi agat, præclare is legatione sui principis fungitur, cui princeps, & eius causa cordi est.

10. In oratione sit assiduus, quia prædicationis opus ex cōtemplatione nasci debet, nec vnquam ab oratione, verbū Dei separet, sed illud apostolicum teneat axioma, & crebro animo verset; Nos autem orationi, & verbo Dei instantes erimus.

11. Et quoniam suboriri multæ grauesq; in hoc munere difficultates solent, & in ipsos concionatores procellæ excitantur ad eas fortiter tolerandas, ac superandas animum obfirmet, itaut nunquam fiduciam in Deum, tanquam singulare scutum ab se abijciat.

12. In proximos tanquam fratres charissimos, & amantissimos, summa charitate feratur, imò induat matris, in filios affectum, cum tanto zelo salutis eorum, vt non modo sua pro illis, sed se ipsum etiam, libenter ad mortem, vsque impendere sit paratus.

13. Quia verò sincera cordis humilitas, non solum contra omnem arrogantiæ vanitatem munimentum præbet, sed etiam ipsi, apud omnes magnam conciliat gratiam, & authoritatem eam prædicator semper, tum in suggestu, tum extra illum integerrimam conseruet.

Pauper-

14. Paupertatem quoque apostolicam, ad Christi exemplum, maximè Christi legata cõuenire intelligat, vt possit cum Paulo verè illud repetere, Non vestra, sed vos quærimus, & habentes victum, & vestitum, his contenti sumus.

15. Tanquam certissimum apud se principium, statuat, exempla vitæ bonum, & sanctitatis opinionem, plus apud omnes valere, quam verba seu doctrinam. Quo circa curet omnino tum domi, tũ foris, vt quos verbo hortatur, ducat exẽplo.

16. Denique hac in parte, regulas quas Christus Dominus apostolis, cæterisq; verbi Dei præconibus assignauit, studiosè perlegat, diligenter obseruet, intelligatq; pro Christo legatione fungenti, quam Christus met, legatis suis præscripsit normam, sequendam esse.

17. Non solum vitæ sanctimonia, sed scientia quoque illustris esse debet qui alios docendi munus assumit, Alioqui claudicare necesse est prædicationem, in qua qui doctorem agit, doctrina indiget.

18. In scientia concionatoris, primũ habeat locum sacrarum scripturarum peritia, ad quas toto pectore perlegendas, & intelligendas, meditandasq; versandas intentus sit, vt sibi primũ ea lectione, deinde aliis prosit. Ideirco, boni triturãmi os alligari nõ debet, vt qũ alijs fruges terit, interim ipse pascatur.

19. Cures autẽ scripturarum sacrarum historicum sensum ex ipsis vocibus, ex linguæ proprietatibus, & idiotismis, ex adiunctis, perfectè assequi semper Sanctorum Patrum vestigijs atque interpretationibus inhærendo.

20. In studijs, & cogitatione Scholasticæ theologiæ, sit satis mediocriter versatus vt expedite, ac sine vllo erroris periculo, cum locus poscit, fidei dogmata, cæteraq; ad docendum vtilia tractet.

21. In sanctorum patrum lectione, sit assiduus, & non solum res, sed spiritũ quoque ex eis hauriat, eorumq; sententijs, & apophtegmatibus splendeat concio, sicut stellis cœlum.

22. Præterea etiam sacrorum canonum, & Catechismi, & controuersiarum, quæ cum hæreticis agitantur linguarumq; tũ Græcæ, & Hebraicæ, & liberalium artium, atque historiarum, & rerum ciuilium notitia, curet ne penitus destitutus sit.

23. Ad facundiam etiam comparandam, quæ Christiano oratore digna sit animum adijciat, ad quam pollis idoneo naturæ dotibus, etiam artis oratoriæ præcepta prodesse poterunt, bonarum concionum lectio. Illustrium ac spiritualium

orato-

oratorum auditio, prudens imitatio, rerum dicendarum præmeditatio, & accurata, sed non affectata scriptio.

24. In priuatis declamationibus sit exercitatus, antequam in publicum descendat, habeatque virum aliquem prudentem, atque peritum, à quo dirigatur; Nec solum tyro, sed etiam veteranus magnifaciat, aliquem concionibus suis adesse; à quo amicè obseruetur moneaturque; Verè enim dicitur, plus videre oculi quam oculus.

25. In prædicatione perfectissimum sacræ eloquentiæ virtutumque omnium exemplar ad imitandum sibi D. Paulũ proponat, eo protectore gaudeat, epistolarum eius sacra misteria scrutetur, & in suis concionibus tanquam prætiosos thesauros afferat. Præterea ex sanctis patribus aliquem, vel aliquos sibi patronos, pro sua quisque deuotione asciscat.

Circa ipsam Orationem.

26 AD opus inde ipsum accedat, quod est ipsa concio. Sed illud primo loco apud se statuat etiam eloquentiam sacris concionibus perutilem fore, non illam futilem, & corruptam, sed sapientem, ac seriam, ea est quæ ad meliorem frugem, homines adducit, quæ auditorem quo est opus impellit, Denique in qua rebus verba, ac sententijs optimè seruiunt easque vt ancillæ dominas sequuntur. Eloquentia.

27. Christiani oratoris Eloquentia, pro ratione personæ quam sustinet, & rerum maiestate quas tractat, grauitatem quandam redolere debet, quare superfluum ornatum, & floridum quoddam dicendi genus, & luxuriantem verborum copiam, atque omnem leuitatis suspicionem fugiat.

Finis. 28. Hoc autem tanquam certissimo, principio totius operis posito intelligat huius facultatis finem, in persuasione consistere, proinde in singulis concionibus, certum sibi scopũ præfigat & quidnam sit, quod persuadendũ aggreditur, prænoscat, Ad quod, idoneam in primis materiam seligat, & in ea certum aliquid quod, animis auditorum imprimat, tenere curet:

29. Ordo item totius concionis & partes, & argumenta, & modus eloquutionis ad præfixum scopum, tota dictio, tota actio, & omnis industria tendat.

Officia. 30. Ad hunc finem persuasionis assequendum; Tria oratoris officia referenda sunt, vt Auditoris mens primò bene doceatur; Deinde voluntas quæ sequitur intelligentiam impellatur.

Digitized by Google

tur. Delectatio vero non per ſeſe quærenda eſt, ſed ad hoc, vt auditor libenter attendat, & doceri mouerique ſe ſinat.

31. Ea laudatur eloquentia, quæ ſapientem grauiter oblectet, præclarior eſt doctrina, quæ rudes erudiat, ei tamen perfecti Oratoris palma debetur, quæ flectit quo velit, auditorum animos. Hic tu inſiſte, ſi te virtutis amor, & Dei viget gloria.

32. Cum materiam ſibi ampliſſimam ad prædicandum aſſignatam habeat, omnia quæ ad viam Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam ſpectant, In his ſciat ſuas eſſe partes, falſa dogmata, cunctaq; vitia exterminare, ad omnium virtutum actiones promouere, ac homines perficere, Idque varijs concionum generibus, docendo, laudando, conſolando inſtituendo, corripiendo, hortando, ſuadendo, prout auditorum apud quos agit ſtatus, requiret, qui erit diligenter conſiderandus. **Materia.**

33. In omni concione ſciat ſe debere, verbum Dei, quod ex ſcripturis ſumet, prædicare, maximèque ea tractare, quæ mores inſtruunt, & diuinorum mandatorum continent obſeruationem, ac peccatorum pœnitentiam, quare ad id præſtandum ea ſeliget, quæ populari concioni, & faciliora, & vtiliora, & certiora ſint.

34. Ad ea quæ affert corroboranda, efficacibus vtetur argumentis, qua propter locos tum topicos, tum Theologicos communes, tum eos qui ſingulis cauſarum generibus peculiares ſunt familiares habebit, & ad manum paratas. **Loci argumentorum.**

35. Eos locos verò, peculiari ſtudio conſulet, qui ad Chriſtum eiuſque prædicanda miſteria pertinent, Vnde variam argumentorum ſupellectilem promat, quibus Chriſtum, eiuſque amorem omnium animis inſerat, & Chriſtianos mores, ac nobilitatem prædicet, vt ſuam dignitatem populus Chriſtianus, ſuasq; ſpes intelligens, & dona ſibi à Deo collata, conuenienter tali profeſſioni vitam inſtituat.

36. Diuinæ ſcripturæ teſtimonia accuratè verſet, fideliter afferat, cum maieſtate, & energia proferat, induat eorundem ſpiritum, ex rebus & verbis vim faciat, vrgeat, obſecret, arguat, increpet, Vſurpet frequentiſſimè hiſtoricos ſenſus, allegoricos verò parcius, & adhibita prudentia. **Scriptura.**

37. Vtatur ſuo loco argumẽtationibus varijs, Afferat optima ſimilia, exempla, ſententias graues ac ſelectas: adhibeat ad excitandos motus, validiores amplificationes.

38. In affectibus mouendis ſit exercitatus, quod facilè aſſequetur, ſi eoſdem ipſe induat in ſe, ſeque commoueat ſi fa-

eorum librorum sententias, & verba penetret atque examinet si orationi, & meditationibus sit addictus.

39. Intelligat moratam orationem, plurimam sibi fidem, apud auditores conciliaturam, cui rei concepta de oratoris virtute bona opinio, prodest plurimum, quam conseruabit si verè, & cum simplicitate, eius conciones, & Diui Pauli & sanctorum, sanctitatis, ac virtutum odorem spirent.

40. Etiam aptam reddet orationem, & persuasibilem, si omnium ætatum, conditionum, ac statuum moribus, ita fuerit accommodata, vt omnium mores, & ingenia, quantum fieri potest, conuertat in bonum, & prudenter cum Paulo, omnibus omnia fiat, vt omnes lucrifaciat. Præterea si suæ personæ, si loci, ac temporis, denique si materiæ quam tractat rationem habeat.

Dispositio. 41. Post rerum Inuentionem, in earum Dispositione, ac taxi, adhibenda est diligentia, prout causæ genus varium, & Euãgelicæ historiæ narratio postulabit.

42. Quæ dicenda sunt, ad aliquot summa capita, & pauca sibi inuicem coherentia, referat, eaque initio concionis, per breuem dicendorum propositionem, aut partitionem significet, tam dilucide vt ab omnibus facillimè percipiatur, quid sit omnino tractandum.

43. Omnes orationis partes, suum retineant decorum. Exordium grauitatis, ac simplicitatis plurimum habeat Narratio sit breuis, dilucida, suauis, præsertim, veritate nitatur.

44. Confirmet sua efficaciter, & contraria neruosè ac modestè confutet, Digressionibus, vbi est opus vtatur, sed breuibus, Peroratio per cohortationem commodè fiet, excitando affectus vt à concione discedat auditor commotus, & sibi ipsi benè consulens.

45. In Triplici genere dicendi sit bene versatus, vt & grauiter agat, & moderatè ac summisse, prout opus erit. Ipsa eloquutio, sit secundum idioma rectè loquentium, emendata, proprietatem puri sermonis ac diluciditatem, vimque amet, potius quam flores.

46. Compositio non sit valdè compta, aut poetarum more numeris astricta, sed grauis, & Ecclesiasticus stylus, in quo res magis quam verba emineant, sitque aptus, & decorum vbique seruet.

47. Si opportunè figuris sententiarum, ac verborum vtetur, efficacem, ac viuam reddet orationem, & ad animorum motus

motus accommodatam, quod maximè descriptiones facient graues, ac seriæ, rerum vtilium, quæ non tam auribus quam oculis, rem totam subijciant.

48. Memoriæ, facilius, quæ dicturus est commendabit, si methodus rebus adsit si ipsemet sibi, signa quæpiam formet, ac notet, si assiduè præsertim matutino tempore memoriam excolat.

49. Curam habeat bonæ actionis, quæ meritò altera dicitur eloquentia. Vtatur voce clara, equabili, varia pro rerum quas dicit natura, familiari præsertim, ac suæ naturæ, corporisque constitutioni accommodata.

50. In gestibus, rerum sententiarumq; naturam sequatur, gaudeat moderata grauitate, ac naturali decoro, sit vultus serenus, & ita se componat, qualem decet eum, cuius sicut vita ita tota actio debet esse composita.

Circa Prudentiam, & Indefessam consuetudinem.

51 IN suo munere Prudentiam maximè necessariam esse, omnino sibi persuadeat. Quare primum, naturæ suæ dotes, atque ingenium, perfectè agnoscat, & sese secundum eas, moderetur vt seipsum reprimat, si natura sit vehementis; vrgeat, si timidæ, & in omnibus nihil supra vires audeat. Tertia pars.

52. Ad suorum auditorum captum descendat, ac locorum porique seruiat. Zelus sit secundum scientiam, & ad rectæ prudentiæ normam regatur. Quæcunque dicturus est, antea præmeditetur.

53. Ita omnia dicat vt nullam prorsus ex eius verbis, populus ad vitam liberiorem sectandam, occasionem capiat. Omittat multas opiniones etiam veras, aut quæstiones, quæ ad vtilitatem multitudinis aut parum, aut nihil conducunt.

54. Prudentis est Oratoris, de se suisque rebus, raro admodum, seu potius nunquam loqui, sed ita se gerere, vt auditor dicentis personam, nunquam intendat, sed ad Deum eiusque verba totum sese conuertat.

55. Debet etiam in suggestu humilitatem, patientiam, mansuetudinem, tolerantiam significare; Tunc vero maximè, cum aliquid contra se aut dictum aut factum nouerit, hoc enim eum auditoribus, valde amabilem ac venerabilem reddet.

56. Feruor spiritus & dicendi, quidam ardor, videtur ipsius

sius concionis anima, quem tanquam ignem fouere ac nutrire oportet, precibus, aliqua corporis castigatione, librorum spiritualium, lectione ac meditationibus.

57. Optimum est in ipso orationis cursu attentionem aliquando renouare, interpellando, monendo, interrogando, dictione item varia, distincta, ad viuum res exprimente, actione seria, efficaci, etiam breuitate concionis, ne fatigentur audiendo aures, & animi molestia.

58. Libertas in dicente appareat, quæ omnem vanæ timiditatis suspicionem excludat, vbi Dei gloria quæritur, Christi causa agitur, animarum lucrum intenditur, modo ne sit audax, & extra fines modestiæ sed cum ea mensura, quæ prudentiæ, charitati, humilitatique sit consentanea.

59. Tunc fructuosè boni concionatoris industria collocatur, cum à thesi ad hypothesim transit cum quod agendum sit, & quomodo, in specie auditor discit, ita vt quæ audit, aptare sibi, memoriaque tenere, meditatione animare, & concoquere, demum opere ipso perficere possit.

60. Qui in rusticorum pagis concibones habet, ea tractet, quæ illi planè, ac facilè intelligant, & eo modo quo eis maximè profutura cognoscet, maximè quæ ad præceptorum obseruationem & peccatorum pœnitentiam, & correctionem, valent.

61. Qui verò in aulis principum, hoc munus exercet raro inter aulicos commoretur, nisi de spirituali, animæ negotio agatur. Videat ne quid auticum, ex consuetudine curiæ, sibi adhereat. In concionando ita se gerat, vt neque aduletur, neque imprudenter arguat. Et in omnibus se prudentem, amabilem, ac zelantem exhibeat.

62. Curet diligens concionator, pro vario status ratione, omnes secundum Deum rectè instituere habeatq; paratam rerum syluam, ex qua, accommodata, singulis hominum generibus argumenta depromat.

63. Eos qui de eligendo adhuc statu cogitant, ad bonam electionem, secundum Dei voluntatem faciendam salutaribus monitis instruat.

64. Omnia peccatorum genera, omnes abusus, & peccati occasiones, acriter insectetur, acrius verò in eos inueharur, qui peccandi consuetudinem contraxerunt, vel in desperationis, ac impenitentiæ barathrum dilapsi sunt, vel etiam vsque ad cordis duritiem peruenerunt, in quorum morbis, licet

grauis-

grauissimis non cesset, vt peritus Medicus, opportunè, importunè remedia adhibere.

65. Habeat contra peccati grauitatem, copiosam segetem, locorum, & argumentorum, quibus frequenter in ipsius peccati odium ac detestationem omnium animos accendat, & ab eis cauendis diligenter præmuniat.

66. Pœnitentiam peccatorum tanquam singulare antidotum frequens in ore habeat, actusq; quibus ad eam animus præparatur explicet, Confessionis vsum assiduum omnibus modis inculcet.

67. In peccatis etiam, & peccatoribus arguendis, prudentem solertiam, solertemq; adhibeat diligentiam: & ita in ipsa vitia feratur oratio, vt neminem pungat, neminem feriat, neminem exulceret, sed omnes potius sanet, ad exemplum boni Samaritani, qui in vulnera, oleum, vinumq; infudit, quod est charitatem patris, ac zelum in filios exhibere.

68. In Superiorum peccatis, & Ecclesiasticorum virorum arguendis, eam adhibere oportebit dexteritatem, vt apud populos, nihil de eorum existimatione, ac reuerentia deperdatur.

69. Caueat ab omni adulationis, vel minima suspicione, veritatem, vbi & quando est opus, cum omni sinceritate proferat, potius in seueriorem partem, quam in laxiorem inclinet, sanctorum virorum exempla sequutus.

70. In via illuminatiua ad progressum, in virtutibus omnes promoueat, ad Christi imitationem, & mysteriorum eius contemplationem, hortetur, & ad deuotionem, vt etiam à peccatis venialibus abstineant, quantum fieri potest, corporisq; vitium, ab se procul ablegent.

71. In via Vnitiua, de statu perfectionis, & Religiosorum qui Euangelica sequuntur consilia, eorumq; felici tranquillitate, nonnumquam agat, qui renuntiantes mundo, totos se Deo dedunt.

72. Omnes verò ad Deum toto corde super omnia diligendum, & ad fraternam inter se consensionem sectandam inducat, in quibus legis diuinæ & Euangelicæ plenitudo consistit.

73. In quærenda proximorum salute, præsertim in missionibus prudentis est varias excogitare atque adhibere industrias, inter quas illæ primum habere locum debent, quæ circa suam personam ponuntur, vt ipse scilicet vetere homi-

ne exuto, nouum induat, qui secundum Deum creatus est, si velit in alijs idem præstare, quare omnes vani timoris ac pusillanimis spiritus angustias omnes amoris proprij animales affectus, omnes denique corporis inordinatas concupiscentias, per veram mortificationem ab se abijciat necesse est.

74. Deinde eam industriam ac prudentiam teneat, vt intelligat planè, quibus operibus pijs ei magis sit insistendum, quæ ad maiorem Dei gloriam spectent, & cum quibus personis potius atque diutius, ad maiorem fructum colligendum ei agendum sit: In eumdem finem, ea media seligat, quæ plus efficaciæ sint habitura, in quibus curet eorum cum quibus agit beneuolentiam captare, & sui apud omnes bonam existimationem conseruare, quod quibus modis perficere valeat, diligenti studio inuestigare debet, & à nobis suo loco tangitur.

75. Magno pietatis affectu ad pauperum miserias sublenandas feratur dignissimum opus, & Prædicatoris muneri annexum, non tam in ipsorum inopum beneficium, quam in eorum qui eleemosynas conferunt emolumentum.

76. Habeat præter eas materias, quæ communiter in concionibus tractari solent, collecta multa præcepta, consilia, monita, quæ ad vsum vitæ spiritualis & praxim pertinent, quibus auditores quomodo erga Deum, quisque se gerat, erga se, & proximos instruat, eaq; in concionibus crebro interserat.

77. Ad concionem parandam ea industria optima est, vt principium à Deo sumatur, per sui examen ac preces, quibus fructuosam à Deo impetret concionem, deinde materiæ habeat delectum. Ex bonis auctoribus rerum syluam colligat, quam secum vt mundum animal meditando ruminet. Inuenta rectè disponat, & disposita graui eloquutione scribat, vel capita rerum notet. Eadem rursus attentè dispiciat, dijudicet, corrigat, addendoq; vel detrahendo, aut immutando perpoliat.

78. Habiturus concionem, pridie ad deuotionem se paret, etiam per aliquam sui corporis castigationem. In sacrificio Missæ, alijsq; precibus, negotium Dei Deo commendet.

79. Accedens ad pulpitum, rectam intentionem, ac zelum renouet, grauitatem cum simplicitate coram omnibus præ-

Digitized by Google

præseferat, modestiam ac serenitatem vultus retineat.

80. In concionando sit feruens, vtatur voce familiari, cum libertate, considerate loquatur vt verba non proijciat, sed ponat. Absoluta concione Deo suum laborem offerat, petat pro erratis veniam. Si quid bene factum est, Deo auctori agat gratias.

81. Habiturus conciones quotidianas per totam Quadragesimam, ante ipsum tempus, per aliquot dies spiritualium exercitiorum, commentationibus, ad futurum prælium animum exacuat, sincerissimum rectæ intentionis finem coram Deo ad animarum fructum exsuscitet.

82. Deinde præter conciones, quas bene paratas ad fructum colligendum, habere debet, operam det vt bono sanctitatis exemplo, omnes ædificet, ad eaq; prædicanda cum feruore animum applicet, quæ hominibus loci vbi concionatur ad mores aptiora, & vtiliora salutis futura intelliget.

CENSVRA EARVM RERVM quæ in Oratore reprehensione dignæ sunt & corrigendæ.

SVbijciemus etiam breuem quasi indicem earum rerum, in quibus contra dignitatem sui muneris peccatur à quibusdam Concionatoribus, vt habeant præ oculis, velut in speculo quæ corrigant ipsimet, nisi malint à Deo corripi, vel etiam à rudioribus, atque ipsis mulierculis, vt sæpè contingit irrideri.

1. Peccant primo, qui ad concionandi munus non vocati sese ingerunt, præsertim si in seipsis signa vocationis non aduertunt, nec ij sint, quos tanti officij dignitas expoſcit; sed ambitioso quodam docendi pruritu, seu lucri temporalis cupiditate, cathedræ locum, Doctorisq; nomen auidius consectantur, quomodo ibunt, ait D. Paulus, nisi mittantur? Hos certè non mittit Deus pauperum, & humilium amator.

2. Qui innumera quæ in hoc obeundo munere pericula imminent cogitare detrectant, quò vel planè abstineant, vel cautè aggrediantur, ne illud eis aliquando obijciatur, In verbis tuis captus es.

3. Qui animarum curam gerentes, nec ipsi gregem suum pascunt, & eos Concionatores eligunt, qui curiosis rebus, & humanæ eloquentiæ magis, quam Christianis moribus reformandis insistunt.

4. Qui ante maturam ætatem, nisi ex occasione à Superioribus mittantur, hoc sibi docendi munus assumunt, quod Christus non ante trigesimum annum vsurpauit; sufficeret discipulo si sit sicut Magister eius.

5. Qui à Deo vocati, ac diuino beneficio idonei, & per Superiores electi, munus hoc concionandi, vel laboris, vel nõ placendi metu detrectant, vel eo prætextu, vt suæ saluti vacent. Videant ne dum alienam salutem negligunt, de sua periclitentur.

6. Qui magnarũ vrbium suggestus ambiunt, & paruorum oppidorum ac pagorum loca, & homines non libenter adeunt, vel ob nominis sui famam, vel ob maiora vitæ commoda. Non tua quærenda tibi sunt, sed Christi, Christi autem est pau-

Digitized by Google

est pauperi & diues, tanidem emptus? Pro vnoque mortuus est Christus, vt neuter moreretur. Non est acceptio personarum apud Deum, cur sit apud te?

7. Qui vita & moribus, ac malo exemplo expungunt, quæ verbis docent, vt possint eis merito illud obijci, Cur ergo non facis quæ ipse dicis? aut Medice cura teipsum.

8. Qui Dei gloriam, animarumq; fructum non sincere quærunt, sed sese magnificè prædicari gaudent, inanis gloriæ cupidiores. Qui ex his est, cælesti alios pane pascit, seipsum fumo, si fumus pascit.

9. Qui prædicationi ita vacant, vt ea non ex contemplatione, aut meditatione manet, sed solum ex humano studio atque industria, vt Oratoribus Ethnicis mos erat. Atqui hoc eruenda ex humo, sed è cælo petenda cælestis, diuinaq; doctrina est.

10. Qui in difficultatibus facile animum despondent, & à constantia in rebus arduis dimouentur, vt cœptum in Dei gloriam non perficiant opus. Ergone seminare desinet agricola, vel messem colligere, quod pruinam vel æstum timeat?

11. Qui non vruntur sancto zelo animaduertentes tot, tantasq; in Deum illatas iniurias, & tantam animarum iacturam, quæ male pereunt, sed videntur contenti si dicendo horam expleuerint. Gladio veteris, dum verbum Dei loqueris, pugnandum est acriter in vitia, non frustra ornandum latus.

12. Qui seipsos, & sua magnifice prædicant, alijsq; præferri ambiunt, & salutationes in foro, domiq; amant, & primos acubitus, & more Phariseorum vocari ab hominibus Rabbi, digitoq; vt ait Poeta, monstrari, dedicier, hic est.

13. Qui in victu, vestitu, viatico, Apostolicum respuere videntur paupertatem, supellectilem copiosiorem conquirũt, ita vt non alijs ad spirituale lucrum, sed sibimet ad terrena commoda studeant, quos non abs re Deus per Prophetam pastores vocauit, qui seipsos non Christi gregem pascunt.

14. Qui colloquijs secularium, eorumq; consuetudine delectantur aulicorum more, & ipsorum negotijs se immiscent, quæ ad animæ salutem non faciunt; qui eorum conuiuijs libenter accumbunt, qui non silentij, ac secessus amatores sunt, sed scurrilibus ac ludicris rebus gaudent.

15. Qui sacrarum Scripturarum lectioni non admodum student, nec modum ac regulas ad eas intelligendas obser-

tant, neque earum meditationi vacant, vt eas sibi familiares reddant: planè diuinum verbum quonam alio Concionator petet ex fonte? & quid proderit hausisse, si turbidam hauriat?

16. Qui sacros libros ita legunt, vt non se, suosq; mores instruant, sed eo vel solum, vel maximè titulo, vt alios docere possint, eaq; re doctorum Concionatorum famam aucupentur. Caue ne dum alios docere vis, tibi noceas.

17. Qui facultatis Theologicæ studio modicam adhibuere curam, eiusq; vix mediocriter quæstiones attigerunt, & tamen eas publicè disputare non sine periculo audent. Hi facilè temeritatis pœnas luunt, sæpè enim contemptui sunt prudentibus, sæpè etiam recantare coguntur.

18. Qui sanctorum Patrum volumina non euoluunt, sed fontibus omissis riuulos consectantur, & in exscribendis, ac recitandis aliorum Concionibus toti sunt, eis præsertim quæ magis vanitatem sapiunt, minus Dei spiritum redolent. Doctores ac patres vocat Ecclesia, quorum audiri doctrinam & disciplinam cupit.

19. Qui in suis Concionibus vix vnquam ea solent attingere, quæ ad Fidei dogmata, Dei præcepta, & Catechismum pertinent, potius Philosophicis ac profanis historijs inherentes; Ite, ait, Christus Apostolis, prædicate Euangelium, non Aristotelis philosophiam, Ethnicorum historias, Poetarum cantilenas.

20. Qui eos Concionatores ad imitandum sibi proponũt, qui facundia magis populari, quam Ecclesiastica pollent sapientia, & in ijs quos audiunt, vel ea imitantur quæ vitia sunt apud prudentes, vel suæ naturæ minus idonea. Mutare imitando naturam vix poteris, perficere poteris si perfectum, tibiq; accommodatum imiteris exemplar.

21. Qui Conciones nimis artificiosè componunt, & suis numeris periodos rotundant, easq; vt scripserunt frigidè ac pueriliter recitant, ijsdem penè verbis addicti. In auribus consistit oratio, quæ manat ex ore: erumpat è pectore, vt descendat in pectora.

22. Qui antequam in publicum exeant, priuatis se declamationibus non exercuerunt, prudentes inter amicos, quorum satius est monitis instrui, quam postea Zoilorum ludibrijs irrideri. Vmbratilem ne despicias pugnam, antequam in solẽ, ac puluerem prodeas; nam in acie discere, serum plerumq; est.

23. Qui

23. Qui Christum, cuius partes agunt, non multum in corde, aut in ore habent, neque eius in nos amorem, ac beneficia, seu mysteria & sacramenta crebro populis prædicant, cum ad alia potius sint intenti. Quid absurdius quam Christi proficeri legatum, & Christum pene obliuisci?

In ipso opere multis modis peccatur.

24. Quidam corruptam sequuntur eloquentiam. Ea est quæ delectandis auribus, non componendis moribus seruit, quæ animum auditoris ab rerum consideratione distrahit ad ornatum verborum, speciosa floribus, vacua fructibus. Quæso te quam vim ea exercebit oratio? hortari si concinnus velis ad virtutem, auertentur animi ab ardua virtutis specie, & inani ad se voluptate verborum ornatus trahet: pluribus intentus minor est ad singula sensus.

25. Vitium & plane maximum est, cum in concione nullum sibi certum scopum, in quem ad persuadendum omnia dirigat, Orator proponit, adeò vt post absolutam etiam concionem, nesciat auditor, quidnam persuadere illi voluerit, licet multa rerum supellectilis ac copia orationem locupletarit, fore nec ipsemet Orator sciat.

26. Haud absimilis culpæ reus, qui priore concionis parte, altiora subtilius persequitur, pauca quædam ad instituendos mores, in posteriore adijcit, & ea languidè ac ieiunè; planè ieiunum sibi pectus esse, cælestis sacrum succo docet. Ieiunus abibit auditor, sed tui muneris memor sis, animos pascendos, non aures demulcendas.

27. Deterior est eorum causa, qui toti sunt in eo, vt congesto eruditionum, vel etiam argumentorum aceruo, thesim aliquam doctè, ornatèq; explicent, ac confirment, præterea aut parum, aut nihil. Declamasne Ethnicus sophista ad pompam in ostentorum corona, an Christi legationem exponis ad eos, quorum agitur de æternitate negotium? quid respondebis? vel nomen mutes, vel mores.

28. Peccat etiam qui tempus concionis in qua grauem aliquam afferre deberet doctrinam, friuolis, ac leuioribus argumentis terit, vel subtiles nimium quæstiones disceptat, seu scholastico more tractat & obscure. Doce non abnuo, sed quæ fieri deceat, non quæ scire tantum delectet, suus est Theologicis locus, hic tuam sustine personam.

29. Et qui vt delectet, facetias, & ridicula more histrionis in scæna miscet, aut descriptionibus rerum inutilium, concionem studet exhilarare. Qui circulatorem agit, forum quærat; veniam lacrymis imploramus in templo, non risu quærimus hilaritatem. Sic fermè habeto dum ridet concio, & diabolus ridet, & Deus sæpè irridetur.

30. Et qui non laborat, vt auditoris animum cõmoueat, neque adhibet quæ ad motus animorum excitandos valere possunt, sed sine spiritu ac feruore agens, frigidam, sicuti venerat, concionem dimittit.

31. Controuersa quid agitas in concione subtilis disputatur? si iudex esse vis, vide ne tibi nimium arroges, si iudicem quæris, vix inter mulieres & communem populum inuenies, & hos maximè auditores habes.

32. Scripturæ sacræ testimonia secundum nouos sensus afferre, omissa antiquorum Patrum auctoritate, vix tutum arbitror. Noua, inquies, placent; fateor, sed placent sæpè etiam venena: & ignoti cibi dulcedo eo pronius imperitos fallit. Nec tu rerum tuarum sis iudex. Quod si probata fuerint sapientibus quæ profers, vix noua dixerim.

33. Multa ex sacris literis afferre loca, & explicare paucissima, videtur potius dicentis ostentatio, quam dictorum confirmatio. Vide ne dum tuam vis venditare memoriam, confundas alienam.

34. Esse nimium in allegorijs, præsertim cum proprio ingenio cuduntur, non caret leuitate, sed vtilitate caret; si hinc eorum verò fabulas ad Christiana sacramenta traducere, quidam pædagogicum sapit, ne dicam in falsum temeritatem.

35. Verba Scripturæ diuinæ, aut non omninò fideliter afferre, aut non tenere verborum proprietatem, cum in patriũ sermonem vertuntur; extortos sensus afferre, durius explicare phrases, iudicium hominis est, vel negligentis vel imperiti.

36. Sordescit oratio cum similitudines humiles, aut viles, aut sordidæ afferuntur, vel multiplicantur nimium, vel poetico more pinguntur, vel longius perq; vim accersuntur. Ne quid nimis, ne quid minus.

37. Exempla item male adducuntur, quæ audientium moribus, aut tempori accommodata non sunt, vel quæ non tractantur oratione morata, vel non ex probatis petuntur auctoribus, ac dubiam fidem habent. Qui ad fidem faciendam adhibet dubia, fidem abrogat certis.

38 Cum

38. Cum amplificationes fiunt in rebus inutilibus, quę ad aliquam persuasionem non tendunt, eloquutionis prophanæ iactatio est, sacræ iniuria.

39. Qui aliorum affectus optat excitare, frustra nititur si eosdem in se prius excitare negligat; finge ciulatus, lachrymas simula, imitare dolentem, ludis, ignem pictum adhibes, cum sit incendenda silex.

40. Orator, qui vt moratam faciat orationem, eas virtutes significat, quas verè non habet, hystrionem, & hypocritã agit, qui licet initio imponat aliquibus, mox tamen se prodet simulatio, & apparebit oratio nequaquam morata, sed hominis falsum virtutis nomen captantis ambitio, eoque magis odio erit omnibus, quod nonnullos ante deceperat.

41. Ineptus omnino est, ineptaq; oratio eius, qui eodem modo ad iuuenes ac senes, doctos, ac rusticos, viros ac mulieres, religiosos, ac sæculares verba facit. Quid agis sutor? eandem ne crepidam omnium pedibus induis?

42. Oratio ordine carens, perinde ac indigesta rerum moles, vel quæ digressiones importunè assuit, aut prolixas, tum auditores confundit, tum ipsum quoque oratorẽ turbat.

43. Exordium vitiosum est, si fuerit prolixum, commune omnibus, concionibus, nimis festiuum, ac velut ad numeros concinnatum. O quoties humano capiti ceruicem pictor equinam iungit, vt poeta lusit; Ego vero non ludo, sed lugeo potius diuini verbi grauissimam authoritatem, leuissimis hisce cincinnulis in ipsa statim fronte eneruari.

44. Peccant qui exordiuntur voce non naturali, sed tumido quodam tono, vel nimia celeritate, vt vno quasi spiritu totum simul exhauriant; vel contra tam lente, vt numerari verba queant, vel voce tam summissa, vt sibi tantum loqui videantur: primis fortasse, parturiunt montes, nascetur ridiculus mus, Secundos videbis ipso statim itineris ingressu fatigatos, turpiter anhelantes in via: certi afferre se auditoribus languorem, ne dicam stomachum, sciant; postremi sibi eanunt, auditor abscedet ne tempus terat.

45. Et qui in partitione multa simul membra coacernãt, quæ vel non satis explicari possint, vel longioris orationis timorem iniijciunt, vel ad vnum suasionis scopum non tendunt, eoque maximè cum disparata proponunt; onerant ista, me iudice, non alleuant, quod oratoriæ partitionis munus est.

46. Qui ad sua confirmanda, vel contraria confutanda, leues

leues affert rationes, auditorem si quò impellit, ad suimet contemptum impellit.

47. Hæreses, vbi non sunt, confutare, vel stultum est, vel superfluum. Vbi vero vigent si leuius confutentur, iniuria est Catholicæ veritatis. Audaciæ vero est Sanctorum sententias reprehendere, quæ in bonam partem sumi possunt: sunt sancti, sunt Patres; vtrunque te nomẽ verecundiæ admoneat.

48. Concionis epilogum semper Repetitione terminare, frigidum quid videtur & affectatum, multoque magis si longa fiat repetitio, vel si eodem modo quo res ante sunt dictæ. Crede mihi, Pauca sunt quæ repetita placent.

49. Nihil autem habet vel decoris, vel grauitatis, si dimittatur concio cum aliqua facetia, quæ moueat risum: Circulatorum ita coronam suam dimittit, suspirandum potius est post auditum sermonem.

50. Illi genera dicendi corrumpunt, qui pro sublimi turgidam, & inflatam orationem sectantur, pro moderato dissolutam, sine structura, & neruis pro demisso, exilem humique repentem.

51. Ridiculi sunt & inepti, qui variorum idiomatum notitiam ostentant; Egregia quædam scripturæ mysteria breuissimo aliquo Hebræo Græcoue versiculo innuere, laudandum est: peregrinè loqui sæpius, & Hebræas Græcasve passim inculcare sententias, vix inter peritissimos, qui soli audiant probo. Non intelligenti loqui, nonne est surdo canere?

52. Quæ figuris & tropis caret oratio, vulgaris est, neque auditorum excitat ingenia: quæ verò habet figuras, sed sine pondere sententiarum, stuppeum, est simulachrum dicere bene verbum. Quod si plus æquo nec opportunè adhibeantur, perinde est ac si conuiuium fiat ex melle coenum. Midas vt est in fabulis, dum quicquid contrectat aurum facit, fame peribat.

53. Percensendo plurimorum authorum catalogo, citandisque ad vnguem locis, & ad verbum recitandis passim longioribus sententijs occupati, plus habent negotij quam precij. Effundunt plurima, aut parum, aut nihil infundunt.

54. Verbatim orationem mandare memoriæ, laudarim in puero, in viro planè dixerim puerile. Fallet te aliquando memoria, vt sæpe vidimus, balbutiens efficiere alijs subridentibus. Mitto modicum omnino ab huiusmodi concionatore fructum existere.

Qui

55. Qui semper vel nimium clamat, molestus est, & vim tempestiui clamoris obtundit. Est qui quasi fugiens celeri festinat cursu, & auditorem vt se sequatur magno labore frustra fatigat. Est qui guttatim quasi aurum potabile, verba stillat, ac tædio enecat. Alius passim vocem attollit ac deprimit, fluctuantis, instar nauigij, amandandus ad mare est, vbi bene ac nauiter fluctuet.

56. Qui nimius in gestu est, qui deambulat per suggestū, qui crebrius pulpitum aut palmas percutit, qui omnia membra leuiter agitat, is scenam cum histrionibus quærat, Christiana rostra, schola sunt grauitatis.

Contra Prudentiam hæc faciunt.

CVm maximè in concionandi munere acre iudicium, & prudentia requirantur, in quibus hæc desiderantur, æquum est, nec ipsos suggestum debere ambire, & à Præpositis ad alia omnia reseruari.

57. Et meritò imprudentiæ notari potest, qui Ecclesiæ canones, summorumque Pontificum decreta ad id munus spectantia, nec legit, nec nouit, quem temere nuncem, necesse est nec laudem meteri si non aberrat, nec veniam si aberrat.

58. Imprudens est qui suas in concione vires, ac naturæ dotes, tum animi, tum corporis, perspectas non habet, ideoque non se metitur, vt videat, quid & quantum possit, ne supra vires aliquid audeat. O quam diuersum est, facilè & multa loqui ab eo, quod est prudenter & aptè loqui.

59. Et is qui non singula præmeditatur antequam ad suggestum accedat, & ea loquitur inconsideratus, quæ postea sum dixisse pœnitet. Ter veniant verba ad limam, priusquam perueniant semel ad linguam.

60. Non modo est imprudentis, sed & impudentis de Dei maiestate parum circumspectè verbum aliquod indignum proferre, aut de sanctis non honorifice loqui, aut de peccatis etiam obscenia non satis honestè verba facere, aut nugas & ridicula intermiscere, præsertim ad mulieres conuertendo sermonem.

61. Contra prudentiam est ambiguè ita loqui, vt possint in malum, vel inutilem sensum verba trahi. Doctoris egregia laus est perspicuitas. Sic loquens tanquam singuli qui in con-

cione

cione adsunt, sedeant iudices, quod perplexè dictum fuerit in pessimam rapturi partem.

62. Cum aliquid falsi dixisse se aduertit, si errorem non statim corrigit non modo imprudens, sed superbus, & arrogans erit, & grauiter peccabit: satius est erratum delere, quam duplicare.

63. Sicut præterea audax dicendus esset, ac temerarius, qui suspectas, ac dubias opiniones proponit, in quibus obrerum difficultatem facilè sit populum errare. Quæ rogo dementia est dum plana patent spatia, per abrupta incedere?

64. Ostentatio, & qualibet iactantiæ significatio, concionanti apud auditores plurimum detrahit. Nemini placet, qui sibi nimis placet, & magnum onus est audientis, dicentem suas laudes cum silentio ferre.

65. Querimoniæ item, quas ad sui defensionem aliquando orator affert, sæpè in malam partem ab auditoribus accipiuntur, & stomachum prouocant. Neq; raro dum criminationi, quæ latebat, inter paucos satisfacere vult, publicus est suæ buccinator, vel iniuriæ, vel infamiæ. Si in concio laudabilem nouerit, ipsa te etiam tacentem mebitur.

66. Qui ita loquitur vel reprehendit, vt appareat eum velle certam familiam designare, vel ipsos auditores aliquomodo despicere, non corrigit peccata, sed odia colligit.

67. Oratio si frigida sit sine feruore, corpus est sine anima, ad aures peruenire potest, penetrare corda non potest Iniuria inuritur Dei verbo quod est omni gladio ancipiti penetrabilius, si vitio tuo miles delicatule non ferit. Ignauo homini, omne telum obtusum est.

68. Prolixitas sermonis nunquam est sine molestia. Proverbij loco est, ludus quilibet, vt iucundus sit, breuis sit. Qui cum auiditate è mensa recedit, redit auidius, nutritur salubrius.

69. Timidius quidam agunt, nec veritatem cum ea qua decet libertate promulgant, nec serio in causas animarum adeò graues insistunt, neque cum ea dicendi authoritate, quam Christi cathedra postulat, Apostolicum obeunt munus. Ve nobis ac mundo si timidos habuissemus Apostolos.

70. Alij semper in thesi versantur, nec singulares actiones, earumq; modos & praxim edocent, nec singulos pro suo statu instituunt, quo fit vt auditor suo fructu frustretur. Existima quæso te non in schola differentem de arte medendi, sed

quasi

Digitized by Google

quasi in nosocomio remedia dictantem versari. Facilius autem dixerim theriacam conficere; quam concionem: tamque multis, tamque varijs aptanda est eadem medicina, vt omnibus prosit.

71. Qui ad pagos mittuntur peccãt, si rudium hominum ingenijs non sese accommodant, & labores atque incommoda non patienter tolerant. Vbi, & quibus concioneris vide; non tibi orator es, sed audientibus.

72. Qui in principum aulis versantur, primo peccant si aulicum spiritum pro Apostolico imbibant: deinde si inter concionandum, vel aliquo modo adulentur, vel sint in arguendo liberiores. Inter verunique vola, & tutus ibis. A

73. Cum certum sit, omnem Christianarum concionum fructum esse, vt peccatum auferatur, & nemo nõ videat, quot quantisque mundus totus ardeat sceleribus, mirum est multos esse, qui aures demulcere leuiculis sententiolis, ac phrasibus malint, quam corporis oratione ad peccati detestationem vrgere. Inuenio dicentem, Argue, obsecra increpa. Nolo committere vt prurientes auribus, per me auditum à veritate auertant, & ad fabulas conuertantur.

74. Reprehensiones eorum qui non paternum zelum prae seferunt, sed satyricam potius mordacitatem, omni fructu carere, satis superque ipsa docet experientia. Delicata res est animarum curatio. Vrat si opus est, veruntamen non ira, sed charitas.

75. Neque eorum sanat oratio, qui tam imprudenter arguunt, vt in homines magis, quam in vitia inuehantur. Hominem si insectaris fratrem insectaris, & peccas. Vitium si insectaris, hostem insectaris, & vincis. Quid, qui nullo personarum respectu in superiores atque Ecclesiasticos ita inuehuntur, vt magis eos infamare quam curare velle videantur? Pudenda patris tui tege, vt benedicaris, qui deridet maledicitur. Concionator es, sed & filius es, magna prudentia, magna & modestia opus est.

76. Sunt qui puluillos sub omnium cubitis consuunt, seruiuntque his qui dicunt, loquimini nobis placentia; latior via satis teritur à plerisque admonitore non indiget. Arctam inueniunt teruntque pauci. Hanc tu indica, in hanc compelle.

77. Multis parum est curæ, vt auditor in virtute progressum agat, & perfectionem sui status acquirat. Bonus de cælo pastor adhoc venit, vt oues suæ vitam habeant, & abundantius

tius habeant, si tu pascuis illas ad id defraudas idoneis, vide qualis sis Pastor.

78. Qui pauperum elemosynas, vt in media concione fieri mos est, apud suos auditores negligenter commendat, vel pietatis & charitatis est inops, vel onerosum opus existimat pecunias extorquere. At vsus ostendit cui diligens charitas supperat, eum non minus iucundè ægenis, qui stipem accipiunt, quam diuitibus, qui largiuntur, prodesse. Cæterum qui corrogatæ stipis vbertate gloriatur alios locupletat, se pauperat: prodest corporibus pauperum, prodest animis diuitum, sibi soli est noxius.

79. Aliqui concionem habituri, quasi politicum negocium tractaretur, neque ante eam preces ad Deum præmittunt, neque in ipsa concione laborant, vt ex corde rem agant neque post concionem, si quid erratum est, recolunt: sed vel animum despondent si non cessit ad votum, vel inaniter efferuntur, si laudentur. Vide quid agas cœlestis mercatura est diuinumq; negotium. Necesse est ordiaris à Deo, prosequaris cum Deo, concludas in Deum.

80. Denique mirandum est totius quadragesimæ tempore, post tot quotidie habitas conciones, in paucis fructum extare, in mutandis moribus, in alienis restituendis, in sacramentis crebro vsurpandis. Putarim equidem sæpè culpam in auditores reijciendã, sed illud mihi persuadeo certissimè, non raro concionatoris operam in suo obeundo munere desiderari, & eius culpa effici, vt pauci conuertantur. Gladius est Dei verbum, malleus est conterens petras, at vtentis bracchium, pueri bracchium est imbellis, & imbecillis, quẽ speras ictum? Audi quæso, vt faciamus dicendi finem, Faxit Deus, ne aliqui Concionatorum, Dei verbo feriamur ad mortem, qui Dei verbo alios vulneraturi eramus ad vitam. Armatur Dei verbo Concionator, vtinam ad suam aliorumque salutem. Timeat de sua dum languidè quærit alienam. Sit monuisse satis.

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM in toto opere.

A

Aron Eloquens, & Prędicator, pag. 3
Absis seu Absida quid sit, 26
Abusus duodecim, pag. 648
Abusus arguendi quinam, 649
Accommodare verba Scripturæ in alium sensum, 396
Acediæ tristitiam quænam dissuadent, 485
Acclamationes, & plausus in Concionibus olim, 16
Adam primus Prædicator, 2
Adami nomen expositum secundum Græcas literas, 395
Adiurans homo malus spiritum inuaditur ab eo, 84
Admonitorem habere in Concionibus, quam vtile, 179
Admonitori, quæ sint seruanda, 179
Admonitiones variarum personarum S. Greg. 647
Adoptio filiorū Dei per Christū, 335
Aduocatorum peccata, 645
Æmulatio quid sit Aristoteli, 463
Æmulatio in quæ bona feratur, 463
Æmulationem, qui magis patiuntur, pag. 463
Ænigmatum vsus, 555
Ætas ad Concionandum matura, 61
Ætatibus Concio sit accommodata, pag. 508
Ætatum omnium mores, & affectus, pag. 507
Ætymologiæ locus Topicus, 268
Affectus quid sit, 439
Affectus quinam excitandi, 441
Affectus quinam reprimendi, 441
Affectus leues, & graues intermiscendi, 442
Affectus motum, Scripturæ verba examinata, 448
Affectus sunt præcipuè in parte sentiente, 440
Affectus per totam Concionem spargendi, 442
Affectus in nobis quomodo excitemus, 444
Affectuum consideratio adquas scientias spectet, 438
Affectuum omnium sufficiens Diuisio, 440
Affectuum aliqui lenes, aliqui vehementes, 441
Affectuum aliqui Naturales, aliqui Rationales, 440
Affectuū mouendorum loci varij, 445
Affectus mouere, Amplificatio, Apta-Dictio, & Actio, 444. & 446
Allegoriæ, ac Metaphoræ discrimen, pag. 554
Allegoriæ nimiæ reprehendantur, 399
Allegoricus sensus, quando valet ad probandam rem de fide, 274
Allegoriarum vsus quibus regulis tenendus, 399
Allegoriæ ex quibus rebus eruendæ, pag. 400
Amare quos nam soleamus, 454
Amabilem hominem quid faciat, 471
Ambitio quam magnum malum, 476
Ambitio prædicationis vitanda, 56
Ambitio honorum, ac dignitatum fugienda, 475
Ambo quid sit, 23
Amicitiæ prima lex, 772
Amicitia, quid includat, 453
Amor bonus, & Amor malus, 465
Amoris tria principia, 465
Amor quid sit, 453
Amor Dei omniū amorum regula, 465

Amor

Amor ſummus Deo debetur, 466
Amor Dei in hominem, 715
Amor in Deum maximè Oratori neceſſarius, 88. & 307
Amor erga Chriſtum magnus, 89
Amor Dei, quibus argumentis excitandus, 713
Amor, prima omnium paſſionum, 465
Amoris proprij frænandi loci, 472
Amor ſui, omnium malorũ origo, 471
Amor laſciuus, quam peſtilens, 472
Amoris ad res ſpirituales loci, 468
Amoris erga proximum loci, 470
Amplificatio, quam vtilis, & neceſſaria, 431
Amplificatio Chriſtiana quorſum tendat, 431
Amplificatio ex locis Topicis, 432
Amplificandi, quatuor modi ex Fabio, 434
Amplificandi alij modi, 436
S. Andreas boni prædicatoris exemplar, 66
S. Antonij Patauini exemplum, 57
Angelus Cuſtos, 769
Angelica ſalutatio ante Concionẽ, 12
Anima Chriſti, quam nobilis, 353
Animæ Chriſti, primi actus in vtero matris, 354
Annibalis iudicium de Oratione cuiuſdam Oratoris, 80
Apologorum vſus an vtilis, 163
Apoſtolorum prædicatio, fidem confirmat, 388
Aquæ benedictæ vſus, 770
Argumentorum, ordo in confirmanda re aliqua, 513
Ars quid ſit, 192
Ars aliqua ex triplici Capite vitiatur, 204
Artis Rhetoricæ cognitio, an neceſſaria Oratori Chriſtiano, 168
Artis præcepta, non ex rigore ſeruanda, 590
Artifices aliqui, boni, 646
Aſcendentis Chriſti in cælum Gloria, 364
Aſcenſio Chriſti gloria noſtra, 365
S. Athanaſij Exemplum in pueritia, 58
Attende tibi, qua vtile præceptũ, 776
Attentio populi, quomodo conſeruanda, 612
Anxietiæ comprimendæ loci, 478
Auarus ſimilis Ericio, 758
Audacia quid ſit, 495
Auditores, olim an ſtantes adeſſent Concioni, 15
Auditorum paucitas non debet turbare Oratorem, 101. & 606
Auditorum captui ſe accommodet Orator, 620
Auditoris ingenia cognoſcenda, 588
S. Auguſtini exemplum timentis, in officio, 108
S. Auguſtini Induſtria in Concionibus, 189. & 18.
S. Auguſtini Eloquentia, 220
Aulicorum peccata, quæ ſint, 644
Aureola Concionatorum, quæ ſit, 68
Aureola Doctorum, an præcellat alias, 69
Aureola, quibus prædicatoribus detur, 70
Aureola quid ſit, 69
Aurium cuſtodia, 777
Auxilium Dei in aduerſis adeſt, 296

B

BAptiſmus, ſanctitatem à nobis exigit, 381
S. Baſilij eloquentia qualis, 220
S. Bernardus, ſit charus Concionatori, 189
Beneficia Dei, ad eius amorem prouocant, 715
Bonitas diuina, 713
Breuitas Concionis, 614

C

CAbala quid ſit, 394
Calamitates cur Deus imittat, 295
Calumniæ Oratori non deerunt, 98
Canonum notata vtilis Concionatori, 160
Cantiones turpes fugiendæ, 776
Cantus fugiendus Oratori, 579
S. Caroli Borromæi prima indoles, 59

Digitized by Google

Cauſæ noſtræ à cauſis prophanæ Rhetoricè differunt, 247
Cauſarum ſacrarum genera quænam, 242
S. Catharinæ Senenſis exemplum per Eleemoſyna, 752
Catechiſmi notitia neceſſaria, 159
Charitas Chriſti erga ſuum patrē, 357
Charitas Chriſti in homines, 357
Charitas Oratoris in proximos multum valet, 103
Charitatis munia quænam, 104
Charitas Oratoris in proximos qualis, 103
S. Chryſoſtomus magnum exemplar Concionatorum, 189
Chriſti Notitia prædicanda, 323
Chriſti Notitia in tribus rebus eſt, pag. 324
Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ quot argumenta includit, 328
Chriſius eſt Dominus noſter, 339
Chriſius eſt Mediator noſter, 340
Chriſius Rex, Paſtor, Aduocatus, 341
Chriſius Dux, & Saluator, 343
Chriſius Protector, & Magiſter, 344
Chriſius lux Oſtium, & Signaculum, pag. 345
Chriſtus Amicus, Frater, Sponſus, 343
Chriſtus omne bonum noſtrum, 346. & 365.
Chriſti myſteria inculcanda in Concionibus, 90
Chriſti Adoratio quomodo facienda. 764
Chriſti quinque vulnerum Deuotio, pag. 764
Chriſti cordis Deuotio, 765
Chriſti dignitas, & nobilitas, 333
Chriſti nomen ab Vnctione ſpirituali, 367
Chriſti vnctio quid à nobis requirat, 367
Chriſto omnia ſubiecta, 364
Chriſtus Exemplar ad imitādum, 355
Chriſti bonorum, participatio in nobis, 336
Chriſtus ſecundus Adam, 333
Chriſti titulis, quomodo ad argumenta vtamur, 346
Chriſti verba, facta, exempla, quomodo amplificentur, 347
Chriſtus in magna æſtimatione, apud nos ſit, 90
Chriſtianorum nomen vrget, ad ſanctitatem, 368
Chriſtiana nobilitas magna per Chriſtum, 371
Chriſtiana nobilitas quid à nobis exigit, 371
Ciborum vſus qualis, 777
Ciceronis Eloquentia nequaquam eſt affectata, 286
Ciuilium rerum notitia vtilis Oratori, 164
Clamores in Concione, quando cum fructu fiant, 580
Clamores crebri vitandi, 579
Clericorum mores, 632
Clericorum ſtatus, 631
Clerus ſeparatus à populo in templis, 15
Codicem manu ferebant olim Concionatores, 19
Cogitatio, & commentatio ad parandam Concionem, 178. & 784
Cogitationum primitiæ Deo offerende, 763
Cogitationum malarum cura, 779
Cogitatiuæ munus, in homine, quod ſit, 440
Cognoſcat Orator ſuas vires, 587
Collationes inter ſtudioſos vtiles, 158
Collectio quid ſit, 425
Comminationes Dei ad probandum valent, 286
Commoratio figura, quid ſit, 563
Communio ſpiritualis. 767
Comparatorum, in ſcriptura, diuerſi loci, 282
Compaſſio, aſſociāda conſolationi, 897
Competentes, quinam dicantur, 13
Complexio, quid ſit, 427
Conciliorum authoritas ad probandum, 276
Concionator eſt inſtrumentū Dei, 25
Concionator eſt inſtrumentum coniunctum, 82
Concionator eſt legatus Dei, 26

Digitized by Google

INDEX.

Concionator est Minister Dei, 82
Concionatoris, quis debeat esse finis, 31. & 32
Concionatoris munia, quænam, 26
Concionatoris virtutes, 39
Concionatoris mali pœna, 43
Concionatori, quæ consideranda circa officium, 27
Concionatores boni audiendi Oratori, 170
Concionatores olim sederent, an starent, 6. & 9
Concionatores iuniores non decet Eloquentia leuior, 222
Concionatori quatuor necessaria, 44
Concionandi bene difficultas 39
Concionis parandæ praxis, 782
Concione peracta, quid agendum, 793
Concionum origo à primordio mundi, 2
Concionem paraturus, quid faciat, 789
Concionem dum habet, quid agendum, 791
Concionum summa vtilitas, 37
Concionum locus etiam in foro, 29
Concionum origo ab Hebræis. 1
Vide infra, V. Prædicator.
Concordantiarum libri vsus qualis, 393
Concordiæ maximè sit amicus Concionator, 720
Concupiscentia seu Desiderium, quid sit, 473
Concupiscentiæ malæ frænandæ loci, 474
Confessio generalis vtilis, 762
Confessio ordinaria, 763
Confessionis frequentia, quam vtilis, 383
Confidentia, quid sit Aristoteli, 458
Confidentiæ, ac Desiderij discrimen, 458
Confidentiæ causæ, quæ sint, 458
Confidentes, quinam esse solent, 458
Confirmatio, pars Concionis qualis esse debeat, 537
Confirmationis sacramentum armat ad fidei confessionem, 382
Confraternitates bonæ, 777
Confutatio in Concione, qualis sit, 537
Confutandi gentiles modus, 309
Confutandi Hebræos modus, 313
Confutandi Hereticos modus, 317
Coniugum officia mutua, 639
Consensus in peccatum, 654
Consilia Christi prædicanda. 707
Consolatio sæpè Oratori tractanda, 293
Consolationis loci, pro mœrentibus in morte suorum, 304
Constantia, & Perseuerantia in Concionando, 99
Constantini Magni Deuotio in Verbo Dei, 10. & 15
Consuetudo peccandi quantum malum, 655
Consuetudo facta in iuuentute vix mutatur. 224
Contemplatio non debet impedire Conciones, 65
Contentiones inter Concionatores scandalum pariunt, 719
Contemptus hominum vel rerum, quid sit Aristoteli, 464
Controuersæ opiniones vix populo prædicandæ, 263
Conuersatio, more aulicorum arguitur, 120
Corpus nostrum quomodo tractandum, 778
Conuersatio Oratoris qualis esse debeat, 117
Conuiuia non facilè admittenda, 122
Correctio libenter acquienda, 775
Corrigendum, si quid dicatur malè, 598
Cosmæ Medicei largæ Eleemosynæ, 757
Crucis signum ante Conciones, 12
Crux Christi, quanta mysteria includat, 361
Crux Christi inuitat ad portandam crucem, 361
Cupiditas temporalium fugienda, 86
Curati animarum quales, 633
Curati animarum tenentur ad prædicandum, 53
S. Cypriani exemplum in zelo Concionandi, 66

Daui-

Digitized by Google

D

DAuidis exemplum pro vera pœnitentia, 687
Debitorum solutio, 775
Declamationum vsus, quam necessarius, 177
Declamandi quis modus, 177
Decorum omnino seruandum in Oratione, 550
Decretorum, ac præceptorum discrimen, ac necessitas, 264
Definitionis locus, 267
Delectatio non pro se quærenda in Concione, 239
Delectatio in peccato, 654
Delectatio, quæ vitanda Oratori, 240
Delectationes corporis quantum noceant, 477
Delectare quomodo debeat Orator, 239
Delectare in Concione, quid sit, 238
Delectat varietas, vtilis tamen, 239
Descriptio locorum, 567
Descriptio actionum, 567
Descriptio per Imaginem, 576
Descriptiones, quarum rerum esse debent, 566
Descriptiones personarum, 568
Descriptiones morum, 569
Descriptionum variæ species, 565
Desperati quomodo adiuuandi, 662
Detrahere Prælatis quantú malú, 592
Detractoris descriptio, 569
Detractio fugienda, 774
Deuotionem in Oratore, quid conseruet, 449
Diaconi an olim prædicarent, 9
Diaconi, futuris martyribus prædicabant, 9
Diaconi olim Episcopum Concionantem custodiebant, 8
Dialogus in Concione quomodo fiat, 526
Dicendi genera tria cum exemplis sacris, 541
Dicendi genera miscenda, 545
Dicendi genera quomodo differant, pag. 545
Didascalici generis loci, 283
Dignitates, qui fugerunt, 477
Digressiones quales esse debeant, 538
Digressiones, quando cum fructu fiant, 705
Dionysij Areopagitæ liber de Hier. Eccl. 345
Disciplina morum plebi Christianæ necessaria, 298
Disciplina morum quot capita contineat, 300
Discordiarum occasiones vitãde, 719
Dispositio Orationis maximè pendet ex iudicio, 511
Dispositio triplex, 512
Dispositio distribuit in certa capita, 112
Dispositio tota sumi potest ex vno syllogismo, 512
Dispositio Didascalici generis, 514
Dispositio exornatiui generis, 515
Dispositio suasorij generis, 516
Dispositio in Cõsolatorio genere, 517
Dispositio in genere Reprehensorio, 518
Dispositio multiplex in Euangelio tractando, 518
Dispositio per Thesim, & Hypothesim, 522
Dispositio per quatuor causas, 522
Dispositio per substantiam rei, & Accidentia, 522
Dispositiones Concionum variæ, 523
Diuinare non debet Concionator, 604
Diuinitatis Mysteria, quæ sint, 250
Diuisio seu partitio Concionis, 533
Diuisio sit dilucida, 533
Diuisio non habeat multa capita, 534
Diuisionis membra sint connexa inuicem, 533
Diuites sunt Dispensatores Dei, 744
Diuitum mores, 635
Diuitum aliquorum crudelitas, 745
Diuitiæ sunt stercora, 748
Docere quid sit, 236
Docendi munus tria requirit 237
Doctores, & Ludimagistri, 645
Doctrina Christiana, 624
Doctrinæ speculatiuæ quomodo proponendæ, 289
S. Dominici, deuotio ad Christi mysteria,

steria, 91
Dominica die habebantur olim Conciones, 16
Dominorum in famulos curâ, 637
Dotes animæ ad prædicandum necessariæ, 59
Durum cor quid sit, ex Bernardo, 658
Duri, corde, quomodo adiuuandi, 659
Dux aliquis & Magister habendus in vita spirituali, 761
S. Dustanni exemplum in zelo Concionandi, 66

E

Ecclesia, Christi sponsa est, & Domus, 378
Ecclesiæ veræ, notæ, 379
Ecclesiæ authoritas in sensu scripturæ, 153
Ecclesiæ consuetudo in collectis pro pauperibus, 745
Ecclesiastici non facilè reprehendendi publicè, 632
Edmundi Campiani libellus contra Hæreticos, 317
Educatio liberorum qualis, 636
Electio status quomodo facienda, 629. & 776
Eleemosyna est satisfactoria, 743
Eleemosyna est meritoria, 743
Eleemosyna est impetratoria, 743
Eleemosyna facit Deo similem, 742
Eleemosyna facit hominē illustrē, 742
Eleemosyna in morte quantum, iuuet, 743
Eleemosyna antidotum contra peccatum, 744
Eleemosyna etiam vtilis ad temporalia, 746
Eleemosyna est tributum à Deo impositum, 747
Eleemosyna affert animæ securitatem, 749
Eleemosyna cum verbo Dei, optima Musica, 750
Eleemosyna cum Ieiunio, 750
Eleemosyna est signū Electorum, 758
Eleemosyna datur Christo, 753
Eleemosynæ præceptum, 741
Eleemosynæ quantitas, 773
Eleemosynam dare, est Deo fænerari, 747
Eleemosynam docet vniuersa natura, 756
Eleemosynā docet natura hominis, 742
Eloquentia aliqua laude digna, 191
Eloquentia vera in bonis viget Oratoribus, 78
Eloquentia triplex Naturæ, Artis, Infusa, 191
Eloquentia aliqua vtilis in sacris Cōcionibus, 193
Eloquentia philosophorum qualis, 209
Eloquentia sanctorum Patrum, 219
Eloquentiæ D. Pauli, & Platonis comparatio, 201
Eloquentia Oratoris, qualis, ex patrum Iudicio, 212
Eloquentia est in sacris literis, 197
Eloquentia ex tribus vitiatur, 204
Eloquentia vera ex fructu iudicatur, 225
Eloquentia vera mouet, & afficit animos, 226
Eloquentia Concionum debet esse grauis, 208. & 549
Eloquentia corrupta quænam, 227
Eloquentia vanæ signa in Oratore, pag. 228
Eloquentiam bonam, quænam adiuuent, 229
Eloquentia Concionum non debet esse nimis compta, 215
Elequutio emendata, & pura, 546
Eloquutio sit dilucida, 546
Eloquutio ornata qualis, 548
Eloquutio numerosa moderanda, pag. 548
Eloquutionem aptam, quidnam faciat. pag. 550. & 561
Energia quomodo fiat, 565
Ethymema quid sit, 424
Epicherema, quid sit, 424
Epilogus non semper fiat per Repetitionem, 539
Epilogi postrema verba qualia, 540
Episcopi nomen vnde dictum, 630
o Episcopi reuerentia apud Oratorem, pag. 798

Episco-

Epiſcoporum munus prædicare, 7. & 45
Epiſcopis quatuor conſideranda, 630
Eſdræ exemplum in ſtudio Scripturarum, 133
Eſſei quinam fuerint, 14
Euangelium lex gratiæ, 375
Euangelium lex Spiritus, 376
Euangelium perfectionem à nobis exigit, 377
Euangelij vox, quid includat myſterij, 375
Euchariſtia inſtituta ad vnionem, 385
Euchariſtiæ perceptio quam vtilis, 386
Examen conſcientiæ commune, 761
Examen particulare, 762
Excuſationes aliquorum Prælatorum vt non prædicent diluuntur, 51
Exedra quid ſit, 22
Exemplum bonum quantam vim habeat, 116
Exemplum malum prædicatoris quãtum noceat, 118
Exempla validiora ſunt quam verba, 123
Exempla afferendi varius modus, 429
Exemplaria Græca & Hebræa Scripturæ inſpicienda, 406
Exemplorum vſus valde vtilis, 429
Exercitiorum ſpiritualium vſus, 96
Exordium non ſemper neceſſarium, 527
Exordium ſit breue, proprium, graue, 528
Exordium ex abrupto, 530
Exordij pronuntiatio qualis, 532
Exordia nimis compta arguuntur, 532
Exordia ex ſimilitudine, 530
Exordia per inſinuationem, 531
Exordiorum ſtylus, 532
Exordiorum loci, 528
Exornatiuum genus, 284
Expeditio figura quid ſit, 426
Extremæ vnctionis Sacramentum, 387

F

Fabulas poetarum, allegoricè exponere, indignum, 163
Fabularum notitia an vtilis, 163
Facetiæ Oratori relinquendæ, 240
Familiaritates nimiæ non habendæ, 119, & 736
Famuli quales eligendi, 775
Famulorum gubernandorum bonæ leges, 638
Feruor nimius arguitur, 590
Feruor in concionando quid ſit, 608
Feruor quomodo comparatur, 610
Feruoris impedimenta, 611
Feſti dies in meditatione expendendi, 17
Feſtis diebus Sanctorum, olim habebantur conciones, 17
Fides à Chriſto prædicata & commendata, 357
Fidei myſteria, quænam ſint. 250
Fiducia in Deum Oratori neceſſaria, 98. & 128
Fiducia erga Chriſtum, 365
Fiducia non eſt in rebus humanis ponenda, 489
Fiduciam quatuor excitant, 487. & 488
Figuræ veteris Teſtamenti quantum valeant ad probandum, 281
Figuræ in dicendo, multum ornant & valent, 552
Figuræ verborum cum exemplis ſacris, 556
Figuræ ſententiarum, 559
Figurarum vſus qualis, 558
Figuratæ loquutionis ſigna in Scripturis, 142
Figuratæ loquutionis, ſpecies multæ, 559
Filij quid debeant parentibus, 637
Fortitudo, Concionatori, neceſſaria, ad mortem vſque, 128
S. Franciſci de eleemoſyna ſententia, 750
S. Franciſci, de bono & malo Concionatore ſententia, 129
S. Franciſci exemplum pro eleemoſyna, 757

Digitized by Google

Funebres orationes frequentiores olim, 303
Funebrium orationum loci, 304

G

Gestus & Motus in orando cum grauitate fiant, 585
Gestus non debet esse scænicus, 583
Gloria Dei summa existit ex prædicatione, 31
Gloriam Dei quærere, quantum bonum sit, 32
Gratia Dei per peccatum mortale tollitur, 675
Gregorius Magnus Oratori sit charus, 189
Gregorij Nazianzeni eloquentia, 221
Gregorij Nazianzeni insomnium, 24
Gula est insatiabilis, 479
Gulæ effectus, 479

H

Hæreses non proponendæ vbi non vigent, 263
Hæresum origo quænam, 55
Hæreticos conuertendi, quis modus, 320
Hæreticorum confutatio, 317
Hieremias exemplar Concionatorum, 27
Historiarum notitia vtilis Concionatori, 162
Historicorum testimonia, quantum valeant ad probandum, 279
Homilia quid sit, 518
Hospitalium visitatio, 773
Hospitium quale inquirendum Concionatori, cum est in Missione aliqua, 127
Humilitas quam necessaria Oratoris, 108
Humilitas in studio Scripturarum, 136
Humilitatis Christi exemplum, 359
Humilitatis signa quænam. 109
Humilitatem assequendi modus, 111
Hypothesis magis tractanda quam thesis, 618

I

Iactantia in concione pessimum vitium & odiosum, 602. & 605
Idiotismi, Scripturæ, proprij, 144
Ieiunium colendum, 778
Iesu nomen quam illustre, 369
Illuminatiuæ vię quales materiæ, 255
Imaginum cultus, 771
Imitandi prudentia qualis, 171
Imitatio bonorum Oratorum vtilis, 170
Imprudentia quorumdam, 589
Inanis gloria fugienda, 85
Incarnatio Christi est magnum argumentum amoris Dei, 351
Indignatio vitanda, 772
Inductio quid sit, & quotuplex, 425
Indulgentiarum vsus, 771
Indurat Deus neminem ponitiuè, 658
Industriæ aliquæ Oratoris circa se, 722
Industriæ circa proximos in actionibus, 726
Industriæ circa personas varias, 729
Industriæ circa varia media in particulari, 732
Industriæ circa alia media vniuersè, 737
Inepti in concione qui sint, 551
Infernus, peccati pœna, 673
Infirmitatē quomodo quis ferat, 296
Iniuriæ dimittendæ, 773
Institutiuum genus, 298
Institutiui generis loci, 298
Institutiui generis amplissima materia, 301
Intentio recta qualis, 85
Instrumenta vitæ spiritualis quænam, 761
Intentio suspecta in eloquentia valde compta, 223
Introductio in concione quid sit & an necessaria, 534
Inuidia quid sit Aristoteli, 463
Inuidia in quibus sit magis, 463
Inuidiæ tristitia pellenda, 485

Digitized by Google

Inuidia ad quos sit, 463
Inuidi descriptio, 570
Ioannis Caffiani libri, egregij, 245
Ioannes Eleemosynarius, 750
Ioseph Patriarcha prædicator, 3
Ira quid sit Aristoteli, 450
Irasci in pulpito valde indignum, 718
Ira cur à Deo naturæ nostræ insita, 496
Ira bona datur, 497
Iræ tres species, 497
Iræ sedandæ remedia, 498
Iram quæ argumenta comprimant, 497
Irarum causæ quæ sint, 450
Irasci quinam solent, 451
Irasci quibusnam solemus. 450
Irati & mansueti descriptio, 569
Ironia quid sit, 555
Isaias eloquens propheta, 197
Isaias Oratorum exemplar, 27
Iudæ Machabæi exhortationes, 36
Iudæorum calamitates, 314
Iudæorum confutatio, 313
Iudex Christus, quomodo se geret cũ malis & bonis, 366
Iudicis Christi maiestas, 366
Iudicium temerarium, 774
Iudiciaria facultas comparatur cum legali, 200
Iuramenti vsus, 777
Iustitia Principum, 634
Iuuenum mores ex Arist. 506
Iuuenes ad virtutem quomodo inducendi, 508

L

Lacedæmonum iudicium de Oratore malo, 80
Lætitia, & gaudium bonum persuadetur, 481
Laudationis capita, 285
Laxiorem viam Concionator non prædicet, 695
Lectio Concionum quænam vtilis, 169
Lectio librorum spiritualium vtilis, 762
Lectio turpium librorum pestis, 762
Lectio SS. Patrum qualis esse debeat, 155
Lectores ante concionem olim legebant, 5
Legendi libros cum fructu modus, 157
Legata pia soluenda, 776
Legatus Christi est prædicator, 26
Lenes erga quos simus, 452
Lenitas quid sit. 452
Lenitas in quibus facile reperiatur, 452
Lex Euangelica consumatio veteris, 376
Libertas in dicendo necessaria, 128, & 615
Libertas sit modesta, 616
Linguæ Spiritus sancti in Apostolos, 36
Linguæ custodia, 777
Linguarum notitia, ad Scripturas intelligendas, 151, & 160
Loci topici duplices, 267
Locorum communium vsus, 158
Locus concionum etiam in foro, 20
Loqui de se valde periculosum, 604
S. Ludouici exemplum pro eleemosyna, 754
Ludorum vsus fugiendus, 779
Luxuria quam sit abominanda, 480
Luxuria, quot, & quanta mala inuehat, 481

M

Macula animæ ex peccato, 676
Magistratus, & eorum mores, 634
Magnatum mores, 508
Mahometti infamis secta, quomodo confutanda, 310
Mala pœnæ non sunt verè mala, 294
Malorum pœnæ auctor Deus, 295
Mansueti hominis descriptio, ex Chrysost. 569
Mariæ matri Dei tria debemus, 391
Mariæ Virginis cultus in tribus est, 391
Materia concionum quænam, 125

Digitized by Google

Materiæ in Via purgatiua, 253
Materiæ in Via illuminatiua, 255
Materiæ in via Vnitiua, 257
Martyrum teſtimonia fidem confirmant. 390
Materiæ omnes ex triplici via ſumũtur, 244
Materia concionum eſt circa fidem, & mores, 242
Materiæ ſelectio qualis, 259
Materiæ vtiles ſeligendæ, 261
Materiæ morales duobus modis tractantur, 264
Materiæ omnium concionum capita, 262
Materiam concionum qui non benè ſeligunt, 259
Mediatoris tres conditiones Chriſto competunt, 340
Medicina & Gymnaſtica comparantur, 200
Medici ad quid teneantur, 645
Meditatio ſacrarum Scripturarum valde vtilis, & modus, 138
Meditatio valde vtilis in paranda concione, 784
Membrum eſſe Chriſti quid importet, 329
Memoria neceſſaria Oratori, 573
Memoria quomodo iuuetur, 573
Mendacium in Concione, 594
Mendicorum ſtatus, 647
Mendicorum peccata, 647
Mercatori quod bonum conſilium dari poſſit, 646
Mercenario ſtatim ſoluenda merces, 773
Meretrices quomodo arguendæ, 644
Merita noſtra ex Chriſti meritis, 388
Metaphoræ quales eſſe debent, 554
Michael Archangelus deuotè colendus, 769
Militum officia, 645
Miſericordia quid ſit Ariſtoteli, 460
Miſericordia eſt patrona corã Deo, 749
Miſericordiæ vſus, 461
Miſericordiæ Chriſti exemplum, 359
Miſericordiam quænam moueãt, 461
Miſſa & miſſio Cathecumenorũ, 13
Miſſæ ſacrificium, 767
Miſſio per ſuperiores fieri debet, 125
Miſſi quibus induſtrijs debent vti ad fructum, 722
Miſſionum fructus, 70
Mittendi bini, 125
Modeſtiæ ac bonæ indolis virtus, 772
Mœror pro defunctis ſit moderatus, 306
Mors communis omnibus, 306
Mortificatio diligenda eſt moderata, 724
Mortis memoria, 780
Morbi tempore quid agendum, 780
Moribundi adiuuandi, 727
Mortis imago & pictura, 781
Mortem forti viro contemnendam probatur, 288
Moſes & Aaron prædicatores, 3
Motus eſt principale in Oratione, 236
Motus totius corporis in Oratore & membrorum qualis, 583
Mouere quid ſit, 237
Mulieres in concione, ſeparatæ à viris, 13
Mulieres quomodo monendæ, 643
Mulierum conſuetudo periculoſa, 779
Mundi vanitas & pericula, 707
Munera non facile accipienda, 736
Myſteriorum Chriſti magna œconomia, 350
Myſteriorum Chriſti memoria, 765
Myſtici ſenſus Scripturæ qua prudentia vſurpandi, 401

N

NArratio ſit dilucida & certa, 536
Narratio ſit morata & ſuauis, 536
Narrationes concionum quales, 535
Narratio ſit breuis, 535
Natura apta concionatori neceſſaria, 167
Naturæ varia dona exigit officium prædicandi, 39
Negotia ſecularia non admittenda, 123

Nego-

Digitized by Google

Negotijs nemo se temerè ingerat, 726
Nemesis quid nam sit, 461
Nemesis in quo differat ab inuidia, 461
Nemesim, virtutes non excitant, 462
Nemesim quinam moueant, 462
Nemesi quinam magis moueantur, 462
Nobiles boni & mali, 635
Nobilitas magna per Christum, 371
Nobilitas Christiana ad virtutes prouocat, 371
Nobilitas sanguinis qua ratione possit laudari, 285
Noe prædicator, 2
Notitia Dei quâ magnum bonum, 51
Notitia de Christo qualis, 324
Nouellantes reprehendantur, 775

O

OCcasiones prædicandi non fugiendæ, 65, & 706
Occasiones peccati fugiendæ, 763
Occasio periculi in conuersatione fugienda, 725
Occasio boni, & fructus, captanda, 726
Occupatio concionandi valde sãcta, & vtilis, 66
Oculorum custodia, 777
Odium quomodò excitetur, 455
Odium Dei maximum contra peccatum, 671
Officia Oratoris tria, 238
Opera pia instituenda, vel conseruanda, 803
Opera bona facta in peccato mortali carent merito, 677
Opinio de virtute Oratoris multum valet, 117, & 501
Oppositorum vsus, 558
Orandi studium in concionatore necessarium, 93
Orandi modi tres vtiles, 766
Oratio morata quid sit, 501
Oratio morata bonitatem requirit in Oratore, 80, & 502
Oratio morata quos mores significet, 503
Oratio morata duobus modis exercetur, 501, & 505
Orationem moratam reddunt sententiæ grbues, 506
Oratio vocalis, 766
Oratio mentalis, 766
Oratio quadraginta horarum, 768
Oratio magnam vim addit concioni, 95
Orandi vsus quam necessarius, 92
Oratio ante & post cibum, 778
Oratio principium parandæ concionis, 96, & 782
Oratio fiebat absoluta concione, 17
Orationis quatuor species, 766
Orationi certum tempus destinatum sit, 96, & 765
Orationis iaculatoriæ vsus, 96, & 766
Orator Christianus debet esse vir bonus, 73
Orator Christianus longe dignior quam politicus, 75
Oratorium domi habendum, 770
Ordo quam vtilis in rebus omnibus, 511
Ordo certus in vita habendus, 764
Ordinis Sacramentum quales requirat Sacerdotes, 384
Origenes puer, 59
Origenis exemplum formidandũ, 109

P

PAgos libẽter adeat prædicator, 71
Parabolarum quis vsus, 271. & 282. & 429
Paraphrasis in verbis scripturæ vtilis, 398
Parentum erga filios obligatio, 636
Participatio bonorum Christi, 336
Partium distributionis locus, 268
Passio Christi ostendit peccati grauitatem, 369
Passio Christi ad amorem prouocat, 360
Passionis Christi memoria, 765
Patientiæ Christi exemplum, 359
Patrum sanctorum testimonia prudenter citanda, 277

S.Pau-

Digitized by Google

S.Paulus protector Concionatorum, pag. 181
S. Paulus paupertatis exemplum, 114
S.Pauli encomium vt summi prædicatoris, 181
S. Pauli virtutes multæ ex Christi amore ortæ, 185
S.Pauli eloquentia admiranda, 187. & 194
S.Pauli cor, Christi amor possedit & triumphauit, 184
Paupertas in qua re exercenda Oratori, 115
Paupertas Apostolica, 126
Paupertatis spiritus in Oratore, 114
Pauperum cura officio Concionatoris annexa, 739
Peccatum quid sit, 664
Peccatum est malum grauius omni malo pœnæ, 665
Peccatum rebus viliſſimis comparatur, 665
Peccatum vnum est causa alterius, 666
Peccatum Deo quomodo opponitur, 667
Peccatum est summa ingratitudo, 670
Peccatum quibus pœnis Deus punit, 672
Peccatum tollit gratiam Dei, 675
Peccatum mortificat opera bona, 676
Peccatum priuat consolationibus, 678
Peccatum priuat fructu Sacramentorum. 678
Peccatum tollit pacem animæ, 680
Peccatum nocet toti mundo, 681
Peccatum sæpè affert malam mortem ex triplici capite, 682
Peccati plures gradus, 654
Peccati malitia intrinseca, 664
Peccati grauitas ex tribus, 668
Peccati pœna infernus, 673
Peccata multa reprehendenda, 649
Peccata venialia quomodo dissuadenda, 710
Peccator priuatur multis Dei auxilijs, 677
Peccator Deum contemnit; 669
Peccator Deum odio habet, 669
Perfectionis doctrina omnibus conuenit, 709
Periclis exemplum, preces fundendi ante dictionem, 790
Perorationis modus triplex, 539
Persuasio tria includit, 231
Persuasio ex triplici capite vim habet, 266
Persuasionem impedit doctrina multiplex, 235
Persuadere quid sit, 231
Persuadere Oratoris Christiani finis, 231
Petri Fabri epistola, 320
Philosophiæ notitia in Concionatore, 161
Philosophorum testimonia quantum valeant, 278
Philosophicis parce vtendum, 161
Phrases Scripturæ cognoscendæ, 404
Placere omnibus difficilis res est, 98
Pœnitentia sæpè inculcanda Oratori, 683. & 684
Pœnitentiæ partes tres, 685
Pœnitentiæ actus proponendi, 686
Pœnitentiæ effectus in voluntate, 686
Pœnitentiæ solennes, 687
Pontificis Romani auctoritas ad probandum, 275
Præceptorum necessitas, 265
Præcepta populis duobus modis proponenda, 300
Præcepta dilucidè explicanda, 301
Prædestinatio Christi ex qua pendet & nostra, 350
Prædicator non prædicet viam laxiorem, 695
Prædicandi officium exigit varia naturæ dona, 39
Prædicatori multæ virtutes necessariæ, 39
Prædicatoris mali periculum, 41
Prædicatores quibus symbolis explicentur, 38
Prædicatores comparantur vectibus, 65
Prædicatores debent examinari, 591

Præ-

Digitized by Google

Prædicatorum in pagis regulæ, 622
Prædicatores infructuosi qui, 684
Prædicatorum quatuor genera, ex Hieronym. 55
Prædicatori conceditur venia peccatorum, 67
Prædicatio ad quas virtutes pertinet, 76
Prædicationis primus author Deus, 33
Prædicatores participant in bonis aliorum, 67
Prædicatorum, qui in curijs agunt prudentia, 626
Prædicationis Christi excellentia in tribus, 355
Prædicatio fœcundat Ecclesiam, 38
Prædicatio Euangelica excellit Mosaicam, 30
Prædicatio quantam doctrinam requirit, 130
Prædicatio excedit opera Misericordiæ corporalia, 34
Prædicatio ad multas virtutes pertinet, 76
Prædicationis necessitas quanta, 35
Prædicationis quanta vtilitas, 38
Prædicatorum inopia est magna pœna, 37
Præexercitamenta Oratoris, quæ, 166
Prælati sunt bases columnarum, 631
Prælatorum industria in eligendis Concionatoribus, 60
Præmeditatio rerum singularum, 595
Præsumentes de misericordia Dei, 663
Presbyteri ab initio an prædicarent, pag. 8
Principum mores, 634
Procrastinatio pœnitentiæ quantum malum, 656
Progressus in virtute faciendus, 701
Promissiones Dei ad probandum valent, 279
Pronunciatio bona magnam habet vim, 574
Pronunciatio sit valdè naturalis, 576. & 582.
Pronunciatio sit accommodata rebus, pag. 576
Pronunciatio qualis in varijs partibus Concionis, 578
Pronunciatio nimis accelerata est vitiosa, 580
Pronunciatio lenta fugienda est, 580
Pronunciatio, quæ eleuatur, & deprimitur vitiosa, 582
Pronunciandi modum, vel ipsa turba docet, 583
Prophetarum voces ad probandum valent, 281. & 389
Propositio Orationis, 533
Propositum non peccandi, 763
Prudentia difficile docetur, 587
Proximus quibus oculis aspiciendus, pag. 725
Prudentia cum simplicitate in Oratore, 128
Prudentia quam Oratori necessaria, pag. 587
Prudentiæ quatuor fontes, & principia, 590
Pueri ingenium ex memoria cognoscitur, 59
Puerilis ætas quomodo admonenda, pag. 641
Pusillanimes, quæ pœna sequitur, 64
Pusillanimes animantur ad concionandum, 63

Q

Quadragesimales conciones quomodo cum fructu fiant, 794
Quæstionem tractandam statim sibi proponat Orator, 259
Quæstionum multiplex genus, 249
Querimoniæ in suggestu fugiendæ, pag. 606
Quæstionibus dubijs maturè, & non facilè respondendum, 735

R

Ratiocinatio, quid sit, 424
Redemptori Christo quantum debeamus, 338
Religionis Christianæ certitudo, pag. 312
Religionis Christianæ antiquitas, pag. 317
Religiosæ vitæ tranquillitas, 708

Reli-

Digitized by Google

Religiosorum status & mores, 633
Reliquiæ Sanctorum, 770
Repetitio in Epilogo qualis, 539
Repetitio figura multiplex, 556
Repetere eadem ad inculcandum, vtile, 704
Reprehensio proprium Concionatoris munus, 290
Reprehensio passim admiscenda, 292
Reprehensio neminem prodat, 689
Reprehensio cum charitate facienda, pag. 693
Reprehensorij generis loci, 292
Reprehendendi Ecclesiasticos prudentia, 632
Reprehendendi Principes prudentia, pag. 626
Reprehendendi Superiores prudentia, 691
Restitutio famæ, 775
Resurrectio Christi gloriosa, 362
Resurrectio Christi causa nostræ, 363
Resurrectio nostra moralis, 363
Reuelatio secreti mala, 774
Reuelationes quid valeat ad probandum, 280
Reuerentia exhibenda Superioribus, pag. 772
Reuerentia in externo Dei cultu tenenda, 771
Rhethorica aliqua falsa datur, 198
Rhetorica falsa est, vt coquinaria ars pag. 201
Rhetoricæ, ac Dialecticæ discrimen, pag. 231
Rhetorica ciuilis vtilis ad Conciones, 193
Rosarium Beatissimæ Virginis, 768
Rusticanorum vitia quænam, 625

S

SAcramenti altaris visitatio, 788
Sacramenta, quid sint, 380
Sacramenta gratiam conferunt, 381
Sacramenta ad probandū valent, 282
Sacramentorum dignitas, 381
Salutatio populi qualis, 701
Salutis animarum procuratio magnū bonum, 32
Sanctorum patrum testimonia, 276
Sancti quomodo laudandi, 285
Sanctorum veneratio deuota, 779
Sanctorum litaniæ, 770
Sapientia bonis se communicat, 71
Satisfacere sibi ipsi in Concione difficile, 99
Scientia multiplex in Oratore necessaria, 136
Scopus Concionis initio proponendus, 234
Scopus vitæ spiritualis quinam, 761
Scopus Scripturæ inuestigandus, 418
Scribæ, qui essent, 4
Scribenda ne Concio ad verbum, 175
Scribendi Conciones, modus, 174
Scriptio vtilis Concionum, & qualis, pag. 173
Scriptura est Epistola Dei, & speculū, pag. 132
Scriptura sacra Oratori ad omnia valet, 132
Scriptura quibus Concionatoribus est dulcis, 134
Scriptura aliquando habet plures sensus hystoricos, 141
Scriptura secundum patres exponenda, 394
Scripturæ variæ consuetudines aduertendæ, 147
Scriptura per causas allatas amplificatur, 419
Scripturæ voces considerandæ, 402. & 143.
Scripturæ Tropi aduertendi 145
Scripturæ phrases, & idiotismi considerandi, 144
Scripturæ translationes diligenter inspiciendæ, 405
Scripturæ variæ versiones vtiles, 407
Scripturæ sacræ eloquentia, 197
Scripturæ collocatio, & ordo etiam in verbis attendenda, 411
Scripturæ varia loca pro eodem sensu, 412
Scripturæ septem regulæ ex Ticonio, pag. 148
Scripturæ obscuriora loca per obiectiones examinatæ, 414
Scripturæ scopus tenendus, 151

Digitized by Google

Scripturæ optimè seruiunt variæ scientiæ, 427
Scripturæ sententię cum spiritu afferendæ 398
Scripturæ sacræ studium, quam necessarium, 131
Scripturæ studium quid requirat, 135
Scripturæ lectio debet esse assidua, pag. 437
Scripturæ sacræ meditatio qualis, 138
Scripturæ sensus duplex, 140
Scripturæ phrases, & idiotismi, 144
Scripturæ variæ consuetudines, 146
Scripturæ vsus per accommodationem, 396
Scripturæ locorum conciliatio, 150
Scripturæ sacræ testimonia, 278
Scripturæ sententiæ quomodo amplificandæ, 401
Scripturæ loca opposita seruiunt amplificationi, 418
Scripturarum triplex vsus, 395
Scripturæ sensus mysticus quomodo vsurpandi, 399
Scurrilia vitanda omnibus, 240
Scurrilitas vitanda Oratori, 240
Sedis Apostolicæ fides est fundamentum contra hereses, 318
Sensus hystorici, & mystici discrimen, 141
Sensus mysticus triplex, 141
Sensus hystoricus quomodo inuestigandus, 142
Sensus hystorici triplex vtilitas, 396
Sententia quid sit, 430
Sententiæ vtiles in Oratione ad multa, 430
Sententiæ Orationem faciunt moratam, 506
Sententias afferendi duplex modus, pag. 431
Seuum mores, 507
Serapionis exemplum pro Eleemosyna, 751
Serio vt dicat Orator, quid remedij, pag. 617
Serio agat Concionator, 616
Sermones olim etiam per aliquos legebantur, 10
Sermocinatio figura quid sit, 571
Sermo in Concionatore qualis in conuersatione, 121
Signa vocationis ad prædicandum quænam, 58
Silentij indicendi modus ante Concionem olim, 17
Similia adhibendi modus multiplex, pag. 428
Similudines qua arte vsurpandæ, 428
Simonia in Concionando, 594
Simplicitas cum prudentia, 128
Simulatio virtutis ficta magnum malum, 502
Societas mala fugienda, 779
Societas bonorum, 779
Soriter quid sit, 424
Spectacula vitanda, 123, & 777
Spes veniæ peccatorum quomodo excitetur, 490. & 661
Spes nobis à Christo commendata, pag. 357
Statuum diuersorum notitia, 628
Status electio, quomodo facienda, pag. 776
Suasorij generis capita, 287
Subiectio figura quid sit, 565
Submissio quid sit, 427
Suffragia pro defunctis persuadentur, pag. 307
Suggestum non sit altum nimis, 613
Superbi Concionatoris pœna, 119
Superbiæ signa in verbis, 602
Superbiæ signa in gestibus, 603
Superiorum iudicio standum circa eloquentiam, 229
Superioribus quid debeamus, 777
Symbola propria Scripturæ sacræ, 145

T

Talentum Concionandi, 39
Templum proprius Concionis locus, pag. 21
Temporalia bona commodato habemus, 291
Tepiditatis malum quomodo dissuadendum, 711
Testamentum idem quod pactum, 373
Testamentum nouum nouos homines exposcit, 374

Testa-

Teſtamenti vtriuſque concordia valet plurimum, 416
Teſtimonia Sanctorum patrum, 276
Theologiæ Scholaſticæ notitia Oratori neceſſaria, 153
Theologiæ Scholaſticæ vſus qualis in Concionibus, 154
Theologorum Scholaſticorum authoritas, 277
S. Thomæ doctrina alijs præferenda, pag. 154
S. Thomæ præcepta ad profectum ſtudiorum, 181
Ticonij ſeptem regulæ pro Scripturis, 148
Timotheus, & Titus magni Prædicatores, 27
Timor vtilis in officio Concionandi, pag. 62
Timor quid ſit 455
Timor Dei ex quibus argumentis naſcatur 492
Timor mundanus arguitur, 494
Timoris quinam ſolent eſſe expertes, pag. 457
Timoris ſpecies ſex, 492
Timorem quinam magis ſentire ſoleant, 457
Timerè quos homines, & quæ mala ſolemus, 456
Traditio Eccleſiaſtica ad intelligendas Scripturas, 152
Tranſitio figura multum vtilis, & grauis, 562
Tranſitionis varij modi, 562
Translatio quid ſit, 553
Translatio multum delectat, & quare pag. 553
Translationes illuſtres, 554
Tremor in Concionatore quiſnam bonus, 108
Triſagij Deuotio, 764
Tribulatio probat iuſtos, 296
Tribulationum vtilitas multiplex, 296
Trinitatis ſanctiſſimæ myſterium reuerenter colendum, 764
Triſtitia quibus remedijs pellatur, pag. 484
Triſtitiam malam quænam diſſuadent, pag. 483
Troporum exempla ſacra, 553
Turpiloquium quam turpe, 387

V

VAna gloria qualia præcepta det, 112
Vana gloria fugienda in Eleemoſynis petendis, 759
Vana gloria quomodo poſſit expugnari, 112
Vanæ gloriæ deſcriptio, 571
Verbum Dei materia Concionum, 29
Verbum diuinum eſt prædicandum, 260
Verbi diuini excellentia, 29
Verbi diuini efficacia, 102
Verecundia quid ſit Ariſtoteli, 458
Verecundiam quid gignat, 459
Verecundiam vitia pariunt, 459
Verecundiam etiam generat virtutũ defectus, 459
Verecundiam qui nam facilè patiantur, 460
Veſtitus qualis, 778
Verſiones variæ in Scripturis vtiles ad explicandum, 407
Verſiones variæ Scripturæ quomodo proponendæ, 397
Vertendi Scripturam in patrium ſermonem prudentia, 397
Viam triplicem Orator doceat, 246
Viduarum duplex genus, 639
Viduarum leges, 640
Vindictæ appetitus cohibendus, 499
Vim moderatio, 302, & 778
Virginitas Beatæ Mariæ colenda, 769
Virginum leges, 646
Virilis ætatis mores, 507
Viſitationes multæ fugiendæ, 120
Vitæ ſpiritualis Magiſter & dux, 761
Vitę ſpiritualis finis, ſcopus, & inſtrumenta, 761
Vnio inter omnes quam procuranda, 718
Vnitiuæ viæ materiæ quæ ſint, 257
Vocatio Dei ad prædicandum requiritur, 53
Vocationis ſigna ad prædicandum quænam, 58

Digitized by Google

INDEX.

Voluptas origo malorum, 478
Voluntas Dei, semper ante nos habenda, 305
Vox debet esse pura, 575
Vox sonora & explanata sit, 576
Vocis varietas qualis, 576
Vocis quantitas iuxta rationem auditorij, 674
Vocum inflexiones tres variadæ, 577

Z

Zacchæi exemplum pro clemosyna, 759
Zelus gloriæ patris in Christo, 358
Zelus Christi erga animas, 107
Zelus salutis animarum quam magna res, 32
Zelus animarum in Concionatore, necessarius, 105
Zelum quænam excitent argumenta, 106
Zelus qui non est secundum scientiam, 107

Errata sic corrige.

Pag. 4. in voce Græca deest Omicron. pag. 8. Arius, pro Arius. pag. 8. etiam non, pro etiam num, sensus est contrarius. 18. ne grauemus studiosos, prò fastidiosos. 42. Architofeli, pro Achitofeli. 65. Bernardinus, pro Bernardus. 85. in margine Ioannem, pro inanem. 86. proprius, pro proprias. 88. seruires, pro seruies. 92. authoritatem, pro authoritate. 99. de cath. iur. pro de Cath. rud. 126. per quæ, pro perq; 127. quibusuis, pro quibus. 141. Mysterium, pro Mysticum. pag. 147. error est in ipso num. pro 146. & seq. item 146. pro 147. 153. ad, pro ab. 166. quæ, pro qui. 184. artes, pro artes. 216. itæ, pro ita. 220. ep. 20. lib. 20. pro ep. 20. lib. 1. 230. Tertio, pro Sexto. 347. insigne, pro insigné. 388. Cap. XX. pro Cap. XXII. 422. Hiero. pro Hierem. 465. extrema, pro extremã. 468. pugnét, pro pugnet. 520. pro 526. 526. Cant. Cant. pro Cant. Magnificat. 675. infomante, pro informante. 468. Georgij, pro Gregorij. pag. 774. est error in numero, pro 764. qui error sequitur usque ad numerum 779. pro 769. deinceps bene habet.

Nec desunt alij errores impressionis quos facile peritus Lector aduertet.

REGESTVM.

† a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg. I F

Omnes sunt quaterniones præter †. qui est duernio.



ROMÆ,

Apud Bartholomæum Zannettum. MDCXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google